


AZ PULCET

CONSILIOR

II



ἩΣΠΕΡΙΑ
LIBROS HISPANICOS
ZARAGOZA
ESPAÑA









LIBRARIUM

UNIVERSITATIS

PAVIAE

MDCCCXXXIII

1833

CONSILIORVM

SIVE RESPONSORVM

MARTINI AB AZPILCVETA

DOCTORIS NAVARRI



Pars Secunda.



R O M A E,

Ex Typographia Iacobi Tornerij, M D X C.

P E R M I S S V S V P E R I O R V M .



CONSILIORVM

SIVE RESPONSORVM

MARTINI AB AZPILCVETA

DOCTORIS NAVARRI,

Liber quartus.

DE SPONSALIBVS.

SVMMARIVM.

- 1 *Parochi viri presentia sufficit, si in eius cōtrahitur parochia, & femina, si in parochia femina.*
- 2 *Matrimonium sine parocho contractum nullius est effectus, nec vim etiā sponsaliorum habet. nu. 3.*
- 4 *Virginem nulliter ducens, & cognoscens an dotare teneatur.*
- 5 *Virginem pellicentem deflorans restituere non tenetur iure poli, sed iure fori condemnabitur.*
- 6 *Virginem nulliter ducens, & deflorans an dotare teneatur, licet illa postea fornicetur.*
- 7 *Preces an magnæ, an leues ratione personæ iudicandæ.*
- 7 *Virginem sacratus, vel coniugatus sine deceptione deflorans nihil restituere tenetur.*

CONSILIVM PRIMVM.



Vastum fuit primo, coram quo parochi contrahi debeat matrimonium, quando coniungendi sunt diuersarum parochialium, viri, an mulieris, vel vtriusque.

Secundo, an qui matrimonium siue parochi presentia contraxerunt possint ab eo absque iudicis licentia discedere.

Tertio, An matrimonium sine parochi licentia contractum vim saltem sponsaliorum habeat.

Quarto, an matrimonio vt supra cum virgine contracto, si vir eam deflorauerit, nec amplius cum ea contrahere velit, eam dotare teneatur.

Quinto, an ad idem teneatur, qui virginem pellicentem deflorat.

Sexto, matrimonio sine parochi presentia cum virgine contracto, & consummato, si mulier cum alio fornicatur, an vir qui eam deflorauit, nec amplius cum ea contrahere intendit, ad damni restitutionem teneatur.

Septimo, an etiam ad idem teneatur coniugatus, vel in sacris constitutus, qui cum virgine contrahit, & eam deflorat.

- 1 AD PRIMAM respondeo, quod ad hoc; vt matrimonium valeat, sufficit, quod interueniat parochus habitationis feminae, quando contrahitur in parochia habitationis eius; & sufficit parochus viri quando contrahitur in parochia habitationis viri, vt declarauit Congregatio Illustriss. Card. ad dubia Conc. Trid. declaranda deputatorum.
- 2 AD SECUNDAM respondetur affirmatiue, quod contrahentes matrimonium sine presentia parochi, vel eius substituti possunt dicere a tali matrimonio propria auctoritate, & sine vlla Iudicis auctoritate potest vir ducere aliam feminam, & femina nubere alij viro. Tum quia tale matrimonium est ipso iure nullum, & omnino irritum per c. 1. de reform. matrimonij sess. 24. Conc. Trid. & impedimentum non praestat, quod de iure non sortitur effectum, reg. non praestat. de reg. lib. 6. Tum quia censetur ab illegitimis personis contractum per praedictum cap. 1. conc. & consequenter adeo notorie nullum, quod non est cur adeatur Iudex ad illud dissoluendum, arg. cap. ad nostram. de iure iur.
- 3 AD TERTIAM, quod tale matrimonium non videtur habere vim sponsaliorum. Tum quia contextus praedicti cap. 1. conc. habet huiusmodi contractum esse irritum, & nullum & habendum pro contracto inter personas omnino illegitimas, inter quas non possunt interuenire sponsalia. Nec obstat cap. 1. §. 1. de spons. impub. lib. 6. Tum quia matrimonium contractum eo quod sit contractum inter impuberes non censetur contractum inter personas omnino illegitimas. Tum quia casus ille est specialis, & non est trahendus ad alia saltem dissimilia, & in quibus non militat eadem ratio, arg. cap. praesenti. §. loca. de praeb. lib. 6. & c. qualis. 25. dist.
- 4 AD QUARTAM respondeo, quod is qui matrimonium cum virgine sine parochi presentia contraxit, & eam deflorauit ad eum modum satisfacere tenetur vel non tenetur, quo modo tenetur aut non tenetur is, qui deflorauit virginem volentem & non deceptam; quomodo autem hic teneatur, aut non teneatur, videatur cap. 1. & 2. de adult. & ea quae nos diximus in Man. cap. 16. num. 16. vbi resoluimus eum, qui deflorauit aliquam leuiter rogatam sine vlla deceptione, & a fortiori rogantem saltem

tem

DE SPONSALIBVS.

tem tacite teneri ad dotandum eam in foro conscientia, licet in foro exteriori sic. cum vero, qui deflorauit magnis precibus ad consentiendum adactam teneri ad dotandum.

5 AD QVINTAM respondeo, quod adolescens deflorans virginem pellicientem seu inducentem ad fornicationem, vel stuprum in foro conscientia non tenetur ad ei restituendum aliquid, sed in foro exteriori condemnabitur, vt in dicto Man. supra dicitur in simili fortiori casu, videlicet, cum adolescens non rogatur, sed rogat, licite tamen & sine vlla deceptione, vt proxime dictum est.

6 AD SEXTAM respondeo primo, quod qui contraxit cum aliqua contra formam praedicti conc. & consummauit matrimonium, si postea illa fornicata fuerit, non tenetur contrahere cum illa, arg. cap. quemadmodum. de iureiur. quatenus probat eum qui iurauit ducere aliquam non teneri, si postea fornicata fuerit. Secundo quod tenetur ad dotandum, si ante illam fornicationem erat obligatus: quia fornicatio sequens non est causa tollendi obligationem, qua ante illam tenebatur dotare, argum. totius tituli Instit. quibus modis tollitur obligatio. an autem teneretur ante illam fornicationem, videtur colligi ex responsione ad quartam.

7 AD SEPTIMAM respondeo, quod si coniugatus, vel sacris initiatus deflorauit virginem consciam coniugij, vel ordinis sacri, non tenetur quidem illam ducere, vt proponitur in ipsa quaestione, nec tenetur eam dotare in foro conscientia, si deflorauit volentem, vel rogantem, vel tantum leuiter, rogatam sine vlla deceptione per responsa ad quaestionem quintam: Si autem deflorauit rogatam magnis precibus, tenetur ad dotandam in vtroque foro, per responsum ad quartam quaestionem. Addo tamen id, quod apud neminem legere memini, preces quae viderentur esse leues, si fierent a gregario iuvene, posse dici graues si fierent ab aliquo magna auctoritatis viro puella gregaria, argu. illius vulgaris, *Praeces superioris sunt iussus*. l. 1. & glos. verbo quemadmodum. ff. quod iussu, & consequenter fieri posset, quod rogatio quae esset leuis, si fieret a gregario iuvene, diceretur grauis & importuna si fieret ab aliquo, cui notabili auctoritatem adderet coniugium, aut sacer ordo.

S V M M A R I V M.

- 1 *Matrimonium ex dispensatione contrahentes negata copula post commissionem ad dispensandum secuta peccant, sed valet matrimonium.*
- 1 *Dispensatio super vno impedimento alio tacito est valida.*
- 2 *Incestus impedit, sed non dirimit matrimonium.*
- 3 *Filij nati ex matrimonio in peccato contracto sunt legitimi.*
- 3 *Matrimonium per dispensationem tacito incestu contrahentibus remedium.*
- 4 *Dispensatio ad petendum debitum tacito incestu impetrari potest.*
- 4 *Opinionem grauis auctoris sequens praecipue in vs, quae sunt iuris humani non peccat.*

5 *Incestus occultè post commissionem ad dispensandum admissos commissario interroganti contrahentes fateri non tenentur.*

CONSILIVM II.

1 **Q**uidam N. tractabat de matrimonio contrahendo cum C. secundo gradu consanguinitatis attinente: & post missam informationem ad Urbem, & impetratam commissionem dispensandi, antequam dispensatio fieret, cognouerunt se carnaliter; & postea commissarius accepto iuramento, quo iurarunt sese non cognouisse, dispensauit, & contraxerunt publice matrimonium, & multis annis vixerunt coniugati. Quæritur de remedio salutis animæ & corporis præfatorum.

- Ad hanc quæstionem respondeo primo: illam esse grauissimam, & multiplicem; ita quod eius plena decisio multarum aliarum requirat, ideoque non vacare nobis nunc eam pro dignitate decidere: tamen pro amicitia, qua sum in dominum interrogantem, per pauca seminaria ita eam tractabo, vt ex eis colligi possint in id necessaria. Secundo, quod præfati grauissime peccauerunt per incestum, & periurium; quorum oportet eos vere pœnitere, vt condonetur à Deo misericordissimo. Tertio, quod iure ipso attento valuit dispensatio præfata: tum quia in impetratione commissionis eius Papalis, non fuit admissa vlla subreptio; quia nondum incestum admiserant: tum quia nullo iure cauetur, quod non possit impetrari dispensatio super vno impedimento non facta mentione de alio; quamuis non possit contrahi matrimonium iuste donec super vtroque dispensetur, sicuti excommunicatus duplici excommunicatione absolui quidem potest ab vna, non facta mentione de altera; licet non possit iuste communicare cum proximo donec ab omnibus absoluator iuxta cap. ex parte. & glo. mag. eius receptam in Theoria & praxi de senten. excomm. faciunt multa quæ adducit Fel. in c. querelam. de iureiur. & in cap. omni
- 2 potens. de accus. & in c. 2. de rescr. à nu. 3. Quarto, quod præfatum matrimonium valuit; quamuis iniuste fuerit contractum; quia impedimentum incestus, licet impediatur contrahendum, non tamen dirimit contractum secundum omnes; & ita, cum per præfatum dispensationem fuisset sublatum impedimentum secundi gradus consanguinitatis; quod impedit & dirimit; solum remansit impedimentum incestus impediens & non dirimens, iuxta tradita in nostro Man. confess. in c. 22. nu. 74. super
- 3 quo potest dispensare episcopus, vt traditur ibid. nu. 75 Quinto, quod filij præfatorum sunt legitimi; quia nati sunt ex legitimo matrimonio; licet cum peccato contracto; qualia sunt vt ego arbitror pleraq. matrimonia. Sexto, quod ad manendum cū salute animæ, corporis, & honoris sufficit prædictis consulentib. legitime pœnitere, & confiteri, & penitentias iniunctas implere, & impetrare dispensationem ab episcopo petendi debitum à se mutuo ad hoc, vt suo matrimonio sancte fruantur. Septimo, quod consulte ac provide faciēt tacēdo, & nō fatēdo incestū illū, quē admiserūt; cuius tamen publicatio nō noceret filijs legitimis natis, &
- negan-

negatib. illū per ea quæ traduntur per Bar. & alios in 1. filiū. n. 2. ff. de his qui sunt sui, vel alieni iuris. & alibi sæpe de filio nō credēte matri dicēti eū esse spurīū. Octaūo, facit pro cōsulentibus, quod quādo aliquid depēdet ex intellectu iuris humani; diuerso modo intellecti, nō peccat quis in sequēdo intellectū grauis auctoris, etiam si ille esset vere falsus, secundū Innocentiū in c. per tuas. in 2. de Simon. cōiter receptū per Bal. & alios, quos citat Fel. in c. 1. de sent. & re iud. fal. 7. & ea quæ nos tradidimus nūperrime in cōment. de alienat. rerū eccles. in summa §. & 15. Nono, Facit, quod ante multos annos tenuit Thomas corrector penitētiarię, qui post fuit Ep̄s Ilerdēsis, quosdā, qui impetrarunt cōmissionē ad dispensandū, & postea ante dispēfationē cōmiserūt incestū, nō fuisse obligatos ad confitendū illū cōmiss. interrogāti, quia fuit occultus & secretus, & eius manifestatio, nō erat ad substantiā dispēfationis. necess. per iura vulgata.

S V M M A R I V M.

- 1 Filij ex matrimonio nullo legitime contracto, & durante amborum, vel alterius coniugis ignorantia nati, sunt legitimi.
- 2 Papa, immo nec Deus nequit facere, vt factum non sit factum.
- 3 Papa sacramentum sine his, quæ sunt de eius essentia, facere nequit.
- 3 Consensus verus viri, ac mulieris sunt de matrimonij essentia.
- 4 Papa nequit quæ sunt de sacramenti essentia supplere.
- 5 Resuscitatus ad suam uxorem sine noxo consensu redire nequit.
- 5 Papa stupor mundi, nec Deus est, nec homo.
- 6 Papa quidquid fieri potest lege humana, potest per seipsum.
- 6 Papa, & Imperator sunt canones, & leges animate.
- 7 Papa plusquā consuetudo, & priuilegium potest.
- 7 Consuetudine induci potest, vt nati ex matrimonio putatiuo sint legitimi.
- 8 Papa ex causa legem diuinam limitare, & desuper dispensare valet.
- 9 Papa leges suas, & prædecessorum an sic reuocare possit, ac si late non fuissent. nu. seq.
- 11 Papa leges suas quoad effectus Deo, & principi seculari reseruos, pro infectis habere nequit.
- 12 Legitimitas extra terras Ecclesie ad potestatem laicam spectat.
- 14 Lex de non contrahendo in quarto gradu, potest à Papa cum suis effectibus reuocari.
- 15 Papa sine causa legem suam reuocando peccat, sed valet actus.
- 15 Papa plenitudine potestatis sine magna causa vti non debet.
- 16 Papa non potest licite cum scandalo, & in tertij præiudicium suas leges reuocare. nu. 17.

C O N S I L I V M III.

AN Papa possit facere, ut post mortem alterius coniugis putatiuæ, quæ vere non erat coniux ob impedimentum cōsanguinitatis, uel

affinitatis, filij incestuosi fiant legitimi, approbando matrimonium inter ipsos perinde ac fierent si ambo viuerent, & approbaretur à sua Sanctitate.

- 1 Quæstio hæc est maxima, & maximo dignissima cothurno quoad vtrumque forum, paulo latius, sed quam breuissime fieri potest eam tractabo. Respondeo igitur primo, quod filij, qui nati fuerunt antequam vterque coniugum sciret impedimentum, sunt legitimi, absque ulla Papæ dispensatione, quia ignorantia impedimenti parentum vel alterius eorum efficit legitimos filios, si matrimonium contraxerunt factis legitimis denuntiationibus debitis, & nullo denuntiatore apparente, ut clare probatur in cap. 2. & in cap. referente. & c. ex tenore. adiunctis suis glossis communiter recep. qui filij sint legitimi, & cum in casu proposito matrimonium fuisset contractum seruata forma Concilij Trid. & quod præmissis denuntiationibus nemo denuntiauit impedimentum, si vterque parentum vel alter eorum vere ignorabat impedimentum, certum est, filios eorum ante scientiam impedimenti natos esse legitimos.
- 2 Secundo, quod pro parte negante, scilicet quod filij, qui concepti & nati fuerunt postquam vterque parentum, sciuit impedimentum, non possunt legitimari per Sanctissimum D. N. ita ut sint legitimi à tempore, quo fuerunt concepti, & nati per approbationem matrimonij factam à sua Sanctitate post mortem alterius parentum, facit primo, quod non potest eius Sanctitas facere, ut quod factum est, non sit factum, l. in bello. §. factam. ff. de captiu. & postlim. reuerf. & c. si Paulus. 3. 2. q. 5. vbi D. Hieron. ait etiam Deum ipsum non posse id facere: quia implicat contradictionem, ut declarat D. Thom. 1. par. q. 25. ar. 3. & 4. qui in 3. art. reddit rationem sui dicti clariorem, quod licet Papa, & Imperator inducere possint fictionem, aut præsumptionem alicuius actus, qui vere non fuit factus, ut fingatur, vel præsumatur esse factus c. is qui. & c. tua de sponsal. & tradit Bar. in l. si is qui pro emptore. à nu. 2. ff. de vsucap. & ponendo exemplum de l. postliminium fingentem redeuntem ab hostibus non fuisse captum; & de lege Cornelia fingente captum ab hostibus morti cum capitur ab eis: non tamen posse efficere, quod vere sint facti: quia non possunt facere, quod duo vere contradictoria sint
- 3 vera, ut tradit supra Thom. vbi supra. Secundo, quod non potest facere Papa, ut aliquod sit verum Sacramentum à D. N. Iesu Christo institutum, nisi concurrant ea, quæ sunt de substantia, & essentia sacramenti, per ea, quæ omnis turba doctorum Theologorum tradit in 1. dist. lib. 4. sent. & probatur in cap. ueniens. de presb. non bapt. tradit supra Thom. recep. 3. p. q. 64. ar. 1. & 2. & ita per nullam potestatem humanam potest effici verum Sacramentum Eucharistiæ sine uero pane, & uero uino; neque sacramentum baptismi sine uera aqua; nec consequenter verum matrimonium sine uero consensu uiri & mulieris: quia sicut panis
verus,

uërus, & vinum verum sunt de essentia Sacramenti Eucharistiæ, & aqua vera de essentia baptismi: ita consensus verus viri & mulieris est de essentia matrimonii, c. sufficiat. 27. q. 2. & non qualis qualis consensus, sed liber, c. cum locum. de sponsal. Ergo sicut licet Papa possit efficere, quod aliquod præsumatur esse Sacramentum Eucharistiæ, vel baptismi, vel ordinis, non tamen potest efficere, vt aliquid sit vere unum horum sacramentorum, sine his quæ Christus Deus voluit esse de essentia eorum; ita licet possit Papa inducere præsumptionem, qua putetur aliquid esse sacramentum matrimonij d. cap. is qui. & c. tua de spons. non tamen potest efficere, vt id quod coram Deo non est sacramentum matrimonij, sit tale verum coram hominibus. Tertio, quod Papa non potest supplere consensum iure naturæ requisitum, vt post Io. And. tradit Panor. in c. per venerabilem nu. 22. qui filij sint leg. quos etiam nos post alios sequuti sumus in Man. confess. c. 22. nu. 86. insinuando rationem, quia iure naturali, & diuino ad substantiam matrimonij requiritur. Franciscus etiam Aret. tenet in conf. 142. num. 4. quod matrimonium contractum inter inhabiles non ratificatur per solam dispensationem Papæ. Sed oportet vt nouo consensu post dispensationem nouè contrahatur, quod in casu nostro fieri non potest. Quarto, quod mors omnia soluit, auth. de nuptijs. §. deinceps. col. 4. & consequenter matrimonium; adeo quod Lazarus resuscitatus non potuisset de iure accedere ad suam uxorem, si quam habuisset, & reliquisset uiuam non contrahendo nouè matrimonium, iuxta glo. solenn. in c. licite. 32. q. 7. Tertio principaliter dico pro contraria parte, scilicet, quòd potest facere Papa per suam dispensationem & dispositionem, vt per matrimonium prædictum fiant filij legitimi, facit primo illud poetæ Anglici relatus ad glo. in proëmio clem. *Papa stupor mundi.* & infra, *nec Deus est, nec homo; sed neuter inter vtrunq.* pro quo est c. cuncta per mundum. 9. q. 3. & c. proposuit. de concess. præben. Secundo, quòd quidquid potest fieri iustè per Canonem humanum, potest fieri per Papam; cum ipse sit pater & auctor Canonum, c. 1. de constit. c. si Romanorum. 19. dist. immo etiam canones viui, c. ipsi sicut canones. 9. q. 3. per quod addit ibi glo. summos Pontifices esse canones animatos; sicut & Imperator est lex animata, §. fin. in auth. de consulib. col. 4. At posset generali canone statui, vt filij eorum, qui bona fide certo numero annorum permanferint in matrimonio, alias legitime contracto, per ignorantiam probabilem sint legitimi; sicut statutum est, vt sint legitimi filij, quorum pater vel mater bona fide putabit esse verum matrimonium, ex quo geniti sunt iuxta supradicta c. 2. cap. referente, & c. ex tenore. cum suis glossis, qui filij sint leg. quia talis canon non esset contra ius naturale, neque diuinum. Ergo etenim Papa potest per suam dispensationem id facere; cum qui potest facere quod est plus potest facere quod est minus. reg. cui licet. quod est plus, & quod minus est licebit. de reg. iur. Tertio, quòd Papa plus potest

potest facere, quam consuetudo, etiam immemorabilis, & priuilegium, vt palam est. At consuetudine immemorabili, & priuilegio, Papa induci potest, quod in aliqua prouincia, vel in aliquo genere hominum sint legitimi filij nati ex matrimonio putatiuo bona fide aliquo certo tempore continuato: quia hoc non est contra legem naturalem, neque diuinam. Ergo etiam id potest efficere Papa. Quarto, quod Papa potest limitare iusta de causa legem naturalem, & diuinam, & dispensare circa illas iusta de causa in aliquo casu occurrenti, vt tradunt Innoc. & omnes in cap. quæ in Ecclesiarum de constit. per l. Lucius. ff. de euctio. & Papa dispesat iusta de causa super omni voto; licet illud iure naturali obliget etiam in solenni castitatis faciēdo monachū verū, quia uouit tria substantialia religionis vota, habilē ad coniugiū, secundū Innoc. à Canonistis recept. in c. cum ad. §. fin. de stat. monach. & etiam Caiet. contra S. Thom. 2. 2. q. 88. ar. 1. tanta est eius potestatis plenitudo, vt mōstrant

9 illa plurima, quæ citat Fel. in c. 1. a nu. 6. de constit. Quinto, quod glo. putata sing. in clem. 1. verb. pro infectis. de immu. Ecclesiarū. recep. cōmuniter habet tantam esse plenitudinē potestatis Papæ, quod potest reuocare oēs leges à se, vel prædecessoribus suis latis cū omnibus effectibus ab eis productis; ita vt censeantur reuocata: à tēpore, quo factæ fuerunt cū omnibus effectibus ex eis cōsequutis. At lex, quæ inducit impedimentū in 4. consanguinitatis gradu, est lex lata per Papas; quia nec iure naturali, neq; diuino vllō sunt prohibita matrimonia in illo gradu. Ergo potest reuocare illam, cū suis effectibus: ita vt censeatur reuocata ex tunc, scilicet à tēpore quo fuit lata; & non tantū ex nunc quo tempore fit reuocatio. quæ glo. procedit etiam in Papa reuocante legē sui prædecessoris: loquitur enim de reuocatione, qua Clemens V. reuocauit legē factā à Bonifatio viij. prædecessore suo, habendo illā pro infecta, per quā eandem glo. Petrus ab Ancharano tenet hanc partē in cons. 409. Quin & Panor. magnificando illā glo. asseruit ferē idē in cap. per venerabilē à nu. 2. qui consilij sint legitimi. Quarto, principaliter præmissis pro vtraque parte supradictis ad concordia eorū, quæ in eis tangūtur dico primo, argumenta pro priore parte negante formata concludere illam quoad ea, quæ iure naturali, & diuino sunt instituta pro Sancto Sacramento matrimonij, & consequenter, q̄ Papa non potest efficere, quod matrimoniū non fuerit uerē solutū per mortē vxoris, iuxta illud Pauli. 1. ad Corinth. 7. secundū solam naturalē, & diuinā legē loquentis, *Coniux mortuo coniuge soluta est a lege illius.* neq; tacere pōt vt matrimoniū, de quo agitur, non fuerit iniustū: quia contradictoria eius est vera, scilicet, quod fuit iniustū: & non potest etiā facere, vt duo cōtradictoria sint vera, vt prædictū est. nec cōsequenter potest efficere Papa, vt prædictū matrimoniū verē reuiuiscat inter præfatos coniuges inhabiles ad illud cessante inhabilitate per dispensationē, vel alio modo sine nouo consensu: quia iure naturali, & diuino cōsensus est de substantia & essentia matrimonij, vt dictū est. Nec potest

pōt facere quōd fiat Sacramentum sine materia, & forma, quas instituit
 Christus ad eius essentiā necessarias : quia vt prædictū est, nō pōt legem
 naturalē & diuinā tollere. Nec potest etiā facere, quōd filij nāti post sciē
 tiam vtriusq; parētis impedimēti, nō fuerint illegitimi; quia implicat cō-
 11 traditōnē quod aliquis fuerit, & nō fuerit illegitimus. Secūdo, q̄ Papa
 nō pōt efficere, vt leges à se, vel prædecessoribus suis factæ habeantur
 pro infectis quoad illos effectus, quos iam operatæ sunt virtute iuris na-
 turalis, vel diuini: nō enim potest efficere, quod coniuges qui inualide
 cōtra leges Papales matrimoniū scientes impedimentū cōtraxerunt, vel
 eo vsi sunt, peccauerunt mortifere, neq; quod non damnētur ob illa pec-
 cata à Deo, si eos nō pœnituerit eorū iustē; neq; quod non peccauerint
 mortiferè accipientes Sacramentū Pœnitentiæ vel Eucharistiæ in illo ma-
 lo statu; quia deletio, & extinctio peccati mortiferi iam admissi nō per-
 tinet ad nutū Papæ, sine iusta contritione, & necessaria cōfessione cap
 legatur. 24. q. 2. &c. venia nō datur nisi correcto. de reg. iur. lib. 6. neq; gra-
 tia Sacramentalis recūperari potest per solā legis reuocationē: quia solus
 12 Deus illā restituit, c. omnis. de consecra. dist. 4. Tertio, quod nec sua San-
 ctitas reuocasse posse videtur prædictas suas leges ad effectū tollendi
 effectus, qui licet nō sint reseruati soli Deo, sunt tñ reseruati regi sæcula-
 ri; qualis est legitimatio filiorū natorū extra tertas Apostolicas; quā li-
 cet Papa facere possit dispēfando in radice matrimonij; nō tñ potest sim-
 pliciter dispensando circa ipsam solā legitimatiōnē, vt satis sensit Pan. in
 d. c. per venerabilē. nu. 26. qui filij sint legitimi, & videtur praxis seruare
 13 illud, vt colligitur ex decif. 1. Rot. in nouis eod. tit. Quarto, quod Papa
 potest reuocare oēs leges à se, vel prædecessoribus suis super matrimonio
 latas; quatenus sunt humanæ: & ita reuocare, quod fingantur non esse fa-
 ctæ, & perinde iudicentur ea super quibus factæ sunt, ac si nunquā fuis-
 sent factæ, per multa quæ adduci possunt ex dictis Bar. & aliorū nouiorū
 repetentiū in d. l. si is qui pro emptore. ff. de vsucap. quæ fundātur super
 14 prædicta glo. clem. 1. de immuni. Eccles. Quinto, quod non solum potest
 sua Sanctitas leges præfatas reuocare, & fingere, vt pro infectis habeantur,
 & cēseantur nō esse factæ, quoad ipsasmet, sed etiā quoad effectus ab
 eis, vel propter eas productos; ita quod nō habeantur pro productis; &
 perinde iudicandū sit de omnibus rebus, super quibus factæ sunt, ac si nō
 fuissent factæ: etenim si effectus essent, excōicationes, suspensiones, inter-
 dicta, & irregularitates, vel aliæ inhabilitates, modo sint tales, quæ subij-
 ciantur potestati eius mirabili, vt glo. prædicta à plerisque omnibus rece-
 pta tenet, & multis rationibus cōfirmari pōt. Dixi, modo subijciantur po-
 testati eius: Nam illos, qui soli diuinæ potestati, vel a terius superioris sæ-
 cularis referuantur, nō potest reuocare, neq; pro nō cōsequitis habere,
 vt dictū est in 2. & 3. dicto: qualis est cōdemnatio ad infernū, vel absolu-
 tio ab illo & à peccatis, vel impressio characteris baptismi, confirmatio-
 nis, & ordinis, quæ per eas, vel ppter ea cōsequatæ sunt, iuxta cap. hi quī
 & cap.

- & cap. quod quidā. i. q. 1. & c. de gradatio. de pœnis lib. 6. cū eis, & alibi sæpe adnot. & recuperatio gratiæ sacramentalis, quæ per contrauentionem eorum perditā fuit, & à solo Deo recuperari potest, vt dictum est. Sexto, quod certum est legem, qua non licet cōtrahere in 4. consanguinitatis gradu, quo attinentes se prædicti contraxerunt non esse legē naturalem, neque diuinā, sed solum humanam positiuam inductā per Papas, vel Cōcilia, quorum caput est Papa. & consequenter posse illam reuocare S. D. N. in Concilio, vel extra Cōcil. licet non fuerit facta ab ipso, sed à prædecessoribus suis per d. c. cuncta per mundū. 9. q. 3. & c. proposuit. de concess. præb. & quod potest reuocare; ita vt fingatur non esse facta, nec produxisse vllū effectū; cuius sublatio subijcitur eius potestati, & consequenter prædicti filij illegitime nati fingantur esse nati legitime; vt nati fuissent si tale impedimentū gradus quarti consanguinitatis vel affinitatis per d. legē non fuisset inductum; immo ita, vt iudicarentur legitimi eo modo, quo solo iure naturæ, & diuino inspecto nati essent, vt nascebantur omnes olim ante legē humanarū prohibitionē; iuxta auth. quibus modis naturales eff. sui. §. 1.
- 15 Quinto principaliter dico primo, quod licet S. D. N. de plenitudine suæ potestatis possit in casu proposito prædictam legem de non contrahendo in 4. gradu reuocare, non solum vt censeatur reuocata ex nunc; sed et à tempore, quo fuit facta; & ita reuocare vt fingatur vel habeatur pro infecta cum suis omnibus effectibus subiectis suæ potestati, & volūtati; nō potest tamen hoc facere absque peccato sine aliqua magna, & iusta causa; quia sua Sanctitas non debet vt plenitudine potestatis sine illa; licet possit ita vt, vt valeat actus secundum Innoc. recep. ibi à Panor. & aliis in c. innotuit. de elect. tū quia alioqui, si vellet pro libito sine causa iusta posset tollere oēs canones inducētes iure humano impedimētū matrim. & habere illos pro infectis absque peccato; & quod omnes male coniugati propter impedimēta solo iure humano inducta possent bene coniugare. Tum quia alioqui pro libito posset efficere, vt oēs monachi, & monachæ desinerent esse vere religiosi, i. non solemniter professi, tenēdo cōmunem sententiam, quæ habet solemnitatem voti esse iuris humani; licet votū ipsum, modo sit validum, iure diuino & naturali debeat seruari; nec possit reuocari ita vt habeatur pro infecto. Secūdo, quod nō posset S. S. saltem sine maxima causa facere tales reuocationes cum scandalo populi, arg. c. nihil. de præscrip. & c. 2. de oper. nou. nunc. nec prodesset quidquam clausula nō obstante scandalo; quia id excedere suam potestatem dicit Bal. in l. rescr. C. de præ. ib. imp. off. quem sequitur Decius in c. si qñ. 6. nu. 4. de rescr. Tertio, quod abstinentiam ab huiusmodi reuocatione, saltem sine maxima causa facienda persuadet, quod prædictæ personæ videtur esse de temporali iurisdictione dominij Venetiarum: & quod huiusmodi reuocationi vix sine grandi scandalo parebit illa Serenissima, quæ par est Regiæ, Dominatio; & quod prædicta reuocatio est præiudicialis.

Tertio, scilicet filijs ante scientiam impedimēti natis, vel agnatis: quibus quamuis suæ iurisdictioni temporali subiecti essent, non posset iuste sine iusta causa præiudicari: quia sunt laici, vel saltem agit de bonis temporarijs laicis. Quarto, quòd si sua Sanctitas hanc reuocationem fecerit, ita vt prædictus Canon inducens prædictum impedimentū, habeatur profecto cum omnibus effectibus suæ potestati, & voluntati subiectis, accedet ad eam innumerabilis multitudo, non solum Hispanorum, Gallorum, & Germanorum, sed etiam Itatorum, vt legitimet & filios suos illegitimos ob impedimenta canonica per huiusmodi reuocationes canonum, quibus illa sunt inuenta: & consequenter magna multitudo monachorum, & monacharum, vt idē faciat circa eorum, & earum professionem. Quare concludo posse quidem suam Sanctitatem hoc facere; ita vt valeat factum, sed non absq. graui peccato, & scandalo populorum, si sine maxima & iusta causa id fecerit. Salua eius, quæ maxima, carissima, omniq. iure fundata est censura; immo & cuiusuis alius melius sentientis sententia.

S V M M A R I V M.

- 1 *Episcopus vt dispensare valeat super impedimentis dirimentibus, matrimonio prius publice de facto contracto.*

CONSILIVM IV.

AN episcopus super impedimentis dirimentibus dispensare valeat, cum ijs qui de facto matrimonium publice, & in facie ecclesiæ contraxerunt?

- 1 Respondeo primo, vt diximus in Man. c. 27. nu. 8 s. nos fuimus primi omnium, qui in Academijs Hispaniæ vulgarūt opinionē tenētem episcopum posse dispensare in impedimentis, etiā dirimentibus matrimoniū, quando impedimentū esset occultum, & matrimoniū publicum, & separatio magno scandalo foret, & non posset, vel non, nisi cum magna difficultate haberi recursus ad Papā, vel legatū eius, propter paupertatē, aut alia legitima impedimenta: Secundo, quod non potest dari certa regula de concurrentia prædictorum necessariorum ad hoc, vt episcopus hmoi potestate vii possit, sed relinquatur arbitrio viri prudentis, iuxta l. i. ff. de iur. de lib. & cap. de causis de off. deleg. Salua &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Commendatarius abbatia potest facere quidquid titularis.*
 1 *Denuntiationes matrimoniorum omnis ordinarius dimittere potest.*
 2 *Abbas nullius diœcesis habens iura episcopalia est ordinarius.*
 2 *Facultas diœcesanis concessa intelligitur solis episcopis, ordinarijs vero etiam alijs inferioribus.*

- 2 *Prælati exempti Iurisdictionem quasi episcopalem habentes, omnia quæ episcopi regulariter possunt.*

CONSILIVM V.

AN commedatarius Abbatia, quæ habet iura Episcopalia, & est nullus alius diœcesis, possit tanquam ordinarius remittere denuntiationes matrimoniorum, quæ fieri deberent in ecclesijs suæ Abbatia, iuxta decretum Conc. Trid. sess. 24. cap. 1. de reforma.

- 1 Videtur dicendum affirmatiue quod sic. primo quidem, quod quidquid potest Abbas titularis ratione dignitatis potest commendatarius illius, ut notat Panor. cap. querelam de elect. quem & alios sequitur Decius in cap. edoceri in vltim. de rescript. secundo, quod omnis ordinarius potest remittere denuntiationes matrimoniales: quoniam præfatum Conc. Trid. indefinite disponit, quod ordinarius potest & indefinita canonis, vel legis intendentis tradere regulam æquipollentem vniuersali, iuxta glos. solen. & recept. cap. vt circa de elect. lib. 6. verbo ecclesiasticorum. at palam est præfatum Abbatem commendatarium esse ordinarium, per glos. adiuncto tex. cap. ordinarij de officio ordi. lib. 6. & per rubricam de offi. ordinar. adiuncto cap. cum ab ecclesiarum prælatis eodem titulo. Tertio quod glos. solem. & recept. Clem. de iure Patro. verbo diœcesanis definit plurimum referre, An constitutio concedat aliquam facultatem diœcesanis, an ordinarijs, quia priore casu videtur concedere solis episcopis, posteriore vero etiam alijs inferioribus ordinarijs. Quarto quod prælati exempti, qui habent iurisdictionem quasi episcopalem, possunt regulariter facere omnia, quæ possunt in diœcesi sua episcopi circa ea, quæ sunt iurisdictionis, iuxta glos. quæ putatur sing. clem. 1. verb. proprij, de reb. eccle. non alien.

S V M M A R I V M.

- 1 *Matrimonium clandestinum contrahentes ante Concilium peccabant, sed pœnam non incurrebant.*
- 2 *Absoluti ab omnibus virtute cruciate etiam ab oblitis reseruatibus absoluti censentur.*
- 3 *Sponsalia per copulam ante Concilium fiebant matrimonium.*
- 4 *Matrimonium clandestinum qui consumarunt, quod remedium.*

CONSILIVM VI.

DVo ante Concil. Trid. dixerunt ad se mutuo verba apta ad contrahendum matrimonium de præsentibus, vel sponsalia de futuro; sed nesciunt an fuissent sufficientia ad constituendum matrimonium de præsentibus, & conuixerunt sic in hunc diem, & habuerunt, & habent liberos. Queritur, quid facere debeant.

Respon-

- 1 Respondeo primo, quod videntur peccasse contrahendo matrimoniū clandestine contra cap. cum inhibito de clandest. de spōsa. & quod peccatum hoc per solam contritionem & confessionem potuit deleri, & videtur iam esse deletum per confessiones tot annorum præteritas. Secundo, quod non videntur indigere absolutione vlla censurarum, quia iure communi nulla censure incurritur ob matrimonium clandestinum, & si qua excommunicatio inuenitur in diœcesi sua contra sic clandestine contrahentes, illa potuit tolli ab episcopo, & per bullam cruciatæ quam consulentes videntur accepisse, & post eam acceptam confessos fuisse & absolutos à confessarijs, & quamuis forte ipsi non fuissent cõfessi illud peccatum, quia tamen habuerunt contritionem omnium peccatorum suorū in genere, & confessarij absoluunt communiter ab omnibus censuris quatenus possunt iuxta ea quæ nos cõsulimus in Man. confessa. cap. 26. num. 10. manserunt absoluti ab eo tempore quo post acceptam bullam confessi fuerunt per quandam singularem conclusionem, quam nos ponimus in prædicto cap. 26. nu. 13. etiam si non soluerint pœnam per constitutionem synodalem impositam, quia solutio eiusmodi non est necessaria in foro conscientiæ, iuxta glos. singu. in clem. 2. §. 1. de Hereti. verbo officij. Tertio, respondeo, quod non indigent vlla ratificatione matrimonij: quia licet verba prædicta non fuerint sufficientia ad efficiendum matrimonium de præsentē, fuerunt tamen sufficientia saltem ad contrahenda sponsalia de futuro: & quia secuta fuit copula, transferunt per illam in matrimoniū, iuxta cap. 15. qui de sponsa. cui erat locus ante Cõc. Trid. ante quod hæc fuisse facta præsupponitur in casu propositione.
- 4 Quarto, possent ad maiorem securitatem, licet non sit necessarium nouæ si & quatenus opus est contrahere matrimonium corâ suo parrocho adhibitis duobus testibus secreto, quia in hoc casu non sunt necessariae denuntiationes, & alia, quæ requirit Conc. Trid. arg. eorū, quæ nos diximus in Manu. confessa. cap. 22. num. 70.

S V M M A R I V M.

- 1 Peccatum graue committitur cum Pater & filius ad eundem accedunt.
- 1 Iudæus conuersus licite contrahit cum ea, cum qua pater ante eius conuersionem coiuit. & per totum.
- 1 Incestuosus ordine nature fit, qui cognoscit a cognato cognitam.
- 2 Affinitas naturali ratione inducta, cur apud omnes non inuenitur.
- 2 Affinitas per baptismum non tollitur, licet tollatur adulterium.
- 3 Affinitas ex solo illicito coitu ante ius canon. non contrahebatur.
- 3 Affines nisi ex iustis nuptijs iure civili non dicuntur.
- 4 Fornicatio cum patris amica peior, quam cum alia, etiam apud infideles.

5. *Intellectus l. & nihil. ff. de ritu nup. & l. liberi. C. de nup.*
5. *Affinitatis impedimentum ius civile ignorauit.*
6. *Cognatio 3. & 4. gradus in nuptijs inter infideles non attenditur.*
7. *Affinitas non ex baptismo, sed ex copula inter baptizatos nascitur.*
8. *Affinitas ex illicito coitu inter infideles non oritur.*
8. *Coitus, qui ante baptismum non impedit matrimonium, nec post illum impedit.*

CONSILIVM VII.

AN qui Iudæus coiuit cum ea, cum qua Pater Iudæus coierat, factus Christianus possit contrahere matrimonium cum illa eadem facta Christiana; Cuius quæstionis decisio videtur pendere ab illa, an nascatur affinitas impediens, et dirimens matrimonium ex coitu illicito inter Iudæos, & paganos?

1. Et pro parte affirmatiua facit primo, quod Amos 2. pro grauissimo peccato improperatur, quod pater, & filius ad eandem puellam accedebant, & quod D. Basilius ad Diodorum ex eo inferre videtur, absurdum esse contrahi matrimonium inter filium, & amicam patris, attenta lege diuina; licet non prohibeatur sæculari: Secundo quod D. Greg. in cap. nec eam. 35. q. 3. videtur dicere, ordine naturæ fieri incestuosum, eum, qui cognoscit cognitam etiam illicite a cognato suo. Tertio, quod D. Tho. in 4. d. 41. recept. significat affinitatem naturali ratione inductam, & consequenter apud omnes Iudæos, & paganos inueniri. Quarto, quod Io. And. & Card. dicunt in cap. 1. de coniugi. infidel. quod per baptismum tollitur adulterium, & non affinitas, per quod præsupponunt ante baptismum nasci affinitatem. Quinto, quod etiam iure Romano antiquo à Paganis condito, videtur nasci affinitas ex coitu illicito, quoad effectum impediendi nuptias l. liberi. C. de nupt. quæ vetat liberis ducere parentum concubinas, quod affirmat Præpositus in dicta arbore affinitatis, sequutus Cardin. ibi citando & in hoc legem, & nihil interest. ff. de ritu nup. quæ habet nihil interesse, an cognatio descendat ex iustis nuptijs, an nõ, quod ipsum tenet Panorm. secutus eundem Cardin. in cap. descriptione, de eo qui cognouit consang. vxor. suæ.
3. Pro parte autem negatiua, scilicet, quod nulla affinitas ex solo illicito coitu contrahatur iure naturali, nec veteris legis, nec vlllo iure antiquo Romano ethnico facit primo, quod textus expresse habet in d. l. non facile. §. affines. ff. de gradib. affinit. Affines non esse, nisi ex iustis nuptijs, & idem habet textus in ead. l. §. sciendum: Secundo, quod nullo iure antiquo Romano, nec veteris testamenti probatur, quod non possit quis contrahere matrimoniũ cū persona cognita carnaliter ab aliquo cognato suo et à patre. Tertio, quod ex nullo iure naturali illud elici potest; quia

quia id non est per se notum, nec ex per se notis in bonam consequentiam inferri potest, & consequenter non est iuris naturalis, cum solum tale sit ius naturale, cap. ius naturale. 1. dist. & tradit D. Thom. 12. q. 99. per totam, præsertim arti. 4. Quarto, quod nullo iure veteris testamenti id conuinci potest, immo ex cap. 18. Leuit. per locum ab speciali probatur contrarium. Quinto, quod in nullo Bibliorum, vel vlllo iuris Cæsarei loco aliquis appellatur affinis ad coitum illicitum, & in d. l. non facile §. sciendum, expresse dicitur affinitatem nullam posse prouenire nisi ex iustis nuptijs.

- 4 Ad opposita respondetur; Ad primum quidem concedendo, quod peior est fornicatio cum amica patris, quam cum alia, sed negãdo, quod ex ea nasceretur affinitas ante ius Pontificium. Ad secundum, quod verba illa, ordine naturæ posita in d. cap. non significant coitum illum, de quo loquitur esse incestum iure naturæ, sed tunc demum esse incestum, si copula habeatur ordine naturæ. Ad tertium, quod non omnia quæ nuntur rationi naturali, sunt iuris naturalis, alioqui omnes leges rationales essent naturales; sed illa tantum, quæ sunt per se nota, vel in bona cõsequencia ex per se notis inferuntur, vt prædictum est. Ad quartum, & quintum respondeo, quod patres in eis allegati non satis caute loquuti sunt; nam eorum fundamenta nihil concludunt, non prædicta lex, & nihil, quia in ea non agitur de affinitate, sed solum de cognatione, siue parentela, confirmat enim suum dictum ex eo quod non possit quis ducere sororem vulgo quæsitam, quia licet ex illicito coitu sit habita, cognata tamen siue consanguinea, & soror eius est. nec etiam prædicta l. liberi. Tum, quia non habet inter filium, & concubinam patris non posse consistere matrimonium ratione affinitatis, sed ratione prohibitionis, quapropter honestatem lex Romana id prohibuit, sicut & inter alios multos, vt videre est per totum titulum ff. de ritu. nupt. in quem intellectum inclinat glos. in d. §. affines. si satis perpendatur. Tum quia apud Romanos non erat illicitus concubinatus, vt habet expresse tex. in l. in concubinato. ff. de concub. & consequenter ibi non interuenit coitus lege Romana illicitus, & ita ad summum solum probare posset ex concubinato induci affinitatem, qui non contingit in casu proposito, sed quidam coitus illicitus, vagus, qui nullo iure Romano ethnico, nec veteris testamenti probatur impedire matrimonium: Tum quia lex illa liberi, potest retorqueri pro hac parte ponderando Primo, quod non habet nullos cognatos posse iungi matrimonio cum cõcubinis suorum cognatorum, sed tantum, quod liberi non possunt iungi matrimonio concubinis parentũ. Ponderando secundo, quod illa lex solum prohibet matrimonium inter filios, & concubinas parentum, non autem inter filios, & alias mulieres, quas etiam vago coitu parêtes eorum cognouerunt, & quod de vno desinit, de alio negare videtur, cap. qualis. 2 §. dist. cum suis concord. saltem,

quando in alio est diuersa ratio, vt ibi ait Domi. qualis est inter concubinatum, qui iure illo putabatur licitus, & inter vagum coitum, qui non probabatur: leges enim Romanæ ethnicae per concubinam significant mulierem in domo retentam, quasi quandam uxorem, vt colligitur ex l. 1. & d. l. in concubinatu ff. de concubin. & annot. ei per Bart. Quam ergo lex illa solum loquatur de liberis, & non de alijs aliter cognatis a latere, cumque solum loquatur de concubinis, & non de alijs aliter cognitis, significare videtur, non includere omnes cognatos, neque omnes mulieres qualitercunque cognatas, & consequenter, quod non intendit inducere affinitatem, quam iura Pontificia induxerunt, tam extensam, quam est consanguinitas, seu cognatio. Sunt tamen qui dicant, quod licet ex coitu illicito non oriatur affinitas impediens iure naturali, nec diuino, nec Romano ethnico, tamen ille coitus illicitus producit post baptismum affinitatem impediens, & dirimentem matrimonium. Et confirmant hoc ex illo Pauli 1. ad Cor. 1. *Qui adhæret meretrici, vna caro cum ea efficitur.* Sicut cognatio tertij, & quarti gradus non impedit matrimonium inter Iudæos, & Gentiles, cap. gaudemus. de diuort. sed post baptismum fit tale impedimentum, sed contra hos concluditur. Tum eo quod non enti non potest inesse qualitas l. si secuū §. 1. ff. de act. empt. ergo ei, quæ non est affinitas, non potest adijci qualitas impediens matrimonium, & consequenter cum nulla affinitas fuerit nata inter Iudæos ex illicito coitu, non potest dici, quod per baptismum eorum fiat affinitas dirimens matrimonium. Tum quia affinitas nascitur ex copula, & non ex baptismo, & ita si ex copula præcedente baptismum non fuit nata affinitas, non potest nasci per baptismum sequentem. Non obstat eorum fundamentum. Tum quia a separatis non fit illatio, & consanguinitas, siue cognatio est res separata ab affinitate, vt constat ex ipsa rubrica de consang. & affinit. in qua illæ coniunguntur per coniunctionem, & quæ denotat copulata esse diuersa, iuxta gloss. in Rubr. ff. de iur. & fact. igno. & in cap. querelam, de sim. constat etiam per diuersas arbores consanguinitatis, & affinitatis, & per alia innumera. Tum, quod non solum sunt separatae, sed longe dissimilia, quia omni iuri naturali, diuino, veteris, & noui testamenti, & iure Romano ethnico, & Pontificio nascitur cognatio, & consanguinitas ex coitu illicito, vt exprimit prædicta l. & nihil interest an ex licito, vel illicito oriatur cognatio. ff. de ritu nupt. & ideo non est mirum, quod cognationi iam natae ante baptismum post illum adijcitur qualitas impediens matrimoniū, quia ei quod est qualitas, adijci potest, affinitas autem nullo iure prædictorum, excepto Pontificio, nascitur ex illicito coitu, & ex Pontificio non potest ea inter Iudæos nasci, quia non ligantur eo, cap. gaudemus. de diuort. & ita ei, quod non est ante baptismum, non potest adijci qualitas post illud. Ad confirmationem autem, concedimus illud dictum Pauli probare

bare quidem, quod non sine ratione iure Pontificio inducta est affinitas ex coitu illicito contra omnia iura Romanorum, & aliarum nationum, sed non probat, quod etiam tempore Pauli ex tali coitu nascebatur affinitas, & quod illa ante baptismum nata fiebat impedimentum post baptismum, sicut & homicidium, quod ante baptismum committitur, licet inducat quendam horrorem, non tamen talem, qui fiat irregularitas post baptismum impediens ordinationem, quæ iuris Pont. inuentum est, secundum Innoc. recept. in cap. ad audientiam. de hom. Sic enim coitus illicitus, qui non producit affinitatem ante baptismum, non producit post illud affinitatem impediendam matrimonium. Confirmatur etiam, eo quod ratio, quare iure Pontific. inducta est affinitas ex coitu illicito, non est, quia ex eo nascantur amicitia, cum ex eo potius separatio, & inimicitia communiter gignantur, vt palam est, sed illa, quod ius Pontif. fornicationi est valde inimicum, & vt Christianos, in quâ sunt proni, arceret ab ea, statuit, vt ex ea oriretur affinitas prædicta, quæ impediret matrimonium, & consequenter fornicationem, qua tolleretur libertas contrahendi matrimonium fornicatori. Salua &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Matrimonium inter impuberes contractum est nullum.*
- 2 *Matrimonium nec verum, nec presumptum est, si nec verba de presenti, nec copula interuenerunt.*
- 3 *Matrimonij retractatio, seu præstatio in foro fori non probat.*
- 3 *Coniugibus contra matrimonium in iudicio deponentibus non creditur,*
- 4 *Sententiæ super matrimonium standum est, donec retractetur.*
- 4 *Sententiæ super matrimonio, docto impedimento a partibus irremissibili, reuocanda.*
- 5 *Iudex ex noua causa potest examinare sententiæ super matrimonio, licet in iudicatum transferit.*

CONSILIVM VIII.

Quidam Vbertinus ante xiiij. suæ ætatis annum verbis non satis claris matrimonium cum Flora contraxit, & lite orta inter eos de validitate matrimonij, Flora iureiurando affirmavit in iudicio se cum d. Vbertino contraxisse. vnde sententiæ pro matrimonio reportauit: contra quam tamen postmodum retractando sua dicta protestata fuit, & ipsa contraxit cum alio, & d. Vbertinus cum alia. Dubitatum fuit, an his sic stantibus matrimonia post dictam sententiæ alias legitime contracta iure subsistant;

- 1 Respondeo primo secundum ea quæ proponuntur, non fuisse verum matrimonium contractum inter præfatos iuuenes; quoniam ipse erat impubes quando contraxit, cum non haberent quatuordecim annos completos, quod iura requirunt, cap. puberes de sponsal. impub. neque præsumptum propter copulam carnalem subsequitam; quia nulla talis proponitur fuisse subsequita.
- 2 Secundo quod non esset matrimonium quoad forum conscientię etiã si ille iustã ætatem habuisset, si verum est quod præfata Flora retractando sua dicta dixit, etiam si forte interuenerunt verba promissoria de contrahendo quod aliqua verba narrationis factę quodam tenus insinuant: quia cum non fuisset secuta copula carnalis, nec verbale matrimonium de præsentibus, non potest esse matrimonium verum, neque præsumptum per cap. 15. qui de sponsal. licet illud locum habeat tempore, quo dicitur hoc matrimonium contractum, quod erat ante Concilium Tridentinum, post quod non est ei locus.
- 3 Tertio, quod tractatio, & protestatio præfatę Florę, quæ protestata fuit non contraxisse se cum præfato Vbertino, non facit fidem in foro exteriori. Tum quia illa in iudicio contradixerat cum iuramento: Tum quia coniugi consentienti aliquid contra matrimonium non creditur in illo foro, etiam si alter, vel altera coniux idem confiteatur, iux. cap. super eo. adiuncta gloss. de eo qui cogno. consan. & iuxta notata in cap. lator. & cap. tenor de re iud. cap. iurauit. de probat.
- 4 Quarto, quod in foro exteriori stabitur tenori sententię, donec retractetur dictum cap. lator. & cap. tenor. de re iudica. quia res iudicata, pro veritate habetur. ff. de reg. iur.
- Quinto, quod licet sententia lata super matrimonio, si ab ea non appelletur, habeatur pro re iudicata per iura proxime citata, donec reuocetur: potest tamen reuocari, etiam si pro matrimonio detur, ad instantiam eius, qui allegaret impedimentum irremissibile per partes, per notata in suprascriptis cap. iurauit. lator. & tenor. & in casu proposito maritus Florę, & vxor Vbertini, et quilibet eorum potest petere à Iudice, vt declarat sententiam præfatam fuisse iniustam propter impedimentũ, quod affert suis matrimonijs post eam contractis.
- Sexto, quod Iudex potest accipere informationem ex prædicta protestatione. Tum ex matrimonijs eorum contractis post illam sententiam, & tanto tempore continuatis, & quod per totum tempus prædictum confessi sunt sacramentaliter et communicauerunt, & quod sunt boni Christiani, & quod non appellauerant à sententia præfata, & quod putauerunt eam fuisse iniustam, & à præfata Flora subornatę petitam, & postea contradictam, & quod Vbertinus non erat pubes, & ex aliquibus alijs indicijs, & informatione hac accepta possit iuste Iudex recognoscere, & reuideri sententiam prædictam, & processum, per quem
- data

data fuit, & p̄pendere probationes vtriusque partis: & si videret satis probatum quod p̄fata Flora fuit verè protestata contra p̄fata sententiam, posset illam rescindere, & relinquere illos in pace, vt suis matrimoniis post eam contractis fruerentur in Domino, qui nos saluet. Amen.

S V M M A R I V M.

1. *Matrimonium vtriusque contractum, est validum, si in Parochia concilium triden. non est publicatum.*
2. *Matrimonium contractum coram scismatico non tamen declarato, & coloratum titulum habente, validum est.*

CONSILIVM IX.

AN teneat matrimonium coram parochio scismatico tum parochialem Ecclesiam regente contractum?

1. *Ad questionem respondeo primo, desiderare me scire, an hoc contigerit in terris, vbi est receptum Concilium Tridentinum, & vbi eius Canon, qui de hac re disponit, sit publicatus in Ecclesia parochiali, cui subditi sunt contrahentes: quoniam si non est receptum, ita vt p̄dicitur, censendum est validum matrimonium iuxta canones antiquiores.*
2. *Secundo, quod, si receptum est, & publicatio facta videtur, distinguendū, an p̄fatus Sacerdos habuerit canonicam institutionem. si enim eam habuit, & non est per sententiam declaratus scismaticus, & priuatus suo iure, videtur censendum validum. si autem non obtinuit institutionem Canonicam, neque coloratam, videtur censendum non fuisse validum per ea, quæ non vacat in p̄sencia scribere.*

S V M M A R I V M.

1. *Papa ex causa dispensat, vt monachus matrimonium contrahere possit. num. 9.*
1. *Papa repugnantia efficere nequit.*
1. *Matrimonium non repugnat statui sacerdotali.*
2. *Ordinum sacrorum ministerium summam munditiam, & attentionem requirit, quas coniugati sic habere possunt. nu. 13.*
3. *Sacerdotium noui Testamenti mundius, quam Veteris, ministrandum.*
4. *Papa nequit super lege diuina, sed sic super humana, dispensare. nu. 6.*

Pars ij.

B 3 4 Tra-

- 4 *Trăditio Apostolica sacerdoti matrimonium contrahere vetat.*
 5 *Ordinatus sacris, si matrimonium contrahat, est deponendus.*
 6 *Res Deo dicata ex causa, & cum licentia potest in alios usus conuerti.*
nu. 16.
 6 *Lex clericis matrimonium prohibens cum sit humana, est dispensabilis.*
nu. 15.
 7 *Sacerdotibus veteris legis matrimonium contrahere licebat, hodie solis orientalibus.*
 8 *Sacerdotium, & coniugium concurrere in vno homine possunt.*
 9 *Papa secundum omnes ex causa dispensare potest, vt presbyter, episcopus, & Archiepiscopus ducat uxorem. nu. 18.*
 10 *Continentia ordinis sacri non est de essentia, nec tam ei annexa, vt auelli nequeat.*
 11 *Dispensauit sepius Ecclesia, vt liceret etiam monachis uxorem ducere.*
 12 *Papa dispensare potest ex causa cum presbytero, vt matrimonio contracto cum sacerdotio vtatur.*
 14 *Trăditio Apostolica alia diuina, humana alia, hæc dispensabilis, illa nõ.*
 16 *Res sacra ob necessitatem, & pietatem in humanos usus conuertitur.*
 17 *Papa dispensare potest, vt sacerdos, & monachus citra irregularitatem prælientur, & causas criminales exercent.*
 19 *Ordinatus omnibus sacris, licet grauius peccet fornicãdo, quam solo vno, eandem tamen speciem peccati peccat.*
 20 *Continentia est bonum, sed non melius bonum.*
 20 *Bona certa cæteris paribus sunt incertis meliora.*
 21 *Voluntaria cæteris paribus Deo inuoluntarijs gratiora.*
 21 *Dispensandi iusta causa adest, cum votum maius bonum impedit.*
 22 *Obedientia propria voluntas, victimis aliena caro mactatur.*

CONSILIVM X.

Quæritur primo, An Papa iusta de causa possit dispensare, vt presbyter rite ordinatus ducat uxorem? Secundo, an etiam possit facere vt id liceat Episcopo, vel Archiepiscopo. Tertio, an in casu occurrenti sit iusta causa id faciendi. Ad primum, respondeo partem eius negatiuam tenere Iodocum Clithoueuum de continentia sacerdotum c. 13. & Ioannes Maior in 4. lib. sent. dist. 38. q. 3. col. 6. & seq. & Michael à Medina lib. 5. cap. 7. de sacror. homi. conti. Pro quibus facit primo opinio illorũ, quæ ascribitur S. Thom. in 2, 2. q. 88. art. 1. nempe, quod nulla ex causa potest Papa dispensare, vt Monachus contrahat matrimonium per c. cum ad Monasterium. §. si. de sta. mon. Secundo, quod status coniugalis videtur repugnare statui Sacerdotii, & sacri ordinis, vt sig. Innoc. iij. in c. diuersis fallacijs. de cleri. coniug. dum consultus de

tus de quibusdam clericis coniugatis volentibus beneficia Ecclesiastica retinere, sic ait. *In horū cōuersatione cythara cū Psalterio male cōcordat. Cum ergo vir cogitet quomodo placere possit vxori, & ideo minus quæ Dei sunt valeat cogitare, cum quasi diuisus in duo plenam sui non habeat potestatem, vt ei, à quo stipendium recipit, plenius famuletur.* At Papa non potest efficere, vt repugnantia, & contraria simul se compatiantur, l. vbi

- 2 repugnantia. ff. de reg. iur. c. sollicitudinem, de appella. Tertio, quod ministerium sacrorum ordinum summam requirit munditiam, iuxta illud Leui. c. 19. & 20. *Sancti estote, quia ego Sanctus sum. per quod Innocent. Rescribēdo Sancto Exuperio, ait, c. proposuisti 82. dist. Seruina sacris oblationibus puros, & ab omni labe purgatos sibi vindicare diuina ministeria; neque eos ad sacra officia fas sit admitti, qui exercent etiam cum vxore carnale consortium: quia scriptum est, Sancti estote & c.* Quarto, quod sacrum ministerium non solum munditiam summam, sed etiam summam in ministrando animi attentionem requirit, vt prædictus Innocent. vbi supra, & Cyprianus c. quando. de conf. dist. 1. significant. At scitum est illud, quod (non latuit glossam prædict. c. diuersis.) *Pluribus intentus minor est ad singula sensus.* & illud, *Qui binos lepores vna sectabitur hora, vno quandoque, quandoque carebit vtroque.* iuxta l. nemo. C. de assesso.
- 3 Quinto vrget argumentum prædicti Innoc. tactum in d. c. proposuisti. & dilatatum per Greg. c. ante triennium 31. dist. quod Sacerdotium noui testamenti mundius, reuerentius, & attentius debet administrari, quàm ministerium veteris testa. & quod etiam in veteri testamento sacerdotes, quo tempore ministrabant, à coniugibus abstinebant. Cum ergo sacerdotium noui testamenti sit iugiter administrandum, sacerdos eius iugiter debet à coniugio abstinere.
- 4 Sexto, quod Papa non potest dispensare in lege diuina, c. sunt quidam. 25. q. 1. at lex ne sacerdos cōtrahat matrimonium videtur esse diuina D. N. IESU CHRISTI, licet non sit scripta in Euangelijs, sed tradita ab Apostolis, qualis traditio pro lege habetur c. diuina, vt videtur asserere Augusti. c. Ecclesiasticarum 11. dist. & probatur, quia multa fecit Iesus, quæ non sunt scripta Ioan. vlt. quæ Apostoli promulgarunt verbo, & facto, non vt legistatores, sed vt legis à Christo latæ promulgatores, vt omnes fatentur, & consuetudo, ac traditio Ecclesiastica videtur habere, quod nunquam licuit cuique sacerdoti coniugium contrahere, & eo ac Sacerdotio simul vti. Igitur non poterit citca eam dispensare Papa. Septimo, quod omnis ordine sacro initiatus est inhabilis ad contrahendum matrimonium: adeo quod ob tale contractum deponi potest, c. ante triennium. cum multis sequ. 31. distin. Octauo, quod tenere contrariam partem videtur fauore Hæreticorum execrantium legem inhibentem matrimonium sacris initiatis, & Catholicorum male & importune petentium, vt præfata lex abrogetur: cum qua ratione dici potest pos-

se Papam dispensare circa eam, eadem concludi potest posse illum eam abrogare, & per abrogationem eius innumeris fornicationibus, & adulterijs obuiare. Nono, quod semel dicatum Deo est, non potest in usus humanos transferri, c. quoad semel cum suis concord. de reg. iuris lib. 6. neque consecratum potest dum durat desinere esse consecratum c. comperinus. 14. q. 6.

His tamen non obstantibus, quæ verè non obstant, contrarium est tenendum: primo quidem, quod Papa potest dispensare circa omnem legem humanitus in scriptis, vel sine illis latam, aut inductam, c. cuncta per mundum 9. q. 3. c. proposuit. de conce. præben. At omnis lex, quæ prohibet, ne sacerdos contrahat matrimonium, est humanitas in scriptis data, vel consuetudine ecclesiastica inducta. Ergo circa eam potest Papa dispensare eximendo illum, aut illum ab eius obligatione iusta de causa. Secundo, quòd in veteri testamento licebat sacerdotibus ducere uxores, vt palam est ex mille locis testamenti veteris, & Lucæ c. 1. & d. c. proposuit. ex c. licet Heli. de simon. & Christus non inuenitur statuisse contrariū. Immo ipsemet elegit in Apostolos aliquos viros coniugatos, secundum omnes. Tertio, quòd nec vlla lege naturali, est id prohibitum. Tum quòd ante omnem legem diuinam supernaturaliter in veteri testamento datam coniugati erant sacerdotes, vt probatur c. quã periculofum 7. q. 1. adiuncta gloss. quæ habet primogenitos, siue non coniugatos, siue coniugatos, qualis erat Esau cum vendidit primogenita sua Iacob. Genè. 25. c. erant sacerdotes, & offerebant sacrificia. Tum quia ius naturale definitur esse, quod est per se notum, aut ex eo in bonã consequentiam infertur, c. ius naturale, 1. dist. & traditur communiter in 3. lib. sententiarum, dist. 37. & à S. Thom. 1. 2. q. 94. art. 1. At nõ est per se notum, neque deducitur ex per se notis in bonam consequentiam, quòd sacerdos non possit esse coniugatus. Ergo non est dicendum id iure naturæ esse prohibitum. Quarto, quòd ex sacra Euangelij historia habetur posse coniugium, & sacerdotium in eodem homine concurrere, vt eoncurrit in B. Petro omnium Apostolorum Principe, & Cleopha, de cuius socru fit mentio Mar. 1. & Lucæ. 4. & in Ecclesia orientali etiam hodie concurrir, & quidem iuste secundum omnes in eis, qui primo contraxerunt matrimoniū, & postea efficiuntur sacerdotes: quod colligitur ex epistola Pauli 2. ad Timoth. 3. & ad Titum 1. & tradunt communiter omnes in 4. senten. dist. 38. & probant multa cap. quæ ad ducit Gratia in dist. 27. 28. & 31. & 32. Quinto, quòd cõmunis opinio, in qua sunt Ricar. Palud. Io. Maior in lib. 4. sent. dist. 38. & gloss. Inno. Hostien. Io. And. Panor. & communiter omnes c. cum ad monasteriū, §. fin. de stat. mona. immo & Caiet. alioquin defensor acerrimus S. Tho. in opusculi suis tomo 1. tracta. 27. tenet, Papam posse dispensare cum monacho iusta de causa, vt contrahat matriumonium. Quin & Sotus in lib. 7.

lib. 7. de iust. & iure art. 3. etiam si defendat S. Thomam, qui videtur dicere contrarium, tenet tamen communem ad hunc sensum, quod potest facere Papa, vt monachus desinat esse monachus, & exuto monachatu contrahat matrimonium. At omnes reputant difficilius defendere, quod Papa possit dispensare cum monacho, quam cum ordine sacro insignito. Ergo à fortiori poterit dispensare cum eo. Sexto, quòd etiam S. Thom. qui communiter dicitur tenere in 2. 2. q. 83. ait 11. quod nõ potest Papa dispensare in voto solenni castitatis, expresse affirmat ibidem, Papam posse dispensare cum presbytero iusta de causa, vt contrahat matrimonium: quod ipsum affirmat Caiet. & Sot. vbi supra, addentes, quòd dispensatio suæ Sanct. valeret, etiam si absque iusta causa id faceretur, etiam si esset iniusta. Septimo, quòd continentia non est de substantia, & essentia sacri ordinis, nec suapte natura illi adeo annexa est, quod separari nequeat. Tum quòd nullo iure id cauetur: Tum quòd per sacras literas constat esse inuenta, & adhuc inueniri separata, aliquando iuste, aliquando iniuste. Iuste quidem in Petro, & alijs, qui simul fuerunt sacri, & coniugati, & in orientali Ecclesia omnes, qui post coniugium contractum ordine sacro initiantur, vt prædictum est. Iniuste verò omnes coniugati, qui in Ecclesia Latina post coniugium legitime contractum sine vlla dispensatione, & sine legitimo vxorum consensu sacris initiantur; hi enim verum ordinem, & eius characterem in delebilem suscipiunt, & fiunt sacri, c. quod quidam 1. q. 1. & nihilominus sunt veri mariti suarum vxorum. Ergo non sunt inseparabiliter coniuncta, & consequenter legitima potestate possunt separari. Per quam rationem S. Thomas posuit inter Monachatum, & Presbyterium præfatam differentiam, nempe quòd possit dispensare cum Presbytero, non
 11 autem cum monacho. Octauo, quòd Sacrosanct. Sed. Apost. frequenter dispensauit cum subdiaconibus, & aliquando cum diaconibus, vt contraherent matrimonium, vt multi testantur; præsertim præfatus à Medina, qui in d. lib. 5. c. 100. ait, se vidisse multas subdiaconorum dispensationes, & non paucas diaconorum. Ramirus delato sibi regno Aragoniæ, Item Ramianus, qui Monachus, & Archipresbyter erat, matrimonium ex dispensatione S. Sed. Apost. contraxit, vt testantur Paulud. Catet. & alij graues historici, quos noue citauit prædictus à Medina d. lib. 5. c. 28. & late confutat id negantes in d. lib. c. 32. & videtur, quod Papa id fecit tanquam Vicarius Christi, assistente sibi diuina prouidentia; & habito grauissimorum virorum consilio, quod grauissima res exigebat; & ita piè credi potest non potuisse errare iuxta doctrinã S. Thom. in quolibet 9. art. 16. communiter receptam. Cum ergo nullo iure diuino naturaliter indito, neque supernaturaliter tradito, vetentur sacerdotibus matrimonia: cumque continentia, & sacerdotium non sint inseparabiliter annexa, imo ipsiusmet D. N. Iesu Christi electione
 sacerdotia

sacerdotia, & coniugia in eisdem hominibus simul concurrant. Cumq; Sacros. Sed. Apost. non solum cum sacris ordinibus initiatis, sed etiam cum monachis dispensauerit frequenter: Cum denique S. Thom. & alij qui mordicus tenent non posse Papam dispensare cum monacho, vt matrimonium contrahat, ingenue, & expresse affirmant posse dispensare cum presbytero iusta de causa, vt id ei liceat, intrepide tenendum est posse Papam de plenitudine suæ potestatis dispensare cum quolibet sacro ordine initiato, tam presbytero, quàm subdiacono, & diacono iusta de causa, vt id ei liceat.

- 12 Ad ea, quæ in oppositum adducta sunt, respondetur, cōcedendo præfatos Ioan. Clithoueam, & Ioānem Maiorē, & aliquos alios id tenuisse, quos Michael à Medina videtur sequutus in præd. lib. 5. c. 7. sed hunc eod. lib. c. 100. declarasse suam sententiam intelligendam esse in hoc sensu, quod non potest Papa dispensare cum presbytero, vt ita contrahat matrimonium, quod simul vtatur eius, & sacrorum ordinum exercitio; non autem quod non possit dispensare, vt relicto sacrorum ordinum exercitio possit vti coniugio, & actibus coniugalibus. Quæ declaratio honestissima quidem restrictio est, & digna, quæ in casu præsentis suscipiatur, & seruetur. Quamquam profecto rationes pro nostra parte adductæ probant, quod stricto iure Papa de plenitudine potestatis, si iusta causa occurreret, posset dispensare, vt etiam aliqua temporis parte vteretur exercitio sacerdotis non vtendo eodem tempore exercitio coniugij more antiquo sacerdotum veter. Testam. & nouo sacerdotū orientalis ecclesiæ. Quamuis arbitrer vix posse occurrere vllam iustam causam, quæ ad tam amplam relaxationem faciendam sufficeret: vix enim potest occurrere casus, in quo non sufficiat dispensatio ad contrahendū coniugium, & vtendum eo, abstinendo à sacrorum ordinum exercitio. Ad primum ergo argumentum oppositorum respondetur, negando assumptum in eo, nempe quod Papa non possit dispensare cum monacho iusta de causa, vt matrimonium contrahat per adducta in argumento
- 13 quinto pro nostra parte formato. Ad secundum autem respondetur, concedendo quidem honestum, & decorum esse, vt ministri sacrorum à coniugijs abstineant: & ideo latam esse legem, qua sacris initiati fiunt inhabiles ad coniugia, c. ante triennium. 3 1. dist. & clem. 1. de consang. & affin. Negando tamē, quod suapte natura ita sibi repugnent sacerdotium, & coniugium, vt nulla potentia in eodem concurrere possint per adducta in primis quatuor argumētis, & in 7. pro nostra parte formatis. Ad tertium, & supra respondetur primo, concedendo quidem ministerium sacrorum magnam munditiam, & attentionem requirere; negando tamen quod sufficiētem non possint habere, se parando se ad tempus ab exercitio coniugali, vt est credendum habuisse S. Aaronem, Samuelem, Zachariam, & alios similes. Secundo respondeo, quod in proposito

sito casu non quærimus dispensationem, qua liceat viro sacro contrahe-
re matrimonium; Ita quòd possit vti eo simul & ordinum exercitio, sed
vt relicto alijs sacerdotibus sacerdotali ministerio ipse ob magnam ne-
cessitatem occurrentem coniugio contrahendo vtatur. cui rei nihil ob-
stant illa duo argumenta. Ad sextum respond. quòd duplicis generis
sunt traditiones Apostol. vt colligitur ex S. Thom. recep. quolib. 4. art.
13. præsertim in responsione ad primum; Aliæ quidem, quas ipsemet
Christus tradidit, quales sunt traditiones sacramentorum, & fidei cat-
holicæ, quarum non fuerunt latores, sed promulgatores Apostoli. Aliæ
vero, quas ipsi sua potestate tanquam prælati ecclesiæ tradiderunt; qua-
lis est de non comedendo suffocatum lata in suo Concilio omnium pri-
mo actuum 15. c. qualis est de non ordinando Bigamo 1. ad Timoth. 3.
ad Tit. 1. & 26. dist. per totum. & priores quidem esse diuinas leges, &
indispensabiles; posteriores autem humanas, & dispensabiles, vt ibidem
ait S. Thom. recep. & quod lex ne viri sacri ducant vxores non est tra-
ditio prioris legis, sed posterioris: & ita potest circa eam dispensare Pa-
pa, qui eandem potestatem habet, quam ipsi à Christo susceperunt, c.
15 in nouo 21. dist. c. 1. de homic. lib. 6. Ad septimum concedimus om-
nem virum ordine sacro insignitum esse inhabilem ad matrimoniũ con-
trahendum iure humano Apostolico: Negamus tamen esse inhabilem
iure naturali, vel diuino supernaturaliter dato, vt supra probatum est, &
consequenter potest Papa circa eam dispensare, cum sit supra omne ius
humanum, l. princeps. de legib. c. cuncta per mundũ. 9. q. 3. Ad octa-
uum negamus vllum ex hoc fauorem præstari hæreticis, neque catholi-
cis improbe perentibus relaxationem legis de continentia viris sacris
imposita: non enim ex eo, quòd Princeps possit abrogare aliquam legẽ,
& illum aut illum eximere ab ea, consequitur conuenire reipubl. vt eam
abneget: & ita licet ex nostra conclusione inferatur, posse Papam de ple-
nitudine potestatis præfatam legem abrogare, vti humanitus latam, nõ
tamen ex eo inferitur conuenire reipub. vt ea tollatur, cum plurimis ra-
tionibus conuincatur illam legem esse conuenientem, decoram, & valde
vtilem reipubl. Christianæ, & statui clericali, & Deo deuoto; quarum
16 multas colligunt præfatus Sor. & Medin. vbi supra. Ad nonum re-
spondet primo Caiet. in d. Tract. 27. tomo 3. & præfatus à Medina præ-
fato lib. 5. c. 49. ex quorum, & aliorum mente præsertim Ioan. And.
in Mercuria. præf. regul. semel Deo. & in d. c. cum ad monasterium. de
sta. monach. quod illa regula, semel, procedit in translatione rei dicatæ
ad humanos vsus, facta sine causa, & per non habentem ad id potestatem;
non autem de translatione facta iusta de causa per habentem potesta-
tem, qualis est Papa; qui licet mea sententia non possit de plenitudine
suz potestatis passim, & quomodolibet transferre ad humanos vsus,
neque per quamcunque auctoritatem, & propter quamlibet causam;
negando

negando tamen quod non possit transferre per auctoritatem Vicarij, & summi administratoris omnium Deo dicatorum occurrente grandi necessitate illius casus, vt sacerdos Achimelech panes propositionis Deo sanctificatos tradidit David, & pueris eius laicis ob necessitatem famis, qua premebantur. 1. Reg. c. 21. per quod & illud Olee 6. *Misericordiã volo, non sacrificium.* probauit Dominus Matth. 12. & Luc. 6. licere sabbato discipulis suis esurientibus vellere spicus &c. Et consequenter, tempus sabbatorum Deo dicatorum, & sanctificatorum posse propter necessitatem, & charitatem in vsus hominum impendi: vnde D. Ambros. c. aurum. 12. q. 2. definit vasa aurea, & argentea Deo sacrata posse in redemptionem captiuorum, & in sustentationem pauperum impendi, nõ solum fracta, vel alio modo profanata; sed etiam durante sanctificatione; per illa verba, *Quod si desunt noua, & quæ nequaquam initiata. i. sacrata videantur, & in huiusmodi, quos supradiximus, vsus omnia arbitror pie posse conuerti.* Vnde necessitate instante, vt recte Caieta. ait, liceret in calice, vel alio sacrato vase bibere. Secundo responderi potest, quòd assumere rem sacratam in vsum, & medium necessarium ad componendam, vel conferuandam alicuius magni populi Christiani pacem, vel fidem Catholicam, & charitatem, & gratiam Dei, qua in æternam gloriam perueniatur, non est rem sacratam assumere in vsus profanos, sed pios, & sanctos: pro valde enim sacra, & pia commendauit eas D. N. suis Discipulis pacem & charitatem per illud, *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* & illud, *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem; sicut dilexi vos.* & alia plurima, quibus apte respondet illud Conc. Viennensis in princip. clem. dudum, de sepul. *Nisi tempore pacis non* 17 *colitur pacis auctor.* Tertio, quòd licet Deo dicata non possent transferri ad vsus humanos, qui suapte natura, & iure naturæ essent contrarii vsui diuino, ad quem sunt dicata; possent tamen transferri ad vsus humanos, qui solum iure humano sunt illis contrarij: Potest enim Papa facere facultatem, vt Presbyteri, & Monachi arma capiant in infideles, & alios iniuste bellantes, ob magna necessitatem, licet iure humano sit eis vetita, c. clerici, cum ei concord. de vita, & honest. cleri. & quod iudicarent in causis criminalibus, sine vllò metu irregularitatis; licet iure humano id eis vetetur, c. sententiam sanguinis. ne cleri. vel monachi; & ita licet iure humano sit vetitum coniugium ordine sacro insignito, quia tamen non est suapte natura, & iure naturali ei contrarium, potest per auctorem eiusdem iuris humani ob iustã causam ad id habilis fieri.

18 Ad secundum quæsitum respondeo breuiter, quod sicut Papa iusta de causa potest facere facultatem ducèdi vxorẽ presbytero, ita potest facere etiam Episcopo, Archiepiscopo, & cuiilibet superiori, tum quia eadẽ lege continentia obligantur presbyter, diaconus, & subdiaconus, qua Episcopus, & Archiepiscopus, & alij superiores. c. lex. 31. dist. cuius verba

verba sunt hæc, *Lex continentia eadem est Altaris ministris, quæ Episcopis, aut Presbyteris.* Ad idem facit. c. Episcopus, & c. omnino, eadē dist. & ita vna, & eadem lege, siue vno, & eodem voto solenni tenetur quis, & ead. obligatione ad cōtinentiam suscepto solo subdiaconatu quo tenetur: postea suscepto Diaconatu, Presbyteratu, & Episcopatu, & adeo quidē quod licet magis peccet fornicando, qui est omnibus sacris ordinibus insignitus, quam qui solus subdiaconatu non eadem specie peccati peccat, & non interuenit circumstantia, quæ mutat speciem peccati necessario cōfiteāda, sicut nec religiosus qui est Prælatus alicuius ordinis fornicando peccat alia specie peccati, quam si esset Religiosus simplex professus, cum vno, & eodem voto solenni castitatis omnes obligentur

19 per ea quæ post alios dicimus in Manua. Confess. c. 7. tum quia in assumptione subdiaconatus omnes incipiunt obligari ad continentiam, & fieri inhabiles ad coniugium siue voto expresso, siue tacito, siue inuolabili statuto Ecclesiæ, c. à multis de ætat. & qualitat. & d. c. ante triennium, & alijs similibus 31. dist. tum quia Episcopatus non est ordo, secundum communem Theologorum sententiā in 4. dist. 24. Esto quod opinio Canonistarum contraria magis consona videtur iuri communi, & Concil Tridentino, per ea quæ diximus in Manuali Confessariorum c. 22. num. 18. & ita certius est Episcopum obligari ad continentiam ratione ordinum subdiaconatus, diaconatus, & presbyteratus, qui secundum omnes, & ipsam fidem Catholicam sunt veri ordines, quàm ratione Episcopatus, qui non est verus ordo secundum communem Theologorum. Ad tertiam quæstionem respondetur, quod pro parte negante, nempe, quod non occurrat iusta causa dispensandi in casu præsentis, facit primo illud Ecclesiastici 26. *Non est æqua ponderatio continentis animi*, quod secundum aliquos sonat nullum esse bonum melius continentia perpetua. Secundo, quod bona certa meliora sunt incertis, c. si quis autem, de pænit. dist. 7. & præsentia futuris, iuxta illud Claudiani citatum à glossa l. cum ij ff. de transaction. *Omne futurum despicitur, suadentque præsentia fructum*. At bonum continentia sacris initiati est bonum certum. & Innoc. & omnes alij qui in d. c. cum ad monasterium, & Io. And. in Præfatio mercuriali, & alij alibi tenent posse Papam dispensare cum Monacho super voto continentia, affirmant iustam causam id faciendi esse compositionem, vel conseruationem pacis alicuius Regni, & prouisionem de certo successore Regis, ne illo sine liberis decedente regnum suum patiatur, & violetur pax eius. Thomas item qui in d. 2. 2. quæst. 88. artic. 11. & omnes alij tenentes posse Papam dispensare cum presbytero super continentia, idem asserunt de iusta causa dispensandi cum presbytero. At in proposito casu nisi procuretur certus successor Regis præsentis, qui uiuat æternum, multis rationibus tenetur maximus tumultus vnius maximi Regni, magna que seditiones

nes inter magnates eiusdem Regni prætenfuros illud sibi competere, maxima item bella inter ipsum Regnum, & eius regnicolas ab vna parte, & quosdam alios reges & principes externos, qui iure cognationis, vel alio illud sibi obu venire videntur putaruri; & præfens pax aut futura, & peruentura ex matrimonio per dispensationem in contrahendo, & proles per quam illa est concilianda sunt futura, & incerta. ergo non sunt æque bona, ac bonum continentia certum, nec consequenter iu-
 21 sta causa dispensandi super illo. Tertio, facit, quod virtus continentia resplendentissima. vsque in ætatem senectuti proximam inuolabiler obseruata. violatio futura est ei molestissima, & ingratiissima, & quadam tenus inuoluntaria; & voluntaria graviora sunt, Deoque inuoluntaria, c. merito 15. q. 1. at coniugium non videtur futurum voluntarium, & gratum ei pro quo dispensatio in casu proposito est danda, quia est persona præcellentis virtute continentia prædita, ergo non est illud adeo gratum Deo futurum, ac continentia eius ipsius maiestati gratissima.

His tamen non obstan. tenenda est pars affirmatiua, primo quidem præsupposita illa vera sententia S. Thom. communiter recepti, quicquid Altissiodoren. & aliquot alij Theologi relati à Caiet. & Medina tenuerint, quoniam contra eos est casus in c. 1. & C. non est de voto, nempe quod votum ex iusta causa relaxari potest, dicendum est iustam causam dispensandi adesse cum votum est maioris boni impedimentum, siue impeditiuum, vt docet S. Thomas communiter receptus in d. c. q. 88. art. 10. in corpore quæst. At in casu proposito, votum continentia est impedimentum maioris boni, nempe certi successoris in Regno. Ergo & c. Secundo, quia omne votum conuerti potest in melius c. scripturæ. cum ibi notatis de voto, at bonum commune est melius, & diuinius bono priuato c. licet. regularib. Ergo votum continentia quod continet bonum priuatum potest auctoritate legitima conuerti in Sacramentum matrimonij, per quod certus regni successor, & consequenter pax, & Christianismus conseruetur. Multa præterea Indiarum, & noui orbis Regna, quæ Christianissimum susceperunt, & conseruant, auctoritate, prudentia, potentia, & virtute militari Regni, cuius successor certus quæritur, deficerent à fædere Regni, immo, & à fide Christi, quæ susceperunt, & in dies suscipiunt, si turbata præfenti Regni pace impediretur oportunitas nitendi ad ea Proreges militibus, & armis de more munitos, quin & merito teneri potest, quod exorto bello, & tumultu ob defectum certi successoris, alijs aliunde subsidia petentibus, aliquot hæreticorum cohortes in illud euocarentur, qui Christianissimum illius Regni limpidissimum commacularent in maximam Iesu Christi irreuerentiam, & Sacrosanctæ Sedis Apostolicæ iacturam, cum regnum illud cum primis omnium sit ei obedientissimum, Ergo non solum iusta, sed etiam iustissima
 causa

causa est in casu proposito dispensandi, immo & compellendi dispensatū ad matrimonium contrahendum, vt certus Ramus Monachus et presbyter fuisse coactus dicitur à Paludano & Caieta. in d. tract. 27. in d. col. 22. yltima. Ad primum oppositum respondetur, negando, quod non occurrant multa bona maiora, quam continentia: omnes enim virtutes Theologicae, & actus eorum, religio vitæ, & actus eiusdem, puta deuotio, sacrificium, & oratio, sunt potiora bona quam continentia, & actus eius, vt colligitur ex S. Thoma communiter recepto in 2. 2. q. 152. art. 5. dum virginitati, & actibus eius scilicet castitatis præfert dictas virtutes, & actus eorum.

Ad secundum, quod bona certa cæteris paribus sunt incertis meliora, respondetur quod in hoc casu cætera non sunt paria: quia bonum cōseruandi pacem, & Christianismum vnus Regni, & multorum pendentium ab eo, longe maius est quam bonum continentiae priuatum, vt priuatum est, & præsentia licet cæteris paribus sint meliora futuris, non tamen cum cætera non sunt paria; maius enim bonum est magnus redditus alicuius fundi, oppidi, vel beneficii futuri anni sequen. quam decem scuta præsentia. quod satis probat dicta lex cum ij, vt ibi notatur ff. de tranfact. & nos resoluius d. c. si quis autem. Ad tertium, concedimus etiam quod cæteris paribus meliora sunt quæ grata voluntate fiunt, iuxta illud Apostoli, *Hilarem datorem diligit Deus*. Non autem cum cætera sunt imparia. cū enim iubemur accipere læta, & grata, minuitur meritum accipiendo ea prompte, & læte, & augetur cum accipiuntur ingrate, propter solam obedientiam, iuxta Gregorium in cap. sciendum 8. q. 1. cuius finis sic habet, *Obedientia victimis iure præponitur: quia per victimam aliena caro, per obedientiam vero propria voluntas tractatur*. Et ita in casu proposito quanto magis maiestas personæ, cuius dispensatio quæritur, est suorum omnium æqualium præcellentissima, & virtute continentiae resplendentissima, & ab actibus coniugalibus etiam sanctis abhorrentissima, ita nolens volendo coniugium ob amorem Dei, & charitatem suæ Reip. Christianæ, quæ est omnium proximorum maxime proxima, præcellentem sibi gratiam apud homines, & præcellentissimum meritum merebitur apud Deū, qui Regiā eius Maiestatem quam diuissime seruet, & eidē abituro in gloriam Seraficā provideat filium successorem sui patris in regnando consimillimo. Quæ tumultuario quasi studio scripta cuiuscunque melius sentientis censuræ subijcimus.

S Y M M A R I V M.

1. *Matrimonium qui contraxere ante iustam ætatem quid facient.*

CON-

CONSILIVM XI.

Rogatus quid facere debeant duo coniuges, qui pridem post Concilium contraxerunt matrimonium, & susceperunt filios; & nunc rescuerunt uxorem non habuisse tempore contractus duodecim annos, quamuis maritus non haberet plusquam quatuordecim.

- I** Respondeo, quod latissima super hoc disputatio haberi potest, tangendo ea, quæ nuper allegauimus coram Sanctissimo D. N. super dispensatione ad contrahendum matrimonium inter duos Illustrissimos impuberes, quæ infra consil. de desponsa. impub. inueniuntur. Sed omissis illis, videtur respondendum debere præfatos, de quibus quæritur, dicere ordinario, quod ipsi ex causa quadam, quam non oportet ei notam facere, habet scrupulum, quod iam cessauit, de valore matrimonij sui contracti coram parocho ante tot annos: & quod ad deponendum illum valent denuo contrahere: & quod supplicant ei, vt det eis licentiam id faciendi coram suo parochi, vel alio sacerdote de sua licentia, non præmissis denuntiationibus per Concilium Tridentinum requisitis: attestato quod iam antea cum illis contraxerunt; & post illam licentiam habitam, adeant suum parochum, vel alium sacerdotem, cui det licentiam ipse vel ordinarius ad assistendum matrimonio contrahendo, & vocatis duobus vel tribus testibus amicis suis, qui rem teneant secretam contrahant in nomine Domini, qui nos omnes saluet.

S V M M A R I V M.

- 1** *Regula, non firmatur, lib. 6. dupliciter limitatur.*
- 2** *Matrimonium vi contractum per spontaneam cohabitationem validatur.*
- 2** *Matrimonium ignoranter cum coniugato contrahens, uxore mortua non separatur. si decepta de nouo contrahere velit. num. 3.*
- 3** *Matrimonium solo legitimo consensu contrahitur.*
- 3** *Matrimonium sublato impedimento nouum consensum requirit.*
- 4** *Votum impuberis censetur ratificari, si sciens illud esse irritabile, factus pubes intendat implere.*

CONSILIVM XII.

AN habita dispensatione super impedimento matrimonij iam contracti, quod altera pars ignorabat, sit necessarius nouus consensus amborum etiam partis ignorantis.

- 1** Et quidem pro parte negante facit primo, quod reg. non firmatur. de reg. iur. lib. 6. & illa quod in initio ff. eodem, quæ habent, id quod nullum

Nullum est ab initio, tractu temporis conualescere: fallit, cum tractu temporis superuenit id, ob cuius defectum actus non valuit, vel ablatum est id, quod impediēbat actus valorem: vt alienatio, quæ facta est sine assensu capituli, est nulla, postea illo consentiente ratificatur c. 3. de his, quæ fiunt à prælato, & matrimoniū, quod non valet inter ancillam, & liberum hominem ignorantem eam esse ancillam, fit validum si rescieuerit eam esse ancillam, & maritali affectu tractauerit eam c. proposuit. de coniug. seruor. Secundo, videtur ad hoc casus in c. ad id. de sponsal. quatenus habet, eam quæ metu contraxit fieri vxorem eius, cum quo contraxit, si cohabitauerit illi sine alio nouo consensu; & ibi gloss. allegat similes in c. 1. de eo qui duxit in matrimonium quàm polluit, & ita ibi videtur casus adiuncta gloss. pro hac parte. Tertio, videtur casus in d. c. 1. de eo qui duxit, quatenus habet eam, quæ contraxit matrimonium cum aliquo nesciens eum habere vxorem, non esse separandam mortua prima vxore, & nihil meminit de huiusmodi nouo consensu.

3 Sed contrarium est tenendum cum gloss. prædicti c. 1. cui concordat S. Thom. cum alijs omnibus in 4. dist. 35. præsertim Scoto quæst. 1. vbi prædictæ gloss. tenoris bonam partem refert. Primo, quidem, quod licet matrimonium solo consensu contrahat c. sufficiat. 27. q. 2. & c. cum apud. de spons. illud tamen debet esse legitimum, c. cum locum. eodē tit. qualis non est consensus solutæ cum coniugato, qui non potest habere duas vxores c. gaudemus. de diuortijs. Secundo, quod matrimonium contractum ab inscia impedimenti, cum eo, qui vxorem habebat viuentem, est ipso iure nullum secundum omnes, & patet in d. c. 1. quatenus probat à contrario sensu esse faciendum diuortium, etiam quoad vinculum coniugale ad petitionem vxoris, quæ ignorans nupsit marito alij coniugato etiam post mortem illius: & cum primus consensus non fuerit matrimonialis, nullus actus (vt verbis Scoti vbi supra vtat) potest esse licitus virtute illius; & ideo ad hoc quod sint coniuges requiritur consensus. Tertio, quod vt votum simplex factum ante pubertatem censetur ratificatū sic vt à parentibus irritari nequeat, non sufficit quod post pubertatem intendat illud implere pubes factus credens illud à principio valuisse: sed oportet vt sciens illud a principio fuisse irritabile ratificet, vt pulchre de terminat Caiet. 2. 2. q. vlt. art. 5. Quarto, videtur casus expressus in c. veniens. de eo qui duxit in matrimonium in illis verbis: *potuit denno consentire*. vbi gloss. addit, quod valebit matrimonium vt ex nunc, idest q. ex tempore consensus noui, & non ex tempore contractus, sed nec ex tempore noui consensus si mulier non cōsenseret, & ita determinauimus in Manuali confess. c. 22. nu. 86.

Non obstant contraria, non primum: quia illud intelligitur de actu, qui non est ipso iure nullus, vel cum superuenit omne illud, quod requiritur ad actus valorem, & consequenter consensus nouus si is fuisset necessaria.

cessarius. Ad secundam, quod qui vel quæ per metum cōtraxit, scit vel scire debet matrimonium non valere, & ita si cessante metu cohabitavit, sponte videtur consentire de nouo, & ita noue contrahere matrimonium. Ad tertium respondetur quod illud c. 1. quatenus habet nō esse separandā vxorem in scie contrahentem debet intelligi, si vult denuo consentire, vt gloss. ibi satis explicat.

S V M M A R I V M.

- 1 *Matrimonium à religioso professo contractum est nullum.*
- 2 *Papa dispensare nequit, saltem sine iusta causa, vt regularis matrimonium contrahere possit.*
- 2 *Dispensatio Papæ super voto iure diuino obligante sine iusta causa non valet.*
- 3 *Milites de Alcantara vouent simpliciter castitatem, S. Iacobi solum coniugalem*
- 4 *Dispensatio conditionalis ante conditionis euentum non valet.*
- 4 *Ablatinus absolutus inducit formam, qua non seruata corrumpit actus.*
- 5 *Facta contra, vel citra formam ab homine datam sunt ipso iure nulla.*
- 6 *Copulatiue ad duo obligato non sufficit alterum implere.*

C O N S I L I V M X I I I.

Petrus anno 1540. dispēsatus fuit per breue Apostolicū in hæc verba. *Quum itaque, sicut nobis nuper exponi fecisti, tu, qui alias habitum, per fratres milites militia de Alcantara gestari solitum, suscepisti, & professionem in eo emisisti, & præceptoriam eiusdem militiae domus Petrae noue obtinens, cupias de militia de Alcantara huiusmodi illius habitu, & dicta præceptoriam per te dimissis, ad militiam sancti Iacobi de Spata sub regula sancti Augustini, ad quam singularem geris deuotionis effectum, te transferre, & sub illius habitu, quod ad vixeris permanere, ac iuxta illius regulam instituta, auctoritate Apostolica approbata, matrimonium contrahere.* Deinde anno 1542. contraxit matrimonium, post quod contractum petijt à Reuerendissimo Nuntio in Hispania absolutionem fructuum male perceptorum commendæ de Petra noua ordinis de Alcantara, & facultatem eos in posterum bene percipiendi. Et postea eandem petijt a Paulo iij. putans non sufficere sibi gratiam à prædicto Nuntio obtentam: & deinde anno 1545. repetijt eandem absolutionem, nec exinde constat eum, antequam matrimonium contraheret, reliquisse habitum militiae de Alcantara, et mansisse ad militiam sancti Iacobi, nec consensum transeundi à Carolo V.

to V. magistro illius militiæ obtinuisse; immo neque habitum illius suscepisse; quin neque vnquam nouitium egisse, neque expresse professionem emisisse, neque tacite per gestationem habitus: Dubitatur an matrimonium ab eo contractum fuerit legitimum? an nullum?

- 1 Diuina ope fretus, respondeo, matrimonium prædictum non esse legitimum; quia omne matrimonium cōtractum à religioso, qui vouit tria substantialia vota in religione approbata, sine dispensatione legitima, est ipso iure nullum, cap. meminimus. qui cler. vel voue. at prædictus Petrus ante prædictum matrimonium contractum fuit religiosus ordinis Cisterciensis approbati, in quo emisit tria substantialia vota, vt ipsemet confessus fuit in impetratione prædicti breuis, asserente id Papa, cui in hoc credendum est, clem. 1. de probat. cum ei annot. ergo matrimoniū fuit ipso iure nullum.
- 2 Secundo, quia non obstat dispensatio, quæ ex aduerso allegatur, primo, quia secundum opinionē D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 11. quam fere omnes illius scholæ viri sequuntur, quamquam tenere solebat fel. recor. Pius V. q̄ non potest Papa dispensare cū religioso solenniter professo, vt ducat vxorem, per c. cum ad monasterium. §. fin. de statu monach. Deinde quia non potest id facere etiam secundum contrariam opinionem, nisi maxima de causa, vt patet ex Innoc. & omnibus alijs in d. §. fin. & in 4. dist. 3. 8. & in omnibus alijs locis ordinarijs & extraordinarijs, quæ in præsentī casu non concurrunt, immo nec allegata fuit; & constat nullam dispensationē Papæ super voto, quod iure naturali diuino obligat, sine iusta causa factam valere, iuxta gloss. singul. & recept. in cap. non est. de vot.
- 3 Tertio, quod licet militibus prædicti ordinis S. Iacobi indultū sit, vt possint contrahere, quia solum vouent continētiam coniugalem; non tamen idē est indultum eis, qui prius in alia religione probata cōtinentiam simpliciter, & expresse vouerunt. Nec obstat, quod Paulus iij. sciens illum esse militem prædictæ militiæ de Alcantara, indulsit ei, vt post transitum ad militiam S. Iacobi possēt ducere vxorem. Tum quia non narrauit, prædictos milites de Alcantara, qui eam ad bellandum profitentur, perinde vouere simpliciter continentiam, ac qui profitetur eam ad diuina peragenda. Tum quia licet voluntas adfuisset, potestas tamen defuit, clamante Innoc. iij. in dicto cap. cum ad monasterium. §. fin. summum Pontificem non posse dispēlare super voto solemnī castitatis, quod est verum, etiam quantacumque maxima subsistente causa secundum D. Tho. & sequaces, vt dixi: & etiam secundum omnes alios non existente causa maxima, puta successione regni conseruandæ, vel alia simili: qualis nullatenus in hoc casu intercellit. Quarto, quod esto prædictus Paulus iij. potuisset, & voluisset dispensare, & dispensasset, dispensauit tamen sub tali forma, quod nihil sibi profuit: quia fuit data sub conditione, quæ non fuit purificata ante matrimonium. Tum quia fuit concessa sub

conditione si habitū, & commendam domus de Petra noua ordinis militaris de Alcantara prius relinqueret; & ipse prius contraxit, quam prædictam commendam relinqueret, & ita non fuit purificata conditio ante contractum matrimonij. Quod autem prædicta dispensatio fuit conditionalis, probatur ex eo, quod ablatius absolutus includit conditionē, l. a testatore. ff. de cond. & demonst. & l. euctis. ff. de euct. & talem quidem conditionem, quæ inducit formam, qua non seruata actus sit nullus, iuxta Bald. in auth. matri. & auia C. quando mul. tut. offic. fungi potest. & alios, quos citat & sequitur Decius conf. 111. num. 9. & conf. 466. num. 18. dispensatio autem prædicta fuit facta sub hoc verborum contextu, vt de dicta militia de Alcantara, & illius habitu, & commenda prædictis per te dimissis, quæ per prædicta iura perinde valent, ac illa verba, si habitum, & præceptoriam prædictam dimiseris, quorum tamen, vel saltem commendæ dimissio non præcessit matrimonium.

- 5 Tertio probatur inefficacia, & nullitas prædictæ dispensationis ex eo, quod facta contra formam, præsertim ab homine datam, sunt ipso iure nulla, cap. cum dilecta, de rescript. & cap. Pisanis. de restit. spol. immo etiam facta citra formam, cap. prud. de offic. de leg. & per late congesta per Felin. & citatos ab eo in dicto cap. cum dilecta. a num. 6. vers. gesta contra formam. At forma breuis continens prædictam dispensationem, habet, vt ante omnia prædictus Petrus dimitteret habitum, & commendam, deinde se transferret de consensu magistri ordinis ad militiam Sancti Iacobi, & demum posset contrahere, & hæc forma non fuit seruata: nam licet reliquisset habitum, commendam tamen non dimisit, nec fecit alia facienda per tenorem breuis, vt præsupponitur in facto, ergo conditio non fuit purificata, quia qui ad duo, vel plura tenentur copulatiue, per vnius, vel alterius complementum non satisfacit, l. si hæredi plures. ff. de condit. instit. cap. 2. de rescript. cum eis concord. Quod autem non reliquerit commendam, patet in supplicatione facta Paulo iij. qua petit remissionem fructuum; & constat confessionem probare contra contententem, cap. fin. de confess. cap. 1. eod. tit. lib. 6. & adeo quidem, quod confessus habetur pro iudicato l. 1. & 3. ff. de confess. Salua &c.

S V M M A R I V M .

- 1 *Dispensatio licet sit stricti iuris, ad annexum, & inseparabile extenditur.*
- 2 *Dispensatio ab vno coniugum alio ignorante impetrata vtrique prodest.*
- 3 *Dispensatio absque mandato impetrari potest.*

C O N S I L I V M X I V .

Quæritur, an dispensatio impetrata ab vno coniugum super impedimento matrimonij quod est inter ipsum, & aliam certam personam, profit vtrique.

- 1 Pro parte negante facit, quod dispensatio strictè interpretanda est secundum omnes, & consequenter non est extendenda de vna persona ad aliam, argum. c. 1. & ibi gloss. de offic. deleg. Secundo, quod non potest impetrari dispensatio sine mandato, vt videtur probare c. innotuit. de elect. quod in hoc tenendum esse menti, dicit ibi Panormit. & commendat multum Corset. in singularibus verbo Mandatum.
- 2 Sed pars affirmatiua tenenda est. Tum quia qui vult vnum, videtur velle id, quod necessario sequitur ex illo. l. 2. ff. de iuris. om. iudic. c. præterea. de offic. deleg. At dispensatio concessa vni personæ ad contrahendum cum alia nihil valeret, nisi extenderetur ad illam, vt palam est. Tum quia dispensatio extenditur ad id quod est necessario annexum illi, iuxta gloss. nota. in c. si quis in clero. 7. q. 1. & c. quia in tantum de præb. At dispensatio vnius ad contrahendum cum alia est annexa dispensationi illius ad contrahendum cum eo, ergo &c. Tum quia passim contingit, vt altera persona contrahentium sciat ante contractum, vel resciat postea altera ignorante impedimentum, & sæpe multis de causis conuenit, vt non reueletur dispensatio, neque impedimentum, super quo illa fit parti ignorantanti, per ea quæ scribimus in c. 22. num. 70. Man. Confessario. Tum denique quia cum Papa dispensat cum altera persona contrahentium intendit dispensare cum vtraque, argumento c. translato. de consti. cap. si quis. abiecerit. 2. q. 3. quia illæ dispensationes sunt inseparabiles.
- 3 Ad primum oppos. responderetur per argumenta pro secunda parte lata. Ad secundum responderetur negando, quod dispensationis impetratio requirat mandatum, vt tenet gloss. in c. ad aures. & c. nulli §. sunt & alij contrarium probat c. innotuit, si satis ponderetur. Salua &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Marito diu absente, & ad mortem ægotante, an vxor renubere possit.*
- 1 *Viuere quis non præsumitur vsque ad 100. annos, licet sit non viuere vltra centum.*
- 2 *Vxor, nisi certo sciat mortuum maritum, alij non nubat, et, si nupsit, donec sciat eum viuere, non separetur.*
- 2 *Ægroti multi ad mortem parce viuendo conualnere.*

CONSILIVM XV.

QVæ nupsit in India, & marito se absentante, venit ad Urbem, & nil certi scivit de morte ipsius, nisi quod ante septem, aut octo annos dixit ei quidam, quod ægotabat ad mortem, & iacebat paralyticus non potens ambulare, nec edere sine ope, & aliena manu, & nunc cupit nubere.

- 1 Pro desiderio huius consulentis facis lapsus quindecim annorum, & testatio vnus, quod ante octo annos vidit etiam ægotum, & paralyticum, & quod suo iudicio non poterat diu viuere; & quod licet præsumatur hominem non viuere vltra 100. annos; fin. C. de Sacros. Eccles. non tamen præsumitur viuere, vsque ad 100. annos, vt efficaciter probat Corneus in Conf. 181. vol. 2. & quod secundum gloss. recip. in cap. in præsentia. de sponsalibus, mulier, quæ verisimile credit maritum mortuum, posset alteri iuste nubere.
- 2 Contra tamen facit, quod iure Pontificio non potest nubere mulier, antequam habeat certum nuntium de morte mariti, quantumcunque tempore ille absit in d. c. in præsentia, & quod quilibet præsumitur posse viuere centum annis, & quod multi ægroti etiam podagra, & chiragra laborantes conualuerunt ad simplices mentas redacti, vt ait D. Hieron. in c. legimus de consecrat. dist. 5. & quod nullus est testis, nec vlla fama de morte mariti. Quibus pro & contra perpensis, auderem dicere, quod non teneretur illa separare se à marito si iam contraxisset, donec sciret maritum viuere, arg. cap. fin. de secund. nup. & cap. Inquisit de sent. excomm. si tamen essem Iudex, non auderem dare illi licentiam contrahendi per d. c. in præsentia.

S V M M A R I V M.

- 1 *Matrimonium fite per procuratorẽ cum vna, & deinde per se cum alia contrahens, bis censetur contraxisse, & quid facere debeat.*

CON-

CONSILIVM XVI.

N Dedit mandatum ad contrahendum matrimonium cum A. sine intentione vlla contrahendi cum illa; & mandatarius contraxit legitime ignorante N. nulla intentionis non contrahendi facta mutatione, neque ratificato mandato. Deinde contraxit matrimonium publice & consummavit cum alia. Queritur quid agere debent.

Respondeo primo, quod D. Consulens censetur in foro exteriori contraxisse bis matrimonium tam à iudice ecclesiastico, quam seculari. Secundo, quod in foro interiori iudicabitur contraxisse tantum cum secunda, & quod ei cohabitare debet. Tertio, quod ad excusandum se à pœna, quam meretur in foro exteriori, oportet, vt ipse accedat ad Illustriss. Inquisitorum Romanae Urbis officium, & præsentet vnâ petitionem, quæ contineat vnâ narrationem facti; & præter eam dicat se pœnitere plurimum, quod vltus fuerit præfata simulatione; & quod confitetur eam plane coram prædictis Illustrissimis, & supplicat eisdem, vt sua sententia diffinitiuâ condemnent eum pœna, & pœnitentia, quâ meretur in foro interiori; & exteriori, vtentibus misericordia solita; attento quod nondû est vocatus ad vllum iudicium, neque ecclesiasticum, neque seculare; & quod venit ad urbem mille labores & pericula passus; & quod sponte sua confitetur hoc peccatum, quod tamen non commisit propter vllum errorem, quem circa sacrosanctum sacramentû matrimonij haberet, & quod se subdit eorum summo iudicio promptus ad suscipiendâ pœnam, & pœnitentiam quam lachrimabundus petit.

S V M M A R I V M.

I Incestus cum consanguinea, sicut cum affine non impedit matrimonium cum alia, Theologi quod non, Canonistæ quod sic. nu. 2.

CONSILIVM XVII.

AN incestus cum consanguinea impediât contrahere matrimonium cum alia; sicut incestus habitus cum affine.

Respondeo, q̄ communis opinio theologorum videtur tenere, quod non. nam id tenet. S. Tho. in 4. dist. 34. q. 1. ar. fin. communiter receptus, & Sotus dist. 37. ar. 2. sub fine. S. Anton. 3. p. c. 16. §. 4. tit. 1. Silvester verbo matrimonium 7. imped. 4. quos sequitur Couarruía in epit. 4. 2. p. c. 6. in primo num. 4.

Tum quia videtur eis nullo iure id caueri, quod cap. 7. & 2. §. 4. de

eo qui cog. conf. vxoris suæ. solum tribuunt illud incestui cum affine habito; & non incestui cum consanguinea. Tum quia, vt ait Ricard. in supradicta dist. 34. non videtur hoc inductum ob grauitatem criminis, sed ob iniuriam quæ fit matrimonio per coitum cum cognata coniugis.

2. Contrarium vero tenent Canonistæ plerique cum Panor. & Preposito in d. c. 1. & 2. de eo qui cog. conf. vxor. suæ. quos sequuti fuimus in nostro Man. confic. cap. 22. n. 75. cum Angelo verbo incestus §. 87. tū quia, vt ibi dixi, stylus curiæ id seruare videtur, quatenus eum dispensat, vt consanguinei, qui se incestu polluerunt, contrahant inter se matrimonium, apponit clausulam vt superstes sine spe coniugij maneat; & ne dicatur, incestum quidem impedire matrimonium contrahendum inter ipsos consanguineos, qui se incestu polluerunt, non autem ad contrahendum cum alijs, quia per illam clausulam iuberur superstes sine spe coniugij manere cum alio, tum quod c. si duo. 25. q. 6. habet consanguineos matrimonio coniunctos separari debere, & posse cum alijs contrahere si iuuenes sint, significando indigere dispensatione, quæ propter iuuentutem, & timorem incontinentiæ illis concedi potest, tum quia c. fin. 35. q. 8. de concubinarijs consanguineis habet, *Si alter eorum morte præuentus fuerit, alter quandiu viuit grauiter pœniteat, & sine spe coniugij maneat.* tum quia c. de incestis. 35. q. 3. habet, *incestuosos nullo nomine deputandos.* tum quia c. qui propinquam. 35. q. 3. habet, *qui propinquam sanguinis vxorem ducunt, & separant, non licebit eis, quamdiu vterque viuit, alias vxores sibi in coniugio sociare, nisi ignorantia excusentur.* tum denique quia ratio Ricardi non concludit, quia potest assignari aliqua ratio, quare præd. c. de eo qui cog. conf. disponunt de incestu cum affine, & non de incestu cum consanguinea; scilicet quia de illo plus potest dubitari quàm de hoc.

S V M M A R I V M.

1. *Vouens castitatem cum facultate ducendi vxorem quæ continere velit, nullam ducere potest.*
2. *Pactum vt castitas in matrimonium seruetur vel ne debitum petatur, est contra illius fidem & finem.*
3. *Matrimonium cum pacto quod seruetur castitas contrahi nequit.*
4. *Causa iusta ad dispensandum super continentiaæ voto non est commoditas regendi domum.*

CONSILIVM XVIII.

Quidam, qui aliquot annis vixit cum vxore sua in castitate per vtrūque vota vouit se pæpetuo castitatem seruaturum: etiam si vxor
 præ-

præmoretur: cū hoc tamen moderamine, vt posset ducere vxorem aliquam, quæ vellet continere sicut ipse, qualem non inuenit; & vellet ducere vxorem ad administrandam domum. Quæritur primo an sit obligatus ad seruandam castitatem. Secundo, an sit iusta causa dispensandi super huiusmodi voto.

- 1 Respondeo, quod est obligatus ad seruandam castitatem, & non ad ducendam vxorem. tum quia non inuenit aliam, quæ velit contrahere cum illo, & continere sicut prior se continebat; & conditionalis non impleta conditione non habet effectum, §. ex conditionali. Instit. de verb. obligat. tum quia conditio illa fuit impossibilis: quia non poterat occurrere casus, in quo ille posset iuste contrahere cum aliqua, ea lege vt contineret, & non peteret debitum: quoniam est pactum contrarium fini, & fidei Matrimonij: fini quidem, quia virtualiter est pactum de vitanda prole: fidei autem, quia est pactum de non reddendo debitum, & de non habenda potestate sui corporis: & proles & fides sunt duo de principalibus bonis matrimonij, c. omne nuptiarum bonum. 27. q. 2. & conditio contra illa est contra substantiam matrimonij, quæ illud inualidat,
- 3 c. fin. de condit. appositis. Nec obstat, quod Paludanus in 4. dist. 29. art. 2. tenet valere matrimonium contractum cum conditione, ne petatur debitum, vel vt seruetur continentia: eo quod non est turpis sed honesta. tum quia contrarium tenet S. Tho. dist. 28. art. 4. ad 3. & Adrianus de spō salibus q. 9. quæ communis est opinio secundum Sotum in eod. 4. distin. 29. q. 2. art. 3. Tum quia prædictum cap. vlti. de condit. appos. non solum habet conditionem turpem contrariam substantiæ matrimonij reddere illud nullum; sed absolui omnem conditionem quæ est contra substantiā matrimonij: & consequenter etiam illam, quæ de se honesta esset.
- 4 Ad secundam respondeo, quod ex petitione orationis non colligitur vlla iusta causa dispensandi super tam grandi voto. Tum quia difficilius est seruare continentiam conuersando die, ac nocte secreto, & corā alijs cum vxore, quam amat, quam viuendo sine tali conuersatione, arg. ca. cū omnibus. & c. clericus. & c. volumus. & c. legitur. §. 1. dist. & oratori videtur se posse castitatem seruare conuersando die ac nocte cum vxore amata. Tum quia si iusta causa dispensandi esset commoditas regendi domū, quæ prouenit ex vxoris consortio, omnes fere haberent iustam causam relaxationis voti, quod est absurdum dicere, & ideo non est dicendum, l. nam quod absurdum. de bonis libertor. Quamuis dici posset, aliquam partem causæ colligi ex eo, quod non omnino absolute vouit castitatem. sed cum quadam exceptione, quæ licet a communi opinione, & mea sententia vera reputetur impossibilis; Paludano tamen viro sacrarum & Canonicarū litterarum callidissimo visa est possibilis. Salua quæ iustior.

S V M M A R I V M.

- 1 *Papa dispensare nequit super matrimonio rato & consummato.*
- 2 *Vxor si nupsit alij bona fide maritum mortuum esse credens, monenda non est.*
- 2 *Religionem intrare & profiteri potest publicæ adulteræ maritus.*
- 3 *Maritus diu absens ab vxore, non dat causam adulterandi, & ideo eam dimittere, & in religione manere potest.*

CONSILIVM XIX.

An te Conc. Trid. quidam Nepos cuiusdam Canonici potentis, & diuitis contra suam voluntatem contraxit clam matrimonium & consummauit cum quadam nobili paupere, consentientibus tum tacite parentibus puellæ. quod cum rescisset Auunculus iuuenis curauit eum absentare à Ciuitate ad loca remota, quæ puella ignorabat, & ibi ingressus fuit & professus religionem quandam Illustrissimam, cuius est confessarius, & prædicator in pretium habitus. Idque fecit consulto confessario qui dixit ei licere prædictum ingressum. puella item nesciens vbi ille habitaret, & putans esse mortuum, nupsit alteri nobili, & potenti viro, qui ex ea multos filios suscepit, & habuit. Quæritur quo remedio succurri possit eis ne damnentur à Deo, neque ab hominibus.

- 1 Respondeo primum, non posse illis prodesse dispensationem Papæ: quia matrimonium prædictum fuit consummatum, & omnium tum Canonistarum, quam Theologorum vna est conformis sententiâ, non posse Papam vlla de mundi causa dissoluere tale matrimonium quoad vinculum, iuxta illud Euang. Math. 19. *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* c. quod Deus. 33. q. 2. & cap. inter corporal. de transla. episcopi.
- 2 Secundo, quod fœmina non potest esse in bono statu, neque absolui per vllum remedium, nisi non exigendo, & non reddendo debitum marito; vel nisi contraxisset bona fide probabiliter credens, quod maritus eius obierat, nec postea sciuit, nec credidit, nec credit contrarium, quo casu nullatenus esset ipsa monenda de vita mariti viuentis. Tertio, quod prædictus maritus religiosus potest perseverare iuste in sua religione per cap. Agathosa. 27. q. 2. quod clare habet, maritum vxoris, quæ fornicata est publice, vt ibi addit gloss. posse intrare religionem, & perseverare in ea, etiam non facta separatione iudicio Ecclesiæ, & in casu proposito notorium est adulterium prædictæ vxoris.
- 3 Non obstat, quod maritus, qui causam dedit adulterio vxoris, non potest illam dimittere, c. discretionem. de eo qui cogno. consangu. vxor. suæ.

fun. & si tu abstines. 27. q. 2. & quod prædictus religiosus dedit causam adulterio prædictæ puellæ vxori suæ absentando se ad remota loca, & nõ scribendo illi, nec alias admonendo vitam suam. non inquam hoc obstat: quoniam non fuit causa propinqua vel immediata adulterij: quia non tradidit illam adulterandam, nec rogauit, nec consuluit ei, vt id faceret. quo casu loquitur prædictum cap. discretionem. sed tantum fuit causa remota, de qua loquitur d. cap. si tu abstines. quia renuit commiseri illi, vel reddere debitum, quo casu non est causa, sed tantum occasio, cuius traditio non sufficit ad hoc, vt non possit eam relinquere secundum gloss. in d. c. si tu abstines. quam pulchre tractado sic declarauit Panor. & Præpos. in d. cap. discretionem.

S V M M A R I V M.

1 Matrimonium coram parochio licet ad alia vocato, & testibus contractum valet.

C O N S I L I V M X X.

Quidam contrahere volentes matrimonium, & suspicantes quod parochus, cuius præsentia erat necessaria ad valore matrimonij, iuxta ca. de reformat. matrimo. sess. 24. Concilij Trid. nollet esse præsens ille contrahendo, vocauerunt eum quasi ad aliud propositum in quandam domum, & itox eo præsentem, & ignorante quid agere volebant, surrexerunt prædicti contracturi, & mutuo se receperunt in coniuges per verba de præsentem coram illo Parochio, & alijs duobus vel tribus testibus. Quæritur an matrimonium valeat.

1 Respondeo, quod multa pro vtraque parte possunt adduci. sed quia non vacat, breuiter dicimus, prædictum matrimonium valere. tum quia est contractum præsentem parochio, & duobus, vel tribus testibus; quod solum requirit præfatum Concilium ad substantialem valore matrimonij. Tum quia non requiritur saltem regulariter, vt testes sint rogati, & sciât ad quid rogantur, sed sufficit, quod sint præsentem ad id quod agitur per aliquem sensum corporeum, & prædictus parochus, licet nescisset, quod fuisset vocatus ad hoc, vt videret contrahi dictum matrimonium: tamen vidit, & audiuit illud contrahi per sensum corporeum visus, & auditus. Ergo satisfactum fuit Concilio. Tum quia finis & causa principalis, ppter quam id statuit Concilium, fuit vt matrimonium alioquin indissolubile contrahendum non esset adeo clandestine, vt probari non posset, & quod sciretur esse contractum. & in casu proposito satisfactum fuit huic

huic fini, & causæ principali: quia potest probari, & scitur esse contractum. Immo est magis publicum, quam si parochos sponte, & prudens rei futuræ adijisset locum, vbi contrahendum erat, quoniam parochus conquerendo de contrahentibus, quod eum decepissent, magis illud publicabit, quàm alias publicasset. Saluo &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Votum religionis non tollunt sponsalia secuta, etiam cum copula.*
- 1 *Sponsalia, etiam de præsentibus, non tollunt votum religionis præcedens.*
- 2 *Votum religionis non tollit, sed differt restituendi obligatio.*

C O N S I L I V M X X I.

Quæsitum est, an qui post votum emissum de intranda religionè, & seruanda castitate, promisit puellæ ducere eam in vxorem, vt consentiret in copulam carnalem, quod illico fecit, & manet ob id infamata, an teneatur potius votum implere, quam eam ducere, vel contra, potius eam ducere, quam volum implere?

- 1 **R**espondeo, quòd pro implemento voti facit, quod prius fuit obligatus Deo, quàm puellæ; & consequenter prius debet ei solui, per cap. qui prior, cum suis similibus. de reg. iur. lib. 6. Secundo quod sponsalia de futuro nulla ratione tollunt votum de intranda religionè, arg. cap. commissum, de sponsali. quatenus probat, quòd etiam matrimoniù per verba de præsentibus contractum non tollit votum, si vouens vult illud statim adimplere. Tertio, quod est casus formalis in cap. rursus. qui clerici, vel vou. quatenus habet, eum, qui vouit castitatem, peccare promittendo alicui contrahere matrimonium, & magis si iurauit promissionè; & quod non obstante iuramento tenetur adimplere votum castitatis, quamvis matrimonium per verba de præsentibus contractum præferatur voto castitatis, vt ibidem habet. Quarto, quòd non obstat, quòd puella fuerit infamata, & quòd ipse obligatur ad restituendum ei damnù, quod intulit, per ea, quæ habentur in cap. 1. & cap. 2. de adul. Tum quia illa obligatio tolli potest per restitutionem damni illati dando ei tantum, quanto eget, vt æquè bene collocetur, non obstante hac infamia, ac collocata fuisset, si non fuisset infamata. Non obstat etiam dicere, quod transiturus ad religionem debet prius soluere sua debita, arg. cap. 1. de obligatis ad ratio. & aliorum, quibus contra Paluda. & Syluest. probamus in comment. 1. de regula. super cap. cui portio. 12. q. 1. num. 8. quia obligatio voti præcedit obligationem restituendi, sed

sed contra hoc facit, quod ex eo sequeretur, eum, qui fecit votum de intranda religione, non teneri ad soluendum prius debita contracta post votum, quod videtur reprobare per allegata in dict. num. 8. melius respōderi potest, quod illa obligatio restituendi poterit differre ingressum religionis, donec fiat, sed non tollit votum, neque obligat ad contrahendum.

S V M M A R I V M.

- 1 *Matrimonium post adulterium et promissionem de contrahendo, contractum non tenet.*
- 2 *Matrimonium viuente primo marito cum alio contractum nullum est.*
- 3 *Matrimonium vbi primi mariti mors non probatur, præsumitur nullum.*
- 4 *Sententia super matrimonio lata, non sic in rem transit iudicatam, vt, consilio de collusionione, retractari non valeat.*
- 5 *Matrimonium coram paroco, & testibus sine alijs contractum, tenet.*
- 6 *Filij adulterini per subsecutum matrimonium non legitimantur.*
- 7 *Matrimonio nil obest defectus licentia Episcopi, nec concubinatus triginta annorum.*

C O N S I L I V M XXII.

Octavius vir diues filios ex Septimia eius concubina suscepit. Septimia vero longe ante matrimonium cum alio viro contraxerat, qui ab ea discesserat, nec amplius comparuit, nec de eo habita est notitia, & cum dubium esset an Octavius & Septimia personæ habiles ad contrahendum matrimonium essent, & an filij ex adulterio suscepti essent, & verisimiliter ab Episcopo licentiam ad contrahendum habere desperarent, absque dicta Episcopi licentia, & nullis denuntiationibus præcedentibus, & absque alijs solitis solennitatibus, cum senes ambo essent, & in concubinato per triginta annos vixissent, coram paroco, & testibus contraxerunt, & ordinarius habita de facto notitia contra eos processit, & pro matrimonio sententiam tulit, quæ in rem iudicatam transiit. Modo agnati Octauij, seu alij consanguinei ab intestato hæredes venientes, dubitant primo, an matrimonium inter Octaviuum, & Septimiam contractum fuerit validum. Secundo, an filij suscepti ante matrimonium contractum sint legitimi. Tertio, an possint ad retractandam præfatam sententiam agere.

1. *Huius quæstionis decisio videtur plurimum pendere ex facto: & ideo responderetur primo, quod si probare posset, Octaviuum aliquando promississe,*

- mississe, siue dedisse fidem contrahendi matrimonium cum illa post mortem mariti sui, viuento illo, non valet matrimonium propter impedimentum, de quo in fit de eo, qui duxit in matrim. quam pol. per adult.
2. Secundo, quòd etiam matrimonium non valet si viuebat maritus concubinæ tempore, quo fuit contractum, de quo dubitari dicitur in facto; quia nulla potest esse vxor duorum per totum titulum de spons. duorum.
3. Tertio, quòd nisi probetur mors prioris mariti, præsumetur eo viuento fuisse contractum, & iudicabitur nullum; quia iure communi præsumitur quis posse viuere vsque ad centum annos, vt notatur in l. 1. C. de Sacros. Eccles.
4. Quarto, quòd quum sententia super matrimonia lata non ideo transeat in rem iudicatam, quin data informatione collusionis, vel alia sufficiente, de integro possit cognosci, iuxta cap. lator. & cap. tenor. de re iud. potest opponi hæredibus Octauij contractus matrimonij cum Septimia, per quem tota fraudis structura destruetur.
- Quinto, quòd si per exceptiones oppositas contra parochum, & testes impediatur probatio secundi matrimonij, etiam cadet Octauius. Ad iudicandum autem quod non impediatur, maior informatio facti desiderari potest,
5. Sexto, quod si matrimonium probetur contractum coram parochò, & duobus testibus etiam sine alia ordinarij licentia, iudicabitur verum matrimonium, etiam si aliæ solennitates non interuenerint, esto possit Rector ob id castigari, cap. cum inhibitio. de cland. dispens. quoniam à iure antiquo non est recedendum, nisi quatenus exprimitur in nouo l. præcipimus. C. de appellat. & iure antiquo nullum matrimonium eo solo, quòd esset clandestinum, reddebatur nullum, vt ipsummet Concil. Trid. in c. 1. de reform. matrim. sess. 24. affirmat: iure autem nouo illius Concilij Trid. demum fit nullum matrimonium ob clandestinitatē, quando non fuit contractum præsentē parochò, & duobus testibus. & in facto præsupponitur hoc de quo loquimur fuisse contractum coram illis. Ergo nec iure antiquo, nec nouo potest dici nullum.
6. Septimo, quòd filij concubinæ, qui probabuntur fuisse nati viuento priorē marito non legitimabuntur quidem per hoc secundum matrimonium quamlibet solenniter contractum esset; alij tamen, quo probarent se nati postea legitimarentur per ipsum contractum eo modo quo in facto narratur iuxta cap. tanta, quod vtrumque probat. Qui fil. sunt legit. etiam si nati essent durante lite super matrimonio priorē.
7. Octauo, quòd nil officit prædicto matrimonio quoad substantiā & veram existentiam, quòd non probetur esse factum de licentia Ordinarij; neque quod parochus mentitus fuerit ei interuenisse: quia sufficit quod ipse erat parochus, vt colligitur ex dicto Concil. neque quod 18. 20. vel 30. annis fuerint concubinarij, & adulteri, si non interuenit fides
de con.

DE SPONSALIBVS.

47

de contrahendo: et, si non iudicetur Octavius coniux Septimiae, licet parochus aut testes alias castigari possint.

Ex quibus colligitur quaestiones dubiae responsio, quam quia contra Consulentem esse videtur, non est cur amplificem.

S V M M A R I V M.

- 1 *Matrimonij pro valore in dubio tutius est iudicare.*
- 1 *Sponsus maritali affectu cognoscens sponsam idem de ea arbitrari debet.*
- 1 *Arbiter in arbitrando iure communi duci debet.*
- 2 *Sponsus dubitans, an sponsa se cognosci vxorio affectu permiserit, quid faciet.*
- 3 *Sponsus tenetur credere sponsae, quod permisit se vxorio affectu cognosci.*
- 4 *Sponsus, sponsam alij nuptam, nisi profuturus speret, non admoneat.*
- 5 *Ordinati sacris post matrimonium praesumptum remedia.*
- 6 *Maritus adulterae religionem profiteri, & ordinari potest.*
- 7 *Maritus adulterae factus religiosus sic eam vt caste viuat, admoneat.*

C O N S I L I V M X X I I I .

Quidam contraxit cum quadam sponsalia de futuro, & cognouit eam carnaliter ante Concilium Trid. & postea illa nupsit alteri publice, & ipse assumpsit ordines etiam publice, & nunc post multos annos dubitat primum an praesupposito quod ipse cognouit eam vxorio affectu sed dubitat an illa eodem affectu passa est cognosci, ipse possit deponere scrupulum incitantem eum ad credendum valorem matrimonij.

- 1 Ad primum dubium respondetur, quod non, si alia coniectura non concurrat. Tum quia tutius est in dubio credere valorem matrimonij, arg. cap. iuuenis. de spons. Tum quia scit se cognouisse vxorio affectu, & idem debet credere de illa, cum tota Ecclesia id credat, nec habeat coniecturam sufficientem ad non credendum cap. 15. qui de sponsalibus. Tum quia habens potestatem arbitrandi, debet ad arbitrandum lege communi duci, vt dicit Panor. in c. cum Ioannes. num. 13. & in fine de fid. inf. arg. cap. 1. de dilat. & tradit Sotus in 4. dist. 27. q. vno. ar. 5. concl. 4.
- 2 Secundo dubitat, an teneatur interrogare illam, vtrum in copulam carnalem consensisset vxorio affectu, respondetur quod non, ad effectum credendi ei, si responderet non consensisse, non adductis alijs coniecturis, quae ad credendum sufficerent, sed sic ad effectum sciendi, an essent aliae coniecturae ad id credendum, per dicta Soti in 4. dist. 27. q. 1. art.

1. art. 7. col. 8. & nos in Manu. Conf. cap. 22. num. 76.
- 3 Tertio dubitat an ipse teneatur credere sponsæ, quæ interrogata diceret se passam fuisse cognosci vxorio affectu. Ad quod responderetur quod sic indubie. Tum quia tota Ecclesia tenetur id credere, & non est vlla ratio, quæ contrarium suadeat.
- 4 Quarto dubitat an teneatur monere illam, vt suæ conscientia medeatur, & videtur respōdendū, quod si probabiliter credit, & videtur nihil profuturam monitionem, & multum officere posse, omittat illam, iuxta ea quæ habentur in Manu. Conf. cap. 24. num. 12.
- 5 Quinto dubitat, quo remedio potest sibi mederi quoad forum conscientia. Ad quod respondeo primo, quod Consulens non potest sibi mederi solutione matrimonij quoad vinculum; quia cum credere debeat verum fuisse matrimonium, & consummatū, illud non potest solui quoad vinculū secundum omnes, etiā Papæ auctoritate. Secundo, quod non potest etiam mederi dispositione conscientia, iuxta responsum ad primum dubium. Tertio, quod potuit separare se, & manere separatus etiam sine auctoritate Papæ, eo quod adulterata fuit ipsa, & manet in adulterio, iuxta cap. Agathosa. & ei adnotata. 27. q. 2. nec tenetur redire ad eam, quæ fuit adulterata. Quarto, quod potuit iustè religionem intrare, & eam profiteri eadem ratione, qua potuit se separare, & manere separatus. Quinto, quod licite potuit ordinari. Tum quia, licet, nec per ordinem sacrum, neque per sacram professionem diuidatur quoad vinculum matrimonium consummatum, diuidi tamen potest quoad thorum, & cohabitationem, præsertim quoad forum conscientia. Tum quia nulla irregularitatem, neque suspensionem incurrit per illam ordinationem, qua, vt dictum est, iustè potuit suscipi à iustè separato, etiam quoad thorum, & cohabitationem. Sexto, quod Consulens videtur posse tute ordinibus suis vti absque alia Papæ dispensatione, & satisfacere suæ conscientia, dummodo moneat illam sponsam occurrente aliqua occasione, in qua monitio prodesse possit, vt si maritus eius moreretur, vel adulteraretur, ita vt se posset ab illo separari, vel alia similis, ob quam posset illa manere separata, & abstinere à nouo matrimonio contrahendo, se separaret, vel maneret inuupta castitatem seruando.

S V M M A R I V M.

- 1 Papa ex causa alicui matrimonium ad tempus interdicere valet.
- 2 Papa potest per legem aliquot personas inhabiles facere ad matrimonium.
- 3 Papa certas personas inhabiles ad matrimonium inter se contrahendum facere non legitur.

- 4 *Papa interdicerē ex causa potest Episcopo, & Parocho, ne intersit alicui matrimonio; vel interessendi facultatem faciant, vt hic num. 5.*
 5 *Causa iusta est suspēctio fascinationis interdici ne parochus nuptijs intersit.*

CONSILIVM XXIV.

Quidam iuuenis filius nobilissimæ, ac Illustrissimæ familiæ, vt præ-
 tenditur, fascinatus, vult inuito eius patre cum muliere vilissimæ
 matrimonium contrahere, non sine maximo eius familiæ dede-
 core. Quæritur modo si ab eius patre iuste potest impetrari à Summo
 Pontifice motus proprius, per quem filio prohibeatur, ne per annum
 absque patris voluntate contrahat, & si contraxerit sit irritum, & inane,
 ad hoc vt infra tale tempus, videatur, si orationibus mediantibus, ab hu-
 iusmodi fascinatione liberari possit, adeo quod in se reuerfus quod sibi,
 & suæ familiæ conuenit, faciat.

- 1 Respondeo primo, certum esse circa hanc quæstionem, quod Papa sum-
 mus Christi Vicarius potest iusta de causa matrimoniū interdicerē alicui
 vsque ad aliquod tempus, vt satis probat totus titulus de matrim.
 contract. contra interdictum Ecclesiæ. Secundo huiusmodi interdictum
 inducere quidem impedimentū impediens matrimoniū contrahendū,
 2 sed non dirimens post contractum, vt ibidē probatur. Tertio, constare
 quod Papa potest facere legem, qua aliquod genus personarum fiat in-
 habile ad contrahendum, vt colligitur ex tit. de consang. & cognat. spi-
 rit. & nouissime ex cap. 5. de reform. matrim. sess. 24. Concilij Trident.
 3 Quarto, rem sine exemplo esse, quod Papa per suum interdictum par-
 ticulare duas personas alioqui habiles faciat inhables ad contrahendū
 inter se matrimonium, ita vt contractum sit nullum, & ita mea senten-
 tia indignam quæ petatur, & indigniorem quæ concedatur, arg. cap. le-
 gatur. 24. q. 2. & c. si habet. 24. q. 3. cui consequens prædictum motū
 4 proprium non debere peti, neque concedi. Quinto, quod videtur ius-
 tē, & honestē interdicerē posse Papam cupiam Parocho, & ordinario,
 ne interessent, præsentēve essent, neve facerent facultatem, siue licen-
 tiam alteri presbytero, vt possit illi interesse, censuras, & alias pœnas im-
 ponendo eis, si contrafecerint; modo iusta causa id prohibendi subes-
 set, tum argumento cap. final. de clande. despons. & Clem. 1. de con-
 sang. tum quia habet potestatem summam prohibendi peccata, & occa-
 sionem eorum, vt in hac ipsa materia satis exprimitur in prædicto tit.
 de matrim. contract. & cap. præterea de sponsal. & prædictum cap. fin.
 de cland. despons. accepta tamen prius informatione de iustitia talis
 5 causæ prohibitionis temporariæ. Sexto, quod prædicta fascinationis
 suspitio proueniens ex tanta imparitate personarum, & ex tanto tantæ
 familiæ dedecore, & ex tanta pertinacia iuuenis diuitis, & nobilis in de-

1. art. 7. col. 8. & nos in Manu. Conf. cap. 22. num. 76.
- 3 Tertio dubitat an ipse teneatur credere sponsæ, quæ interrogata diceret se passam fuisse cognosci vxorio affectu. Ad quod respondetur quod sic indubie. Tum quia tota Ecclesia tenetur id credere, & non est vlla ratio, quæ contrarium suadeat.
- 4 Quarto dubitat an teneatur monere illam, vt suæ conscientia medeat, & videtur respōdendū, quod si probabiliter credit, & videtur nihil profuturam monitionem, & multum officere posse, omittat illam, iuxta ea quæ habentur in Manu. Conf. cap. 24. num. 12.
- 5 Quinto dubitat, quo remedio potest sibi mederi quoad forum conscientia. Ad quod respondeo primo, quod Consulens non potest sibi mederi solutione matrimonij quoad vinculum, quia cum credere debeat verum fuisse matrimonium, & consummatū, illud non potest solui quoad vinculū secundum omnes, etiā Papæ auctoritate. Secundo, quod non potest etiam mederi dispositione conscientia, iuxta responsum ad primum dubium. Tertio, quod potuit separare se, & manere separatus etiam sine auctoritate Papæ, eo quod adulterata fuit ipsa, & manet in adulterio, iuxta cap. Agathosa. & ei adnotata. 27. q. 2. nec tenetur
- 6 redire ad eam, quæ fuit adulterata. Quarto, quod potuit iustè religionem intrare, & eam profiteri eadem ratione, qua potuit se separare, & manere separatus. Quinto, quod licite potuit ordinari. Tum quia, licet, nec per ordinem sacrum, neque per sacram professionem diuidatur quoad vinculum matrimonium consummatum, diuidi tamen potest quoad thorum, & cohabitationem, præsertim quoad forum conscientia. Tum quia nullam irregularitatem, neque suspensionem incurrit per illam ordinationem, qua, vt dictum est, iustè potuit suscipi à iustè separato, etiam quoad thorum, & cohabitationem. Sexto, quod Consulens videtur posse tute ordinibus suis vti absque alia Papæ dispensatione, & satisfacere suæ conscientia, dummodo moneat illam sponsam occurrente aliqua occasione, in qua monitio prodesse possit, vt si maritus eius moreretur, vel adulteraretur, ita vt se posset ab illo separari, vel alia similis, ob quam posset illa manere separata, & abstinere à nouo matrimonio contrahendo, se separaret, vel maneret inupta castitatem seruando.

S V M M A R I V M.

- 1 Papa ex causa alicui matrimonium ad tempus interdicere valet.
- 2 Papa potest per legem aliquot personas inhabiles facere ad matrimonium.
- 3 Papa certas personas inhabiles ad matrimonium inter se contrahendum facere non legitur.

- 4 *Papa interdiceret ex causa potest Episcopo, & Parocho, ne intersit alicui matrimonio; vel interessendi facultatem faciant, vt hic num. 5.*
 5 *Causa iusta est suspensio fascinationis interdicens ne parochus nuptijs intersit.*

CONSILIVM XXIIV.

Quidam iuuenis filius nobilissimæ, ac Illustrissimæ familiæ, vt præ- tenditur, fascinatus, vult inuito eius patre cum muliere vilissimæ matrimonium contrahere, non sine maximo eius familiæ dedecore. Quæritur modo si ab eius patre iuste potest impetrari à Summo Pontifice motus proprius, per quem filio prohibeatur, ne per annum absque patris voluntate contrahat, & si contraxerit sit irritum, & inane, ad hoc vt infra tale tempus, videatur, si orationibus medianibus, ab hu- iusmodi fascinatione liberari possit, adeo quod in se reuersus quod sibi, & suæ familiæ conuenit, faciat.

- 1 Respondeo primo, certum esse circa hanc quæstionem, quòd Papa sum- mus Christi Vicarius potest iusta de causa matrimoniū interdiceret alicui vsque ad aliquod tempus, vt satis probat totus titulus de matrim. contract. contra interdictum Ecclesiæ. Secundo huiusmodi interdictum inducere quidem impedimentū impediens matrimoniū contrahendū,
- 2 sed non dirimens post contractum, vt ibidē probatur. Tertio, constare quòd Papa potest facere legem, qua aliquod genus personarum fiat in- habile ad contrahendum, vt colligitur ex tit. de consang. & cognat. spi- rit. & nouissime ex cap. 5. de reform. matrim. sess. 24. Concilij Trident.
- 3 Quarto, rem sine exemplo esse, quòd Papa per suum interdictum par- ticulare duas personas alioqui habiles faciat inhabiles ad contrahendū inter se matrimonium, ita vt contractum sit nullum, & ita mea senten- tia indignam quæ petatur, & indigniorem quæ concedatur, arg. cap. le- gatur. 24. q. 2. & c. si habet. 24. q. 3. cui consequens prædictum motū
- 4 proprium non debere peti, neque concedi. Quinto, quòd videtur ius- tē, & honestē interdiceret posse Papam cupiam Parocho, & ordinario, ne interessent, præsentēsve essent, neve facerent facultatem, siue licen- tiam alteri presbytero, vt possit illi interesse, censuras, & alias pœnas im- ponendo eis, si contrafecerint; modo iusta causa id prohibendi subes- set, tum argumento cap. final. de clande. despons. & Clem. 1. de consang. tum quia habet potestatem summam prohibendi peccata, & occa- sionem eorum, vt in hac ipsa materia satis exprimitur in prædicto tit. de matrim. contract. & cap. præterea de sponsal. & prædictum cap. fin. de clande. despons. accepta tamen prius informatione de iustitia talis
- 5 causæ prohibitionis temporariæ. Sexto, quòd prædicta fascinationis suspitio proueniens ex tanta imparitate personarum, & ex tanto tantæ familiæ dedecore, & ex tanta pertinacia iuuenis diuitis, & nobilis in de-

ligendis nuptijs adeo indecoris, & timor pœnitentia, quæ illos de more consequetur, possit esse occasio, vt illa vel ferro occidatur, vel veneno, videntur iusta causa. vt S. D. N. prohibere dignetur sub censuris, & pœnis grauissimis parocho prædictæ mulieris, qui nunc est, & qui mutato domicilio foret; & ordinario eius, ne interessent huiusmodi nuptijs, nec alijs presbyteris facultatem in eis interueniendi facerent intra annum ad effectum pium in quæstionè propositum: quia quæ causa in hoc iusta sit, cum non definiatur à iure, arbitrio prudentis, & boni viri definiendum est, l. 1. ff. de iur. delib. & cap. de causis de offic. de leg. Salua &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Dispensationem querere quando teneatur qui sponsalia in gradu prohibito contraxit. nu. 1. & per totum.*
- 1 *Sponsus, qui cognouerat matrem sponsæ, & postea hanc, & iterum illam, quid faciet.*
- 2 *Sponsalia in gradu prohibito scienter cum ignorante contrahens, ad quod teneatur.*

CONSILIVM XXV.

AN qui cum matre rem habuit, postea contraxit sponsalia cum filia, cum qua etiam rem habuit, post quæ iterum habuit rem cum matre, teneatur in foro conscientia querere pro viribus dispensationem, vt possit contrahere valide cum filia, & post eam obtentam contrahere solemniter cum eadem.

- 1 *Pro parte negante facit, quod impossibile nulla est obligatio l. impossibile. ff. de reg. iur. & l. nemo ad impossibile. de reg. iur. lib. 6. ergo sponsalia illa non valerunt, quia non erant possibile ob impedimentum affinitatis in primo gradu.*

Pro parte affirmante primo, quod decepta filiam ignorantem fornicationem eius cum sua matre, & consequenter impedimentum, quod erat inter ipsos, & ita tenebitur resarcire damnum deflorationis eius. Secundo, quod non est omnino impossibile, quod possit fieri iuste aliquo modo, saltem per dispensationem Papæ: quamuis aliquo modo sit tale, l. apud Iulianum. §. constat. ff. de legatis 1. saltem si solet super eo dispensare Princeps. Vt ille §. significat in illis verbis *Non valet*, ac satis probat l. quidam relegatus. ff. de reb. dub. & l. interdicit ff. de condit. & demonstrat.

Pro.

- 2 Pro resolutione videntur considerandi multi casus. Primus si contraxit sponsalia simpliciter, nulla facta mentione expressè, nec tacitè de dispensatione: quo casu sponsalia videntur omnino nulla, & ita ad nil obligantia, arg. reg. non præstat. de reg. iur. lib. 6. quamuis ob deceptione, qua sciens impedimentum contraxit cum ignorante, teneatur refarcire damnum ex alio capite nempe damni dati. Secundus casus, si contraxit cum proposito, & intentione obtinendi, & procurandi dispensationem, quo casu videri potest alicui ipsum teneri ad procurandum dispensationem, sed alij videri potest contrarium, quia non sufficit intentio vnus partis se obligandi, nisi id alij patefiat, arg. l. qui absenti. ff. de acq. poss. sicut neque emendi, vel vendendi, nisi emat, vel vendat, nec ascendendi arborem, nisi ascendat, iuxta notata per gloss. in l. In vendentis. C. de contrah. emp. & puto, quod, si intra se habuit animum obligandi se Deo, qui vbique est præsens, teneretur in foro interiori, alioqui nõ. Tertius casus est, si promisit ducere si Papa dispensaret, quo casu si non promisit procurare dispensationem, non videtur teneri ad eam procurandam; immo neque ad contrahendum procurata illa per aliam partem secundum mentem Innoc. in cap. super eo. de condit. appof. quãuis contrarium putem verius per adducta a Couarruu. in Epit. lib. 4. 2. p. cap. 3. sed licet teneatur ad contrahendum, non videtur teneri ad procurandam dispensationem. Quartus in quo promisit tacitè, vel expressè illam procurare, quo casu tenebitur illam adhibere mediocrem diligentiam ad impetrandam illam, & ad contrahendum post eam impetratam &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Matrimonium ex varijs coniecturis inuolidum iudicandum.*
- 1 *Matrimonium consensum vtriusque partis requirit.*
- 2 *Consensus defectus ex protestatione colligitur.*
- 3 *Testis vnus dicto fides non est adhibenda, nec contraria deponenti. nu. 4.*

CONSILIVM XXVI.

- 1 **D**istuli dicere, id quod sentiebam super hoc dubio, donec afferretur mihi D. Tiberij informatio, ne qui causam commendauit Dominationi V. Reuerendissimæ magis affectu quam ratione duci viderer. Nunc ea visa, & perpenfa confessione Ioannis de Calatayud, & testium dictis, proculdubio videtur dubium resoluendum negatiuè, primo quidem ob ea quæ ipse Tiberius eruditè adduxit, deinde, quod matrimonium

- sine consensu vtriusque partis consistere nequit, ut est tex. in c. si inter. de sponsal. ibi mutuo consensu, & ibi utroque dicente, qualis hic non fuit, quia defuit consensus alterius partis, & actus agentium non operantur ultra intentionem eorum, l. non omnis. ff. de reb. cred. ca. fin. de
- 2 prab. quod autem omnes non habuerint intentionem contrahendi, neque consentiendi, sed decipiendi prædictam Mariam abnuentē, iudicandum est ex multis coniunctis, nempe quod cum contraheret expressit se nolle contrahere secundum legem Rom. & quod ipsemet id testatus fuit, tam cum interrogaretur, quam cum ad aram Sancti Antonij solemniter Iudice deferente iuramentū iuravit, & quod Bartholonæus, & Francus testes principales testantur se fuisse rogatos ab eo promisso pretio, ut essent fictionis, & deceptionis illius iniquæ mediatores, & quod ad contrahendum sinistram manum contra morem omnium obtulit, & quod id per se est verisimile, eo quod prædicta Maria erat pauper, ipse autem Ioannes filius patris diuitis, & quod prudentissimus Vicearius Generalis maxima Inquisitione præmissa ita iudicavit, cum adhuc factum esset recens. & quod tam ille, quam illa iudicatis saltem facto paruerunt. Ille quidem contrahendo cum alia, illa vero cum alio. & quod 30. circiter annis sine vlllo conscientie scrupulo manserunt sic coniugati, & quod firmiter creditur, quod nunquam ea de re vlla quæstio mota fuisset, nisi amor inordinatus habendi partis aduersæ fuisset causam mouendi.
- 3 Secundo, quod non satis videtur probari, quod ter fuerunt dicta verba contractoria matrimonij. Quia sola vna testis 13. annorū dicit illud, & duo testes principales solum deponunt de vna sola vice, quam illa dicit esse tertiam, & omnes contestantur, quod illa vice renuit Ioannes se velle contrahere secundum legem Romanam, & ita cum non videatur satis probari, quod ter fuerunt dicta illa verba, & probatur sufficienter, quod illa vice, qua fuerunt dicta intervenit renuitio, siue voluntas Ioannis contrahendi secundum legem Rom. necessario, videtur iudicandum non fuisse contractum vllum matrimonium inter illos sine adiectionis, declarationis voluntatis contrahendi, & communiter matrimonium inter eos contractum defectu consensus, & intentionis alterius partis, fuisse omnino nullum.

Tertio, quod, etiam si esset probatum, quod ter fuit contractum matrimonium, ut dicit prædicta testis; quia tamen illæ tres vices, fuerunt continuæ, declaratio voluntatis contrahendi secundum legem Romanam adiecta tertiæ, cogit præsumere quod ea voluntas facit in duabus vicibus præcedentibus per ea multa quæ prædictus D. Tiberius adducit, addito præsertim, quod ideo videtur non declarasse in duabus prioribus vicibus illam voluntatem, quia de lege Romana nulla fuit in illis facta mentio à dispensante illos, & in tertia sic.

4 Quarto,

- 4 Quarto, quòd depositio secunda Ioannis, nil videtur obstare. Tù quia antea in prima depositione deposuit contrarium; & deponenti contrarium eius quod antea deposuerat ex interuallo non creditur iuxta gloss. recep. in cap. cum in tua. de testibus, quam Panor. Feli. & alij approbant tam per illum textum, quàm per cap. sicut. eod. tit. & cap. per tuas. de probat. etiamsi prima depositio fuisset facta in iudicio summario, & secunda in plenario, iuxta glossam sing. recep. ibi per Pan. Feli. & alios in c. veniens. 2. verbo vtraque pars. de testibus. & ante illos dixit Inn. recep. ab omnibus in cap. præterea. verb. incontinenti. de testib. cogend. Tù quia post illam secundam depositionem solemnius idem, quod in prima ad Altare diui Antonij deposuit.

S V M M A R I V M.

- 1 *Speciali nota digna, nisi specialiter notentur, neglecta censentur.*
- 2 *Matrimonio interesse potest sacerdos habens generalem a parochio licentiam exercendi curam.*
- 3 *Parochus vices suas committere valet, & a regula non disceditur, nisi expresse caueatur.*
- 4 *Vicarius parochi de consuetudine contrahendis matrimonijs assistere valet.*
- 5 *Parochi in matrimonio assistentia, non vt functio dignior requiritur, sed ne desit probatio.*

C O N S I L I V M X X V I I.

AN sacerdos ex generali licentia sibi impartita à parochio, vt possit exercere omnia, quæ ad curam pertinent, possit interesse matrimonio contrahendo iuxta decret. Concil. Trid. sess. 24. c. 1. de reform. matrim.

- 1 Ad hanc quæstionem respondetur, quòd pro parte negante, scilicet quod non sufficiat licentia generalis parochi, facit, quod ea quæ sunt speciali nota digna, nisi specialiter notentur, videntur quasi neglecta, l. apud Labeonem. §. ait Prætor. ff. de iniuri. & præfata licentia videtur speciali nota & concessione digna.
- 2 Pro parte autem contraria facit primo, quòd regulariter concessio, & dispositio generalis generaliter est intelligenda, cap. si Romanorù. 29. dist. 1. de pretio. ff. de publ. in rem actio. ergo concessio vicium suarum facta alicui sacerdoti à parochio comprehendit etiam vicem, & facultatè assistendi matrimonio contrahendo. Secundo, quod a regula non est discedendum, nisi expresse caueatur discessio, & exceptio, iuxta gloss.
- 3

celeb. l. omnis definitio. ff. de reg. iuris. lib. 6. & probatur per l. 1. ff. eod. At omnis parochus regulariter omnes vices suas potest committere alteri sacerdoti generaliter, & specialiter argu. glos. solem. & recep. in cap. peruenit. 95. dist. quatenus habet, iure canonico omnia esse delegibilia, ergo parochus generaliter, & specialiter potest committere præfatam licentiam assistendi. Tertio, quod sacerdos, cui committuntur generaliter exercenda in aliqua parochia, potest administrare omnia sacramenta, immo & dare licentiam alteri sacerdoti ad administrandum illa omnibus Parochianis, iuxta glos. not. clem. 2. de priuil. verb. presbyterij, quatenus habet præfatum sacerdotem posse ministrare sacramentum Eucharistiæ & Extremæ Vnctionis. Ergo à fortiori potest præfatam assistentiam facere, argum. auth. multo magis. C. de sacros. Eccles. cum administratio sacramentorum longe maior sit, quam assistentia præfata.

4 Quarto, quod consuetudo est optima legum interpret, cap. cum dilectus. de consuetud. & receptum videtur, quod omnes Vicarij, & substituti à parochis non factis presbyteris iuxta cap. licet canon. de elect. lib. 6. vbi aliam absentiam iuxta cap. 1. de refor. Concil. Trid. sess. 23. etiã quando parochi absunt ad paruum tempus sine licentia scripta, vt Episcopi durante illa absentia assistant matrimonijs contrahendis etiam si non mandetur specialiter illa assistentia. Ergo ita seruandum videtur.

5 Quinto, quod ratio, quare illa assistentia iubetur committi alteri sacerdoti, non est quod illa sit maior, & dignior functio parochi: quando quidem aliæ functiones sacramentales sunt longè maiores; sed vt nō defit probatio matrimoniorum, ne clandestine matrimonia contrahantur, & consequenter non obstat argumentum pro cōtraria parte formatum, scilicet quod speciali nota digna videntur neglecta, nisi specialis de illis fiat mentio.

S V M M A R I V M.

- 1 *Vxorididium matrimonium impedit, sed non dirimit contractum.*
- 2 *Occidenti vxorem publica est pœnitentia imponenda.*

C O N S I L I V M X X V I I I.

N Mulier sine alia licentia nupsit cuidam, qui, vt postea ipsa intellexit, vxorem suam occiderat. Dubitauit, an matrimonium a se cū illo contractum valeret.

- 1 Licet occisio Vxoris sine iudicio inducat impedimentum ad contrahendum matrimonium per canones cap. interfecto. & cap. admonere,

33. q. 2. & communis opinio tam theologorum in 4. lib. sent. dist. 34. quã Canonistarum in cap. 2. de pœnit. & remiss. quod etiam nos retulimus in Mana. confess. cap. 22. nu. 74. habet hoc impedimentum, impedire quidẽ matrimonium contrahendum, sed non dirimere iam contractum: nullũ tamen textum, quo id irrefragabiliter probetur, aptiorem inuenio, quam cap. quicumque 33. q. 3. citatum à gloss. cap. admonere. eadem causa & quæst. quatenus habet ei, qui occisa sua vxore contrahit cum alia imponendam esse pœnitentiam publicam: & quod ab armis cesset: non tamẽ habet vt separetur ab illa, habiturum, vt probabiliter probari potest, si auctor sensisset matrimonium illud secundum non valuisse, per multa quæ possent pro vtraque parte adduci ex illa disputatione longa illius conclusionis multa tenent; quæ tamen fieri prohibentur. gloss. in cap. hoc ipsum §. de pœnitentibus. 33. q. 2. citauit cap. dilecto. de præben. ad similem quæstionem de pœnitente publico sine dispensatione matrimonium contrahente, tenendo contractum ab eodem valere.

S V M M A R I V M.

- 1 *Vxor pauper in bonis mariti diuitis, ante copulam mortui dotem habet.*
 1 *Maritus pauper partem dotis lucratus si vxor diues ante copulam obiit.*

C O N S I L I V M X X I X.

Quæritur an quando coniux diues ante copulam carnalem & post matrimonium per verba de præsentia contractum moritur, maritus lucretur partem dotis per auth. præterea. c. vnde vir & vxor.

- 1 Respondeo, plurima posse adduci pro vtraque parte quæstionis, quæ congerit Felin. in rub. de spõsalibus super statuto, vt vxore mortua sine liberis maritus lucretur certam partem dotis, an habeat locum in vxore mortua ante matrimonium consummatum.

Licet autem Felin. ibi teneat communiorem, & veriorem esse partem negatiuam, & multis videri poterit idem dicendum esse de negatiua huius quæstionis, quod de negatiua illius. ego vero in præsentia magis inclino in partem affirmatiuam huius, ea ratione quod præcipua ratio, qua Panor. sequitur negatiuam illius, cessat in negatiua huius, & quod agatur hic de fauore pauperis, & de donatione diuitis, & promissione legali pietatem magis præferente. Salua quæ, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Parochus qui sacerdos non est an matrimonio contrahendo præsens esse possit.
- 1 Alternatiuæ vna pars declarat alteram; sed sufficit alteram implere. n. 6.
- 1 Relatiuum, alius, significat similem qualitatem in relato.
- 2 Verba sunt in propria significatione accipienda.
- 3 Parochus quid, & est, qui habet partem curæ animarum, licet sacerdos non sit. num. 3.
- 4 Episcopus non consecratus, & parochus non ordinatus, præter ea quæ sunt ordinis, omnia possunt.
- 5 Parochus regimen animarum ante promotionem ad ordines habet, & committere alteri potest.

CONSILIVM XXX.

Vtrum in cōtrahendo matrimonio sufficiat præsentia parochi, qui nondum est sacerdos.

- 1 Pro parte negante, facit, quod cap. i. de reform. matrimonij Concilij Trid. videtur requirere, quod sit sacerdos per illa verba: *Parochus vel alius sacerdos*. Tum quod vna pars alternatiuæ declarat alteram, l. 1. ff. de reb. dub. Tum quod relatiuum alius significat similem qualitatem in relato; & ita cum altera pars alternatiuæ habeat, sacerdos, cum relatiuo, alius, præsupponit, quod alia pars alternatiuæ, quæ est Parochus debeat intelligi de parochio sacerdote.
- 2 Pro affirmatiua tamen facit primo, quod verba in propria significatione sunt accipienda, l. non aliter. ff. de lega. 3. At verbum parochus secundum linguæ Latinæ callentiores significat habentes münus præbendi quædam necessaria vitæ quibusdam: est enim dictio Græca deducta ἀπὸ τοῦ παρέχειν, quod est præbere, vt adnotauit Budæus. ff. de muner. & honoribus. in l. fin. & Parochus, de quo est quæstio, licet nondum sit sacerdos, habet potestatem præbendi quædam necessaria vitæ spirituali.
- 3 Secundo, quod licet interdum recedatur à propria significatione propter vsum communem l. Labeo. ff. de supel. lega. c. ex litteris. de sponsalibus, tamen etiam secundum vsum communem idem significat parochus: quia secundum vsum communem iuristarum significat eum, qui habet partem curæ animarum alicuius Parochiæ, iuxta Archidia. in c. licet canon. de elect. lib. 6. receptum communiter ibi, & in rubrica de parochijs, & alie. par. & iuri canonico insertum significat habentem parochia-

chiale Ecclesiã, vt satis colligitur ex d. cap. licet canon. & cap. cum ex eo. & cap. commissa. de elect. lib. 6. & constat prouisum canonice de Ecclesia parochiali, etiam si nondum sit sacerdos habere Ecclesiam Parochialem, & curam animarum certo loco deputatarum. ergo etiam secundum communem vsum dicitur Parochus. Tertio, quòd Parochus, de quo est quæstio, potest facere omnia, quæ pertinent ad habentem parochialem ecclesiam, etiam per se, exceptis actibus pertinentibus ad ordines, arg. c. suffraganeis. & c. transmissum. de electio. quæ probant electum, & confirmatum in Episcopum, & nondum consecratum, posse exercere omnia pertinentia ad Episcopum, præter ea, quæ sunt ordinis: & per ea dicit glossa recep. in Clem. 1. de priuileg. posse parochũ, de quo est quæstio, dare licentiam religioso ad administranda omnia sacramenta in sua parochia: quia illud non requirit ordinem. At exhibere præsentiam matrimonio contrahendo non pertinet ad ordinem. ergo potest eam exhibere. Quarto, quòd huiusmodi Parochus dicitur habere regimen animarum actu, vt probant prædict. c. licet canon. & c. cum ex eo. & c. commissa. de electio. lib. 6. quatenus expresse habet, eum, cui est collata Ecclesia Parochialis, debere assumere presbyteratum intra annum a commisso sibi regimine animarum. per quod clare præsupponunt eum habere regimen animarum ante promotionem ad presbyteratum. Quinto facit, quod in d. c. 1. de reformatio. mat. v. decies facit mentionem Synodus de parocho, & nulla illarum vicium facit mentionem de sacerdotio, nisi cum actus permittitur fieri per alium, quam parochum: & ita sensus germanus illius cano. videtur esse quod parochus sine sacerdotio potest exhibere præsentiam matrimonio contrahendo, sed non per alium, nisi sit ille sacerdos. Sexto, quòd ad satisfaciendum dispositioni alternatiuæ sufficit præstare alteram partium, l. plerumque. ff. de iure dot. c. in alternatiuis. cum gloss. de reg. iur. lib. 6. At Concilium alternatiue requirit Parochum, vel alium, qui sit sacerdos. ergo sufficit, quod sit parochus, licet non sit sacerdos. Septimo, quòd non est verisimile, voluisse Concilium tollere proprio parochi auctoritatem exhibendi præsentiam in actu, qui non requirit ordinem cogendo eum ad concedendum illum alteri propter sacerdotium. cum maiorem auctoritatem habeat ipse in hoc, quam sacerdos.

S V M M A R I V M.

- 1 *Filia post vigesimũquintũ annum stuprum committens exheredari nequit.*
- 2 *Herus ancillam ante vigesimũquintũ annum non collocans, sicut pater filiam, est in mora.*

- 3 Promittens facere intelligitur intra tempus boni viri arbitrio declarandum.
- 4 Nuptiæ primæ nullæ directe, vel indirecte prohiberi possunt.
- 4 Conuentio, si honeste vixerit, intelligitur vsque ad certum tempus.
- 5 Facta ad augmentum diminutionem operari non debent.
- 6 Promissio geminata plurimum operatur.

C O N S I L I V M X X I .

AN quæ mulier promissit Ancillæ centum pro dote, si ei honestè seruiret, teneatur dare illa, si post nouem annos seruitij, & viginti-quinque ætatis ipsius ancillæ permiserit se illicitè deflorari.

- 1 Pro vtraque parte quæstionis multa possent adduci, quibus vtraque coloraretur, sed nobis vero propior videtur pars affirmatiua, scilicet quod præfata d. consulens videtur obligata ad soluendum ei centum promissa, vel saltem salarium honestum, & consuetum solui ancillis eius qualitatis, cuius erat, & est præfata. Primo quidem, quòd filia non potest exheredari, nec dote sua priuari à parentibus, propterea quod peccet in corpus suum, & stuprum admiserit post viginti-quinque annos, eo quod fuerint in mora tradendi eam marito, per Auth. sed si post C. de inoff. test. & constat magis peccare filiam committendo stuprum manens in custodia, & domo parentum, quam ancilla manens in custodia & domo heræ suæ. Ergo minus poterit illa pro minori peccato dote sibi promissa priuari.
- 2 Secundo, quòd sicut parentibus definitur à iure tempus viginti-quinque annorum ad incurrendum moram collocandi filiam in matrimoniū, eadem, vel maiori ratione videtur constitutum idem tempus ei, qui sua promissione tenetur ad locandam aliquam in matrimonium. Ergo prædicta hera tenebatur eam locare antequam attingeret viginti sex annos; & ita ob moram perdit facultatem negandi dotem promissam.
- 3 Tertio, quòd ea, quæ debent fieri in tempore indeterminato, faciendæ sunt intra tempus, quod leges, vel bonus vir determinauerunt, l. 1. ff. de iur. delib. c. de causis. de offic. deleg. ergo præfata hera promittendo centum pro dote, sine vlla præfixione temporis tacita, vel expressa, videtur promississe dare illa centum pro dote, intra tempus, quòd Iudex, vel bonus vir arbitraretur. At bonus vir iure arbitrari posse videtur tempus nouem annorum esse sufficiens tempus, immo sufficiente, maius ad tradendam illam dotem, & constituendam in mora præfata heram: & consequenter præfata ancilla non peccasse post illam moram, quæ debet nocere potius heræ, quam ancillæ, iuxta reg. mora sua cui-libet est nociua. de reg. lib. 6. & l. vinum ff. de reb. cred. sicut & parètibus nocet mora dotandi filiam quoad hoc, vt dictum est in primo arg.
- 4 Quarto, quòd virgini, siue sit vir, siue mulier, non possunt directe, siue indirectè

indirectè prohiberi nuptiæ primæ, vt habetur toto tit. de iudic. videtur, ergo per conuentionem præfatam de dando centum si seruiert honestè, non debet intelligi, quod debeat seruire honestè tota vita sua, sed usq; ad certum tempus, quod prudenti viro videbitur iustam; & seruitium nouem annorum videtur instũ Romæ, vbi communiter accipiuntur ancillæ ab heris cum promissione dandi eis id, quod conuenit, ad collocandas post seruitium trium, vel quinque annorum.

5 Quinto, quòd præfata hera tenebitur ei soluere salarium honestum cuiuslibet anni, in quo seruiuit, etiam si non teneatur ad omnia centum soluenda; quoniam promissio illa dandi centum pro dote fuit facta ad augendum salarium, & quæ fiunt ad augmentum non debent operari diminutionem, l. relegat. ff. de adim. leg. & cap. sup. de verb. signific. & si præfata hera absolueretur à solutione centum, & non condemnaretur ad soluenda salaria honesta, promissio illa operaretur diminutionem eius, quod iure naturali, & diuino debetur, iuxta illud Euangel. Lucæ 10. *Dignus est mercenarius mercede sua.* cum adductis à Gratiano ex Dionysio cap. Ecclesiam. 15. q. 1. & consequenter necessario tenetur præfata hera soluere centum promissa, aut omnia salaria præfatorum nouem annorum, inter quæ non videtur multum distare, si rixa & impensæ litis coniungantur cum debitis salarijs.

6 Sexto, quòd ipsa hera repromisit illa centum in sponsalitijs, & postea quam sciuit eam fuisse defloratam, procurauit, vt sponsalia verterentur in matrimonium, ne sibi, & ancillæ resultaret incommodum, quæ geminatio multum prodesse poterit ancillæ ad vincendum, & nocere dominæ ad hoc, vt vincatur in iudicio, iuxta adnotata post alios per Fel. in c. si quando de rescript. de geminatione actus, præterquam quod ancilla, vel maritus eius forte potens probare, quod Dòmina sciuit, vel olfecit stuprum antequam fieret repromissio, quod si probaretur, condemnaretur in iudicio virtute secundæ repromissionis, & cogeret soluere promissam dotem, & perdere multas curas, labores, & impensas in lite faciendas, & aliquam honoris sui iacturam.

Per quæ omnia consulendũ videtur præfatę D. herę vt faciat super hoc aliquam bonam concordiam, qua fiat contenta illa ancilla, vel, si id fieri nequit, det ei elemosynam, quam ad nubendum promisit.

S. V. M. M. A. R. I. V. M.

1. *Rapta dicitur, quæ inuitis parentibus rapitur, licet ipsa consentiat.*
 1. *Matrimonium cum rapta non restituta, vel sine paracho, testibus post Consilium contractum, est nullum.*

CON-

CONSILIVM XXXII.

Ioannes rapuit Brancoleonam patri, ipsa tamen volente, & consentiente, cum qua sine vlla solennitate Concilij Tridentini contraxit matrimonium. Postmodum mota lite à patre fuit lata sententia contra prædictos Ioannem, & Brancoleonam. Quæritur quid iuris.

- 1 Respondeo primo, matrimonium præfatum inter prædictum Ioannem, & prædictam Brancoleonam fuisse nullum. tum quia rapiens non potest raptam ducere in vxorem, nisi postquam separata fuerit ab illo, & in tuto loco posita liberè, & voluntariè consenserit in raptum, iuxta c. 6. de refor. matrimonij sess. 24. Concil. Triden. tum quia non fuit seruata forma necessario seruanda, quam præfatum Concil. induxit in cap. 1. eiusdem tituli, quia non affuit præfens parochus legitimus, nec presbyter de licentia eius, & quia consensus puellæ, vt raperetur, non sufficit vt non dicatur rapta, quia vt dicatur talis sufficit, vt contra voluntatè patris de domo eius sit abstracta, siue id fiat de voluntate puellæ, siue contra voluntatem eius, vt tradit S. Thom. recep. 2. 2. q. 154. ar. 7. ex quibus sequitur, sententiam latam contra Ioannem, & Brancoleonam fuisse iustissimam. Salua &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Affinitatis impedimentum sine copula carnali non oritur.
- 2 Publicæ honestatis impedimentum oritur ex sponsalib. & matrimonio non consumato.
- 2 Statuta de sponsa, & eius consanguineis seruanda sunt in sponso.
- 3 Publicæ honestatis impedimentum restringit Concilium Tridentinum.
- 3 Sponsa mortuo sponso cum consanguineo in primo gradu sponsi contrahere nequit.
- 4 Bulla Pij V. de publicæ honestatis impedimento.

CONSILIVM XXXIII.

Petrus contraxit matrimonium per procuratorem cum Mariâ, quæ mortua est, prius quàm esset consummatum; immo & priusquam de facie fuisset cognita. Quæritur, quod impedimentum sit inter ipsum, & sororem D. Mariæ iam mortuæ, nomine Ioannam, quominus matrimonium trahatur.

- 2 Respondeo primo, quod nullum impedimentum consanguinitatis, neque

neque affinitatis, neque cognationis spiritualis, neque legalis, quod impediatur matrimonium, est inter illos, vt palam est, quia si esset vllum tale, maxime esset impedimentum affinitatis, quod tamen non est, quia non fuit habita copula carnalis cum sorore mortua, & sine copula carnali non potest inueniri affinitas per definitionem affinitatis, quam ponit gloss. recepta in arbore affinitatis.

2 Secundo, quòd impedimentum, quo ipsi prohibentur contrahere matrimonium inter se, vocatur impedimentum publicæ honestatis, de qua est textus solemnissimus in c. sponsam. de spons. cuius verba sunt, *Sponsam alterius (maxime si est nubile ætati proxima) nullus consanguineorum aliquo modo sibi potest matrimonio copulare.* Ex quo colligunt omnes doctores contrahi publicæ honestatis impedimentum impediens, & dirimens matrimonium inter sponsam, & omnes consanguineos sponsi: dummodo sponsa sit septennis, cum contrahit sponsalia, iuxta c. literas. & cap. accessit de desponsatio. impub.

3 Tertio, quòd id quod statuunt prædicta cap. de sponsa, quæ contrahit sponsalia de futuro, idem est seruandum fortiori ratione in ea quæ contrahit matrimonium, vt declarat Panor. recept. ab omnibus in d. c. sponsam.

3 Quarto, quòd idem quod statuunt prædicta cap. de sponsa, quoad consanguineos sponsi, censetur statutum, & seruandum de sponso quoad consanguineas sponsæ, vt satis expressit prædictus Panor. receptus ab alijs bis in d. cap. sponsam. proferendo verbum, & contra nu. 3. & 5.

Quinto, quòd Concil. Trid. in sess. 24. tit. de reformat. matrim. c. 3. restrinxit hoc impedimentum publicæ honestatis, & statuit duo. Alterum, quòd post illud non nasceretur ex sponsalibus, quæ ipso iure forent nulla. per quod corrigit cap. r. de sponsalib. lib. 6. Alterum quod etiam natum ex sponsalibus validis non impediret, nisi in primo gradu consanguinitatis, idest sponsa contrahere posset cum consanguineo sponsi, qui vltiori gradu, quam primo esset consanguineus prioris sponsi, & è contrario sponsus posset contrahere cum consanguinea sponsæ, quæ illi esset consanguinea vltra primum gradum, non autem cum ea, quæ in primo gradu esset consanguinea, per quod corrigit præfatum cap. sponsam, & alia similia, quib. antea prohibebatur matrimonium inter sponsam, & omnes consanguineos sponsi vsque ad quartum gradum, & è contrario inter sponsum, & omnes consanguineos sponsæ, vsque ad quartum gradum.

4 Sexto, quòd se. re. Pius V. declarauit in prædicta extrauagant. quæ incipit Ad Roma, quod correctio, qua Concilium Trid. correxit præfatum cap. sponsam. cum ei similibus, non se extendit ad impedimentum publicæ honestatis, quod diximus supra nasci ex matrimonio per verba de præsentis contracto, etiam non consumato, licet aliqui vocent illud sponsalia,

sponsalia, sed non sunt proprie talia, immo sunt verum matrimonium ratum licet non consumatum, vt tradit Panor. in rub. de sponsal. communiter recep. & multum dilatatus ibidē à Fel. nu. 1. & sequitur quod extraneas prædicta intendit in summa, quod impedimentū publicæ honestatis natum ex sponsalibus propriè dictis, quibus non contrahitur matrimonium, sed solum spondetur, & promittitur, vt habet. l. 1. & 2. ff. de sponsal. impediatur, & dirimat matrimonium.

Septimo, quòd præfata Ioanna erat consanguinea prædictæ Mariæ sororis suæ in primo gradu, quia fratres, & sorores sunt consanguinei in primo gradu secundum ius can. vt habetur in arbore consanguinitatis, & eius gloss. recep. & consequenter prædictus P. non potest contrahere cum prædicta Ioanna propter impedimentum publicæ honestatis, quod est inter ipsum, & consanguineas primi gradus prædictæ Mariæ mortuæ, qualis est prædicta Ioanna.

S V M M A R I V M.

- 1 *Sponsalia dissoluntur ob superueniens delictum, vel id ob quod non fuissent contracta.*
- 2 *Pœnitentiarius super occultis tantum in foro conscientie dispensat.*

CONSILIVM XXXIV.

FRANCISCA contraxit sponsalia de futuro cum Francisco, deinde Franciscus propter crimina fuit bannitus. Quæritur, an Francisca indigeat dispensatione Pœnitentiariæ, vt possit legitime alij nubere.

- Respondeo, præfatam D. Franciscam consulentem non egere dispensatione sacre Pœnitentiariæ. Tum quia sponsalia de futuro dissoluntur, quando superuenit aliquid, quod si à principio interuenisset, verisimiliter non fuissent contracta, per cap. quemadmodum. de iure iur. ad iudicium gloss. & ei adnotatis, & sic delicta, & bannimenta, quæ post illa contracta superuenerunt præfato D. Francisco, si interuenissent tempore,
- 2 quo ea fuerunt contracta, non contraxisset ea cum illo. Tum quia si præfata sponsalia transissent in matrimonium per aliquem modum legitimum, non potuisset sacra Pœnitentiaria dispensare, & ita nihil profuisset eius dispensatio, & sic non eguisset præfata D. consulens tali dispensatione inutili. Tum quia dispensatio sacre Pœnitentiariæ non prodest, nisi quoad occulta, & quoad forum conscientie tantum, & præfata D. Consulens, vel non indiget illa, vel indiget etiam quoad forum exterius, quia videntur fuisse publicè contracta.

SVM-

S V M M A R I V M.

- 1 *Matrimonium viuente prima cum secunda contrahens illa mortua debet iterum cum dispensatione contrahere, vel secundam deceptam dotare. num. 2.*
- 3 *Matrimonium clam, sine denuntiationibus contrahant, qui prius de facto publice contraxerunt.*
- 4 *Matrimonium nullum, qui publice contraxerunt, illud denuo coram parrocho, & testibus, tacita causa nullitatis contrahant, & instrumento notarij muniant.*

C O N S I L I V M XXXV.

Q Vidam A. viuente priore vxore motus rumore mortis eius, quæ degebat longe absens ab eo, contraxit cum B. absolutoq. ab illo peccato per Iudicem competentem, est mortua prior vxor. Quæritur quid oporteat eum pro salute vtriusque hominis facere.

- 1 Respondetur primo, quod præfatus A. non potest iuste conuiuere matrimonialiter cum prædicta B. nisi denuo contrahens matrimonium, quia prius contractum non valuit quicquam, quia fuit contractum viuente priore vxore, quod lex Christiana non patitur, cap. gaudemus. de diuers. cum similibus.

Secundo, quod A. non potest contrahere cum B. nisi habita dispensatione quoad vtrunque forum super impedimento, quod nascitur ex tit. de eo qui ducit in matrimonium, quam polluit per adulterium, vt probatur per c. 1. & totum illum titulum.

- 2 Tertio, quod præfatus A. potest cogi ad contrahendum denuo cum B. vel ad dotandâ eam, eo quod videtur decepisse illam, & abstulisse pudorem eius deceptorie, & infamasse, per c. 1. & 2. de adult. & eis, quæ vtiliter traduntur in nostro Man. Conf. c. 16. num. 16. non manifestando ei se habuisse vxorem: de cuius morte non habebat certum testimonium.
- 3 Quarto, quod potest prædictum matrimonium denuo contrahi clandestine absque denuntiationibus, quas requirunt antiqua iura, & noua Concilij Trident. quia vt declarauit Pius V. potest matrimonium contrahi denuo absque denuntiationibus, quando prius contractum fuit cum illis, quod praxis sacre Pœnitentiariæ seruat, & latius tradimus in d. c. 16. vbi sup. num. 36.
- 4 Quartus, quod conuenit plurimum in hoc casu, ne causa propter quam

quam prius matrimonium fuit nullum, sciatur ab alijs quam ipsis A. & B. ne detur occasio Inquisitori loci tractandi de illa iterum; qui licet cessarent monstrato absolutionis instrumento; tamen fieret aliqua molestia, et spargeretur mala fama de A. & quod est reconciliatus, & fieri potest matrimonium coram parocho & testibus nescientibus illis quidquam de culpa in specie, sed tantum in genere, vt tangitur in sequenti dicto.

Sexto, quod licet omnia supradicta non requirantur in omnibus casibus, in quibus matrimonium prius publice contractum denuo est contrahendum, primum tamen & quartum, & frequentissime sextum seruari possunt, & debent, coram notario, qui cum illis testibus fidem faciat de matrimonio denuo contracto; attestando quod fuit rogatus à prædictis A. & B. vt faceret publicam fidem de hoc matrimonio contracto coram præfato parocho & testibus, eo quod prius matrimonium, quod publice antea contraxerunt, non erat validum ob quoddam impedimentum, quod ipsi sciunt, & conuenit eis ne publicetur; quoniam si huiusmodi instrumentum non fieret, contingere posset quod mortuo parocho, & testibus reuelaretur impedimentum prædictum, scilicet, quod prius matrimonium fuit contractum viuente priore vxore, & si non posset probari postea denuo contractum fuisse sublato impedimento, ipsi castigarentur, & filij eorum iudicari possent illegitimi, & multa alia scandala orirentur.

S V M M A R I V M.

- 1 *Matrimonium consensum liberum requirit, & metu reuerentiali fit nullum. num. 6.*
- 2 *Papa defectum consensus iure naturæ requisiti supplere nequit.*
- 3 *Metus minor iusto annullat matrimonium, & quis sit iustus arbitratur iudex.*
- 3 *Metus in femina minor, quam in viro sufficit.*
- 4 *Metus, qui professionem annullat, annullat & matrimonium.*
- 5 *Curator vt pater honorari debet.*
- 6 *Metus ex sola presentia patris nisi sit actus causa, matrimonium non annullat. nu. 7. & 20.*
- 8 *Metus, qui iustus dicatur, arbitrio iudicis relinquitur.*
- 9 *Matrimonium ob nimiam reuerentiam patris contractum est nullum.*
- 10 *Metus, qui facit alios actus rescissibiles, annullat matrimonium.*
- 10 *Reuerentia patris causa consensus filiae alias non consensuræ annullat matrimonium, & nu. 11.*

CONSILIVM XX.

Quædam puella diues sub Curatoris potestate constituta metu, & reuerentia ipsius Curatoris per se, & alios illa incutientis sponsalia cum quodam iuvene, & successiue matrimonium contraxit; sed antequam contraheret lacrumans matri suæ dixit, se coacte illa contrahere; & post contracta sponsalia antequam contraheret matrimoniū frequenter coram familiaribus suis idem repetijt, nimirum se nullatenus velle contrahere cum illo: immo & expresse protestata fuit coram Notario, & testibus, quod si contingeret illam dicere aliqua verba, quibus significaret se consentire; dicturam illa contra mentem, & voluntatē suam ob metum, & reuerentiam sui Curatoris, & aliorum amicorum. Quæritur an valeat matrimonium.

- 1 Respondeo primo, sententiā quorundā virorum mihi ostensam proculdubio esse verissimam, scilicet matrimonium præfatum esse nullum. Tum quia matrimonium non potest consistere sine consensu. cap. sufficiat. 27. q. 2. & In nuptias. ff. de reg. iur. & in facto quæstionis proponitur præfata D. puellam consulentem numquam præfato matrimonio consensisse. Tum quia non omnis consensus sufficit ad conficiendum matrimonium; sed requiritur, vt sit liber, & nullatenus coactus, cap. cum locum, de sponsalibus & gloss. solemnibus ab omnibus recepta in cap. notificasti. 33. q. 5. & in facto narratur consensum illum qualē qualē, qui exterius fuit præstitus, fuisse præstitum per metum & violentiam. Tum
- 2 quia etiam Papa sua, quæ summa est, potestate absoluta non potest suppleri defectum consensus requisiti iure naturali, & diuino, vt tradit Panor. in cap. per venerabilem nu. 21. qui filij sint legit. & probatur, quia non potest ipse iure naturali, & diuino derogare, cap. sunt quidā. 25. q. 1.
- 3 Quibus addo primo, quod ad iudicandum matrimonium præfatum esse nullum in foro exteriori, facit plurimum, quod ad iudicandum illud inualidum sine nullum non requiritur, vt interueniat metus tam iustus, quam requiritur in alijs contractibus: quia minor eo sufficit in fœmina, iuxta gloss. memorabilem in dicto cap. cum locum. Addo secūdo, quod altius, quam vllus alius, tractauimus nos hoc in Manu. confess. cap. 12. nu. 50. & 51. vbi reiecta definitione iusti timoris communiter recepta, quoad forum exterius diximus arbitrio iudicis relinquendum esse, iuxta gloss. notabilem, & communiter recep. cap. cum dilectus. de ijs quæ vi. Tertio, quod ad arbitrandum in hoc casu interuenisse talem, facit multum, quod præfata D. Consulens est puella, & orfana sub curatore constituta: & quod ipse Curator illum timorem incutebat, & mediatores ad incutiendum illum, & vt volens nolens cōsentiret, interponebat. Ad
- 4 do quarto, quod ad idem facit multum glossa sing. cap. præfatus. 20. q. 3. quatenus habet, solum metum reuerentialem, quem habet filia in patre,

sufficere ad iudicandam professionem religionis ab ea factam, non valere. & cum idem timor, qui sufficit ad inualidandam professionem religionis, sufficiat ad inualidandum matrimonium, arg. glossæ notabilis receptæ in cap. 2. de elect. consequens est suffecturum in hoc casu probare metum reuerentialem interuenisse. Quem arbitror facile probatum iri, cum is qui vrgebat eam ad præfatum matrimonium esset, vt dictum est, curator ipsius, quem tenebatur illa vt patrem reuereri, per ea quæ post alios nos tradidimus in præfato Manu. cap. 14. nu. 3. Addo 5. quod ad idem faciunt alia quædam, quæ in præfato cap. 22. nu. 50. & 51. in hoc citauimus.

6 Hac de re bis consultus bis idem respondi; nempe præfatam puellâ, non esse vxorem præfati adolescentis in foro conscientiæ, nec in exteriori, & iudicem eruditum, & rectum, coram quo causa hæc tractata fuerit, iudicaturum, illam non esse censendam vxorem eius, si omnia, quæ proponuntur, in facto probata fuerint, per ea quæ nos in altero responso iâ citauimus.

Nunc, tertio super eadem re interrogatus respondeo idem. Nec obstat, quod quidam dicunt Prætorium istud celeberrimum, & eruditissimum, iuxta ac æquissimum RR. dd. Rotæ iudicasse metum & paternam reuerentiam non sufficere ad annullandum matrimonium. Tum quia id verum est de metu & verecundia paternali, quam sola præsentia patris inducit, vt clare probat tex. in c. 1. §. porro. de spons. impub. lib. 6. & præter alios adnotauit Panor. in c. nonne, de præsumpt. quod commendauit Fel. ibidem n. 22. & in c. cum omnes. de constit. nos autem loquimur de tali reuerentia paternali, quæ inducit metum, & quæ causa fuit, vt consentiret filia, vel filius, alias non consensura vel consensurus. Quandoquidem præsupponitur præfatam puellam noluisse contrahere cum præfato adolescente sponsalia; & cum lachrymis id dixisse matri suæ, & post contracta sponsalia antequam contraheret matrimonium frequenter id dixisse ante familiares suos, se nullatenus velle contrahere cum illo; immo & expresse protestatam fuisse coram notario, & testibus, quod, si contingeret illam dicere aliqua verba, quibus significaret talem consensum, dicturam ea contra mentem & voluntatem suam, propter metum & reuerentiam sui Curatoris, & aliorum suorum amicorum, vel familiarium. Tum quia hoc significant verba legis primæ. §. quæ onerandæ. ff. quarum rerum actio non dat, ibi; *Et hoc causa cognita si liquido appareat libertum metu solo, vel nimia patroni reuerentia ita se subiecisse, vt vel pænali quadam stipulatione se subiecisse.* Per quæ significatur, quod non solum annullatur actus factus coram eo, cui deberet reuerentia, vt patri, vel patrono; sed etiam si fiat postea, dummodo causa cognita appareat, quod propter metum, vel nimiam reuerentiam consensit. ponderanda est enim illa disiunctiua, metum, vel nimiam reue-

ren-

rentiam; cum ad veritatem alternatiuæ altera pars sufficiat, c. in alternatiuis. de reg. iur. lib. 6.

8 Primo quidem, quod tunc, vt nos confutata irrefragabiliter definitione iusti metus communiter recepta in Manu. conf. Latino c. 22. nu. 51. concludimus, arbitrio iudicis relinquendum esse, quis metus dicatur iustus, iuxta glo. memorabile. & communiter receptam in c. cum dilectio, quod metus causa. & videtur nobis, salua iustiore sententia, quod vir bonus, prudens, & doctus, coram quo omnia prædicta probata fuerint, debet arbitrari præfatum matrimonium fuisse factum metu, & reuerentia iustis ad annullandum matrimonium.

9 Secundo, quod quidquid dicant aliqui sufficit ad annullandum matrimonium sola nimia reuerentia paterna, ob quam contractum fuit ab ea, quæ non erat alias contractura, per l. 1. §. quæ onerandæ. ff. quarum actio non detur, quatenus probat id quod promissit libertus causa onerandæ libertatis propter nimiam reuerentiam esse rescindendum.

Non obstat, quod tex. habet propter metum, vel reuerentiam: quia non habet copulatiue propter metum & nimiam reuerentiam, sed propter metum, vel nimiam reuerentiam alternatiue: ad cuius veritatem sufficit alteram partem esse veram, vt supra dictum est.

Nec obstat item, quod tex. loquitur de promissione liberti propter nimiam reuerentiam patrono factam. Quoniam hic textus extenditur ad mulierem contrahentem matrimonium ob nimiam reuerentiam patris, & ad clericum renuntiantem beneficium ob nimiam reuerentiam episcopi, vt ait glo. in d. §. quæ onerandæ. verbo metu. Nec obstat etiam, quod non ait promissionem liberti esse nullam, sed rescindendam; quia regulariter actus meticulosi, & ob reuerentiam facti non sunt ipso iure nulli, sed actione, quod metus causa rescindendi, iuxta glo. magnam, & celebrem in c. Abbas. de ijs quæ vi. receptam fere per omnes excepto Fortunio, & alijs paucis de vlti. fin. illat. 27. qui dixerunt ipsos, ipso iure nullos. Non inquam hoc obstat: quia omnis metus, qui facit contractus alios rescissione dignos, facit matrimonium ipso iure nullum secundum sententiam receptam in d. glo. & vbique. Non obstat etiã, quod ait, causa cognita; quia non omnis reuerentia rescindit actum, videlicet rescissione dignum facit; sed illa, ob quam fit actus, qui alioqui non fieret. & ita hoc est probandum, per ea quæ adducit Fel. in c. nonne. de præsump. n. 22. non enim, vt ibi notabiliter ait Panor. omnis præsentia patris, quæ constat aliquam reuerentiam inducere in filium, sufficit ad rescindendum, vel annullandum actum, sed illa, ob quam fit, qui alioqui nullatenus fieret. Quod ipsum ait etiam Fel. licet non ita late in c. cum omnes. nu. 12. de constit. & alij alibi, quos ille citat vtrobique, & additio Bartoli in d. §. quæ onerandæ. & probat optime c. 1. §. porro. de despons. lib. 6.

11 Tertio, probatur, quod ratio tota, quare metus & reuerentia annullant

lant actum matrimonij, & alios actus faciunt rescissibiles, est, quod tollit consensum, videlicet libertatem consentiendi necessariam ad actus valorem, videlicet firmitatem. & omnis reuerentia quæ operatur tantum, quod illa non interueniente non fieret actum, tollit consensum, videlicet efficit illum adeo coactum, & inefficacem, quod non valet, vel est inualidandus. Ergo sola illa si probetur sufficit ad rescindendum, videlicet annihilandum actum, argu. l. abigere. §. quamuis. ff. de iur. patr. & c. meminimus. & c. suggestum, & eorum quæ ibi adnotauit Panor. de lege extendente se, videlicet astringente eatenus quatenus ratio eius se extendit vel astringit. de appellat.

S V M M A R I V M.

- 1 *Matrimonium clandestinum ante Concil. Trid. valebat.*
- 2 *Matrimonium nullum dempto impedimento denuo contrahi debet.*
- 2 *Matrimonium nullum publice contractum sublato impedimento iterum clam contrahi sufficit.*

C O N S I L I V M X X X V I I.

Contraxit M. clam. ante Concil. Trid. cum N. & postea cum O. in facie Ecclesiæ, deinde obiit N. postquam habuit liberos ex præfata O. Quæritur remediū, quo possit præfatus M. contrahere cum præfata O. denuo, & viuere cum illa absque scandalo, & peccato, non obstante quod N. fuit à principio vera vxor præfati M.

- I** Ad hanc quæstionem respondeamus primo, necessarium esse remediū quo præfatus M. & O. conuiuere possint absque peccato; quoniam matrimonium eorum non fuit validum; quia matrimonia clandestina ante Concil. Tridentin. contracta, licet peccarint contrahentes, erant valida, & ita cum M. fuit coniugatus cum O. iam erat verus maritus N. & non poterat contrahere cum præfata O. quia lex humana non patitur vllum virum habere simul plures vxores, nec vnam fœminam plures viros, c. gaudeamus. de diuort. quod se fundat in c. 10. Marci. Secundo, quod nullum remedium potest adhiberi, vt ipsi conuiuant absque peccato mortali, præterquam contrahendo denuo matrimonium; cum possint contrahere iam illud mortua præfata N. vxore legitima. Tertio, quod possunt contrahere si volunt contrahendo noue, legitime, nouo consensu præstito, & non alias: quia matrimonium, quod ab initio est nullum ob aliquod impedimentum, non potest validari, nisi denuo contrahendo, vt tradimus in nostro Man. conf. c. 22. nu. 47. & n. 86. & supra repetimus in alijs consilijs.

Quat-

Quarto, quòd possunt contrahere absque scandalo contrahendo denuo clam; quia omne matrimonium contractum inualide in facie ecclesie potest etiam post Conc. Trid. denuo contrahi clam & secrete, vt diximus in dicto Manuali conf. c. 22. nu. 47. & 86. Quo iure de consensu Papæ vtitur sacra eius Pœnitentiaria: modus autem notificandi impedimentum vxori ignorantem, ne renuat denuo consentire, tangitur in præced. Man. c. 22. nu. 47.

S V M M A R I V M.

- 1 *Matrimonium non licet catholico cum hæretico contrahere, contractum tamen tenet.*
- 2 *Matrimonium præsumptum cessat vbi Triden. Con. est receptum.*
- 3 *Sponsalia clandestina valida, licet non matrimonium post Conc.*
- 4 *Sponsalia cum hæretico contracta cur secuta copula non transeant in matrimonium.*
- 5 *Sponsalia inualida impedimentum publicæ honestatis producunt, non tamen matrimonium præsumptum. n. 5. & 12.*
- 6 *Promissio de matrimonio cum hæretico contrahendo turpis, & ipso iure nulla.*
- 7 *Sponsalia cum vna ex pluribus filiabus Petri, ob incertitudinem sunt nulla.*
- 8 *Sponsalia per superuenientem hæresim dissoluuntur.*
- 8 *Matrimonium contrahendo plus impedimentum præsens, quam futurum obstat.*
- 9 *Sponsalia cum duabus contrahere iurans alteram cognoscens matrimonium non censetur contrahere.*
- 10 *Sponsalia transeunt per copulam in matrimonium.*
- 11 *Sponsalia per causam notorie iustam dissoluuntur.*
- 12 *Matrimonium, cognoscens se affectu maritali, sine præcedentibus promissionibus non contrahunt.*
- 12 *Matrimonium ad contrahendum sufficiunt nutus, vel alia sensibilia signa.*

C O N S I L I V M XXI.

Questio hæc vt noua, ita magna videtur, pro cuius resolutione diuidendo causam in duas partes; prior sit, an sponsalia de futuro catholici contracta cum hæretico consecuta copula carnali, transeunt in matrimonium? Posterior an in casu proposito, etiam si talia sponsalia non transirent per copulam in matrimonium, censendum sit matrimonium

Pars ij.

E 3

nium

niū contractū per copulā carnalē & cohabitationē menstruā enarratam.

- 1 Pro resolutione prioris præsuppono primo, quod quamuis non liceat Christiano catholico contrahere matrimonium cum hæretica, si tamen contrahit, validum est, iuxta gloss. memorabilem c. non oportet. 28. q. 1. commit. in 4. lib. senten. dist. 29.
 - 2 Secundo præsuppono, quod in parochijs, in quibus Concil. Trident. est receptum, & publicatum, non habet locum c. 15. qui fidem. de spons. arg. c. 1. de reformat. matr. sess. 24. Concilij Trident. adeo quod nullum sit in eis hodie post præfatum Concilium matrimonium præsumptum per copulam carnalem subsecutam, vt nos adnotauimus in Man. confess. cap. 2. §. nu. 144. In terris tamen, in quibus præfatum Concilium nondum est receptum, & minus in ecclesijs parochialibus publicatum, iura antiqua videntur seruanda: Tum quia lex non recepta non ligat, c. in istis. §. leges. 4. dist. & gloss. solemn. late dilatata per Felin. in c. 1. de treug. & pace. Tum quia in prædicto §. final. expresse statuitur non esse locum illi c. nisi in parochijs, in quibus post 30. dies fuerit publicatum.
 - 3 Tertio præsuppono, quod licet præfatum cap. 1. matrimonia clandestina, & aliter quam coram parochio, & duobus testibus contracta in terris, vbi receptum est præfatum Conc. Trid. sint ipso iure nulla: sponsalia tamen de futuro videantur valida, vt dicimus in Man. conf. c. 22. nu. 3.
 - 4 His præsuppositis pro parte affirmatiua huius quæstionis, scilicet, quod præfata sponsalia transeant in matrimonium per copulā carnalē, facit primo; & quidem neruositissime d. cas. qui. de sponsal. quatenus habet sponsalia de futuro per copulam carnalem subsecutam facere matrimonium, saltem præsumptum; & quod illi non est derogatum per Conc. Trid. in parochijs, in quibus illud non est publicatum, vel non sunt lapsi triginta dies a publicatione facta; & quod in casu proposito narratur Conc. præfatum non esse receptum in terris, in quibus casus hic contingit, nec c. eius. 1. de reformat. matr. sess. 24. in parochijs publicatum.
 - 5 Secundo facit, quod sponsalia quamlibet nulla ob aliam causam, quam ob defectum consensus, produxerint impedimentum publicæ honestatis c. 1. de sponsal. lib. 6. Pro parte autem negante, nempe quod non transeant in matrimoniū, facit primo, quod omnis promissio turpis rei est ipso iure nulla, c. in malis promissis. 22. q. 4. l. iurisdictionum. §. si ob maleficium. ff. de pact. l. generaliter ff. verbor. obligationib. At promissio catholici de contrahendo matrimonium cum hæretica est promissio rei turpis: cum secundum omnes peccatum sit contrahere matrimonium cum hæretica; licet contractum teneat, vt prædictum est. & consequenter præfata sponsalia fuerunt nulla, & ita nullum videntur producere effectum, arg. c. non præstat. de reg. iur. & illius poetæ:
- Ex nihilo nihil in nihilum nihil posse reuerti.*
- 7 Secundo facit, quod promittens contrahere cum vna filia Petri, qui
hat et

habet multas filias, habens copulam cum vna, non videtur contrahere matrimonium; quia sponsalia illa propter incertitudinem personæ sunt nulla, secundum glos. not. c. ex litt. & 2. de sponsal. quam Bernar. præpositus efficaciter defendit. Tertio facit c. non solum. 28. q. 1. allegatum à Ioan. And. in summa de sponsa. n. 4. secundum quod probat, sponsalia de futuro dissolui per superuenientem hæresim. Nec obstat, quod in casu proposito non superuenit: quia plus obstat circa matrimonia, & sponsalia impedimentum præsens, quam superueniens: affinitas enim præsens reddit matrimonium nullum, non autem superueniens c. 1. cap. discretionem. de eo qui cognou. consan. cognatio item spiritualis idem facit c. 2. de cognatio. spirit. c. ad limina. 30. q. 2. Quarto, quod qui iurauit contrahere sponsalia cum duabus, dicens iuro contrahere matrimonium cum utraque vestrum; licet postea rem habeat cum altera earum, non censetur contrahere matrimoniū, eo quod illa sponsalia erant nulla ratione turpitudinis promissionis de contrahendo cum duabus, secundum Astep. summ. lib. 8. in fine, quem sequitur præfatus Ioan. Brun. vbi sup. ergo cum in casu nostro sponsalia fuerint nulla ratione turpitudinis promissionis, consequitur eadem ratione dicendum ea non sufficere ut per copulam carnalem sequatur matrimonium contractum.

Quinto, quod ratio potissima quare sponsus cognoscens sponsam præsumitur id facere animo consuimandi matrimoniū, est, ne in dubio præsumatur peccare, quæ ratio cessat in casu proposito: nā Christianus promittens hæreticæ contrahere cum ipsa, non euitat peccatū cognoscendo illam vxorio affectu, immo magis peccat, cognoscendo illā tali affectu, & contrahendo cum illa, quā cognoscendo affectu fornicario, quia committit grande sacrilegiū secundum oēs in dist. 39. ergo non est cõfendus velle cõplere sponsalia, seu consummare matrimoniū. Sexto, quod sponsalia quamuis iusta dissoluuntur ipso iure per causam notorie iustā, præsertim si sunt clandestina, ut resoluit Syl. verbo sponsal. q. 1. 1. quæ nos sequimur in Man. conf. c. 2. 1. n. 18. At in proposito casu causa non solum dissolutionis, sed etiam nullitatis sponsalium, est notorie iusta; quia notorium est non posse illa sine peccato sacrilegij impleri. ergo censenda sunt dissoluta, & nullius momenti. Per quæ omnia hæc pars videtur probabilior.

Nec obstant opposita, non primum, quia præfatum c. is qui fidem, non procedit in sponsalibus quæ sunt ipso iure nulla per prædictas rationes. Nō obstat et secundum, quia sponsalium varij sunt effectus, ut tradit Io. And. in sum. de sponsa. n. 2. & effectus publicæ honestatis est diuersus ab effectu transmutandi sponsalia in matrim; de quo in d. c. is qui. & ita concedo quod sponsalia nulla producebāt effectum publicæ honestatis impedimenti ante Cōc. Trid. Sed nego quod produceret effectū transmutandi illa in matrimonium. Tum quia à diuersis non fit illatio, l. Papin. ff. de minor. c. ad audientiam. de decim. Tum quia in hoc casu non est eadem rō: tū

quia c. illud 1. de sponsal. est exorbitans a regula illa iuris humani supradicta non præstat impedimentum . lib. 6. Immo ab illa iuris naturalis, ex nihilo nihil : Et ideo tanquam exorbitans abrogauit illud Concil. Trid. c. 3. de reform. matrim. tum quia nusquam reperitur expressum sponsalia ipso iure nulla producere effectum matrimonij per copulam subsecutam .

- 12 Ad posteriorem quæstionem resp. illam pendere a quæstione illa parû tractata , an cognoscentes se carnaliter vxorio effectu nullis præcedentibus verbis, matrimonium , vel sponsalia efficientibus, censeantur contrahere matrimonium , & quo ad forum quidem exterius respondendû est, quod non , si non constaret de tali vxorio affectu per confessionem vtriusque , quo ad forum autem conscientia dubitari potest, quia gloss. d. c. tuæ. recep. ait, quod ad contrahendum matrimonium verba requiruntur in valentibus loqui per illud c. tua . de spons. & hi de quibus loquimur valebant loqui .

In contrariam partem facit quod secundum receptiorem sententiam sufficit, quod interueniant nutus , vel alia signa exteriora , vel sensibilia sufficientia ad exprimendum consensum vxorium , vt resoluitur in d. c. tuæ , & c. cum apud . eod. tit. à nostris , & à theologis in 4. dist. 27. ita quod secundum omnes licet non sufficiat solus consensus, nec sola verba illud exprimentia sine illo : sufficit tamen, & requiritur quod interueniat consensus, quo vir de præsentate velit accipere fœminam, & quod verbis, vel alio signo exteriori eis equipollenti ab vtraque parte alteri significetur, quod clare colligitur ex c. licet de spons. duorum, ibi (vel *mutuo consensu*) & quia id pendet ex facto, ideo non dilato latius. Salua &c.

S V M M A R I V M .

- 1 Coniugio regulariter ineptus est , qui debitum reddere nequit . num. 18.
- 2 Leges determinantes ætatem ad matrimonium non sunt naturales. & 18.
- 3 Obligari quis ad impossibile nulla lege , nec priuilegio potest .
- 4 Matrimonij de essentia nõ est potentia coeundi tempore contractus . nu. 19.
- 5 Puerofante talem ætatem voto non obligari facit ius humanum .
- 6 Papæ consensum ad matrimonium requisitum supplere nequit . num. 20.
- 7 Papæ omnis lex humana subijcitur .
- 8 Lege humana multa iuris diuini indeterminata determinantur .
- 9 Aetatis ad matrimonium determinatio iuris humani, super quo Papa dispensat .
- 10 Matrimonium ante pubertatem ex causa contrahi potest .
- 11 Pubertati proximus contrahendo saltem naturaliter obligatur .

- 12 *Ius naturæ ad matrimonium contrahendum prudentiam requirit, sed humanum determinat, quando illa soleat euenire.*
- 13 *Coeundi potentiam inesse multis ante tempus à iure præfixum.*
- 14 *Coeundi actualis potentia non est de matrimonij essentia.*
- 15 *Impotentia non omnis ad coeundum etiam perpetua, est contra matrimonij essentiam.*
- 15 *Senex ad coeundum impotens potest matrimonium contrahere.*
- 16 *Papa legem diuinam nec tollere, nec limitare potest, sed sic ex causa interpretari, & declarare.*
- 17 *Vota, & iuramenta iure naturæ reddenda, vt remittit Papa.*
- 19 *Corporum traditio sine actu carnali facit verum matrimonium.*

CONSILIVM XXXIX.

TRactatum est diu in Hispania de mandato Regiæ Maiestatis Catholice per multos proceres, & tandem auctoritate eiusdem conclusum, vt ad vtilitatem priuatam, & publicam contrahantur duo matrimonia, alterum inter Illustrissimos Don Ioannem Ludouicum de la Cerda Ducem Medinæ cæli, & Marchionem, ac Comitem aliorum dominiorum, & Dominam Ioannam del Alama Ducem Alburquerqueensem relictam quondam Don Gabrielis Illustrissimi, Excellentissimiq. Ducis Alburquerqueensis, qui ante paucos annos fuit Ducatus Mediolani Gubernator, eandemque multorum dominiorum dominam. Alterum inter Illustrissimos, & Excellentissimos Don Ioannem de la Cerda Marchionem de Cogolludo filium, & successorem prædicti Ducis Medinæ cæli, & Domnam Annam del Alama, & de la Cueva, filiam prædictæ Ducis Alburquerqueensis impuberes quidem, sed præter communem aleam animorum, & corporum viribus à Deo, & natura dotatos. Conclusum inquam est, dummodo intra sex menses, quorum iam tres sunt elapsi, S. D. N. dignetur dispensare, vt prædictus Don Ioannes Marchio de Cogolludo ætatis duodecim annorum, possit contrahere matrimonium cum prædicta Domna Anna decem annorum, & non aliter, nec alias: quoniam visum fuit viris eruditissimis nulla pœna, nec arrha, nec fideiussione fieri posse certam, & securam prædictam ducem Domnam Ioannam de matrimonio futuro inter prædictam Domnam Annam filiã suam, & prædictum Don Ioannem de la Cerda, filium prædicti Ducis Medinæ cæli, nisi mediante prædicta dispensatione: & quia sunt, qui subdubitent, An Sanctiss. D.N. id facere possit, petitur informatio iuris, quo palam ostendatur suam Sanctitatem id facere posse.

Responsurus ad hanc quæstionem, à nemine, quod sciam, tactam, primum opem diuinã summis animo imploro, deinde humiliter supplico Sanctissimo D. N. vt dignetur sublimitatem animi sui demittere ad hæc

ad hæc humilia, quæ humiliter suæ sublimi, eidemq. profundo iuris tã naturalis, & diuini, quàm humani callo munitæ subijcimus. Et quidem pro parte negante, quod non possit, facit primo cap. quod sedem, de fug. & malef. vbi puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus coniugio, & videtur loqui de aptitudine requisita iure naturali diuino: nam per illum textum tenet Sotus in 4. lib. sent. dist. 34. quæst. 1. quod impotentia ad carnalem actum omni iure impedit matrimonium. & postea in solutione 2. argumenti tenet, quod senex omnino impotens ad actum matrimonialem nulla ratione potest matrimonium cõtrahere. At prædicti Illustrissimi Domini ambo sunt impuberes, quia puella non impleuit duodecimum annum, neque attingit, & puer nondum impleuit decimum quartum, neque attingit illum, & ita præsumuntur impotentes ad actum carnalem, & consequenter omni iure esse inepti coniugio. cui consequens est, Papam non posse eos aptos facere.

2 Secundo, quod lex, tam canonica, quàm Cæsarea, quæ statuit, ne fœmina ante duodecimum annum completum, nec masculus ante quattuordecimum annum completum possit cõtrahere matrimonium, l. 4. ff. de rit. nupt. & l. sancimus. C. de nupt. & cap. puberes, & cap. de illis, & cap. fin. de spons. impub. videtur esse potius lex naturalis diuina, quam humana, cum vbique gentium seruetur, arg. cap. ius gentium, & cap. ius naturale 2. dist. & Papa licet possit supplere omnem defectum prouenientem ex lege humana, cap. cuncta per mundum. 9. q. 3. non potest tamen supplere defectum prouenientem ex lege naturali, & diuina, quia secundum Vrbanum vsque ad sanguinem tenetur eam seruare, cap. sunt quidam. 25. q. 1. ergo non potest suplere prædictum defectum.

3 Tertio, quod nulla lege, neque Papæ priuilegio, vel dispensatione, fieri potest, vt quis obligetur ad impossibile, l. impossibile. ff. de reg. iur. & cap. nemo ad impossibile, eod. tit. lib. 6. nam neque Deus secundum Hieronymum receptum ab omnibus obligat quem ad impossibile. at impossibile videtur prædictis dominis impuberibus debitum coniugale reddere, vt præcitatæ leges significant. ergo non possunt obligari Papæ priuilegio ad reddendum illud.

4 Quarto, quod ad substantiam matrimonij requiritur, vt contracturus illud tempore contractus habeat potentiam coeundi, vt præ cæteris tradit Sotus lib. 4. sent. dist. 34. q. 1. illa ratione, quæ videtur firma, quod de substantia matrimonij est datio potestatis sui corporis pro parte, quam dat sibi alter, & qui illam non habet, non potest eam dare, iuxta illud, nemo dat, quod non habet. cap. quod autem, de iure patron. l. si vniuersæ. C. de leg. cum ergo præfati Illustrissimi impuberes nõ possint dare potestatem suorum corporum, quam non habent, consequens videtur,

videtur, per nullam dispensationem posse illos contrahere matrimonium.

5 Quinto, quod prædicti domini impuberes non possunt se obligare ad contrahendum matrimonium spirituale cum Deo per votum solene secundum omnium sententiam ex defectu sufficientis discretionis, & prudentiæ. ergo nec ad perpetuam seruitutem matrimonialem, cum iudicium sufficiens ad obligandum diabolo, vel homini, sufficiat ad obligandum Deo, iuxta gloss. solen. & recept. in sum. 20. quæst. 1. & in cap. mulier 32. quæst. 2.

6 Sexto denique, quod Papa non potest supplere consensum necessariū ad matrimonium, vt tenet Io. And. quem sequitur Panor. in cap. per venerabilem. num. 21. qui fil. sint leg. quem sequuntur alij illa firmissima ratione, quod licet Papa possit supplere defectus iuris humani iuxta cap. 1. & ei notata de transact. non potest tamen supplere defectus naturales, vt Speculat. recept. ab alijs tenet tit. de legat. §. nunc ostēdunt ver. 18. Pro quo aptus textus in clem. Pastoralis §. cæterum, de re iud. Per quem Card. etiam receptus ibidem adnotauit, Papam non posse supplere defectum citationis, quia iuris naturalis est. At præfati domini impuberes non videntur habere tam liberum, tam discretum, & prudentem consensum, quàm necessarius videtur iure naturali ad tantū Sacramentum, & iugum maritale perpetuo duraturum, arg. tex. & gloss. singularis in cap. notificasti, 33. q. 5. ergo Papa non potest illum supplere.

7 His tamen non obstantibus, contrarium proculdubio est dicendum, primo quidem, quod Papa est Summus, & vnicus summi Christi Dei, & hominis Vicarius, de quo est illud Io. Anglici citat. per gloss. in proœm. clem. *Papa stupor mundi, qui maxime rerum Nec Deus est, nec homo quasi neuter & inter vtrunque*, cui omnis lex humana subijcitur, cap. cult. per mundum 9. q. 3. cap. innotuit. de elect. Saltem quoad hoc, vt pro loco, & tempore iuste possit eam relaxare, vt dixit D. Thomas receptus ab omnibus 1. 2. q. 96. art. 5. ad secundum, & probatur irrefragabiliter, per l. princeps. ff. de legib. & cap. proposuit. de concess. presbyt. per tradit. ab Innocen. in dict. cap. innotuit, & per alios alibi sepe.

8 Secundo, quod licet aliqua generalia indeterminata sint iuris naturalis, vel diuini, determinatio vero eorum quoad quantitatē, tempus, vel locum facta a legislatore homine constituit ius humanum, ita quod determinata sint iura humana, & non naturalia, nec diuina, verbi gratia, ius naturale diuinum est, vt delicta puniantur, l. ita vulneratus, ff. ad l. Aquil. & cap. vt famæ. de sentent. excomm. At determinatio, quod illa, vel illa pœna, tanta, vel tanta, tempore, vel loco illo, vel illo, puniatur ius humanum, est secundum omnes, & licet non possit legislator homo statuere, ne crimina puniantur,

- pñiantur; potest tamen dispensare ne illa, vel illa pœna, illo, vel illo tē-
 pore, & loco puniatur. Præceptum item, vt confiteamur saltē semel om-
 nia peccata mortifera, diuinum est, latum à redemptore omnium Chri-
 sto domino Deo nostro, vt declarauit sacrosanctum Conc. Trid. sess. 14.
 can. 6. determinatio autem, vt confiteamur illa semel in anno, cap. omnis
 de pœnit. & remiss. humana, est, & licet Papa non possit dispensare, vt nō
 teneamur confiteri mortifera semel in anno, vel in Quadragesima secun-
 dum mentem omnium in 4. sentent. dist. 17. & com. in cap. omnis, quid-
 quid Panorm. ibidem inuoluat: ita etiam licet præceptum de ieiunando
 sit præceptum iuris naturæ indigenti eo ad salutem, vt tradit D. Thom.
 2. 2. quæst. 147. art. 3. determinatio vero, quod illo, vel illo tempore ieiu-
 nemus, est præceptum humanum: & licet Papa non possit dispensare su-
 per lege illa naturali de ieiunando, potest tamen dispensare, & quoti-
 die dispensat ex causa super ieiunio illius, vel illius diei. Insuper, licet
 præceptum de cessando aliquo tempore ab opere seruili, vt vacemus
 Deo, & diuinis, ac spiritalibus, sit præceptum naturale, & lex naturalis
 præceptum tamen determinans, vt illo, vel illo tempore feriemur ab ope-
 re seruili, & Deo vacemus, atque rebus diuinis, præceptum est humanū,
 & lex humana, vt colligiur ex D. Thoma, etiam recepto 2. 2. quæst. 122.
 art. 4. & 5. vnde infertur omnia festa Christianorum, etiam dies domi-
 nicos, esse præcepta, & iura humana, vt post multos alios nos quoque in-
 tulimus in Man. confess. cap. 13. nu. 1. & vltra omnes irrefragabiliter pro-
 9 bat Thomas Valdensis, in lib. de sacramenta lib. cap. 14. sic igitur, licet
 iure naturali ætas aliquorum annorum requiratur ad matrimonium con-
 trahendum, determinatio tamen eius, quod requiratur in masculo ætas
 quatuordecim annorum completorum, & in fœmina duodecim, ius est
 humanū, & lex humana est, & ita licet Papa non possit dispensare, quod
 nullorum annorum ætas requiratur ad contrahendum matrimonium,
 potest tamen dispensare ex causa, quod non requiratur ætas 14. anno-
 rum in masculo, & duodecim in fœmina.
- 10 Tertio, quod est casus in cap. 2. de spons. impub. quatenus habet ex-
 presse, matrimonium posse contrahi ante pubertatem pro aliqua vrgen-
 tissima necessitate, puta bono pacis. Et ne quis dicat, cap. istud, loqui de
 spons. tantum, consideret gloss. & ante illam Innoc. intelligere illum tex-
 tum de coniunctione tam matrimonij, quam sponsalium; & quod Pano.
 ibid. & probat irrefragabiliter argumentis potius intelligendum esse de
 matrimonio quam de sponsalibus.
- 11 Quarto, quod pupillus proximus pubertati, qualis est fœmina post
 nonum annum dimidiatum, & masculus post decimum dimidiatum, con-
 trahere potest, & contrahendo obligari saltem naturaliter, l. 1. ff. de actio.
 & oblig. & per alia, quæ citat Deci. in l. in negocijs. ff. de reg. iur. immo,
 & nunc negotium recte gerit tutore autore, vbi eius auctoritas est ne-
 cella-

- effaria, §. pupillus. cum ei concordantibus, Instit. de inutilibus stipul. At matrimonium est contractus, ergo auctore Papa, cuius auctoritas tantū immo plus potest in spiritualibus, quam tutoris in temporalibus, arg. cap. vlt. de iudi. lib. 6. poterit contrahere matrimonium.
12. Quinto, quod licet iure naturali ad contrahendum matrimonium requiratur discretio, prudentia, & iudicium, ius tamen, quod determinat tale iudicium euenire masculo in 14. anno, & fœmine in 12. non est ius naturale, sed humanum determinatum arbitrio legumlatorum, qui respiciunt id, quod communiter accidit, vt ait Celsus in l. 4. & 5. ff. de legib. & ita, quando contingit discretio, & prudentia alicui ante tempus determinatum, sancte potest legiflator habita ea de re iusta informatione permittere, vt illud ante determinatum tempus fiat. At per iustam informationem constat prædictos Illustrissimos Dominos impuberes habere, præter communem suorum æqualium, aliam prudentiam, discretionem, & iudicium sufficiens ad cognoscendum, & iudicandum magnitudinem sacramenti matrimonij, & iugum maritalis perpetuum, vt in facto proponitur. ergo iuste potest S. D. N. permittere inter illos matrimonij contractum.
13. Sexto, quod licet coeundi potentia non soleat euenire vt plurimum ante prædictas ætates, tamen frequenter euenit ante illas, illis maxime, qui nati in murice, & auro, & nutriti, vt ille ait, inter superbas opes, & delicias, vires maiores, maiusq. robur corporeum sibi quærunt, vnde Gregor. lib. Dialogorum 4. relatus à gloss. 2. q. 1. in sumam. refert, quendam puerum ætatis nouem annorum nutricem suam fecisse prægnātem, & D. Hieronymus narrat in epistola ad Vitalem presbyterum se audisse, quendam puerum decem annorum grauidam fecisse suam nutricem, Salomonemque in decimo anno genuisse Roboam, & Achaz, in anno ætatis vn decimo Ezechiam, & sunt viri magna fide digni, qui asserunt quandam puellam decem annorum ante paucos annos peperisse in regno Neapolitano. Cum ergo prædicti domini impuberes sint in murice, & auro nati, & in delicijs nutriti, sitq. iam puer duodecim annorum, ac puella decem, facile potest per iustam informationem, & corporis staturam suaderi, eos habere potentiam coeundi; qua probabiliter credita nulla est difficultas dispensationi locum esse, cessante præcipua causa, ob quam facultas contrahendi matrimonij in illas ætates differtur, arg. cap. cū cessante. de appell. & l. adigere. §. quamuis. ff. de iure patro.
14. Septimo, quod potentia actualis coeundi non est de substantia matrimonij, secundum sola iura naturalia, diuina. Tum quia pueri quatuordecim annorum possunt contrahere matrimonium, licet non euenit potentia coeundi secundum receptam sententiam, quæ probatur, eo quod nullatenus debent tales propter frigiditatem separari. Tum quia impedimentum, quod processu temporis tolli potest naturaliter, vel per artē,

non

- non est cōtra substantiā matrimonij,secundū D.Th.recept.in præd.dist. 34.art.2.in corp.ques. & p̄batur in ca.fraternit.& fere toto tit.de frig.& malef. Tū quia nullū impedimentū naturale,quod nō est perpetuū, est contra essentiā, & substantiā matrimonij etiam secundū legem humanā canonicā, dict.ca. fraternitatis.in quo ipso Inno.iiij.definit,impedimentū perpetuū esse illud,quod non potest tolli per naturā,vel medicinā,absq. periculo vitæ probabili. At impotētia prædictōrū dñorum ad actū carnalem (si qua talis esset) tolli potest,& vita comite tollitur processū temporis,ergo eorum petitio non solum non continet,vt S.D.N.dispenset contra id,quod de iure naturali est contra substantiam matrimonij, sed neque id,quod de iure humano est contra substantiam eius, sed solū vt relaxaret ius humanum,quo vetitum est fieri matrimoniū ante illas ætates.
- 15 Octauo,quod non oīs impotētia ad actum carnalē,etiā perpetua,est cōtra substantiā matrimonij,etiā secundum legem humanā.senex.n.quamlibet impotens,& quālibet senio grauatus,potest cōtrahere matrimoniū quod tota seruat Ecclesia,vt ait Scotus vbi supra,propter rationem,quā reddit D.Thom.vbi supra in respons.ad 4.mulier etiā sciens virū esse ali qua impotētia perpetua facti impotentē ad actū carnalē,& hoc nō obstātē cōtrahit cū eo,tenet matrimoniū per rationē,quā reddit Th.vbi supra,in corp.ques. ergo de defectus potētia ad actū carnalē ratione talis ætatis non est contrarius,iure naturali solo inspecto, substantiæ matrimonij,quia illa crescente tolli potest,& passim tollitur: quamuis iure humano ob illam reddatur quis inhabilis ad contrahendum, & consequenter S.D.N.iusta de causa iuste illum tollere potest.
- 26 Nono denique,ad redundantīā,licet non ad necessitatē facit, quod quāuis Pont.max.non possit tollere,neque limitare legem Dei naturalē, vel diuinā,& cōsequēter nec dispensare super ea,accepto verbo dispensationis proprie,& stricte,secundū eos,qui verius,& exactius vidētur nobis loqui,eo quod inferior nō potest tollere, nec limitare leges superioris, nec consequēter legislator humanus legē Dei legislatoris supremi,arg.c. inferior. 2 1. dist.Clem.ne Romani de elect.potest.tamen eā interpretari, & declarare,vt nō debeat seruari,quādo ratio desumpta ex alia lege ipsiusmet Dei naturali,vel diuina id suadet,vt in clem. 1. de hom.declarat illā legem naturalē Decalogi,quæ damnat homicidā non cōprehendere occidentē ad defensionē sui omnino necessariā,& in ca. 1. de iure iuli.6. declarat,legē decalogi de seruādo iuramēto non obligare iurantē seruare statuta ecclesiæ quoad illicita. Potest et per viā epicheiæ, siue epijciæ, siue æquitatis, de qua Philosophus 5.ethi.& D.Th.2.2. quæst.efficere,qd aliquod factum hominis, quod suapte natura includitur sub verbis legis naturæ,vel diuinæ,propter aliquam causam non includatur sub ea,verbi gratia,lex naturæ,& diuina præcipit, vt inferior obediat superiori, l. vt patrię,parentibusque obediamus.ff.de iusti.& iur.& cap.2. de maior. & obed.

obed. At Pont. max. potest efficere iusta de causa non quidem, vt inferior non obediatur superiori, sed vt is, qui est inferior alicuius, desinat esse subditus illius per suam iustam exemptionem, & consequenter, ne teneatur parere illi; quia iam non est suus superior. Potest etiam facere, quod votum, & iuramentum, quae per legem naturalem sunt reddenda, & implenda, cap. magna, de voto, & c. si vero, de iureiur. iusta de causa desinant esse vota, & iuramenta, c. 1. & c. debitores de iureiur. c. 1. & c. litteraturam, de voto, & consequenter licet non possit efficere, quod vota & iuramenta licita non debeant adimpleri, quia id esset tollere, vel limitare legem naturalem, vel diuinam; potest tamen efficere iusta de causa, quod non sint vota, nec iuramenta. quod post alios declarat Sotus lib. 7. q. 4. art. 1. de iust. & iur. & ante illum profundius Caiet. ad aliud propositum 1. 2. q. 100. art. 8. & alio titulo Didacus a Couar. in epito. 4. 2. par. c. 6. §. 9. feliciter dilatando seminaria, quae a nobis olim Salamanticae susceperat. & nostro proposito non est necessarium, quod S. D. N. tollat, vel limitet legem praesentem certam aetatem ad contrahendum matrimonium, quamuis id proculdubio facere possit; quia est lex humana per praedicta, sed satis est quod sua Sanctitas declaret, quod illa lex, quae lata fuit habito respectu ad communiter accidentia, secundum quae non habetur iusta prudentia, & potentia ad contrahendum matrimonium ante illas aetates, non habeat locum in praefatis excellentissimis impuberibus, quibus per iustam informationem constat inesse illas.

18 Non obstant opposita. Ad primum enim respondetur primo, quod c. quod sedem, in eo allegatum, & alia iura, quae habent, puerum, qui non potest reddere debitum, non esse aptum matrimonio, intelligenda sunt primo de aptitudine regulari communi praesumpta, & ideo non habere locum in casu proposito; cum praefati domini habeant aptitudinem veram, & particularem, maiorem, quam sit communis, & praesumpta, vt praedictum est. Secundo, quod id, quod videtur dicere Scotus in arg. citatus, scilicet, senem omnino impotentem non posse contrahere matrimonium, non est verum; quia, vt & ipsemet ait, in propositione argumenti, contrarium seruat Ecclesia, & tenet D. Th. receptus in loco citato in arg. 8. pro nostra parte adducto, & Mich. Med. in li. 5. de sac. ho. c. 74. negat Scotum id asserere, quod satis ex eo colligitur. Ad secundum respondeo, quod licet leges super aetate ad contrahendum matrimonium latae essent iurisgentium, non sequeretur ex eo, quod essent leges naturales; quia aliud est iurisgentium, & aliud ius naturale, per rubr. de iur. nat. gent. & ciuili. & definitiones illorum positas ibi, & in c. ius natur. & c. ius gen. 1. dist. & a diuersis non fit illatio l. Papinian. ff. de minoribus.

Ad tertium respondeo primo, negando esse impossibile, praefatis dominis impuberibus reddere sibi mutuo, id quod debetur virtute matrimonij. Tunc quia virtute illius solum tenetur dare potestas suorum corporum, quae dari potest sine actu carnali, vt contingit virgini Matri, & sponso eius Iosepho, inter quos fuit verum matrimonium secundum receptam sententiam per c. Beata

Maria

Maria. 27. quæst. 2. & alia multa. Tum quia senex omnino impotens potest contrahere matrimonium, vt supra probatum est. Tum quia etiã potens non tenetur reddere debitum coniugale, quia possunt deliberare prius de intranda religione, cap. commissum, de spons. . Tum quia maior 14. annis, cui nondum venit potentia coeundi, satisfacit reddendo postea cum venit, & vt probatum est in arg. 7. pro parte nostra factò, præfati DD. impuberes possunt hæc omnia facere, etiam si non inellet eis potentia coeundi. Secundo responderetur negando, quod non inest eis potentia coeundi, quia per iustam informationem probabiliter creditur eos illam habere. Tertio, quod non est necessaria ad substantiam, & essentiam matrimonij, quod inest eis actu potentia coeundi. quod constat ex eo, quod senex, & infirmi possunt contrahere, & ex alijs, vt supra probatum est.

Ad quartum, respondeo primo negando, quod sit de substantia matrimonij, vt potentia coeundi inest actu tempore contractus per supra dicta, quicquid sentiat Scotus. Secundo negando, quod non inest illa præfatis dominis impuberibus, cum per iustam informationem contrarium probari possit.

- 20 Ad quintum responderetur concedendo, quod præfati domini non possunt solemniter vouere religionem ante præfatas ætates, immo nec poit illas ante decimum sextum annum completum post Concil. Trid. negando tamen, quod id eueniat per legem naturalem, vel diuinam, secundum quas votum obligat omnes doli capaces, & potentes mortifere peccare, quia, vt supra dictum est, quæ discretio sufficit ad obligandum diabolo, sufficit etiam ad obligandũ Deo. & ita concedimus, quod etiam prædicti domini non possunt obligari lege naturali ante prædictas ætates. sed negamus id statutum esse per legem naturalem, vel diuinam, sed tantum per humanam, quam S. D. N. iuste potest ex causa relaxare.

Ad vltimum responderetur, concedendo non posse Papam supplere consentum, qui lege naturali requiritur ad matrimonium, nec consequenter discretionem, & prudentiam ad illud lege naturali necessariã, nec illud prædicti domini petunt, negando tamen quod illis desit prudentia, & discretio iusta ad consentiendum in illud, vt per informationem allatam constat, & largius constabit per faciendam si placuerit Sanctissimo Domino Nostro, quem vt Ecclesiæ Pastorem incomparabilẽ, & huic sæculo accommodatissimum, & necessarium D. Iesus, cuius est Summus Vicarius pro sua in populum Christianum misericordia quam diutissime seruet incolumem. Amen. Salua &c.

S V M M A R I V M .

- 1 *Sponsa sponsum ingressum religionem an ultra duos menses expectare teneatur . num 4.*
- 2 *Leges generales siue priores , siue posteriores limitant speciales . & ratio.*
- 3 *Lex vniuersalis negatiua vniuersaliter intelligenda , licet maior ratio in vno casu militet , quam in alio .*
- 4 *Legum limitatio, extentio , & mutatio quando facienda .*

C O N S I L I V M X X X X .

AN sponsa de præsentis, cuius sponsum, ipsa renuente, ingressus est religionem, habitumque suscepit, tandiu expectare teneatur, donec elapso probationis anno professionem emittat, iuxta decretum 15. Concilij Trident. sess. 25. de reg. vel præfigi possit sponso aliquis terminus, iuxta quem, vel profiteatur expresse, vel ad sponsam redeat, iuxta cap. ex publico. de conuers. coniug.

- 1 Respondetur, quod pro parte negante facit primo, quod à iure antiquo non est recedendum, nisi quatenus per ius nouum receditur l. præcipimus. C. de appella. At expresse l. antiqua cap. ex publico. de conuers. coniug. cauetur, ne huiusmodi sponsum, vel sponsa, teneatur expectare ultra duos menses, vel extra tempus arbitrarium, iuxta cap. commissum. de sponsal. Secundo, quod sicut leges priores generales limitantur per leges posteriores speciales, ita & leges posteriores generales limitantur per leges priores speciales, l. sed & posteriores. ff. de legib. & cap. generi per speciem. de reg. iur. lib. 6. l. in toto. ff. de reg. iur. vbi late Decius num. 7. & probatur, & amplificatur per duas gloss. solen. in l. sciendum ff. qui facti. cog. & authen. offeretur. C. de litis contesta. Cum ergo prædictum cap. ex publico sit lex determinans specialem casum de sponso, vel sponsa de præsentis, volente intrare religionem, censendum est limitare legem generalem cap. 15. de regul. sess. 25. Concilij Triden. ne habeat locum in illo casu speciali. Tertio, quod longe maior ratio limitandi tempus inuenitur in hoc casu speciali, quam in alijs, quia in eo tractatur de grandi præiudicio tertij, de quo non agitur communiter in alijs nouitjs, & lex generaliter loquens nõ solum limitatur per legem specialem, sed etiam per rationem alterius legis secundum Baldum in l. de pretio de publ. in rem actio.
- 3 Pro parte autem affirmante facit primo prædictum cap. 15. de regul. quod generaliter, immo & vniuersaliter, & negatiue prohibet fieri pro-

Pars ij.

F fessionem

fessionem ante finem anni nouitiatus, & lex generalis præfertim vniuer-
 salis, & negatiua vniuersaliter est intelligenda, cap. solitæ. §. fin. de ma-
 iori, & obed. & d. l. de pretio. de publicia. in rem actio. Secundo, quod
 negatio quidquid post se inuenit destruit, & contrarium eius ponit, iux-
 ta gloss. celeb. & recep. in cap. cum dilecta. de consuetu. & prædictum
 cap. 15. per negationem prohibet, ne intra prædictum annum fiat pro-
 fessio. Tertio, quod regula prædicta de lege generali generaliter intel-
 ligenda procedit etiam quando maior ratio inuenitur, quare non de-
 beat includere vnam speciem, ac aliam, vt ait Decius post alios in Con-
 cil. 669. num. 3. per textum in hoc memorab. in l. 1. §. quod autem, ff.
 de al. lu. & aleato. qui tamen communiter est vitiatu, quatenus habet
 affirmatiue, quod puto verum, pro non puto verum, vt ratio sequens
 necessario concludit, esse emendandum, vt adnotauit Antonius Au-
 gust. emend. lib. 4. cap. 17. Cum ergo lex Concilij prohibeat generaliter,
 immo vniuersaliter, & negatiue, nequis professionem faciat ante
 finem anni nouitiatus, habebit etiam locum in casu proposito, esto ma-
 ior ratio limitandi eam inueniatur in eo, vt plurimum quam in alijs.
 Quarto, quod ad solum principem videtur pertinere temperare legis
 4 rigorem per iuris æquitatem non scriptam, l. 1. C. de legib. Quinto,
 quod licet vno respectu æquius videatur, vt seruetur ius antiquum, de
 quo in d. cap. ex publico, alio tamen videtur æquius, vt nouum seruetur
 potius in hoc casu, quam in alijs. Tum quia frequenter contrahen-
 tes matrimonium pœnitent statim contraxisse, & turbati pœnitentia il-
 la refugiunt ad remedium religionis, quam facile profitentur, quod
 postea dolent fecisse. Tum quod maior est necessitas probandi religio-
 nis austeritatem ei, qui tam alienus fuit à religione, vt peruenerit ad
 contrahendum matrimonium, quam alijs, qui non tantum se elongarunt:
 Tum quod vtilius videtur relicto, vel relictae in seculo, vt relinquens
 probet integre auctoritatem religionis, quam partem eius: quoniam ma-
 gis potest expectare quod probata integre austeritate illius pœnitebit
 ingressus, & redibit ad relictam, quam si solum ex parte probasset.
 Sexto, quod nouatio, & limitatio, vel extensio legum citra, vel ultra
 verba ipsarum, nisi efficacissima ratione vigente, non videtur utilis: quo-
 niam est quædam mutatio legis, quæ non expedit fieri, etiam ob maio-
 rem vtilitatem, nisi fuerit maxima, iuxta l. 2. ff. de constit. princ. & tra-
 dit S. Thomas 1. 2. q. 97. art. 2. Hinc raptim consideratis, definitionem
 ad maius, & maturius iudicium refero.

 S V M M A R I V M.

1 Licentia quam dat Parochus Sacerdoti, vt intersit matrimonia contrahens
 do. suffi.

do, sufficit, vt sit verbalis, & probari potest per testes.

I Dispositio omnis potest fieri verbo, nisi scriptura ad actus valore requiratur.

CONSILIVM XXXI.

Vtrum licentia, quam dat Parochus alteri Sacerdoti, vt sit præsens pro eo matrimonio contrahendo, debeat esse scripta, an sufficiat data verbo tantum, & quomodo probetur.

I Respondeo, quod sufficit verbalis tantum. Tum quia omnis dispositio potest fieri verbo, nisi canon, vel lex requirat ad actus valorem scripturam, iuxta gloss. singul. & recep. in cap. 1. de censib. libr. 6. sub fin. gloss. magnæ. Tum quia quamuis debeat in scriptis ferri, iuxta cap. vlt. de senten. & re iudica. lib. 6. quia id ibi specialiter statuitur, interlocutoria tamen, & alia præcepta in iudicijs possunt verbote nus fieri, iuxta gloss. recep. in d. cap. vlt. verbo definitiua: quia nulla iura specialiter requirunt ad eorum prolationem scripturam. Tum quia etiam collatio beneficij potest fieri, & probari absque scriptura secundum omnes in cap. 2. de restit. spolia. Tum per illa multa, quæ post alios adducit Decius in rubr. de constitutio. pro illa conclusione communiter recepta, quod ad essentiam, & valorem gratiæ non requiritur scriptura, & sic dici potest, quod prædicta licentia potest probari per testes. Tum quia quoad effectum probandi regulariter testes, & instrumenta æquiparantur, l. in exercendis. C. de fid. instrum. Tum quia nihil valerent, saltem quoad forum exterius, dispositiones sine scriptura factæ, si per testes absque scriptura non possent probari, vt palam est, cum facta non præsumantur, nisi probentur, l. in bello. §. facta. ff. de capti. & postlim. reuer. & in cap. iureperitis de offic. deleg. Tum denique quod regulariter scriptura non requiritur ad probationem, sed tantum ad illam facilius faciendam, l. contrahitur. ff. de pignorib.

S V M M A R I V M.

I Matrimonium bona fide contra ius humanum contrahentes, & longo tempore continuantes in sua bona fide sunt relinquendi.

CONSILIVM XXXII.

Conuenerunt parentes A. masculi, & B. fœminæ filiorum suorum in domo vnius eorum, vt contraherent matrimoniû, vel sponsalia post Concilium Trident. sed nescitur quæ verba protulerunt, præter quam

F 2 quod

quod simposium fecerunt, & præfati A. & B. manibus se tetigerunt, & postea mortuo A. sine copula carnali ad consilium Rectoris contraxit B. cum patre A. mortui bona fide, in qua manserunt decem annos, & nunc manent suscepta prole. Quæritur quid faciendum.

- 1 Respondeo primo, multa posse adduci circa hæc quæstionem pro eius utraque parte ab eo, cui vacaret id facere. Secundo, quod omiſſa ulteriori perſcrutatione videtur conſulendum præfato D. Rectori, ut nihil ſuper hac re moneat præfatos, qui contraxerunt, ſed relinquat eos gaudere ſuo matrimonio bona fide contracto, & continuato, attento quod impedimentum præfatum eſt iuris humani tantum, & quod neſcitur an fuerit ortum, quia neſcitur qualia verba fuerunt prolata, & per conſequentiam non poteſt probari fuiſſe ortum impedimentum in foro exteriori, & ſcitur quod non interuenit copula carnalis, & quod quando impedimentum eſt ſolius iuris humani tantum, & matrimonium eſt contractum bona fide, & continuatum tanto tempore eadem bona fide, relinquendi ſunt contrahentes in illa ſua bona fide permanere, ut eſt caſus in cap. quia circa. de conſang. ſecundum intellectum veriorum Goffredi, quem citat ibi Hoſt. quemq. nos irrefragabiliter defendimus in c. ſi quis autem. de pœnit. diſt. 7. à num. 68. uſque ad num 75. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Affinitas ſuperueniens matrimonio ratum non diſſoluit, & adulterius petendi debitum amittit, & innocens illud petere poteſt.*

C O N S I L I V M XXXXIII.

Q Vidam contracto matrimonio legitimo per verba de præſenti cū Berta nondum tamen per copulam cognita, habuit rem cum ſocru ſua. Quæritur an dirimatur matrimonium. & an indigeant diſpenſatione ad contrahendum, vel diſſoluendum?

- 1 Respondeo primo, quod præfatus coniux nulla diſpenſatione indiget ad contrahendum cum illa: quia contraxit cum ea, antequam ſuperueniret impedimentum affinitatis in primo gradu, & impedimentum affinitatis ſuperueniens poſt contractum matrimonium non dirimit illud, nec impedit illud, quo ad vinculum, ut eſt caſus clarus in cap. diſcretionem, de eo qui cogno. conſ. vxor. & ita præfatus tenetur ad accipiendam eam, & maritali affectione tractandam, ſi ipſa voluerit, quamuis poterit, ſi voluerit, intrare religionem, ut in eod. cap. exprimitur, immo illa poteſt petere reſtitutionem, quaſi ſpoliata, ut probat ille met
tex. &c

rex. & adnotat Panor. communiter receptus ibi.

Secundo, quod ex hoc sequitur breuis, & plana via remedij, quo prouideatur innocenti vxori, scilicet, quod illa tanquam spoliata petat restitutionem sui viri, quæ negari non potest propter superuenientem affinitatem per prædicta.

Tertio, quod prædictus indiget dispensatione ad petendum debitum coniugale ab ea, quia licet impedimentum superueniens non dirimat matrimonium quo ad vinculum, vt prædictum est, impedit tamen quo ad exactiorem debiti, ita vt illud petere nequeat coniux, cuius culpa id euenit, vt colligitur ex cap. ad limina. 30. q. 1. & est vna omnium conclusio, quæ dispensatio paruo negotio impetratur. Salua &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Matrimonium non dissoluit superueniens affinitas.*
- 2 *Restitutio spoliato, & innocenti non neganda.*
- 3 *Debitum sine dispensatione petere non potest qui vxoris cognouit cōsanguineā.*

C O N S I L I V M - XXXIV.

Ioannes post contractum matrimonium per verba de præsentī ante 14. annos, & sic ante Concilium Trident. & nondum consumatum, habuit rem cum focru sua matre vxoris suæ: & ideo petit dispensationē contrahendi cum sua illa sponsa de præsentī, aut tale diuortium inter eos fieri, vt illa nubere possit alteri, emittente ipso votum continentię. Quæritur, quid iuris?

- 1 Respondeo primo, quod is Ioannes nulla dispensatione indiget ad cōtrahendum cum illa, quia contraxit cum ea antequam superueniret impedimentum affinitatis in primo gradu, & impedimentum affinitatis superueniens post contractum matrimonium non dirimit illud, nec impedit illud quoad vinculum, vt est casus clarus in cap. discretionem. de eo qui cog. conf. vx. fu. & ita prædictus Ioannes tenetur ad accipiendā eam, & maritali affectione tractandam, si ipsa voluerit: quamuis poterit si voluerit intrare religionem, vt in eodem cap. exprimitur, immo illa potest petere restitutionem quasi spoliatam, vt probat illemet textus & adnotat Panor. communiter ibi recep.
- 2 Secundo, quod ex hoc sequitur breuis, & plana via remedij, quo prouideatur innocenti vxori, videlicet quod illa quasi spoliata petat restitutionem sui viri, quæ negari non potest propter superuenientem affinitatem per prædicta.

Pars ij.

F 3

3 Tertio,

- 3 Tertio, quod prædictus Ioannes indiget dispensatione ad petendum debitum conjugale ab ea, quia licet impedimentum superueniens non dirimat matrimonium quoad vinculum vt prædictum est, impedit tamē quoad exactionem debiti, ita vt illud petere nequeat coniux, cuius culpa id euenit, vt colligitur ex cap. ad limina 30. q. 1. & est vna omnium conclusio. Quæ dispensatio quoad forum conscientiae facile dabitur, allegando quod difficile poterit se à tali petitione abstinere.

S V M M A R I V M.

- 1 *Matrimonium de licentia parochi tempore pestis coram acolito contractum est nullum.*
- 2 *Episcopus, seu Parochus solis presbyteris potestatem assistendi matrimonio contrahendo delegare potest.*

C O N S I L I V M XXXV.

AN valeat matrimonium contractum tempore pestis, coram Sacrista Ecclesiae Parochialis, Clerico minorum tantum ordinum, de licentia facta sibi ad id per Parochum eiusdem Ecclesiae?

- 1 Respondeo, quod non. Tum, quia pro forma substantiali matrimonij videtur statui in Conc. Trid. cap. 1. de reform. matrim. sess. 24. quod vnus ex eis, coram quo est contrahendum matrimonium, sit sacerdos. Tum, quia verba illius canonis videntur adeo clara pro hac parte, quod in nullo casu videtur posse ab illa forma recedi. Tum, quia, si dicatur propter pestem posse ab illa recedere, oportebit continuo dicere posse ab ea recedere propter metum, & quodlibet aliud notum impedimentum, & consequenter aperietur ostium ad inducendas multas fraudes, aliqua, & maiora forsan impedimenta quam quæ ante Concilium oriebantur ex matrimonijs clandestinis. Tum denique, quod nec Parochus, nec Episcopus, siue Ordinarius (hoc enim verbo vtitur Concilium, & non verbo Episcopi) potest delegare hanc assistentiam nisi ei, qui sit sacerdos, etiam si Parochus nondum fuerit Presbyter, neque Episcopus consecratus, sed tantum Subdiaconus, quos tamen demandare posse illam Sacerdoti non videtur dubitandum.

S V M M A R I V M

1 Infideles sponsi, qui se cognouerunt, conuersi matrimonium contrahere debent secundum formam Tridentini Concilij.

CONSILIVM XXXVI.

c.4 **I**acobus, & Lætitia neophiti nuper baptizati in proximo præterito Sabbato Pentecostes, dum essent in Hebraismo, factis tantum sponsalibus de futuro per instrumentum dotale parentum, se ipsos per incontinentiam semel carnaliter cognouerunt, non animo, vt aiunt ipsi, tunc consumandi matrimonium; cum existimarent nullū adhuc inter eos esse posse matrimonium, quia nondum, secundum ritum Hebræorum, publice, & legitime contraxerant. Quibus sic stantibus conuertunt, se ad fidem. Queritur nunc, an inter eos fuerit legitimum matrimonium, an post baptismum debeant in facie Ecclesiæ saltem in dubio contrahere.

1 Respondeo primo, quod procul dubio præfati Iacobus, & Lætitia debent denuo contrahere matrimonium, vt sint veri, & legitimi coniuges, quia nullo iure naturali, diuino, nec humano potest esse inter aliquos verum matrimonium, nisi contrahant illud per verba de præsentis. sicut enim sufficit consensus legitimus sine copula subsequuta ad essentiam matrimonij, iuxta c. sufficiat, 27. q. 2. & l. nuptias. ff. de reg. iur. ita requiritur consensus per verba de præsentis, & non qualis qualis, sed liber, & legitimus. cap. cum locum. de sponsal. vnde Aug. relat. in cap. 1. de sponsal. dixit duas esse fides circa matrimonium, altera pactionis, siue promissionis, altera consensus, qua mutuo se recipiunt in coniuges, & quod hæc requiritur ad constituendum matrimonium, & illa non sufficit. Non obstat cap. ex parte de sponsal. quamuis habeat, quod per illa verba, *Ex hac hora te habebō in uxorem*, licet sint de futuro, contrahitur verum matrimonium, quia licet formaliter sint de futuro, virtualiter tamen continent consensum de præsentis, vt in eo declarant omnes Doctores, qualia si fuissent verba præfatorum Iacobi, & Lætitiæ, verum matrimonium esset inter eos contractum, nec oporteret denuo inter eos contrahere per ea, quæ in alio casu aliqua parte huic simili nuper respondi.

Secundo, respondeo quod præfati sponsi tenentur contrahere matrimonium secundum formam sacrosancti Concilij Trident. ita quod sunt faciendæ proclamationes, & si per eas inuenirentur cognati, vel affines intra 4. gradum, non possent absque dispensatione verum matri-

monium contrahere; licet ante conuersionem, & baptismum possident, quia simul ac fuerunt Christiani effecti, cœpit obligare illos, c. non debet de consang. & affin. & c. 1. de reform. sess. 24. Concil. Trid. arg. c. 1. de cōstit. & c. gaudemus. de diuortio. Salua quæ iustior fuerit sententia.

S V M M A R I V M.

- 1 *Matrimonium ad contrahendum cuius ordinarij licentia requiritur.*
- 1 *Episcopus, & eius vicarius dare facultatem regulari ministrandi Eucharistiam, & extremam vnctionem omnibus suæ diœcesis potest.*
- 2 *Licentia ordinarij ad contrahendum matrimonium extra suam diœcesim non sufficit.*
- 3 *Constitetur rite quis, & ordinatur ab alieno de licentia sui ordinarij.*
- 3 *Iurisdictione voluntaria extra suum territorium quilibet vti potest.*
- 4 *Episcopus extra suam diœcesim particularis persona censetur.*
- 5 *Parochus, vel alius sacerdos de illius, vel ordinarij licentia, cur matrimonio nis contrahendis interesse debet.*

CONSILIVM XXXVII.

Quidam volentes contrahere matrimonium inter se, & timētes impedimentum sibi factum iri in ciuitate, cuius erant incolæ, abierunt in aliam ciuitatem longe ab illa sitam, in qua post aliquot dies ibi morantes de licentia ordinarij illius contraxerunt matrimonium in facie ecclesiæ. Quæritur, an valeat matrimonium?

Respondeo primo, quod decisio huius quæstionis pēdet a declaratione illius particulæ; quæ habetur cap. 1. de reform. matrim. sess. 24. Concil.

- 1 *Trid. Qui aliter quam præsentē parochō, vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarij licentia, &c. de quo ordinario intelligatur. Secundo dico, quod sufficit licentia illius ordinarij, cui subijcitur parochus eius, cuius præsentia sufficeret ad contrahendum in parochia huiusmodi parochi; ita quod sufficeret licentia episcopi, vel vicarij eius generalis, vel alius prælati, qui habet iurisdictionem quasi episcopalem, qua esset superior parochō, cuius parochianus est, qui, vel quæ vult contrahere, qualem habent Illustrissimi Cardinales in suis titulis; cap. is qui. de maior. cum ibi not. arg. glos. sing. clem. 1. vers. presbyteri. de priuileg. quatenus habet tenendum esse, saltem post factum, episcopum, vel vicarium generalem posse dare religioso licentiam administrandi sacramentum eucharistiæ, vel extremæ vnctionis parochianis parochorum episcopo subiectorum, & quod etiam ante factum id sit tenendum, affirmat communis, & probat*

- 2 bat efficaciter Bonif. ibidem n. 3 2. Tertio dico, quod est maior difficultas ; An licentia ordinarij proprij sufficiat ad contrahendum matrimonium extra diocesim, & territorium suum. Nam pro parte affirmante facit primo, quod sacerdos de licentia parochi potest audire confessione illius parochiani extra parochiam (vt ita dixerim) licentiatis secundum omnes; cap. *omnis*. de poenit. & remiss. & cap. *placuit*. de poenit. dist. 6. & etiam episcopus extraneus potest ordinare subditum alterius episcopi de licentia eius extra ipsius episcopatum secundum omnes, & omnium proximi. Secundo, quod mulier, vel minor, qui iure prohibetur communi, vel particulari contrahere aliquibus casibus sine licentia suorum iudicum, possunt contrahere cum illa, extra eorum territoria, si nihil
- 3 aliud obstat secundum omnes. ergo. Tertio, quod potest quis sua voluntaria iurisdictione vti extra suum territorium gloss. l. 2. ff. de officio procur. iuncto tex. in cap. *nouit*, de officio legat. ergo. Quarto, quia alioquin sequeretur, quod si duo Romani diuersarum parochiarum vellent contrahere in aliqua domo alicuius Illustrissimi sita in tertia parochia, non possent contrahere in ea etiam ambobus parochis praesentibus, & quod ad hoc esset necessaria licentia Papae, vel eius vicarij.

Quibus tamen non obstantibus pars negatiua videtur vera: primo, quod praesentia ipsiusmet ordinarij proprij licet esset sacerdos, non videtur sufficere extra suam diocesim, nec praesentia parochi, extra suam parochiam, quia id videntur significare verba illa praedicta ipsius Concilij (*de ipsius parochi, seu ordinarij licentia*) videntur enim significare, quod praesentia parochi, vel sacerdotis ipsius licentiati debet interuenire in sua parochia; & quod non sufficiat, vt interueniat in aliena. & idem eadem ratione videtur de praesentia ordinarij, vel licentiati ab eo, quod non sufficiat vt interueniat extra territorium, vel diocesim suam, sed quod interueniat intra illam. Tum quia parochus extra suam parochiam, & ordinarius extra suam diocesim censentur priuatae personae, saltem quo ad exequendum suam potestatem, ibi, l. 3. adiuncta gloss. ff. de offi. Praesid. & glo. sub fi. adiuncto textu cap. *de rap.* Tum quia banna, seu proclamata facienda tribus diebus festis continuis, videntur esse facienda in parochia, in qua est contrahendum, cap. *fin.* de clandest. despons. & notata ibi per Innoc. & latius per Panor. receptum, & Praepos. eodem n. 7. Tu quia alioqui episcopus, vicarius generalis eius, & parochus possent ire ad ciuitatem per centum milia distantem ad exhibendam suam praesentiam matrimonio contrahendo per sibi subditum, & etiam possent sibi licentiarum aliquem sacerdotem, qui eiusmodi praesentiam praestaret. quod videtur contra mentem Concilij, & ita non dicendum, argum. legis. in conditionibus ff. de cond. & dem. c. *fin.* de praeb. Tum, quod ratio quare Concilium desiderauit praesentiam parochi, vel sacerdotis ab eo, vel ab ordinario licentiati, in contrahendo matrimonium, fuit. vt cum maiori auctoritate

ritate

ritate illud contraheretur, quæ auctoritas cessat, cum eiusmodi præsentia exhibetur extra parochiam, vel territorium; quia, ut dictum est, ibi, censentur esse priuatæ personæ, & sensus genuinus prædictæ clausulæ videtur esse, quod parochus, vel sacerdos alius de licentia eius, debet esse præsens matrimonio contrahendo, & quod illud contrahatur in sua parochia, vel quod sacerdos licentiatus ab ordinario sit præsens matrimonio contrahendo, & quod illud contrahatur in sua diœcesi, vel territorio.

6 Ad opposita responderi potest: Ad primum negando, quod sit eadē ratio de confessione, & ordine, ac in matrimonio. nam id de cōfessione, & ordine verum est, sed non est eadem ratio de volente contrahere matrimonium de licentia parochi, quia in assumptis sufficit consensus facientis facultatem confitendi, vel ordinandi sine præstatione præsentia, vel auctoritatis eius. In contrahendo autem matrimonium non solum requiritur consensus parochi, vel ordinarij, sed etiam præsentia auctoritatis per potestatem, quam habet in subditum in eo loco, in quo contrahitur matrimonium. Ad secundum respondetur, quod etiam in assumpto eius sufficit decretum sine licentia iudicis sine præsentia illius auctoritricæ, quod in matrimonio non sufficit. Ad tertium autem concedo posse uti quem iurisdictione voluntaria extra suum territorium, & consequenter posse parochum & ordinarium extra parochiam, & diœcesim existentes præstare licentiam alij sacerdoti ad auctorizandum matrimonium sua præsentia in parochia, vel diœcesi licentiatis: sed negando, quod executio illius auctorizationis posset fieri extra parochiam, vel territoriū eius, per prædicta quæ subtiliter sentit glos. dictæ l. præses. ff. de off. præf. Ad quartum respondeo, concedendo consequentiam, & sequelam, sed negando, quod ea sit nimis dura, præsertim, quia, si illa concederetur, contingeretur illud absurdum, quod illatum est in quarto argumento pro nostra parte factum, nempe quod vnus Romanus de licentia parochi sancti Laurentij posset contrahere matrimonium ab hinc mille miliaria præsentis sacerdote sibi nominato, & quod passim parochi aliarum parochiarum posset præstare præsentiam necessariam matrimonijs, contrahendis in alienis parochijs. Salua &c.

S V M M A R I V M.

1 Sponsalia non contrahit, qui iureiurando dicit mulieri, ut illa potiatur, non habebit aliam nisi te, sed potius tenetur illam ducere.

DE SPONSALIBVS.

CONSILIVM XXXXVIII.

Sempronius cum iuramento mulieri viduæ hæc protulit verba, *Pro-mitto tibi me non aliam, ducturum uxorem nisi te, neque aliam mulierem ingressuram in domum meam, nisi te ipsam.* ita autem Sempronius mulierẽ est allocutus, vt illam ad secum concumbendum induceret, vt induxit. An Sempronius teneatur dictam mulierem ducere in uxorem, & supposito obligatione, an ab ipsa liber esse possit, si vel mulier se monialem faceret, vel ipse Sempronius sacris ordinibus initiaretur?

1. Respondeo, quæstionem hanc esse magnam, & quod verioremi putopinionem Hadriani in 4. lib. sententiarum, q. 12. de sponsalib. quod per præfata verba non fuerunt contracta. sponsalia inter præfatos, saltẽ quo ad forum conscientiæ tantum, & quod licet de rigore iuris non fuerint contracta sponsalia, videtur tamen interuenisse deceptionem, qua Sempronius decepit præfatam viduam, argum. l. vnica. §. fin. C. de raptu virg. & diffamatio, propter quas videtur teneri ad contrahendum matrimonium cum ea. Secundo, quod si Sempronius fateatur præfata coram iudice in foro exteriori, condemnabit eum ad contrahendum matrimonium cum ea, per opinionem Panor. in cap. ex parte. de sponsalib. nisi ea fuerit contenta remittere illi obligationem illam, iuxta cap. præterea de sponsalib.

S V M M A R I V M.

1. Plebeius, nobilem, primogenitum, & diuitem se fingens, quo nobilis secum matrimonium contrahat, Deum, & familiam offendit, sed tenet matrimonium.
2. Papa ex iusta causa matrimonium non consummatum dissoluit.
2. Error personæ, & conditionis seruilis matrimonium annullat, ad quem multum accedit error vilitatis. nu. 3.
3. Error personæ dici potest, vbi plebeius nobilis primogenitus, & diues creditur.
4. Dispensandi iustam causam multa simul præstant, quam singula non præstarent.

CONSILIVM XLIX.

A. Plebeius, se nobilem, primogenitum, & diuitem fingendo, matrimonium cum nobili puella ex illustri familia orta, nepte D.B. contraxit.

trahit. Quæritur primo an matrimonium teneat. Secundo, an, cum non sit matrimonium consummatum, adsit iusta causa, ut illud Papa dissolvere valeat?

- 1 Ad propositam quæstionem respõdeo primo, præfatum A. si præmissa sunt vera, grauiissime offendisse Deum optimum maximũ, & Ill. D. B. & familiam eius tot falsitatibus & dolis aspirando, & machinando ad tã sacrum sacramentum, quod sanctissime, & limpidissime, uti vnum de septem sacramentis, à D. Iesu Christo summo Deo nostro institutum, iuxta canonem 1. sess. 7. Concil. Trident. summa reuerentia tractandum est.

Secundo, quod etsi præfatus. A. grauiissime peccauit vtendo falsitatibus & dolis præfatis ad inducendum præfatum Ill. D. B. & eius neptem in multos errores, non tamen videtur induxisse penitus in errorem personæ, qui solus ipso iure annihilat matrimonium, cap. 1. 29. q. 1. & nos post alios tradimus in Man. nostro confess. cap. 22. nu. 32. & consequenter dicendum videtur de rigore iuris matrimonium præfatum per verba de præsentis contractum, seruata forma in id necessaria per Conc. Tri. inducta, in cap. de reform. matrimonij sess. 24. esse validum, & non separabile regulariter.

- 2 Tertio, quod S. D. N. qui, ut dixit Anglicus poeta, relatus à gloss. in proemio Clem. propter suam admirabilem altitudinem & potetiam, est quidam stupor mundi. *Nec Deus est, nec homo, quasi neuter inter vtrunq.* potest iusta de causa dissolvere illud; quia nondum est consummatum, iuxta gloss. celeberrimam, & receptam, in cap. ex publico. de conuer. coniug.

Quarto, quod meo tenui iudicio in casu proposito, occurrit iusta causa id faciendi. Tum ob multa falsa, & dolosa, quæ machinatus est præfatus A. Tum ob scandala magna, & etiam homicidia, quæ probabiliter præsumuntur occursura. Tum quod error non solum personæ, sed etiam conditionis seruilis ipso iure annihilat matrimonium, ut habetur in d.

- 3 cap. 1. 29. q. 1. & toto titulo de coniugio seruorum, & error vilitatis, & ut ita dicam, plebeitatis, qua præsertim vir creditur valde nobilis, cum sit plebeus, multum accedit ad errorem seruilis conditionis apud nobiliores, quorum de numero sunt Ill. D. B. & eius neptis. Tum quod error, quo falso creditur esse aliquis primogenitus in primogenium patris diuini successurus, censerij potest error personæ, annihilans matrimoniũ, ut & nos tradimus vbi supra, num. 32. post Cald. in cap. 2. de coniugio seruorum, & Hostien. in summa, quos sequitur Ang. in summa, verbo matrimonium, impedimento 4. §. 3. Tum denique quod licet nulla prædictorum constituent omni no errorem sufficientem personæ, qui matrimonium ipso iure dirimat: omnia tamen coniuncta videntur profecto constituere errorem, tam proximum errori præfato personæ dirimentis, quæ conficiunt iustam causam, ob quam S. D. N. iuste ac sancte possit illud

illud dirimere, iuxta gloss. præfatam celeberrimam, cap. ex publico. de conuers. coniug. præsertim considerando, quod præfatus A. per se ore proprio finxit præfata falsa, & dolo malo persuasit ea præfato Illustris. D. B. octogenario, & præfatæ nepti, in cuius potestate manebat, quorum alter ob iuuenilem eius ætatem, & alter ob senilem facile poterant decipi, & quod non solum quo ad vitam in terris pacifice agendam, sed etiam quo ad vitam æternam consequendam plurimum prodest præfato A. vt præfatum matrimonium dirimatur, ad gloriam Iesu Christi, qui nos omnes saluet in æternum. Amen. Salua saniore sententia &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Compositio pro gratia reformatoria in vtroque foro licita, secus in foro tantum conscientie, & num. 4.*
- 2 *Stultus melioris conditionis esse non debet, quam sapiens. & num. 6.*
- 3 *Pœnitentiaria dispensationem cum compositione dare non debet. & seq.*
- 6 *Impedito propter suam culpam non currit præscriptio.*

C O N S I L I V M L.

AN quando gratia a Papa in vtroque foro obtenta ad contrahendum matrimonium in aliquo gradu prohibito propter occultam surreptionem afficitur inualida, & impetrantes in Dataria solent compositionem soluere, Pœnitentiarius Maior ad dictâ compositionem soluendam cogere, si desuper dispenset, valeat.

- 1 Pro parte affirmante facit primo, quod impetrâs aliquod beneficium, expresso minore valore, si postea impetret aliam gratiam, quæ appellatur, perinde valere, expresso vero, & maiori præterea cogetur soluere partem annatæ, quam non fuit coactus soluere propter expressionem minoris valoris. Secundo fuit, quod non debet esse melioris conditionis stultus, quam sapiens, c. cum qui. de præben. lib. 6. At prudens, & verax, qui expressisset huiusmodi copulam, & soluisset compositionem. Ergo & is debet soluere.
- 3 Pars autem negans est tenenda. Tum quia Pœnitentiarius Maior tenet expedire vbique gratis, vt in eius facultatibus exprimitur. & nõ dicitur, gratis expediri, cum aliquid exigitur per viam compositionis, secundum vsûm loquendi Curie, & recte quidem, quia exigere ab inuito, est extorquere, l. fideicommissa §. si rem ff. de legat. tertio, & gloss. celebris c. exigit de censib. lib. 6. verb. exigere. Tum quia Pœnitentiarius Maior non solum non potest quidquam exigere, sed neque sponte datum etiã pro

pro munere accipere, vt in præscriptis facultatibus habetur. Tum quia ob nullam causam licet, vel licuit vnquam alicui mentiri. c. primum, c. ne quis. 22. q. 2. & præfatus illustrissimus tenetur in litteris suis testari, eas gratis vbique esse expeditas, & ita si teneretur cogere ad soluendū compositionem, cogereretur mentiri, quod est absurdum. Tum quia tam summo Pœnitentiaro, quam alijs omnibus sui prætorij officarijs indictum est onus seruandi tantum secretum, quantum confessarius de his, quæ ratione sacræ confessionis nouerit. At imponere onus componendi esset reuelare saltem indirectè secreta sui prætorij. ergo non licet. arg. c. sacerdos, de pœnit. dist. 5. & c. omnis. de pœnit. & remiss. cum eis adnot. Tum quia nulla est causa, cur præfatam compositionem cogantur præfati soluere. Non quidem prior illa dispensatio, quæ ad vtrunque forū fuit data. quia illa fuit nulla, & ex nihilo nihil fit. iuxta Philosophum, in 2. physic. & quod pro nihilo, siue sine causa datur, repetitur. ff. de cond. sin. caus. l. 1. & vltim. non etiam posterior ad forum conscientie tantum data, quia illa debet omnino gratis fieri, & causæ secretum seruari, vt præscriptum est.

- 4 Non obstat prius oppositum, quia arguitur a separatis, contra l. Papi-
nianus ff. de minor. & in quibus est diuersa ratio. nam in opposito agi-
tur de reformatione gratiæ ad vtrunque forum, cui congruit exactio, &
5 solutio; in casu autem nostro de reformatione gratiæ quoad forum con-
scientiæ tantum, cui repugnat exactio, immo & solutio spontanea. Ad
posteriorius oppositum respondetur primo, concedendo, quod stultus non
debet esse melioris conditionis quam sapiens, negando tamen, quod in
hoc casu melioris conditionis fuerit stultus, id est surreptitie impetrans,
quam sapiens, id est absque surreptione impetrans, quia immo fuit peio-
ris, quia impetratio stulte, id est surreptitie facta, non valuit, & sapien-
6 ter id est sine surreptione facta valuisset. Secundo respondeo, quod as-
sumptum est verum solum quo ad ea, quæ immediate procedunt ex il-
lis, non autem quoad ea, quæ mediate; nam semestre ad conferendum
currit collatori non suspensio, & ita sapienti a die scitæ vacationis, non
autem collatori suspensio, & ita stulto. cap. quia diuersitatem. de con-
cess. præbend. per quod maxime commendatum dixit Ias. in §. rursus.
col. 6. de action. quod impedito propter culpam suam non currit præ-
scriptio. cuius ratio est, quod illud priuilegium non nascitur immedia-
te ex culpa, sed mediate ex suspensionis impedimento, quod nascitur ex
culpa, & in casu præposito non agitur de ijs, quæ immediate sequuntur ex
eo, quod factum est stulte, vel sapienter, vt palam est. Salua quæ iustior
fuerit sententia.

S V M M A R I V M.

- 1 Mandatum speciale ad dispensationem impetrandam non requiritur. & 3.
- 1 Beneficium acceptari non potest sine speciali mandato.
- 2 Concessum in materia permissiua censetur, quod non prohibetur.
- 2 Dispensatio sine mandato obtenta valida est.
- 3 Beneficium sine mandato impetrari, & absenti conferri potest, & 5.
- 4 Mandatum, nec ad privilegia, nec ad restitutionem impetranda requiritur.

C O N S I L I V M L I.

- A**N dispensatio possit impetrari sine speciali mandato?
- 1 Pro parte negante videtur casus in cap. innotuit, de elect. sub fin. quem in hoc commendat Panor. ibidem, & Corf. in sing. verbo, mandatum, appellat illud ad hoc esse vnicum, & solitarium in iure, & antea idem tenuit Hostiensis, quem ibi sequitur Abb. in cap. suscitata, de restit. in integrum. & facit l. illud §. si talis. ff. de minor. quatenus habet necessarium esse speciale mandatum ad restitutionem in integ. petend. facit etiam cap. nonnulli §. sunt, & alij de rescript. quatenus habet, non posse impetrari rescriptum sine speciali mandato, & Rota in tit. de rescript. decif. 60. in antiquis habet, quod procurator generalis, nec coniuncta persona non potest acceptare beneficium sine speciali mandato.
 - 2 Sed contrarium est tenendum. Tum quia nulla lege id cauetur, & ita non est dicendum, cap. legatur. 24. q. 2. §. consideremus in authen. de trien. & semis. collat. 3. præsertim ad inducendam prohibitionem, & obligationem in materia permissiua, in qua videtur concessum, quod non inuenitur prohibitum, cap. consuluisti 2. q. 5. resoluit gloss. cap. 2. verbo, inuenitur de translatione prælato. Tum quia prædictum cap. innotuit. de elect. non probat id, quod Abb. & communis aiunt, quia non loquitur de speciali mandato eius, pro quo erat impetranda dispensatio, sed de mandato capituli. Immo neruose viget pro hac parte, quatenus significat, sufficere speciale mandatum capituli ad impetrandam dispensationem, pro eo qui fuerat electus. Tum quia sunt duæ gloss. receptissimæ, altera in c. ad aures quam Abb. Decius, & communis laudant, & altera in dicto cap. nulli. §. sunt & alij, prope finem, glossæ magnæ laudatæ per Abb. Fel. & omnes ibidem, de rescript. quatenus habent non requiri vllum mandatum ad impetrandum beneficium ecclesiasticum alij, quas Imo. & Fel. ibidem, col. 9. dicunt factò seruari, quod & omnes curiales seruant. Tum quia collatio beneficii facta a superiore

periore absentis, & ignorantis sine vlla eius, vel alterius petitione valet, cap. accedens, de præben. & cap. si tibi absentis, eodem tit. lib. 6. Tum quia præfata glossæ procedunt in impetratione priuilegiorum, & immunitatum, vt Felin. ibi post Roman. asserit, reddens rationem, quare aliud
 4 feruetur in impetrando rescritto gratioso. faciunt etiam ea, quæ tradūt Bart. & alij in l. si. ff. de constitut. princip. & in l. qui absentis. ff. de acquir. possess. Doctor. in cap. 2. de constitut. & in dicto cap. si tibi absentis, de præben. lib. 6. dum tractant, an beneficiū, dispensatio, seu priuilegium à principe alicui ignorantis concessum, a tempore concessionis, vel scientiæ fortiri debeat effectum: non enim hoc in dubium doctores verterent, nisi dispensationem, beneficium, seu priuilegium ab amico, vel quocunque alio impetrari posse pro certo tenerent. facit, quia ad impetrandum à principe relegati restitutionem nulla specialis exigitur commissio, textus est valde singul. in l. quidam relegatus. ff. de rebus dubijs, quem extollit Baldus in dicto cap. ad aures. & ibi Sicul. in 4. col. de rescritto. per quæ text. Soci. ibi 4. notab. dixit, quod ad impetrandum beneficium alicui, quo nihil de nouo confertur, nec acquiritur, sed tantum impedimentum tollitur, & in pristinum statum reducitur, nullum illius mandatum requiritur.

S V M M A R I V M.

- 1 *Parochi præsentia parochia in qua, matrimonium contrahitur requiritur.*
- 2 *Parochianum facit frequentatio maior alterius ecclesiæ.*

C O N S I L I V M L I I.

Vtrum ad matrimonij valorem sufficiat præsentia parochi viri in parochia mulierum, vel contra præsentia parochi mulieris, in parochia viri.

- 1 Respondeo primo, quod decisio huius quæstionis, pendet ex intellectu illorum verborum Concil. Trid. c. 1. de reformat. sess. 24. quibus requiritur ad valorem matrimonij præsentia parochi, vel alius sacerdotis de licentia ipsius, siue ordinarij, & ex intellectu verborum, quibus congregatio Illustrissimorum Cardinalium cum assensu Papæ declarauit præfata verba, cum dubitaretur vtrius parochi præsentia requireretur? quando vir & mulier sunt diuersarum parochiarum. Secundo dico, quod quia inciuile est iudicare de lege nisi ea tota perspecta. l. in ciuile, ff. de leg. ita non potest apte responderi huic quæstioni, nisi perspectis omnibus verbis, quibus constat declaratio illa præfatorum Illustrissimorum

rum

rum. Tertio, quod ego à fide dignis accepi quod declaratio præfatorū DD. Card. cōstabat ex verbis, quæ significat id quod adieci in Man. conf. cap. 25. nu. 144. scilicet sufficere parochum mulieris, cum in eius parochia contrahitur, & parochum viri cum in eius parochia contrahitur. Nunc autem subaudio præfatam congregationem declarasse, quod præsentia parochi vnus contrahentium sufficit in quacunque parochia contrahatur. Quarto dico, quòd si per priora verba declarant, vt arbitrator, non sufficere præsentiam parochi viri, si contrahatur in parochia femina, neque e contrario si contrahatur in parochia viri. Si vero declarauit per verba posteriora, arbitrator sufficere alterum parochum, in quacunque parochia contrahatur. Quinto, quod prior declaratio in dubio mihi videtur esse germanior verbis, & menti Concilij. Tum quod secundum illam neutri parochorum datur auctoritas in aliena parochia; per aliam vero sic, quòd agere conceditur in his, quæ pertinent ad forum exterius, cum præiudicio tertij. c. Lugdunensis. 9. q. 2. & elem. 1. de priuileg. Tum quod duplex ratio suadet vt alter parochus præsit, cum contrahitur in parochia sua, scilicet quòd est parochus alterius contrahentium, & contrahitur in parochia sua: & secundum alteram vna tantum, scilicet quòd est parochus alterius contrahentium, & duo vincula sunt fortiora vno, cap. 1. de tregua & pace. auth. itaque. C. communia de successio. Tum quòd parochus in cuius parochia contrahitur videtur quadam tenus esse parochus vtriusque contrahentium; a alterius quidem proprie ratione domicilij, vel habitationis, alterius vero ratione contractus matrimonij iux. c. fin. de foro compet. Sexto, quòd frequentatio maior ecclesiæ parochialis alienæ, quam propriæ, facit quem parochianum illius ecclesiæ, quam magis frequentat secundum omnes. Et quod vir parochum suum duxerit in parochia mulieris, cum qua volebat contrahere, nihil concludit pro matrimonio; & quod consideratio illa subtilis, quod mulier per matrimonij contractum mutat domiciliū ad locum domicilij viri. l. cum quædam puella. ff. de iurisdic. omnium iud. nihil prodest; quia matrimonij est causa illius mutationis, & acquisitionis domicilij; & præcedit eam saltem natura, sine ordine naturæ: & cum effectus non possit esse causa suæ causæ; mutatio illa & acquisitio domicilij noui non possunt esse causa matrimonij, quod est ipsorum causa, iuxta tradita per Aristotel. & omnes in 2. Physicorum, & sæpe à nostris recepta; & quod argumenta sumpta ex facultate exercendi iurisdictionem voluntariam in alieno territorio non videntur posse cōcludere pro matrimonio. Tum quòd in proposito non agitur de exercenda iurisdictione, sed de exhibenda præsentia. Tum quòd illa concluderent, quod præsentia parochi viri sufficeret in parochia, quæ non est viri, nec mulieris, quod non videtur admittendum. Quæ omnia subiugio Illustrissimi Domini mei, quæ emunctissima est, censuræ.

S V M M A R I V M.

- 1 Sponsalia ante Concilium, per copulam transibant in matrimonium.
- 1 Baptizans in necessitate filium suum ex vxore nullam contrahit cognationem.
- 2 Cognatio impediens, & dirimens contrahitur, vbi quis filium suum fornicarium baptizat.

CONSILIVM LIII.

Sponsi ante Concilium Tridentinum se carnaliter cognouerunt, & prolem susceperunt; & cum paruulus in periculo mortis esset, pater eum baptizauit. dubitatur an impedimentum ad contrahendum matrimonium cum dicta sponsa contraxerit, & an baptizans in tali necessitate suum, & concubinæ filium illud incurrant.

- 3 Ad priorem quæstionem, respondeo, quod ex prædicto baptismo nullum impedimentum, quod noceat, ortum est inter prædictos parentes baptizati, quia per sponsalia præcedentia, & copulam carnalem subsecutam constitutum fuit matrimonium de præseni; iuxta c. is qui. de spõs. & pater baptizans in necessitate in casu relato filium suum, vt vxoris suæ, nullam contrahit cognationem, quæ noceat, vel impediatur vsu matrimonij, vt est casus in cap. ad limina. 3 o. q. 1. quia per actum bonum non debet præiudicari matrimonio sancte ante contracto. & certum est quod Conc. Trid. nihil obstat matrimonio clandestine contrahendo in terris, in quibus non est publicatum. c. 2. sess. 24. de reform. quæ responsio si ma est in foro exteriori, in quo præsumptio est iuris, & de iure, quæ non admittit probationem in contrarium. præsumitur enim, copulam, quam sponsus habet cum sponsa, esse matrimoniale, & vxorio affectu habitam: est etiam firma quo ad forum interius conscientie, si res ita habet coram Deo, ac præsumitur exterius; si autem copula prædicta vere fuisset fornicaria & non habita vxorio affectu, secus esset dicendum; quia non esset coram Deo, & in foro interiori contractum matrimonium, & consequenter esset locus decisioni quæstionis.

- 2 AD SECUNDAM QUÆSTIONEM respondeo affirmative, regula enim iuris habet, quod inter baptizantem, & patrem & matrem baptizati oritur cognatio impediens, & dirimens contractum matrimonij, c. 1. de cog. spir. in princip. lib. 6. & quamuis prædictum Concilium in prædicto c. 2. abstulerit aliquas cognationes spirituales, non ta-

men

men abstulit hanc, vt ex eius tenore apparet. & ita qui fornicarium filiū baptizat in necessitate, includitur sub illa regula, & non excluditur per d. c. ad limina. & alia similia ei. quod tantum excusat patrem baptizantē filium suæ vxoris in necessitate, nec potest extendi ad patrem baptizantem filium fornicariæ suæ concubinæ, quia non est eadem ratio, quum in illo casu agatur de non præiudicando matrimonio iam contracto, in hoc autem de non præiudicando contrahendo; per quod videntur solui argumenta quæ in contrarium adducit Sot. in 4. dist. 42. art. 1. qui tamen non fuit ausus tenere contrarium, nec etiam Palud. vt nos diximus in nostro Man. cap. 22. num. 40. Salua &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Matrimonium contractum præsentē parochō, & dicente post paschā vos coniungam in foro exteriori, validum iudicabitur, in foro tamen conscientie secundum intentionem contrahentium est iudicandum.*

C O N S I L I V M L I V.

Parochus accersitus & volentibus matrimonium contrahere dixit, Cum sit tempus quadragesimale non possum vos coniungere; coniungam vos post Pascha, statimque interrogauit virum in hæc verba: *Vis tu Petre Mariam in vxorem accipere, & Petrus respondit, Volo. similiter Mariam interrogauit, Vis tu Maria Petrum in virum tuum accipere, & Maria respondit, Volo.* his auditis subiungit parochus, ego vos post Pascha coniungam. dubitatur an sit inter Petrum & Mariam matrimonium contractum.

- 1 Respondeo, quòd iudex, in cuius tribunali tractaretur hoc negotium in foro exteriori, iudicaret esse matrimonium contractum inter præfatos Petrum & Mariam, in foro autem conscientie, quia mulier affirmat voluisse quidem matrimonium contrahere, si parochus voluisset eos coniungere, eo quòd volebat postea contrahere; sed tempore quo verba ista protulit noluit eum in maritum accipere, sed solum sponsalia de futuro contrahere, non est matrimonium; nam perinde est ac si diceret in effectu volo hunc Petrum habere pro marito, quando contraxero eū eo; sed nunc non accipio eum in talem.



De desponsatione Impub.



SUMMARIUM.

1. *Matrimonia impuberum iuris fictione sponsalia censentur.*
2. *Sponsalia impuberum aetate superueniente non sunt matrimonium.*
2. *Sponsalia etiam inter impuberes obligant ad matrimonium, nisi &c.*

CONSILIUM I.

N. & M. impuberes per verba de praesenti contraxerunt inter se matrimonium, à quo M. vellet resilire, & cum alio contrahere. Queritur an liceat.

1. Respondetur primo, certum esse non contrahi matrimonium inter impuberes, nec inter puberem & impuberem, etiam si se desponsent per verba de praesenti; sed tantum iuris fictione censentur sponsalia de futuro, cap. I. §. idē quoque de despons. impuberum lib. 6. nisi sint pubertati proximi, & malitia, vel potentia suppleat aetatem. Secundo, certū esse quoque talia sponsalia non transire in matrimonium per solam aetatem superuenientem, vt ibidem habetur: & ita, si alter non vult esse coniux alterius, non potest cogi ad illud. Tertio, quod mea sententia vtraque pars obligatur contrahere cum altera in foro conscientiae; nisi aliqua iusta de causa excusetur: quoniam matrimonium illud est potentius, quam sponsalia de futuro, secundum omnes & sola sponsalia de futuro obligant in conscientia ad contrahendum. Ergo & illud matrimonium, argum. cui licet quod est plus, licet vtiq; quod est minus. de reg. iur. lib. 6. Quod in hunc sensum dixi non posse agi ad illud: quod si ipse contraxerit cum alia erit validum matrimonium, & erit inseparabilis ab illa; sed antequam cum alia contrahat, poterit compelli ad contrahendum cum illa; tanquam sponsus eius, qui virtualiter contraxit sponsalia cum illa priore. nec se poterit defendere iuste sine peccato à huiusmodi coactione, quam conscientia in foro interiori, & iudex in exteriori facere poterit. Salua &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Sponsalia inter puberem & impuberem valent, sed pubes resilire non potest, donec alter pubescat, & nolit contrahere.*
- 2 *Sponsus sine consensu sponse cum alia matrimonium contrahendo peccat, sed valet matrimonium, licet puniri debeat.*

CONSILIVM II.

Vir vigesimum annum agens contraxit sponsalia de futuro cū a gente decem. Quæritur quid agendum.

- 1 Respondetur primo valere sponsalia, & non posse puberem discedere à puella etiam de consensu eius, donec pubescat, & peruenit ad duodecimum annum. Secundo, quod expectare debet donec illa pubescat, & si tunc noluerit ipsa contrahere cum ipso, potest vterque resilire à præfatis sponsalibus; si autem ipsa voluerit contrahere cum illo, tenetur ipse ad contrahendum cum illa. Tertio, quod si vir contrahat cū alia matrimonium per verba de præsentī antequam illa perueniat ad pubertatem etiam de consensu illius, vel postquam peruenit ad pubertatem sine consensu eius, peccabit grauissime, quamuis matrimonium alias legitime contractum valeret, sed deberet ipse puniri secundum communē opinionem DD. in cap. de illis. 1. de desponsatione impub. quam sequitur etiam Couaruu. in epitome super 4. 1. par. cap. 5. §. 1. & c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Sponsalia per parentes sponſis præſentibus, vel ratificantibus contracta tenent.*
- 2 *Sponsalia etiam non iurata obligant ad matrimonium.*
- 3 *Pœna conuenta ad matrimonium contrahendum peti non potest.*
- 3 *Sponsalia etiam iurata mutuo consensu dissoluuntur.*

CONSILIVM III.

Parentes sponsalia inter A. filium, & B. filiam contraxerunt, & ex parte B. fuerunt iurata, pacto apposito, vt is, per quem fieret, quominus matrimonium inter eos cōtraheretur, alteri pœnæ nomine 300. solueret

Pars ij.

G 3

Nunc.

Nunc A. sponsus matrimonium cum B. sponsa nisi aucta dote conuenta contrahere negligit: B. autem ad augendam dotem non teneri, nec vel- le responder. Dubitatur primo, an teneantur ad matrimonium contra- hendum. Secundo, an præfata pœnapeti possit. Tertio, an obligatione contrahendi sibi mutuo consensu remittere possint.

- 1 Ad has quæstiones responsurus dico primo, quod si præfati sponsi nõ fuerunt præsentés quando parentes contraxerunt pro eis sponsalia: neq. posteaquam scierunt ea esse inter ipsos per suos parentes contracta, rati- ficauerunt ea, omnes quæstiones manent solutæ: quoniam illa nihil va- luerunt, & nullum effectum produxerunt, cap. 1. §. porro. de despons. im- pub. lib. 6.
- 2 Secundo dico ad primam quæstionem, quod si præfati sponsi omnino fuerunt præsentés prædictis sponsalibus, cum contraherentur, vel ea po- stea ratificauerunt, tenentur contrahere matrimonium; etiamsi illa non iurasset contrahere: quia sponsalia valuerunt & magis illa, quam ille cum illa iurasset contrahere: & non ille, quia duo vincula sunt fortiora vno, cap. 1. de tregu. & pace. & consequenter ei volenti contrahere cum alio, poterit opponi vinculum sponsalium cum altero ab ea contractorum, & iuratorum, arg. cap. ex literis. & cap. iurauit. cum eis admo. de spons. adiuncto d. §. porro. Et parochus cui hoc impedimentum denuntiabi- tur, non audebit interesse matrimonio eorum contrahendo, donec epi- scopus declaret esse dissoluta sponsalia inter illos, per responsionem præ- fatam sponsi, quod non declarabit episcopus nisi audito illo.

- 3 AD SECUNDAM QUÆSTIONEM responderetur, quod non poterit peti pœna illa; quia nemo potest obligari per pœnam ad cõ- trahendum matrimonium, cap. gemma. de sponsalib.

AD TERTIAM responderetur, certum esse quòd sponsalia etiam iurata possunt solui de consensu amborum sponforum, cap. præterea. de spons. & quod si sponsus vere noluit contrahere cum sponsa sine aucta- rio dotis, neq. ipsa cum illo dando auctarium, videntur sibi mutuo remi- sisse fidem, & promissionem datam, & etiam iuramentum vti accessoriũ earum: & quod non indigebit absolutione vlla, si res ita se habet. Ca- uendum autem an res ita se habeat: quia non videntur omnino conue- nire in sese mutuo absoluendo. Quamvis de rigore iuris per quandam consequentiam satis præsumetur sponsus voluisse discedere à sponsali- bus, si satis probetur eum noluisse contrahere, & implere sponsalia, in forma conuenta sine auctario nouo dotis, & quod illa noluit dare aucta- rium, & per consequentiam voluit etiam discedere ab illis.



De Clandest. Desponsation.



S V M M A R I V M.

- 1 *Parochi remittere nequeunt denuntiationes trinas matrimonij contrahendis præmittendas.*

C O N S I L I V M I.

Quidam volentes matrimonium contrahere, & timentes ne si publicaretur, ante quam esset contractum, a maleuolis retardaretur, vel etiam impediretur, quæsiuerunt, an denuntiationes trinæ, quæ ante fieri debent, possint a parochio remitti.

- 1 Ad quam quæstionem respondimus, id quod diximus in *Manu. Confess. cap. 22. num. 70.* similiter, quod parochi non possunt relaxare obligationem præmittendi tres denuntiationes faciendas super impedimentis eorum, qui volunt contrahere matrimoniû. Tum quia Conc. Trid. cõcedendo hanc facultatem Episcopis, videtur tacite negare parochis, vt ibi diximus arg. c. nonne de præsumpt. & l. cum prætor. ff. iud. Tum quia illa tria denuntiatio præcepta fuit ante Conc. Trid. per Concil. generale, de quo in c. cum inhibito. de clandest. despons. quod non tollit Concil. Trid. immo confirmat, & secundum mentem communem doctorum non poterant parochi obligationem illius c. tollere, vel relaxare &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Matrimonium post Concilium Trid. aliter quam præsentem parochio contractum, est nullum.*
 2 *Parochianum non facit habitatio ad tempus extra domicilium.*
 2 *Domicilia duo potest quis habere in locis separatis.*
 3 *Confessio sacramentalis facta parochio rurali, ad quem pœnitens rusticandi animi gratia aliquoties accedit, non valet.*

Civitatis incolæ, & in rure prædia habentes, & ad rusticalia exercenda aliquoties in anno ad rus accedentes, dimissa in vrbe parte familiæ, coram parochio rurali, & testibus matrimonium contraxerunt, cum in dicta ecclesia esset Concilium Trident. receptum, & publicatum. Quæritur an matrimonium teneat?

- 1** Ad quæstionem hanc respondendum est, proculdubio prædictum matrimonium iudicandum esse inualidum, illa ratione syllogistica in prima figura, & modo tertio, qui dicitur vulgo, Darij, scilicet, omne matrimonium contractum post Concil. Trid. recept. & rite publicatum aliter, quam præsentem parochio, vel alio sacerdote, de ipsius parochi, aut ordinarij licentia, est inualidum, & nullum, cap. 1. de reform. matrim. sess. 24. Conc. Trid. at matrimonium prædictum est contractum post Conc. Trid. rite, & recte publicatum, aliter quam præsentem parochio, aut alio sacerdote de ordinarij, vel parochi licentia, est inualidum, & nullum. Non obstat, quod prædictus presbyter ruralis erat forte parochus ecclesiæ parochialis illius ruris. Tum quia contextus Concilij intelligendus est de parochio contrahentium, vel saltem alicuius eorum, secundum omnes, & prædictus presbyter nullius contrahentium erat parochus, licet esset parochus ruris. Non obstat etiam, quod prædicti contrahentes, vel alter eorum habent domus, & prædia in illo rure, siue pago, & quod aliquanto tempore soleant ibi commorari causa recreationis, vel rusticandi, vel exercendi per se, vel per alios aliqua rusticalia, quia ea non sufficiunt ad faciendum quem parochianum parochiæ ruris, vt est casus irrefragabilis, in cap. is qui de sepult. lib. 6. Nec obstat, quod potest quis habere duo domicilia in duobus locis separatis, quoniam id est verum quando quis in vtroque loco æqualiter habitat, & non alias, vt est casus cap. 2. sub fine eod. tit. & lib. & in l. assumptio. §. iurisprudens. ff. ad municip. ibi *si vtrouique &c.* cui satis concordat l. eius qui §. si quis, eod. tit. & Paulus Iurisconsultus, in l. Labeo. eod. tit. requirit ad hoc, vt ex æquo se habeat ad vtrumque locum. & nemo auderet dicere, quod confessio sacramentalis facta prædicto presbytero rurali sine licentia sui parochi valeret, quia id esset contra cap. omnis vtriusque sexus. de pœnit. & remiss. & cap. fin. de pœnit. dist. 6. & contra Conc. Trid. requirens, quod sit Iudex competens, & habeat iurisdictionem spiritualem in consententem, cap. 5. & can. 9. sess. 14. eiusdem Consilij. Salua &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Matrimonia clandestina ubique ante Concilium valebant, & post ubi illud receptum non est.*
- 1 *Parochi presentia, ubi obtinet Concilium, est de essentia matrimonij.*
- 2 *Matrimonium clam ducta relicta, cum alia contractum non valet, illa mortua, iterum cum hac sine dispensatione contrahi potest.*
- 3 *Sacramenta, nisi sit baptisma in morte, ab hereticis recipiens, peccat.*
- 4 *Matrimonij vinculum nuptialis benedictio nec bene, nec male accepta minuit, vel auget.*
- 5 *Baptisma ex forma Græcorum, vel etiam ab infideli ministratio valet. nu. 10*
- 6 *Baptizati ex forma a Romana, vel Græca diuersa rebaptizandi.*
- 6 *Baptismus non est si quis in nomine patris, & filij, & spiritus, verbo, sancti, tacito, baptizet.*
- 7 *Verborum diuersas sensum verborum substantiæ sacramenti corrumpes facit illud nullum.*
- 8 *Nomen spiritus sancti, vt proprium spiritus sancti.*
- 9 *Verborum mutatio ad fouendum errorem destruit sacramentum.*
- 9 *Heresis Bosnensium, quod spiritus sanctus non est Deus.*
- 10 *Matrimonium sine parcho, ubi Concilium seruatur, contractum, est nullum.*
- 11 *Matrimonium raptor cum rapta ante restitutionem contrahere nequit.*
- 12 *Arma deferentes cum mortali inobedientia, vel scandalo, vel ad bella iniusta, nisi abstineant, absolui non possunt.*
- 13 *Arma bona fide apud infideles fabricantes absoluedi.*
- 13 *Infidelium terras inhabitantes eis equos sic vendere possunt.*
- 14 *Arma fabricare, quibus quis vti, & abuti potest, ex se non est peccatum.*
- 15 *Milites Stipendiarij non solum Turcæ, sed etiam Principi Christiano ad iniusta bella se obligantes peccant.*
- 16 *Matrimonium cum non baptizato contractum est nullum.*
- 17 *Matrimonium cum baptizato ex Bosnensium forma contractum non valet.*
- 17 *Vxor conuiuere tenetur viro heretico, sed sine Creatoris contumelia.*
- 18 *Absolui nequit, quæ nupsit infideli, nisi ab eo se separet.*
- 19 *Fidelis inter infideles habitans, tunc tenetur fidem confiteri, cum alias subtraheretur honor Dei, vel vtilitas proximi cessaret.*
- 20 *Baptisma non datur volenti in suo mortali persenerare.*
- 20 *Baptizari possunt infantes ægroti de consensu parentum infidelium.*
- 21 *Baptizandi non sunt infideles habentes vsum rationis, nisi velint ab infidelitate recedere, & fidei necessaria credere, & tunc possunt, & debent baptizari, licet morbo & salutis desiderio ad baptismum incitentur.*

CON-

CONSILIVM II.

NOs fratres Prouinciæ Bosnæ Argentinæ notum facimus, quatenus in regionibus nostris reperiuntur quidam Christianorum, qui solent facere connubia absque præsentia sacerdotum, & hoc euenit, tam ante determinationem Concilij Triden. quam etiam modernis temporibus.

Secundo, quia ex antiqua corruptela quidam eorum reliquerunt proprias vxores, & acceperunt alias, quarum mulierum relictarum quædam postea alios viros, ex quibus habuerunt filios, illis vero hominibus hoc euenit, quod primæ illorum mulieres nupserunt, & stant cum secundis, & cupiunt confirmare matrimonium, & recipere sacramenta ecclesiæ, & omnes istos excessus commiserunt illi homines ex ignorantia causata ob penuriam sacerdotum, summa quorum extenditur vsque ad trecentos.

Tertio item adhuc inueniuntur homines, qui suscipiunt benedictionem nuptialem a sacerdotibus Græcis hæreticis, qui blasphemant ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & ex istis inueniuntur quidam, qui dereliquerunt vxores suas, & isti homines sunt orthodoxi, qui habitant inter Græcos hæreticos.

Quarto, cum Græci, & Schismatici, præsertim Seruiani, hoc est, Græci Sacerdotes defecerint a Sancta Romana Ecclesia, & perdidierint ritum catholicum, & Sacramentum, Dubitatur si contingat aliquem ex his conuerti ad fidem Catholicam, num is baptizare debeat absque conditione in forma baptismi, si non est baptizatus. & ratio dubitandi est, quia forma baptismi eorum est hæc, Baptizetur seruus Christi in nomine patris, & filij, & spiritus. & non exprimunt, verbum, sancti, & amen, & propterea non intendunt ipsi facere, quod facit Ecclesia Romana.

Quinto, cum multi capiant puellas, & contrahant cum eis, non in faciē Ecclesiæ, vt dictum est, quæritur si tenentur dimittere eas, quia contrahunt clandestine.

Sexto, vtrum possint absolui Bosnenses sæculares catholici portantes arma.

Septimo, an possint absolui artifices Bosnenses facientes arma offensua, sicut gladios, hostilia, & alia id generis, & qui faciunt hastas ligneas pro bello, quia ad malum finem non faciunt, sed artem suam exercent, vnde necessarium victum acquirunt, & prædicta arma faciunt in terris Turcarum.

Octauo, vtrum possint absolui catholici, qui se faciunt scribi pro militibus stipendiarijs Principis Turcarum, obligantes se militare cum cæteris infidelibus contra Christianos, non ex voluntate sua, sed gratia lucrandi

crandi, & calumnias, seu opprobria euitandi, & in facto militant, præfertim, qui sunt in confinibus infidelium.

Nono, si hæretica, seu schismatica nupta schismatico postmodum conuerfa nubat catholico, vel postquam nupserit conuertatur, debeat cogi redire ad primum, cum sine licentia recesserit, quia aliquando redire ad primum esset periculum errandi iterum, & relabendi in aliquod peccatum, & in contumeliam fidei Christianæ, alioquin non consentirent cohabitare insimul. hoc dicimus quando alter coniugum non vult conuerti, cum vt plurimum aliqui hæretici contrahunt cum conditione.

Decimo, similiter si catholica nubat infideli Turcæ, & cum eo habitas in sua fide, an possit absolui, & Eucharistiam sumere, vel non assentiente postea catholico nubere.

Vndecimo, simili modo, quando catholica nubat schismatico, & non consentiens stare cum eo, vtrum possit nubere catholico, & quid de matrimonio, cum multi infideles adulti baptizentur, & credant in Christū firmiter, tamen minime publice audent publicare formidine pœnæ, quæ ritur, an possint saluari, quia non habent commoditatem relinquendi patrimonium, & patriam ob multos respectus.

Duodecimo, & quia interdum reperiuntur ipsimet Turcæ, & eorum filij grauissimis morbis arrepti, qui in hoc tantum casu baptismum requirant, quod sæpe viderint, aut audiuerint talibus collatum sanitatem restituisse, quæritur, an baptismus, ijs tali intentione petentibus sit concedendus, vbi sciendum est fratres de obseruantia periculum vitæ incurrere, si negent, cum negari sibi hac de causâ putent, ne corporis sanitatem consequantur, eoque magis, quia superioribus temporibus multi hoc tantum nomine fuerunt baptizati, & post Concil. Trident. fratres prædicti abstinuerunt, quod id illis non licere dicerent ex decretis Franciscanæ Religionis, non autem Concilij, & de ritu Sanct. Rom. Ecclesiæ, quia hac ratione mortem subiissent.

Respondeo primo, quæstiones has, nec satis distincte, nec satis absolute proponi.

1 AD PRIMAM quæstionem respondeo primo, quod procul dubio valent matrimonia, si ante Concil. Trid. fuerunt contracta. Tum, quia præsentia Sacerdotis nunquam fuit ante illud necessaria de substantia, & essentia sacramenti matrimonij, quod probat totus titulus de clandestina dispensat. cum multis alijs. Tum quia ipsummet Concil. Trid. in cap. 1. sess. 24. expresse declarat, matrimonia clandestina ante illud contracta fuisse valida, & damnat grauiter eos, qui contradixerint, licet etiam detestetur illos, qui clam ea contraxerunt. Tum quod absentia sacerdotis in nullo alio nocebat tunc substantiæ matrimonij, quâ quod aliquando faceret illud clandestinum: at id nunquam ante prædictum Conc. suffecit ad reddendum illud inualidum, ergo. Secundo respon-

respondeo, quod, si post Concilium contraxerunt, est distinguendum, an illud fuerit in illa prouincia ita receptum, an non. nam si non fuit ita receptum, perinde iudicandum est de contractis post illud, ac de contractis ante illud; si autem ita receptum fuit, contracta post illud sic publicatim iudicanda sunt nullius esse valoris, per d. cap. primum Concilij citatum.

2 AD SECVNDAM quæstionem, quid sit consulendum 300. citat viris, qui relictis prioribus vxoribus, cum quibus forte clam contraxerunt, duxerunt alias, & priores vxores, quæ etiam nupserunt alijs, iam mortuæ sunt, & desiderant iuste conuiuere secundis vxoribus. Ad quam respondeo primo, quod ipsi grauissime peccauerunt relinquendo priores, si valide cum eis contraxerunt, & ducendo posteriores, cap. dixit Dominus, 32. q. 7. & cap. quoniam. de coniug. leproforum. Secundo, quod peccant conuiuendo posterioribus, etiam post mortem priorum, si valide cum eis contraxerant, quia non valuerunt matrimonia, quæ cum secundis contraxerunt, viuentibus prioribus, cum iure naturali, diuino, & humano vetitū sit habere plures vxores, nisi ex reuelatione diuina, cap. gaudemus, de diuortijs. Tertio, quod non possint contrahere matrimonia, etiam noue, cum illis, sine dispensatione Sedis Apostolicæ, propter impedimentum, de quo in titulo de eo, qui duxit in matrimonium quam poll. per adult. Quarto, quod Christianæ charitatis, misericordiæ, benignitatis, & magnificentiæ Sanctis. D. N. fuerit committere potestatem dispensandi gratis cum omnibus illis Episcopo, vel Episcopis illius prouinciæ. Tum quia ignorantia, licet crassa, iuris id fecerunt, tum quia sunt Prouinciæ confines infidelium prouincijs, quibus sese submittentibus S. R. Ecclesiæ, & eius leges seruare volentibus, aliqua ex parte magis, quam alijs, fauendum est, arg. cap. licet, de baptismo, & cap. opera charitatis, cum eis annotat. de sponsalib. cum similibus. Tum quia multitudini parcendum est, cap. constitueretur. 50. dist. cum alijs similibus citatis a gloss. & cap. latores. de cleric. exeom. min.

3 AD TERTIAM respondeo primo, quod oportet eos pœnitere peccati, quod in hoc admiserunt, quia nulli catholico licet accipere ab hæreticis, vel schismaticis, quos nouit esse tales, sacramentalia, de quibus est benedictio nuptialis, neque sacramenta, præter baptisma in morte, cap. præter §. verum. iuncta gloss. verbo, sed agentibus, communitè recepta 32. dist. per nostros, cui concordat D. Thom. communiter receptus 3. p. q. 92. ar. 7. & in 4. dist. 13. q. 1. art. 1. quæstiuncula 3. Secundo, quod etiam peccant separando se a suis vxoribus, cum quibus legitime contraxerunt, quia benedictio nuptialis, neque bene accepta auget vinculum substantiale, & essentialè matrimonij, neque male accepta minuit illud, quia illud vinculum est indissolubile, Matt.

19. quos Deus coniunxit, &c. relatus in cap. quos Deus, 3. q. 2. & in cap. inter corporalia. de translat. prælat. & consequenter, quod debent ad eas redire, etiam si secundas duxerint, cap. 1. & vlti. de sponsa. duorum.

5 AD QVARTAM quæstionē dico, quod facile cuiquam videri potest vera pars negatiua; primo, quia forma baptismi Græcorū, licet quoad verba differat a forma Ecclesiæ Romanæ, sufficiens tamen est ad conficiendum verum baptismum, vt præsupponit Innoc. iij. in Cōc. generali, de quo in cap. licet, de baptif. quod longe expressius definiuit Conc. Flor. in suo decreto de sacramentis, & affirmat D. Thom. communiter receptus in 4. dist. 3. & in 3. par. q. 67. art. 6. At in prædicta prouincia Bosnæ Græci baptizant secundum formam Ecclesiæ Græcorum, ergo. Secundo, quod diuersitas verborū formæ baptizandi non reddit baptismū nullū, modo per actum baptizandi, & causam principalem baptismi, sanctissimam, scilicet, trinitatem sufficienter exprimant, cap. si non sanctificatur. & cap. retulerunt, de consecr. dist. 4. at verba formæ, qua baptizantur, & de qua quæritur, videntur eam sufficienter exprimere, ergo. Tertio, quod nihil obstat, quod ij, de quibus quæritur, fuerint baptizati ab hæreticis, & schismaticis; quoniam, licet S. Cyprianus, cum multis alijs episcopis opinatus fuerit, hæreticos non posse sacramenta vera, & valida alicui dare, & refertur in d. c. si non sanctificatur, & in cap. quo modo, de consecr. dist. 4. contrarium tamen est verum, vt prædicti canones probant, & nouus canon. 4. de baptif. Conc. Trid. sess. 7. & facit etiam canon 12. de sacramentis eiusdem sessionis, præsertim autem sacramentum baptismi, quod conferri etiam potest a Iudæo, & pagano, cap. a quodam, de consecr. d. 4.

6 Non obstantibus tamen his, pars verior videtur affirmatiua, scilicet, quod sint iterum baptizandi, saltem sub conditione, si non es rite, &c. iuxta cap. 2. de baptif. immo & meo iudicio pure. Tum quia forma, qua baptizant in prædicta prouincia hæretici, & schismatici, non est consona formæ baptizandi Ecclesiæ Romanæ, neque ecclesiæ Græcorum, quam prædicti canones, & doctores probant: in illa enim ponuntur ista verba: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* In hac autem nostri casus. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus,* tacentes illud verbum, *sancti,* & Amen. Tum quia diuersitas verborum formæ sacramenti, per quam corrumpitur legitimus, & substantialis sensus verborum, quæ sunt de substantia, & essentia sacramenti, facit inualidum sacramentum, cap. multi, adiuncta glos. de consecr. dist. 4. & tradunt D. Thomas, & alij in 4. dist. vbi nouissime late declarat Sotus arti. 7. & melius arti. 8. & dist. 3. q. 1. art. 5. coll. 4. ponendo regulam, quod mutatio formæ verborum baptismi, siue subtrahendo, siue addendo, siue transponendo, siue corrumpendo, per quam quippiam necessarium omittitur, efficit baptismum nullum: At in forma prædicta baptizandi Bosnæ subtrahitur verbum, sancti, quod est

- est necessarium ad significandum spiritum sanctum, tertiam personam Trinitatis: solum enim verbum Spiritus, sine adiectione verbi, sanctus, non est nomen proprium Spiritus sancti, nec appropriatum Spiritui sancto, vt docet D. Tho. receptus 1. p. q. 36. art. 1. vbi ait, quod nomen Spiritus sanctus captum in vim duorum nominum omnibus personis competit; quia etiam Pater, & filius, est Spiritus, est sanctus, sed captū in vim vnius nominis est nomen proprium Spiritui sancto ex sacrae scripturae accommodatione. At in praedicta forma Bosnae ponitur verbum Spiritus, sine sancti, ergo non ponitur ibi nomen Spiritus sancti; & ita non ponuntur nomina trium personarum, quae necessario debent poni in forma baptismi, iuxta cap. vlti. Matthaei, & consequenter per illam non conficitur baptismus. Tum quia verba sacramenti, mutata ad fouendum errorem intolerabilem, destruunt sacramentum, vt late post alios tradit praedictus Sotus vbi supra. At baptizatores Bosnae mutant verba ad fouendum haeresim suam de Spiritu sancto, quod non est Deus, & creator, sed creatura, ergo. Quinto, quod Zacharias Papa, in duabus vel tribus partibus, cap. in Synodo, de cons. dist. 4. dixit expresse, quod baptismus, in cuius collatione defuit vnum nomen trium personarum, sanctissimae Trinitatis, nihil valet, & idem ait Didimus in libro de Spiritu sancto, quem citauit Sotus in 4. d. 3. art. 6. col. 4. dicens, si quis baptizare conetur, vt vnum ex praedictis nominibus omittat, scilicet, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sine perfectione baptizabit.
- 10 AD PRIMVM** oppositorum respondetur, concedendo, quod forma baptizandi Ecclesiae Graecorum, de qua Inno. 3. & Conc. Trid. & alij Doctores in ea citati loquuntur, est sufficiens ad conficiendum verum baptismum, negando tamen, quod forma praedicta Bosnae sit illa, de qua loquuntur illi, cum desit nomen proprium Spiritus sancti, quod habetur in alia. Ad secundum respondetur, concedendo in eo assumptum; negando tamen, quod praedicta forma Bosnae contineat verba sufficientia ad exprimendum legitimum, & necessarium sensum, quia deest nomen Spiritus sancti, sine quo non satis sufficienter exprimitur sacrosancta Trinitas, cuius expressio vti causa principalis baptismi, est legitima, & necessaria per superius dicta. Ad tertium respondetur, concedendo, quod baptismus collatum ab haeretico, schismatico, & etiam pagano valet, modo ea sint illis mente, vt velint facere id, quod ecclesia intendit, & expriment sanctissimam Trinitatem vti causam principalem eius sufficienter, & non addant, vel tollant verba, quibus suum errorem intolerabilem aperte foueant; negando tamen, quod talis sit forma Bosnae per praedicta.
- 11 AD QUINTAM QUESTIONEM** respondetur primo, quod est distinguendum, vt ad primam quaestionem distinctum fuit, an Concil. Trid. sit receptum, & lex eius, quae irritat matrimonia, an non. Secundo, quod, si fuit receptum, proculdubio matrimonium est nul-

lum,

lum, eo quod non est seruata illius forma, vt responsum est ad primam quaestionem. Tertio, quod etiam non potest ibi contrahi matrimonium inter raptorem, & raptam, etiam coram paroco, quamdiu illa fuerit in potestate illius, & donec illa ponatur in loco tuto, & libero, postea vero sic, iuxta cap. 6. d. fess. 24. & consequenter cogendus est raptor relinquere raptam, si Conc. praedictum fuit ibi receptum, si autem non est receptum ibi praedictum Conc. matrimonium contractum inter raptorem, & raptam tenet, si vero rapta etiam sponte consensit, per cap. fin. de rapt. etiam antequam restitueretur, vt sensit Io. Maior. contra Martinum de Magistris in 4. sent. dub. 29. q. 1. vers. fur. quamuis non ita clare id asserat, ac imponitur ei a Couarr. 2. p. epitome. §. 9. num. 5. pro quibus tamen, licet ipsi non dicant, vrget praedictum cap. 6. Concilij. eo quod in ducit ius nouum, quatenus requirit, vt ipsa prius ponatur in loco tuto, & libero: num. vtitur enim Concil. verbo decernimus, quod est indicium iuris noui, iuxta glos. clem. per litteras, de praeben. & alias quatuor, quas in id citat Felinus, in cap. decernimus de iud. nu. 10. ergo ante illud sufficiebat verus, & spontaneus consensus raptæ sine depositione eius in aliquo loco tuto, & libero, & consequenter etiam nunc sufficiet, vbi non est receptum, nec seruatur illud.

12 AD SEXTAM respondetur primo, quod si ius Romanorum, de quo in authent. de armis. coll. 6. seruaretur ibi stricte, ita, quod delatio armorum sit priuatis hominibus vetita, non liceret eis deferre arma; & si deferrent, ita notabiliter, quod delatio talis esset inobedientia mortifera, vel scandalum notabile, non deberent absolui, nisi à tali delatione abstinerent, arg. cap. 2. de maio. & obed. & cap. nihil cum scandalo. de prescriptione. Secundo, quod neque debent absolui, si deferant illa ad bellandum in bellis, quæ sciunt vel scire debent esse iniusta, praesertim contra Christianos, qui peccant mortaliter, & sunt in proposito ita peccandi, cap. quid culpatur. 23. q. 5. & cap. qui resistit. & cap. qui Iulianus. 11. q. 3. Tertio, quod si armorum delatio ibi non est ita stricte prohibita, sed solum sub aliqua parua poena temporali, & non deferunt illa in aliquem finem mortiferum, nec aliquod scandalum notabile inde nascitur reipublicæ, possunt absolui; quia vel nullatenus peccant, vel tantum venialiter, quod non est contrarium gratiæ Dei gratum facienti, quæ per absolutionem sacramentalem infunditur, iuxta doctrinam D. Thom. recept. 2. 2. q. 29. art. 12.

13 AD SEPTIMAM respondetur, quod possunt absolui regulariter loquendo, praesupposito, quod prohibita fabricandi arma, de qua in d. authent. de armis. coll. 6. non seruatur ibi plus, quam communiter inter Christianos. Tum quia id per se nullo iure, naturali, diuino, vel humano, vetitum est, & quod nullo tali iure vetitum est, non est peccatum, iuxta definitionem peccati ex Aug. 2. contra Faust. relatum a glo. in cap.

in cap. ille rex de pœnit. dist. 3. & à D. Thom. 1. 2. q. 71. art. 6. & declarata à nobis in præludio 7. Man. a num. 5. Tum quia, vt alias responsum est, licet Christianis viuentibus in terris Turcarum vèdere suos equos, eo fine, vt ad licitos vsus vtantur. Tum quia c. ita quorundam. de ludæ. & alia ei concordantia, quæ sunt edita contra deferentes arma infidelibus, non comprehendunt subditos Turcarum fabricantes arma in terris suis, vt

14 **ex** tenore clare colligitur. Tum quia iure communi, quo vt plurimum vtuntur omnia Christianorum imperia, licet Christianis subditis principum Christianorum facere arma bono fine, vt scilicet emptores vtantur in licitos vsus; quamuis præter intentionem fabricantis in illicitos abutantur. Tum denique quod D. Thom. recept. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 4. deterrminat, posse artifices iuste fabricare sagittas, & gladios, & alia, quibus homines possunt bene vti, licet possint etiam male. Dixi, regulariter, quia id falleret, si fabricarent ea expresse ad bella iniusta contra Christianos, vel alios, vel tacite, seu virtualiter scientes, vel credentes, quod ij, quibus vendunt arma fabricata, vtentur ad bella iniusta, præsertim contra Christianos. Tum, quia id esset virtualiter cooperari eis ad malum. Tū, quia etiam Christianis degentibus in regnis Christianis non liceret illud, argum. eorum quæ tradit Tho. dicto art. 2.

15 **AD OCTAVAM** respondetur, quod non possunt absolui, si se obligant ad militandum ei, etiam in bellis iniustis, quæ ipsi sciunt, vel scire debent esse iniusta, quia non liceret eis obligare se sic ad militandū etiam vlli principi Christiano, cap. quid culpatur, & cap. militare. 23. q. 1. sed sic si se obligant ad militandum ei, in solis illis, quæ fuerint iusta, vel possint ipsi credere esse iusta. Tum quia militare, vel velle militare, non est peccatum, cap. militare. 23. q. 1. Tum quia iuste potest quis militare, si iuste credit bellum esse iustum, etiam si forte non sit illud tale, per prædictum cap. quid culpatur. Tum quia legio illa Illustrissima Thebanorum, cui præerat S. Mauricius, iuste parebat Iuliano Imperatori apostatæ, quo ad bella iusta, cap. Iulianus. cap. non semper cap. qui resistit. 11. q. 3. Arbitror autem, quod qui se obligauit principi Turcarum ad militandum ei, etiam contra Christianos, etiam in bellis iniustis, sed postea mutata mente proponeret firmiter non militare ei contra Christianos, nec contra alios bellis, quæ scirent, vel deberent scire, esse iniusta, possent absolui. Tum quia desunt à peccato, & à proposito peccandi, & talibus debetur remissio, cap. peccati remissio. de reg. iur. lib. 6. cap. legatur. 24. q. 2. Tū, quia prima obligatio fuit ipso iure nulla, quoad omnia bella iniusta, i. iurisgentium. §. sicut maleficium. ff. de factis, & l. generaliter. ff. de verb. obl. & ita illa nihil obstat, iuxta reg. non præstat impedimentum, de reg. iur. lib. 6.

16 **AD NONAM** respondetur primo, quod matrimonium contractum inter fidelem, & infidelem baptizatum valet, & consequenter inter

catho-

catholicum, & hæreticum, iuxta gloss. recept. cap. non oportet. 28. q. 1. & D. Thom. recept. in 4. dist. 39. licet non inter fidelem, & infidelem nõ baptizatum, qualis est Iudeus, Turca, vel paganus, iuxta gloss. cap. caue. 28. q. 1. etiam si iam esset cathecumenus, vel cathecumena, vt ead gloss. dixit, 17 & traditur d. dist. 39. præsertim, per Sotum q. 1. Secundo, quod serio animaduertendum est in casu proposito: nam si prædicti hæretici, & schismatici sunt baptizati iuxta formam, de qua dictum est in quæstione quarta, non baptizati censentur, vbi probatum est. Si autem sunt baptizati iuxta formam Græcorum antiquam, de qua loquuntur iura, & DD. in ea citati, censentur baptizati, & consequenter matrimonium contractum inter catholicam, & hæreticum baptizatum secundum formam Bosnæ non valet; contractum autem cum baptizato secundum aliam formam valet. Tertio, quod illa, de qua quæritur, nullatenus tenetur redire ad priorem, si erat baptizatus secundum formam Bosnæ; si autem erat baptizatus secundum formam aliam, tenetur redire, si vult ille tractare honeste illam absque contumelia creatoris, & absque attractione ad peccatum mortale, & alias non; quamuis non possit nubere alij, iuxta nota cap. gaudemus. ca. quâto de duort. & ea quæ nos tradimus in Man. cap. 22. a num. 48.

18 AD DECIMAM respondetur, quod non potest absolui, quia prædictum est in quæstione præcedenti, quod matrimonium contractum inter catholicum, & Turcam nõ baptizatum non valet, per textum gloss. d. cap. caue. & consequenter eorum cohabitatio esset status fornicationis, qui est malus, & intolerabilis, cap. nemo. cap. meretrices. 3. 2. q. 4

Vndecima quæstio erat, an infideles, qui conuertuntur ad fidem inter infideles, & corde, firmiterque credunt fidem catholicam, sed non audent eam timore peccatæ confiteri, saluari possint?

19 Ad quam respondeo primo, quod omnis Christianus de præcepto tenetur confiteri fidem, iuxta illud ad Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem, &c.* per quod id affirmat D. Thom. recept. 2. 2. q. 3. art. 2. Secundo, quod præceptum de confitendo fidem est affirmatiuum, & ideo licet obliget semper, non tamen obligat, vt aiunt, ad semper, sicut obligant negativa secundum D. Thom. recept. a theologis 2. 2. q. 3. art. 2. & d. q. 3. art. 2. & Archidiaco. in cap. si peccauerit. 2. q. 1. & in summa de pœnitent. dist. 5. receptus a nostris vbique. Tertio, quod ex his sequitur illos, de quibus quæritur, non obligari semper, & in quolibet loco ad confitendum fidem, sed sic, in aliquo loco, & tempore, quando, scilicet, per omissionem huius confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & etiam vtilitas proximi impendenda, vt si quis interrogatus de fide taceat, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alij per eius taciturnitatem auerterentur a fide. quæ sunt verba D. Thomæ. d. 3. q. art. 2. & consequenter non possunt saluari, nisi proponant firmiter con-

- fiteri fidem in omnibus prædictis casibus, & consueantur in illis occurrentibus, nec eos timor pene excusat, arg. cap. presbyteros. 50. dist.
- 20 AD DVODECIMAM, & vltimam, respondeo primo, quod nulli peccatori peccato mortifero infecto volenti perseverare in eo est dandum baptisma, per ea, quæ ad hoc citat D. Tho. 3. p. q. 68. art. 4. nec consequenter infideli volenti perseverare in infidelitate, vt ipsemet affirmat in ead. q. art. 8. ad quartum. Secundo, quod si huiusmodi ægroti essent infantes, uel paruuli, qui nondum sunt iudicium rationis assequuti, possunt de consensu parentum baptizari, vt ipsemet receptus 2. 2. q. 21 10. art. 1 2. definit. Si autem sunt adulti, & iudicium rationis assequuti, non sunt baptizandi, si non uolunt ab infidelitate recedere, & catechizati credere fidei necessaria, quamuis verum baptisma susciperent, si veram haberent intentionem illud suscipiendi, vt ex prædicto art. 8. & adductis in eo colligitur. Si autem velint ab infidelitate recedere, & catechizati credere fidei necessaria, possunt, & debent baptizari, etiam si ad id morbus, vel amor salutis incitauerit, cum omnes etiam infideles præceptum de baptismo suscipiendo obliget, secundum eundem D. Thom. in d. q. 68. art. 1. & q. 70. art. 2. ad 3. & melius in 4. d. 3. q. 1. art. 3. quæstionculla 3. & latius Sotus in eo. 4. d. 5. art. 1. licet D. Tho. ibi non recte citetur. Salua in his duodecim quæstionibus iustior fuerit sententia.

DE CONDICTIONIBVS

appositi.

S V M M A R I V M.

- 1 *Matrimonium conditionale, an pendente condicione, sit tale. nu. 3.*
- 2 *Consensus ad matrimonium liber, & spontaneus requiritur. nu. 8.*
- 3 *Matrimonium sacramentum ex opere operato confert gratiam, etiam ignorantibus, & dormientibus. nu. 9.*
- 4 *Matrimonium conditionale effectu est sponsalia pendente condicione. numero 10.*
- 4 *Matrimonium, & sponsalia conditionalia publicam honestatem non producant.*
- 5 *Responsio interrogationi congruere debet.*
- 5 *Matrimonium conditionale impleta condicione impletur. nu. 7. & 10.*
- 6 *Dispositio conditionalis impleta condicione purificatur.*

7 *Opinio*

C O N S I L I V M . I .

AN qui contraxerūt matrimonium coram Parocho, & testibus per verba de præsentī sub conditione licita teneantur post purificatam ipsam conditionem denuo coram parocho iuxta præceptum Concilij contrahere.

- 1 Pro parte affirmante facit primo. c. super eo. de condit. apposit. quatenus habet, eam quæ contraxit matrimonium per verba de præsentī cum conditione, si patri eius placuerit, superueniente eius bene placito cogendum esse ad contrahendum matrimonium, per quod videtur præsupponere non fuisse prius contractum. Secundo, quod ad substantiam, & essentiam matrimonij non sufficit consensus de præsentī, nisi fuerit liber: quia requiritur ad id liber consensus, iuxta gloss. singul. in c. notificasti. 3. q. 5. quæ suam conclusionem probat per c. cum locum. de sponsalib. & alia: & consensus pendens ab alterius voluntate non est liber, ut habet dictum cap. super eo. nec eadem ratione pendens ab alicuius alius
- 3 conditionis implemento. Tertio, quod matrimonium est Sacramētum, quod ex opere operato confert gratiam, secundum com. & veram opin. quam pro infallibili articulo fidei tenendam esse ait Concil. Trid. in sess. 24. de reformat. matrimo. c. 1. & in Can. 1. declarauit: & videtur absurdum dicere, quod conditione impleta ipso iure ignorante forte, vel dormiente vtraque parte, vel altera conferatur eis gratia ex opere operato; cum coniugandi debeant se parare ad gratiam illam suscipiendam, in
- 4 quod præfat. Concil. expressim hortatur in d. c. 1. Quarto, quod matrimonium per verba de præsentī sub conditione contractum effectu est sponsalia de futuro: cum secundum omnes valeat matrimonium cuiuslibet partis, si pendente conditione contrahat cum alio, vel alia: & quod pendente conditione non producit impedimentum iustitiæ publicæ honestatis plusquam sponsalia condicionalia, iuxta c. 1. §. fin. de sponsalib. 6. & quod si alter eorum ante ad impletam conditionem mutaret voluntatem, non esset matrimonium coram Deo; etiam si parte alia ignorante illa mutatio fieret, arg. c. fin. de procurat. lib. 6. Quinto, quod hanc partem videntur tenere Theologi, quos refert Couarru. in Epito. 4. 2. par. c. 3.
- 5 Pro parte autem contraria negante facit primo præfat. c. super eo. quatenus in casu illius interrogatus fuit Papa, an illa, quæ sub conditione contraxit matrimonium per verba de præsentī adueniente illa posset compelli ad consummandum illud; & Papa respondit posse compelli ad contrahendum. Quod verbum videtur intelligendum de contractus perfectione, siue consumatione, ut responsio congruat interrogationi; sicut cō-

- gruere debet, arg. c. qualiter, & quando. il 2. sub fin. de accusa. & l. final. C. de fideicom. lib. secundo. quod verba omnia illius cap. quæ pro parte contraria ponderari possunt, solum probant, quod consensus conditionaliter præstitus non perficit matrimonium durante conditione, quod nemo negat: & à contrario sensu significant, quod consensus continuatus usque ad impletam condicionem perficit illud. Nam verba illa significant in directo sensu, consensum non esse liberum pendente conditione: à contrario vero quod ea impleta fit liber, cum desinat pendere; & verba illa, *Nisi Patris voluntas interveniat. &c.* significant in directo sensu, non fieri matrimonium antequam auditio impleatur; à contrario vero sensu quod sic illa impleta: & verba Alex. citata ibi in directo sensu significant valere matrimonium contractum cum altera pendente conditione ab eo, qui contraxit matrimonium de præfenti sub illa; & à contrario sensu significant, quod non valeret, si contraheret post impletam illam.
- 6 Tertio, quod regula Iuris receptissima est, quod dispositio conditionalis adueniente conditione purificatur, & perinde ab eo tempore censetur perfecta, ac si à principio pure fuisset contracta, §. omnis. ad Iun. §. ex condicionali. Inst. de verb. oblig. & nullo Canone inuenitur exceptum ab illa regula matrimonium. ergo iudicandum est secundum illam, iuxta glos. solen. l. omnis de initio. ff. de reg. iur. & in rub. eodem tit. lib. 6. Quarto, quod durum videretur contrahentibus, antequam condicio adimpleretur, vt postquam contraxerunt semel iuxta formam Cõcilij Trid. præmissis denuntiationibus in facie ecclesię, vel coram parcho, & testibus matrimonium per verba de præfenti, iterum deberent, cum eadem sollempnitate contrahere post adimpletam condicionem: & quod etiam esset grande scandalum populo, vt illi post impletam condicionem nulla mutatione consensus antea facta contraherent cum aliis.
- Quinto, quod æquum videtur, vt quemadmodum contrahens matrimonium per procuratorem cogendus est in eo perseverare, nisi probet se mutasse voluntatem, & reuocasse mandatum; ita etiam contrahentes conditionaliter per verba de præfenti cogentur perseverare in contractu, nisi uolens discedere ab eo probaret se mutasse voluntatem, per d. c. fin. de procur. lib. 6.
- 7 Quinto, quod Cõis opinio Canonistarum est pro hac parte, vt ipsemet Couarru. testatur inclinando in opinionem Theologorum, & à communi opinione non est discedendum sine textu, vel efficaci ratione, iuxta conclus. 10. And. in c. 1. de const. communiter receptis per c. de libellis 20. distin. & nullus textus, nec vlla ratio adduci potest, cui facile non respondeatur. Sexto, quod hæc opinio fauet Sacramento auctoritate, fidei datæ conferuationi, obuiat leuitati, aufert materiam delinquendi, & dissidia inimicitiasq; contrahendi.

Ad primum oppositorum responderi potest, quod adeo nõ obstat quod potest

potest in arguentem retorqueri, vt in primo, & secundo argumento, pro hac parte factis retorquetur. Ad secundum respondetur primo, quod iura probantia consensum matrimonij debere esse liberum, intelligenda sunt de libertate à metu, & coactione, ita quod sit spontaneus, & non miculosus, ut dixit prædicta glos. sing. præfat. c. notificasti. & in casu proposito agitur de consensu conditionali spontaneo: & ita nihil obstat proposito. Secundo, quod etiam intelligendo verbum, liberum, ita vt significet prudens, vel non suspensus condicione nihil obstat: quia concedimus, cum communi consensum condicionalem non esse quidem liberum in hac significatione pendente condicione: & consequenter concedimus, non fieri per illum matrimonium durante condicione, & suspensione, sed negamus, quod non sit liber adimpleta condicione, nec pars contraria potest dicere contrarium: & ita quamuis consensus condicionalis non sufficiat ad constituendum matrimonium durante condicione, sufficiet tamen simul ac impleta fuerit condicio: quia incipit esse liber. Ad tertium eadem facilitate responderi potest, qua respondebatur ante Concilium Trid. ad simile argumentum, quod fiebat ad probandum, quod matrimonium non poterat contrahi per literas, vel per nuntium inter absentes: eadem item facilitate, qua defendi possent matrimonia, que quotidie contrahuntur per procuratores in absentia; cum contingere possit, quod altera pars contrahentium dormiat, vel nihil cogitet, quando altera pars accipiens literas, vel nuntium, vel audiens verba procuratoris coram parcho, & testibus præstat consensum. Ad quartum respondetur, concedendo, quod matrimonium condicionalis per uerba de præfenti contractum non habet maiorem vim durante condicione, quam sponsalia de futuro: immo nec tantam, quantam illa si sint pura; sed negando, quod non incipiat habere maiorem vim, quam sponsalia de futuro simul, ac condicio impleatur: quia per illud implementum consensus, qui à principio fuit suspensus, & vsque ad implementum perdurauit tale, & pendens, & non liber, fit in illo instanti liber, & sufficiens, ad constituendum matrimonium: sicut etiam sponsalia de futuro nullam vim habent pendente condicione, sed in illo momento, quo illa impleta fiunt efficacia, & producant impedimentum publicæ honestatis, & alios effectus, quos producant sponsalia de futuro pura, quod omnes tam Theologi, quam Canonistę concedant: & non fati intelligo cur non aduertant, quod qui hoc concedit de sponsalibus condicionalibus, consequenter tenetur concedere idem de matrimoniis condicionalibus. Ad quartum respondetur, quod si prædictus. d. Couar. audiisset me verbo supra dicta proponentem, & inducentem, vt me audiuit totum fere quartum librum Salmant. prælegentem, non inclinasset in opinionem Theologorum: quia id non fati perpenderunt. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Dispositio condicionalis ante impletam condicionem inefficax.*
- 1 *Absolutio data cautione, ea non præstita, non valet.*
- 2 *Paria sunt, duo fieri simul, vel per viam adiectionis.*
- 3 *Reintrusio est interlocutoria, quæ non appellando transit in iudicatum.*
- 4 *Fraus sua, & turpitudine nemini commodare debent.*
- 5 *Absolui ab excommunicatione, antequam satisfaciat, nequit, qui ob manifestam offensam incurrit irregularitatem.*

CONSILIVM II.

Iussus absolui data prius cautione de parendo iuri, & post moram in cauendo factam monitus, vt intra certum terminum præsentaret cautionem, non præsentauit eam intra illum, & accusata contumacia Iudex reintrusit in excommunicationem, qui postea data cautione absolutus fuit. Quæritur, an absolutio valeat.


- 1 Videtur, quod non primo, quod dispositio condicionalis non est efficax, donec adimpleatur conditio, §. omnis, & §. extr. condicionali. Inst. de verb. oblig. cap. si pro te. de rescrip. lib. 6. cum iuribus, ibi per glos. citatis; & cautio non fuit præstita intra terminum, intra quem erat præstanda. Nec obstat dicendo, quod pareat conditioni, quia prius cauit, quam absolueretur: quoniam non cauit intra terminum ad cauendum ei præfixum; nam per absolutionem datam sub conditione, si prius cauerit, adiuncta monitione, & citatione, vt intra certum terminum præsentaret cautionem, videtur Iudex absolutionem dedisse, si intra terminum ad præsentandam cautionem præfixum eam daret; alioquin enim fuisset elusoria huiusmodi conditio, cuius implementum potuisset differri vsque in infinitum. Tum quod prædicta monitio, & citatio tantum operabantur, ex interuallo datæ, quantum operatæ fuissent, si simul cum absolutione factæ fuissent; quia nihil mediavit inter illa, quod debilitaret earum virtutem, vt palam est; & regulariter paria sunt duo fieri eodem die, vel duobus interpellatis per viam adiectionis, & accessionis. arg. regulæ accessorium. de regulis iuris lib. 6. & cap. de multa. sub finem de præbend. Tum quia regulariter eadem ratio suadet in vtrisque, & ita eodem iure sunt censenda, & lex ad omnia superiora refertur, cum eadem ratio idem iuris suadeat in omnibus, cap. secundo requiris. de appellatio. vbi glos. & Doctores, maximè Panor. & Decius resoluunt. At absolutio prædicta condicionalis, & præfixio termini ad præsentandam cautionem sunt duo posita
- 2

sita in duabus fol. papyris per viam adiectionis, & accessionis, in quibus ead. ratio militat, immo secundum est declaratio & limitatio absolutio- nis, quæ sine termino expresso lata fuit.

- 3 Secundo, quod iudex post terminum præfixum ad præsentandum cau- tionem, & accusata contumacia non præsentantis eam in illo reintrusit præfatum aduersarium, & ita cum res non sit integra non profuit ei præ- statio cautionis post illam reintrusionem. Tum quia illa reintrusio fuit interlocutoria, quæ transiit in rem iudicatam non appellando ab ea in- tra decennium, iuxta cap. 1. de appella. lib. 6. tum quia per illam rein- trusionem additum fuit nouum vinculum priori excommunicationi, & concedendo, vt absolueretur data prius cautione, non poterat intelli- gi a reintrusione, quæ nondum erat facta, vt palam est.
- 4 Tertio, quod nemini debent commodare sua fraus, & turpitudò, cap. Sedes Apostolica de rescript. l. itaque fullo, de furtis. At prædictus per fraudem, & turpitudinem se gessit pro absoluto, cum nec absolutus esset, nec cautionem dedisset, vt patet ex actis, & non solum gessit se publice pro absoluto, cum non absolutus esset, sed etiam authorizan- do tanquam Prior, & Rector Ecclesiæ parochialis insignis interfuit di- uinis officijs, & fecit celebrare coram se, & toto populo Missas, & alia diuina officia, ob quod factus est irregularis.
- 5 Quarto, quod licet excõmunicatus absolui possit ab excõmunicatione manente ipso in irregularitate prius cõtracta, cū sint diuersa, si tamen of- fensa, ob quam incurrit irregularitatem, esset manifesta, vt in hoc ca- su non posset absolui regulariter ab excommunicatione etiam data cau- tione de parendo iuri, antequam satisfaceret pro illa offensa notoria, vel manifesta, iuxta cap. ex parte 1. de verborum significatione, & cap. venerabilibus. §. porro de sent. excomm. lib. 6. & tradunt Decius, & alij in cap. qua fronte de appell.

Quare petitur, non solum illum non iudicari absolutum, sed esse irre- gularum, & priuatum, vel certe priuandum suis beneficijs, si quæ ha- bet, & iure, quod male prætendit se habere in prædicta Ecclesia paro- chiali iuxta c. clerici, & cap. fraternitati. de cleric. excom. ministrante.





DE EO QUI DVXIT
in matrim.

S V M M A R I V M.

- 1 *Matrimonium impedit, & dirimit adulterium cum fide de contrahendo, vel amborum mortis machinatio.*
- 2 *Matrimonium contrahere possunt adulteri, qui maritum ad alium finem, quam contrahendi, occidunt.*

C O N S I L I V M I.

Maritus vxorem adulteram, & adulterum oderat, & per insidias occidere parabat: adulter, & vxor hoc scientes absque intentione contrahendi matrimonium in illius mortem machinati sunt, & secreto occiderunt. postmodum matrimonium contraxerunt in facie Ecclesiæ. Quæritur, an teneat.

- 1 Respondeo, præfatæ quæstionis decisionem pendere ab illa generaliori, an occidens coniugem alterius ad alium finem, quam ad contrahendum matrimonium cum relicto, vel relicta, impediatur contrahere matrimonium cum illo, vel illa. pro cuius decisione dico primo, quod Panor. tam in cap. 1. de eo qui ducit in matrim. quam in cap. 1. de conuersio. infidel. videtur sibi satisfecisse quoad omnes casus resoluendo primo, quod solum adulterium habitum cum aliqua, viuente vxore, nõ impedit matrimonium cum illa mortua sua vxore, cap. significauit, de eo qui ducit in matrimonium. Secundo, quod nec fides data per verba de præsentis, vel de futuro non interueniente adulterio per cap. fin. eod. tit. Tertio, quod neque machinatio mortis vnus volentium contrahere, sed machinatio vtriusque sic, per cap. 1. de conuersio. infidel. per quã resolutionem videri potest dicendum quod in casu proposito nõ valuit matrimonium, quia vtraque pars consensit, & cooperata est mortem mariti, præsertim, quod interuenit etiam adulterium viuente marito, & machinatio mortis ab vtraque parte.
- 2 Secundo, quod prædicta resolutio Panor. non videtur tangere punctum huius quæstionis: quia illa agit de casu, in quo vtraque pars procurat, seu machinatur mortem ad contrahendum matrimonium post illam:

DE EO QUI DUCIT IN MATRIM. 121

illam: quæstio vero nostra est de casu, in quo neutra pars procurauit, nec machinata est mortem coniugis ad finem contrahendi matrimonium, sed ad alium. Sanctus item Thom. non videtur satis aperte hoc determinare in lib. 4. sent. dist. 35. in expo. literæ, & quolib. 5. ar. 15. solum enim ait, quod adulterium cum machinatione mortis coniugis impedit matrimonium, sed non aperit, an dicatur machinari mortem, eo solo quod occidit, an requiratur quod machinetur, siue procuret mortem ad contrahendum matrimonium. Nos autem in Manu. Confess. cap. 22. nu. 46. re satis perpenſa dicimus non videre mortis machinationem, quoad hunc effectum interuenire, nisi procuretur mors ad effectum contrahendi matrimonium cum relicto, vel relicta. Pro quo facit principaliter, cap. 1. de conuersio. infid. quatenus probat non impedire matrimonium inter duos, eo quod alter occiderit coniugem alterius in bello, vel odio, aut alia causa, quam contrahendi matrimonium cum eius coniuge. Secundo facit gloss. cap. super hoc de eo, qui ducit in matrim. quatenus determinat hoc impedimentum non nasci ex sola occisione, sed ex illa facta ad matrimonium contrahendum cum eius coniuge. Tertio, quod S.^r Thom. in 4. distinct. 37. q. 2. articu. 2. ait, quod tunc demum vxoricidium inducit impedimentum dirimens contractum, quando quis interficit vxorem, vt contrahat matrim. cum qua est mœchatus. Quarto, quod Panor. etsi non omnino aperte, tacite tamen vbi supra, & in d. cap. super hoc sentit quod requiratur propositum contrahendi cum coniuge relicto, vel relicta. Sylu. etiam hoc ipsum videtur tenere in verb. matrimonium 8. q. 9. Denique quod ratio, & fundamentum inductionis huius impedimenti fuit, ne coniuges suos, vel suas coniuges occiderent ad contrahendum matrimonium cum alijs, quos, vel quas amant, quæ ratio funditus cessat, cum alia de causa eos, vel eas occidunt, & causa finali cessante cessat lex, l. si. ff. de hæredib. instit. & in casu proposito prædicti oratores non occiderunt maritum alterius ad finem contrahendi inter se matrimonium, sed longe alium. Salua quæ iustior fuerit sententia.

S V M M A R I V M.

- 1 *Impedimentum impediens, & dirimens contrahitur, vbi adulter promittit adultera se illam ducturum, si ipsa probet id posse fieri.*
- 2 *Conditio impossibilis, modo non sit contra essentiam matrimonij, vitiat, & non vitiat.*

CON-

CONSILIVM II.

Quidam, qui rem habuit cum coniugata, cum illa peteret, vt ipsam vellet ducere, dicens posse fieri, quia vir absens fuisset per septem annos, respondit se id facturum, si illa probaret posse fieri, vt dicebat, nec aliud factum est, nisi quod perseuerabant in adulterio. Postea viro mortuo duxit illam. **Q**uæritur, An sit matrimonium validum, quia non promissit formaliter, sicut doctores requirunt, quod duceret illam post mortem viri, sed quod duceret, si ostenderetur, quod posset eo viuente: quod autem non sit validum, videtur, quia est promissio adulteri de ducenda adultera, & quidem Doctores, & textus simpliciter dicunt talem promissionem esse impedimentum dirimens.

- 1** Responsio, vero propius videri, ortum fuisse hoc casu impedimentum impediens, & dirimens matrimonium, de quo in rubr. De eo qui duxit in matrimonium &c. Tum quia interuenit promissio conditionalis ducendi adulteram, si probaret id fieri posse propter absentiam tam longam mariti, & licet promissio conditionalis non habeat effectum obligandi promittentem ante condicionem impletam, habet tamen effectum ad hoc, vt vere dici possit esse datam fidem, quæ datio cum adulterio sufficit, cap. fin. & per totum tit. de eo qui &c. Tum quia non requiritur valor promissionis ad hoc, vt ex illa, & ex adulterio oriatur impedimentum, cū palam sit omnem promissionem etiam puram de contrahendo cum adultera post mortem eius mariti nihil valere. Tum quia nihil prodest dicere, quod dicta promissio fuit facta sub conditione impossibili. Tum quia, vt dictum est supra, non requiritur promissio valida. Tum quod in matrimonialibus condicio impossibilis rejicitur, & non vitiat, sed vitatur, c. fin. de con. app. modo non sit contra substantiam matrimonij, qualis hæc non est, vt per ibidem notata probatur. Salua &c.





De Cognat. Spiritual.



S V M M A R I V M.

- 1 *Infans aliquem occidens nullam incurrit pœnam.*
- 1 *Iudicio carens nec obligari, nec iniuriam facere potest, licet sic pati.*
- 2 *Patrinus debet esse talis, qui baptizatum docere, & monere valeat.*
- 3 *Infans licet non præsumatur, nec communiter sit doli capax, sæpe tamen est talis.*
- 3 *Infans quinquennis ob blasphemiam arreptus a diabolo.*
- 4 *Infans doli capax iuramento obligari, & periurus esse potest.*
- 5 *Infans doli capax hominem occidens fit irregularis.*
- 6 *Lex, quod patrinus cognationem spiritualem contrahat, est generalis, & sic generaliter intelligenda, licet maior ratio in vna specie militet, quam alia.*
- 7 *Infans doli capax cognationem spiritualem contrahere potest.*

C O N S I L I V M I.

Quæritur an infans tenens baptizatum in baptismo fiat patrinus, & contrahat cognationem spiritualem cum baptizato, ex quo inferitur solutio quæstionis post hæc propositæ, scilicet, an puer decennis leuans puellam sexennem contrahat prædictam cognationem, tenendo eam ad confirmationem.

- 1 *Quæstio hæc noua est, & profecto difficilis. Pro parte negante facit primo, infans occidens aliquem non patitur pœnam legis Cornelie de Sicarijs, l. infans ff. ad legem Cor. de Sicar. nec incurrit irregularitatem, clem. 1. de homicidio. Secundo, quod carens rationis iudicio non potest obligari, nec iniuriam facere, licet pati sic l. illud. ff. de iniur. translata in cap. illud. 15. q. 1. At infans est expertus rationis, & iudicij, & æquiparatur furioso, in d. l. infans. & in d. clem. 1. immo & de pupillo maiore infante dixit Imperator in l. fi. C. de fals. mone. quod quicquid videt ignorat. Tertio, quod patrinum oportet esse doctum, qui docere possit baptizatum fidem catholicam, & admonere eum castitatem, & alios bonos mores, c. vos ante. de consec. dist. 4. & tradit ante, & post alios*

alios S. Thom. in 4. dist. 6. q. 2. artic. 2. At infans non potest prædicta docere, neque admonere. Ergo neque potest esse patrimus. Quarto, quod, vt profunde docet S. Thomas in d. l. 4. dist. 27. q. 2. art. 2. ineptus est quilibet intra primum septennium ad quoquo modo contrahendum. & quod ideo non potest contrahere sponsalia. ergo pari ratione nemo poterit se obligare intra illud septennium ad faciendum ea, quæ ad officium patrimi spectant, l. illud. ff. ad legem Aquil. cap. dudum il. 2. de elect.

- 3 Pro parte autem affirmante facit primo grauissime, quod infans licet non præsumatur doli capax, & communiter vere non sit talis, frequenter tamen est talis, & adeo quidem, vt Hippol. in l. infans ff. ad legem Corneliam de Sica. restetur se vidisse, & scire, quod multi infantes in 6. vel 7. anno plus doli, & malitiæ exercent hodie, quam olim in 14. & 15. & probatur irrefragabiliter per illud B. Greg. in 4. Dialogo, asserentis filium cuiusdam quinquennem propter blasphemiam arreptum a diabolo de vlnis patris in Gehennam inferni, quem refert S. Thomas in d. dist. 27. q. 2. art. 2. & Ioannes And. Panor. & alij in cap. 1. de delict. puer. quod fieri non potuit, nisi fuisset doli capax. Nec obstat quod aliqui dicunt id fuisse factum ad tenendum patrem, & non propter peccatum filij, quoniam, vt recte ponderat Sor. in d. dist. 27. verba ipsa B. Greg. repugnant eis.
- 4 Secundo, facit, quod infans doli capax etiam obligatur iureiurando, & potest esse periurus, vt probatur ex multis, quæ Ioannes ab Anan. scribit in c. 1. a num. 7. & 8. de delict. puer. Tertio, quod iudicium sufficiens ad obligandum Diabolo, & sufficiens ad obligandum Deo, iuxta gloss. celebrem in cap. mulier. 32. q. 2.
- 5 Quarto, quod licet clem. 1. de homicid. absolute statuatur infantem occidentem non fieri irregularem, tamen Io. And. & Panor. in cap. 1. de delict. puerorum aiunt esse limitandum, vt procedat in eo, qui non est doli capax. is enim illam incurrit, vt ipsi ibi aiunt, quæ opinio communiter recepta est secundum Didacum in d. clem. 1. 3. p. relect. §. 1. a num. 5. & Hippol. in d. l. infans, qui licet vere dicat posse inueniri infantem doli capacem, & hodie aliquos in 6. & 7. anno plus habere doli, & malitiæ, quam olim in 14. & 15. parum considerate, tamen in hoc allegat gloss. cap. fin. de sent. excommunic. quia non loquitur de infante, sed de puero.
- 6 Quinto, & efficacissime facit, quod lex generaliter loquens generaliter est intelligenda, cap. solitæ. de maior. & ob. l. de pretio ff. de public. in rem. act. etiam si maior ratio militet in vna specie quam in alia, l. 1. §. quod autem ff. de aleæ vsu. & tradit post, & ante alios Deci. consil. 669. num. 3. At Canones generaliter statuunt, vt leuans de fonte baptismi contrahat cognationem spiritualement, non distinguendo inter sexum, & sexum. nec inter ætatem, & ætatem, inter iuuenem, & senem, puerum, & infantem. ergo in omnibus illis habet locum, quamuis ali-

uis aliqua maior ratio militaret in iuvene, quam in senio confecto, & in puero vel infante. Sexto, quòd nemo auderet dicere quòd senio confectus & iamiam moriturus non contraheret cognationem, si quem leuaret de fonte, ergo neque id negare debet de infante doli capace, cù maior sit spes quod huiusmodi infans possit instruere leuatum, quam senio confectus & iamiam moriturus. Septimo denique, quòd nulla ratio reddi potest cur infans, vel furiosus leuando de fonte non contrahant prædictam cognationem, nisi quia non habent vsum rationis, nec sunt capaces doli, vel prudentiæ: Cum ergo in infante homine vsum rationis, & doli & prudentiæ capace cesset hæc ratio, cõsequens est, vt & cessare debeat in illo responsio negatiua, scilicet quòd non contrahat illam cognationem.

Quibus omnibus satis perpenſis videtur resoluendum primo, quòd argum. pro parte negante adducta debent intelligi de infante, qui nondum habet vsum rationis, nec potest peccare, nec obligare se voto, arg. vero pro parte affirmate adducta de illo infante, qui iam vtitur ratione, & potest peccare, & obligare se voto. Secundo ex hoc sequitur, quòd nõ est necessaria dispensatio in specie proposita, ad hoc vt oratores cõtrahant: si verba illa in supplicatione posita, quòd omnino ignorabat, quid ageret intelligantur de ignorantia, quæ caularetur ex defectu iudicij, & vsum rationis sufficientis ad peccandum, & obligandum se voto, quia non fuisset doli capax. Tertio, q̄ esset necessaria dispensatio, si verba illa prædicta significarent ignorantiam, quã habet impubes, etiam doli capax ante secundum septennium, de qua ignorãtia loquitur l. vlt. C. de fal. mon. quatenus habet impuberẽ ignorare quidquid videt, illa enim ignorãtia, non solum inuenitur in eo, qui nõdum est septennis, nec vtitur vsum rationis, nec potest peccare, sed etiam in eo qui est maior septennio, & iã habet vsum rationis, & potest peccare, vt prædictum est.

S V M M A R I V M.

- 1 Regula, potest quis per alium, fallit in cognatione spiritali, & alijs. nu. 5
- 1 Matrimonium per procuratorem, & litteras contrahitur, sed non cognatio spiritalis. nu. 9.
- 1 Cognatio spiritalis contrahatur per coniugem suscipientis. nu. 10.
- 2 Patrimus in baptismo fideiussorem, pædagogum, & cognatum se facit. num. 10.
- 3 Cognatio spiritalis actum proprium patrimi requirit.
- 3 Cognatio spiritalis est attententia ex sacramenti datione proueniens.
- 4 Patrimi persona cum fit patrimus requiritur, & quã eius actus.
- 5 Cognationis tres species subdiuiduntur, & nulla per alium contrahitur.
- 6 Impedimenta matrimonij restringi reipublicæ interest.
- 6 Patrimus sola presentia, sine alio actu non facit.
- 7 Cognationem spirituales per alium non contrahi verius.

8 *Consuetudine induci posse, vt cognatio spiritualis per alium contrahatur, sed an sit inductum, dubitatur.*

8 *Consuetudinem aliquam esse nisi probanti non creditur.*

C O N S I L I V M II.

AN cognatio spiritualis, siue compaternitas contrahatur per alium, scilicet per procuratorem, vel mandatarium: ita vt perinde impediat matrimonium, ac si per seipsum fuisset contractum.

1 Pro parte affirmante facit primo regula illa iuris, potest quis per aliū quod potest per seipsum, lib. 6. cum suis concord.

Secundo, quod potest quis contrahere matrimonium per alium, cap. fin. de procurato. lib. 6.

Tertio, quod secundum antiqua iura Conc. Trid. præcedentia cognatio spiritualis per alium contrahebatur: vxor enim, vel maritus, suscipientis, vel leuatis fiebat patrimus, & cognatus spiritualis earum personarū, quibus suscipiens, vel leuans fiebat, cap. Martinus de cognat. spirit. cum concord. ei.

2 Quarto, quod patrimus per susceptionem baptizati nihil aliud videtur facere, quam constituere se quendam anadochum, & fideiussorem pro perseverantia illius in fide catholica, & pædagogum, & eruditorem ipsius; iuxta cap. vos ante. de consecrat. dist. 4. At certum est, quod potest quis per alium fideiussor fieri, & ad docendum obligari, ergo & patrimus fieri.

3 Pro parte negante facit primo, quod ad hoc, vt quis fiat patrimus, requiritur leuatio, vel tactus, cap. vlt. 30. q. 4. & quod quo ad hoc parificatur carnalis generatio, & spiritualis, cap. debitum. de baptif. sed carnalis requirit actum patris, ergo & spiritualis actum patrimi. Secundo, quod cognatio spiritualis definitur esse attinentia proueniens ex sacramenti datione secundum glossam recept. cap. de cognatio. spirit. lib. 6. quæ probatur per canones, qui de hac re loquuntur, per illa verba, suscipit, accipit, tenet, leuat, cap. 1. 2. 3. 4. & 5. & cap. omnes. 30. q. 1. & cap. 1. 2. & 3. & cap. susceptum. 30. q. 3. cap. 2. & cap. Martinus. & cap. contracto. & cap. veniens. de cogna. spiritua. & interdum per illa verba geminata, accedit, & suscepit. vt cap. non plures. de consecra. dist. 4. Tertio, quod

4 canones antiqui habent, quod patrimus offert, responder, gestat, profiteatur cap. illud. & seq. & cap. hi qui. cap. quæris. cap. mater ecclesia. de cōsecra. dist. 4. per quæ omnia coniuncta probatur quod requiritur propria persona, vel propria manus oblatio & responsio, & consequenter, quod non sufficit aliena persona, iuxta notata in cap. cum parati. de appella. cap. 2. Primo respons. de hæret. lib. 6. cap. cupientes. de electio. eod. cap.

Quarto, quod requiritur, vt baptizandus personaliter aqua tangatur, cap. 1. de baptif. ibi, *Ego baptizo te, quasi non alium loco tui*: & si est adul-

tus

tus per se respondere debet, non per alium, cap. cum pro paruulis. de cōsecr. dist. 4. Ergo etiam requiritur, quod patrimus per se teneat, & respōdeat, & non per alium.

5 Quinto, quod cognationis tres sunt species, carnalis, legalis, & spiritualis. Prima diuiditur in consanguinitatem, & affinitatem: secunda in adoptionem, & arrogationem: tertia in paternitatem, & compaternitatem, & affinitatem. sed prima quo ad neutram sui specie contrahi potest per procuratorem, quod patet per se, & ex definitionibus consanguinitatis, & affinitatis datus per glossas recep. in arborib. earum. Item neque secunda quo ad aliquam sui speciem, l. neque. & l. post mortem. §. final. ff. de adoptio. ergo nec hæc tertia vt pars congruat suo toti vniuerso, cap. quæ contra. 8. dist.

Sexto facit, quod regula prædicta potest quis per alium &c. fallit etiam in alijs multis casibus, vt notat gloss. illius. nam non potest quis confiteri per alium, cap. quem pœnitet. de pœnitent. dist. 1. nec adire per procuratorem hæreditatem, l. Paulus. alias per procuratorem. ff. de acquir. hæred. nec per alium petit masculus veniam ætatis, l. 2. C. de his, qui veniam ætat. impet. nec substituit quis datus ad certum ministerium, ca. fin. de off. deleg.

6 Septimo facit, quod videtur expedire reipub. vt impedimenta matrimoniorum potius restringantur, quam ampliuntur, vt colligitur ex Concil. Trid. cap. 2. de reform. matrimon. sessio. 24. quod iubet, quod parochus antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab his, ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, vt baptizatum de sacro fonte suscipiant, & eum, vel eos tantum ad suscipiendum admittat, & in libro eorum nomina describat. Per quæ verba satis probatur, Concilij mētē, & propositum fuisse, vt illi tantum fiant patrimi, qui ad id nominentur, & nominati suscipiunt baptizandum, qualis non potest esse absens.

Octauo, quod non sufficit, quod quis consentiat, neque quod sit præsens, ad hoc, vt fiat patrimus, sed requiritur, vt suscipiat, teneat vel tægat, & faciat aliquem personalem actum, iuxta can. in 2. arg. citatos, qualem non facit, qui per procuratorem suscipit.

Nono, quod nemo diceret, quem contrahere cognationem spiritualē ex eo, quod rogaret, vel mandaret alicui, vt baptizaret alium. Ergo neque contrahet, qui mādāt alij, vt teneat, vel suscipiat, arg. l. illud. ff. ad l. Aquil. & cap. dudum. 2. de electio.

7 Respondendo igitur, dico primo, quod per hæc omnia posteriora cōiuncta videtur vior de iure hæc posterior pars negatiua, quam tenuit Archid. in c. 1. de cognit. spiritual. lib. 6. quem sequuntur ibi Ioan. Andr. Anchar. Domini. & Franc. & Ioan. Andr. in Mercur. regulæ potest quis. de regul. iuris. lib. 6. contra suam magistrum Marsil. & eum videtur sequi

Bar.

Bar. in l. Gallus. §. forsan. ff. de li. & posth. dum dicit, ita tenere canonicas, quem sequitur ibidem Aretinus post Ioan. Imolen. quod etiam tenet Sylues. verbo matrimonio. §. q. 7. vers. 14. & alij alibi; licet cōtrarium tenuisset prædictus Marsilius, quem Card. & Panor. videntur sequi, licet non omnino firmiter, in cap. veniens. de cognat. spirit. Panor. enim, quem sequitur Angelus in summa verb. matrimonium, §. q. 7. §. 14. dicit ante factum sequendum esse opinionem Ioan. Andreæ, post factum vero Ioan.

- 8 Marsilij. Dico secundo, quod per consuetudinem induci posset contrarium, scilicet, quod cognatio spiritualis contraheretur per alium, & sic per procuratorem, & mandatarium: quia quæcunque induci possunt per legem possunt induci per consuetudinem, vt late probamus in commēt. de spolijs clerico. §. 14. nu. 7. Tertio dico, quod an consuetudo id habeat nec ne, dubitari potest: nam Bal. significat partem affirmantem in l. 1. §. ne autem. col. 3. C. de caducis tollen. quod etiam videtur sentire Felin. in cap. licet ex quadam, de testibus, cum dicit communiter id teneri; quia verbum illud communiter non videtur referri ad ius, cum communiter teneatur contrarium, sed ad factum consuetudinis, sed ipse id non credo. Tum quia, vt prædixi, contrarium est iure communi tenendum, & neque glossæ, nec alij doctori quantumuis præcellenti, asserenti esse aliquam consuetudinem, præsertim contra ius commune est credendum, nisi aliter probetur, secundum eundem Baldum in l. consentaneum. col. 6. opposit. §. C. quomodo, & quando iudex, quem sequitur Iason. in l. de quibus. nu. 17. ff. de legib. & est verior & receptior sententia contra Bart. in ead. l. & quosdam alios a se allegatos. Tum quia non asserit firmiter esse consuetudinem generalem inter omnes, sed solum inter principes, qui non possunt personaliter ire ad suscipiendum baptizandum. Tum quia numquam in tota ætate mea vidi aliquem esse cognatum iudicatum spirituales, eo quod per mandatarium, vel procuratorem aliquem baptizauerit, vel susceperit in baptismo, vel confirmatione. Quamquam standum esset huiusmodi consuetudini. vt prædixi, in ea regione, in qua probaretur illam vrgere. Salua &c.

Non obstant opposita. ad primum enim respondeo concedendo, esse verum regulariter, posse quem facere per aliū, quod potest per se ipsum, & eum qui facit per alium id, quod potest per se, videri facere per seipsum: negando tamen, quod id non fallat in multis casibus, vt tactū est in 6. argu. pro hac parte facto, de quibus vnus est hic.

- Ad secundum concedendo, quod quis potest contrahere matrimonium per procuratorem: negando tamen ex eo inferri posse etiam contrahere spirituales cognationem. Tum quia sunt diuersa & separata, & a diuersis, & separatis non bene infertur, l. Papinianus. ff. de mino. l. fin. ff. de calum. cap. ad audientiam de decim. Tum quia nullo iure expresse nec tacite cauetur, quod quis contrahat matrimonium personaliter per se

se ipsum, immo expresse cauetur, quod potest contrahere per nuntium, & litteras, l. mulierem. ff. de ritu nuptia. l. sufficit. ff. de sponsal. cap. fin. de procura. lib. 6. & multi canones supra citati quasi expresse requirunt presentiam & actum aliquem personale susceptionis, vel tactus, ad hoc ut quis sit patrimus. Tum quia, ut ait Aretin. in d. §. forsitam prædicta presentia & actus videntur introducta pro solemnitate producendi effectum cognationis spiritualis, quæ tamen non sunt introducta ad effectum producendi actum matrimonij.

- II Ad tertium respondeo, concedendo, quod secundum iura antiqua cognatio spiritualis contrahebatur per personam sui, vel suæ coniugis, sed negando, quod ex eo inferatur posse contrahi per procuratorem. Tum quia ratio, quare contrahebatur per coniugem, erat, quia per consummationem matrimonij coniuges fiunt una caro, & una persona, quæ ratio cessat in alijs. Tum quia nemo unquam dixit, quod coniuix ex eo quod rogaret coniugem, ut baptizaret, vel susciperet, fieret patrimus, vel patrima, sed solum, quod coniux communicabat illam cognationem spirituales coniugi, propterea quod essent una caro, unde retorqueri potest argumentum contra arguentem, sic speciale est in coniugibus, ut per suum, vel suam coniugem contrahant huiusmodi cognationem. ergo regulariter est dicendum contra arg. cap. præsentis. §. loca. de præbend. lib. 6.

Ad quartum respondeo negando assumptum, quod patrimus nihil faciat, quam se constituere fideiussorem, vel pædagogum: quia immo se facit cognatum spirituales, & non qualem qualem, sed patrem, vel matrem, eius ecclesia uniuersa id testante, & ideo non sufficit promissio erudiendi, & curandi, ut perseveret in fide sine tactu corporali, per quæ nascatur illa cognatio spiritualis, quæ est dignior, secundum omnes.

S V M M A R I V M.

- I Patrimus non requiritur, quod sit maior baptizato.

CONSILIVM III.

- I **A**N patrimus ætate maior baptizato esse debet. Respondetur, quod pro parte negante facit primo, quod Panor. & Archid. determinant in cap. debitum, de baptis. non debere patrimus esse baptizati, qui non est maior baptizato, satem 14. annis, argu. §. minorem. instit. de adoption. qui habet, adoptantem debere esse maiorem adoptato 18. annis. Secundo, quod patrimus censetur pater baptizati. & monstrum videtur, quod quis dicatur pater alicuius, nisi sit maior eo tot annis, ut possit esse pater eius naturalis, cum ars imitetur naturam. Tertio, quod

Pars ij.

I argu

argumentum a patrimo baptizati ad patrimonium confirmati valet. cap. 1. in princ. de cognat. spirit. lib. 6. Quibus non obstantibus pars affirmatiua videtur vera. Tum quia fundamenta Panor. & Archid. videntur infirma, & parabolica. Tum quia præsupponunt falsum, scilicet patrimonium, vel matrimonium gerere personam patris, vel matris, quia tantum baptizans gerit personam patris, & aqua matris, vt ait August.

S V M M A R I V M.

- 1 Actus factus contra legem quando valet. num. 2.
- 3 Patrimi plures designati si admittantur, omnes cognationem contrahunt.

CONSILIVM IV.

PARENTES cuiusdam baptizandi nominauerunt tres patrimos, quos admisit parochus contra cap. 2. de reformat. matrim. sess. 24. Concil. Trident. Quæritur, quid iuris?

- 1 Respondeo, quod pro parte negante facit, quod factum contra legem non valet, l. non dubium. C. de legibus.

Pro parte autem affirmante facit, quod aut est dicendum nullum eorum esse patrimonium, aut omnes: sed durum est dicere primum, ergo dicendum erit secundum. Secundo, quod multa prohibentur, quæ tamen facta tenent, cap. 2. de matrim. contract. contra, inter eccles. cap. 2. de cleric. per sal. promo. Tertio, quod licet regulariter actus factus contra legem non valeat, per d. l. non dubium, fallit tamen, quando lex expresse non annullat actum, & addit pœnam extrinsecam, quæ potest consistere cum actus valore, & valor actus non respicit fauorem eius, cui pœna imponitur, vt resoluit Bart. communiter recept. in l. prætor ait. nu. 3. ff. de noui operis nunt. & in casu proposito præfatum cap. 1. non annihilat adhibitionem plurium patrimoniorum, & addit pœnam parochi admittenti plures patrimos, & valor actus patrimoniorum, non respicit fauorem, vel vilitatem parochi, sed baptizandi, ergo valet actus. Quarto, quod quantum ad hoc nihil noui induxit Concilium; quia etiam iure antiquo prohibebatur, ne plures patrimi fierent eiusdem baptizandi, cap. non plures. de consecrat. dist. 4. Attamen semper seruatum est, vt omnes leuantes, immo, & tangentes, etiam si non essent designati à parentibus, fierent patrimi, & haberentur pro talibus, per cap. quamuis. de cognatio. spirit. lib. 6. & à iure antiquo non est recedendum, nisi quatenus per nouum exprimitur. Cum ergo per nouum non annulletur actus patrimoniorum plurium, non est dicendum, eorum actum esse nullum, vt dixi

DE CONSANG. ET AFFINIT. 131

diximus in nostro Man. Confess. cap. 22. num 39. & sequent. Quinto, quod non debet alteri per alterum iniqua inferi condicio, l. non debet. de reg. iur. ergo nec per parochū admittentem plures patrimonios debet inferri iniqua condicio baptizato, vt careat patrimonio, & minus solemnitati tanti sacramenti, quod iam inde à nascente ecclesia ornatur assistentia patrimi tanquam pedagogi baptizandi, & ideo merito Concilium addidit pœnam parochō, nulla de annullatione actus facta mentione. Sexto, quod non obstat dicere, quod sublato vno remanent alij duo, quia nulla ratione potest dici, cur magis aliorum adhibitio valeat, quam vnius, cum omnes fuerint designati, & omnes à parochō admissi, & omnium nomina in libro descripta.

DE CONSANG. ET AFFINIT.

S V M M A R I V M.

- 1 *Dispensatio super affinitate, vel consanguinitate tacito incestu valet.*
- 1 *Incestus impedit, sed non dirimit matrimonium.*

C O N S I L I V M I.

AN Dispensati à Papa super impedimento affinitatis, vel consanguinitatis tacito incestu, teneantur iterum impetrare dispensationem illo expresso, vel supplere per aliquod perinde valere, super quo multos vidimus. anxios.

- 1 Ad hoc respondetur primo, quod non si fuit commissus occulte per dicta in Conf. præcedenti. Secundo quod nec etiam si fuit publicus, tum quia dispensatio præfata valuit per dicta in Conf. præcedenti, & matrimonium contractum absque dispensatione impedimenti incestus valet, quia licet sit impedimentum impediens, non est tamen dirimens, vt dictum etiam fuit in proxime præced. conf. tum quia impetrari potest secrete, vel publice, vt dictum est, ab Episcopo, vel à summo Pœnitentiaro, immo sine vlla dispensatione frui possunt suo matrimonio, cū pœnitentia peccati incestus, & peccati commissi in contrahendo matrimonio contra impedimentum incestus; immo, & sine pœnitentia peccati commissi contra prohibitionem, qua incesti prohibentur contrahere, tenendo opinionem Palud. relat. in consil. præced. & asserentis videri abrogatam esse consuetudine illam prohibitionem.
-

S V M M A R I V M.

- 1 *Gratia, tacito eo, quod ius exprimi iubet, est nulla. & num. 3.*
- 1 *Remissio secundi homicidij tacito primo nil suffragatur. & num. 4.*
- 2 *Dispensatio super vno impedimento, tacito alio, valet.*
- 3 *Taciturnitas nisi in casibus expressis gratiam non vitiat.*
- 4 *Impedimento vno sublato non censetur sublatum alterum.*
- 4 *Matrimonium impedit, sed non dirimit incestus.*
- 5 *Incestus si per impedimento consuetudine sublato dispensat Episcopus.*
- 6 *Incestum secretum in literis Apostolicis non reuelandum.*

C O N S I L I V M II.

AN dispensatio super impedimento consanguinitatis, vel affinitatis non facta mentione de copula prius habita valeat.

- 1 Respondetur, pro parte negante facere, primo, quod tacitum est illud, quo expresso, difficilius dispensasset Papa, & per consequens non valere, arg. cap. postulanti, de rescript. Secundo, quod impetratio veniæ pro secundo homicidio commisso non valet, si non fiat mentio de venia data pro primo, secundum Gulielmum in l. 2. C. de Episcop. audientia, per illum textum, quem sequitur ibi Bald. in num. 4. communiter receptus, vt tradit Fel. in c. super literis de rescript.
- 2 Sed contrarium videtur verius. Tum quia nullo iure cauetur, dispensationem super vno impedimento matrimonia esse nullum, eo quod super altero non sit habita, tum quod stilus Curia videtur habere, quod dispensatio facta super vno impedimento valeat, antequam dispensetur super alio licet non possit iustum iuris effectum sortiri, donec super alio dispensetur; sicuti excommunicatus duplici excommunicatione frequenter absoluitur ab vna, antequam absoluat ab alijs, & valet prior absolutio, licet non restituatur ei communio, donec ab altera absoluat, per cap. ex parte iuncta gloss. recepta de offic. ordinand. tñ quod Ægidius ait in decis. 698. incipiente Conclusio ext. Rotam, quod non omnia tacita, quorum expressio potuisset mouere Principem ad difficilius concedendam gratiam, illam vitiant, sed ea solum de quibus reperitur iure expressum, quod in impetranda gratia debeant exprimi. nam impetranti beneficiū, & dicenti se criminofum, Papa verisimiliter difficilius illud cōcederet, ac tacere hoc minime nocet, quia valet collatio facta criminofum, nisi sit crimen inducens in habilitatē ipso iure, quem refert, & sequitur Fel. in c. postulasti. col. 3. de rescript. & declarat pulchre

Rota

Rota in nouis decis. 3 2. de rescrip. col. pen. & finali.

Quibus sic constitutis, non obstant in cōtrarium adducta: nam ad primum respondetur, scilicet ad c. postulaſti, quod tex. ille loquitur de taciturnitate in beneficiis prius impetratis, in qua iure cautum est debere prius exprimi, per c. cum a deo. de rescript. & c. si motu proprio. de præbend. lib. 6.

- 4 Ad secundum, cui non videtur ab aliquo doctore, hactenus satisfactum, respondetur primo eod. modo, scilicet, quod etiam iure cauetur per dictam l. 2. C. de episcopali audien. & ibi Baldus nu. 4. quod in impetratione veniæ, pro secundo homicidio debet exprimi venia data pro primo. Ex quibus inferitur, quod quibus rationibus defenditur impetran-tem dispensationem, super impedimento consanguinitatis, non teneri manifestare copulam incestus, eisdem etiam rationibus defendi potest, impetran-tem dispensationem super impedimento affinitatis, non teneri ad reuelandum incestum admissum.

Nec obstat prædictis, quod aliud est impedimentum consanguinitatis, aliud affinitatis, & aliud impedimentum incestus; nec quod consequenter uno illorum sublato non censeatur alterum sublato, arg. c. ex tuarum. de auth. & vsu pallij. & l. si domus. ff. de seruit. vrb. anorum. præd. Nam respondetur illa esse tria diuersa impedimenta, & quod sublato uno non censeatur sublato alterum; negando tamen, quod sint: quia impedimentum consanguinitatis, & affinitatis sunt impedimenta, impediētia, & dirimentia; impedimentum autem incestus solum impediens. Itaque licet peccent contrahentes sine dispensatione illius, non tamen dirimit contractum, secundum omnes; præcipuè secundum Palud. in 4. dist.

- 5 34. 5. quæst. 1. col. 3. quæ sequitur D. Ant. in 3. p. tit. 1. c. 1 5. §. 4. eo quod videtur consuetudine abrogatum, vt ait idemmet Palu. & citati à nobis in nostro Manuali conf. c. 2 2. num. 7 5. cui credimus. Primo, eo, quod in tota nostra ætate, nunquam legimus, nec audiimus dispensationem, super hoc solo impedimento, nisi aliud consanguinitatis, vel affinitatis committatur, impetratam etiam ab episcopo, quem in hoc dispensare posse communis habetur opinio. Secundo, quod etiam si non esset abrogatū, tamen nullo iure cauetur, vt una cum alio impedimento debeat impetrari; & per consequens sufficeret, ut per se impetraretur. Tertio, quod hic loquimur de incestu secreto, quod non est reuelandum in literis Apostolicis, cum grandi opprobrio volentium contrahere, sed sufficeret impetrare clam à summo Pœnitentiario, uel suo Episcopo: immo arbitror grauius peccaturum, qui se coniugemque suam huiusmodi notant infamia, contra præceptum Decalogi, & ea quæ diximus, super eo, in cap. dicti nostri Manualis. Salua &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Affinitas matrimonio superueniens illud non dirimit, sed culpabilem exigere debitum impedit.*
- 2 *Affinitas ex illicito coitu in 3. & 4. gradu matrimonio superueniens non impedit exactionem debiti.*
- 3 *Lex per similitudinem rationis de vno ad aliud extenditur.*
- 4 *Negatiua, omnia, quæ post se inuenit, destruit.*
- 5 *Matrimonio perpetuo prohibito, & eadem suadente ratione, etiam sponsalia prohibentur.*
- 6 *Prohibito vno, vbi militat eadem ratio, etiam prohibetur præambulum ad illud. nu. 6.*
- 7 *Rapta cum raptore, cur ante libertatem contrahere prohibetur.*
- 8 *Sponsalia sicut matrimonium inter raptorem, & raptam, donec restituantur, sunt prohibita.*
- 8 *Sponsalia, sicut matrimonium, plenam libertatem requirunt.*
- 9 *Sponsalia, sicut matrimonium, sunt Senatoribus cum plebeis prohibita.*
- 10 *Lex pœnalis, & exorbitans ob eandem rationem extenditur.*

C O N S I L I V M III.

DVbium primum, An impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium postea factum dirimit, quod ad eos tantum, qui in primo, vel secundo gradu coniunguntur, restringitur, habeat locum etiam in impedimento affinitatis superuenientis post contractum matrimonium, vt non extendatur vltra dictum secundum gradum?

Secundum, An quemadmodum non valet matrimonium inter raptorem, & raptam, quamdiu ipsa manserit in potestate raptoris, vt habetur *scs. 24. c. 6.* ita etiam non valeant sponsalia?

In hac priori quæstione, si, errore amanuentis, non est scriptum, Superuenientis, pro Superuenientis, non video, quod dubium contineat, cum palam sit, affinitatem contrahi ex coitu illicito iure canonico, cap. discretionem, de eo, qui cogno. consanguin. vxoris suæ, & tradit glos. recep. in prima arboris affinitate, lib. 6. & quod affinitas semel contracta, non extinguitur morte personæ, qua mediante contrahitur, cap. fraternitatis, 3 5. q. 10. & traditur à dicta glos. recepta. Si autem per errorem scriptum est, superuenientis, pro, superuenientis, Respondendum videtur, quod nulla affinitas superueniens matrimonio contracto dirimit illud, licet partem culpabilem impediatur ab exigendo debito,

debito, cap. transmissæ, & cap. tuæ, de eo qui cogn. consang. vx. suæ, & cō
sequenter palam esse impedimentum huiusmodi præueniens matrimo-
nium in prædictis duobus gradibus longe maioris virtutis esse, quo ad
matrimonium præuentum, quam superueniens, quo ad matrimonium
eam præueniens; cum hoc matrimonium sequens impediatur, & dirimat,
superueniens autem, nec dirimat, nec impediatur, nisi quo ad exactiorem

- 2 debiti tantum, ne à culpabili exigatur per iura supradicta. Maius du-
bium esset, An affinitas tertij, & quarti gradus contracta ex illicito coi-
tu superueniens impediatur exactiorem debiti; licet præueniens non diri-
mat matrimonium contractum, per expressam Conc. Trid. decisionem,
sess. 24. c. 4. nec etiam impediatur contrahendum, per declarationem
Pij V.

Nam pro parte affirmante facit, quod aliud est dirimere matrimo-
nium, de quo loquitur Conc. & aliud impedire tantum, de quo ait declara-
tio Pij V. & aliud exactio debiti, de qua nihil statuit Concilium, nec de-
claratio prædicta, & secundum ius commune vetatur exactio per affi-
nitatem superuenientem, & casus omissus habetur pro omissis, l. commo
diffime. ff. de liber. & posthum. & cap. susceptum, de rescrip. lib. 6.

- 3 Pro parte vero negante, quod non impediatur exactiorem, facit, quod
lex per similitudinem rationis extenditur ab uno ad aliud, l. non possunt.
ff. de ll. & cap. dudum 2. de elect. facit etiam, quod Pius V. declarauit, quod
nec dirimit, nec impedit, & consequenter, non obstante illa, licite con-
trahitur. quod videtur consequi, quod etiam licite petatur debitum.
Tum quia minus est exigere, quam contrahere. ergo qui concedit con-
tractiorem, à fortiori videtur concedere exactiorem, argum. cap. cui li-
cet, quod plus. de reg. iur. lib. 6. Tum quia id, quod impedit exactiorem
debiti, quo ad aliquam partem impedit matrimonium; & prædictus
Pius V. declarauit simpliciter, quod non impedit, & consequenter, quod

- 4 nulla ex parte impedit, quia negatiua præcedens, omnia, quæ sequuntur,
destruit, & contrarium eorum ponit, iuxta glo. sing. recept. cap. cum dile-
ctus, de consuetud. facit etiam, quod verba declarationis Pij V. scilicet,
quod non impedit matrimonium, satis includunt per proximè dicta im-
pedimentum exactiorem; & ita per illa tollitur illud, quia lex generaliter
loquens, intelligenda est generaliter, cap. solita. in fin. de maiori. & l. de
pretio. ff. de pub. in rem act. De hoc autem dubio, quod alias in Sacræ pe-
nitentiariæ prætorio propositum fuit, & non resolutum, non uidetur lo-
qui quæstio proposita: & ideo non resoluo illud, tametsi multum inclino
in partem negantem.

- 5 AD SECUNDAM QUÆSTIONEM respondeo, quod pro
parte affirmatiua, quod scilicet etiam sponsalia sint nulla, videtur primo
casus, in l. omnino. ff. de spons. quatenus probat, prohibito matrimonio
etiam prohiberi sponsalia. Secundo id, quod Barr. notat ex ea ibi, & l. 2. ff.

de iur. om. iud. quod prohibito uno censetur prohibitum id, per quod peruenitur ad illud. Tertio quod prohibitus alienare, prohibetur facere actum, ex quo sequitur alienatio, vt constat ex glos. recept. in l. si ita quis. §. ea lege. ff. de verb. oblig. Vnde prohibitus alienare prohibetur committere, per quod potest peruenire ad alienationem, cap. cum tempore. de arbit. Quarto, quod statutum prohibens alicui vendere, videtur prohibere promissionem de uendendo facere, vt post alios consulit Decius conf. 502. num. 2.

Pro contraria tamen parte facit primo l. si quis officium. ff. de rit. nup. quatenus habet rectorem prouinciæ, qui prohibet ducere vxorem in ea, non prohibet contrahere sponsalia. Secundo facit cap. 1. Conc. Trid. quatenus annihilat matrimonium contractum, aliter quam præsentate parochi, & duobus, vel tribus testibus, & quod communiter dicitur, & nos diximus in Man. cap. 25. num. 144. quod sponsalia contracta publice, siue clandestine in absentia parochi valent, etiam hodie post Conc. Trid. & ita probat matrimonio prohibito non prohiberi sponsalia. Tertio, quod pœna imposita contrahenti matrimonium non censetur imposita contrahenti sponsalia, iuxta glos. recept. iuncto textu in clemen. 1. de consang.

- 6 His pro vtraque parte consideratis, pro resolutione constituendum videtur primo, quod prædicta lex omnino, quatenus probat matrimonio prohibito prohiberi sponsalia, & prohibito uno prohiberi præambulum ad illud, non habet locum, nisi quando eadem ratio militat in matrimonio, & sponsalibus, & in prohibito, & præambulo eius, & tunc sic. vt determinat Cinus, quem Salyc. & omnes sequuntur in dicta l. 1. C. si rector prouinc. & Alex. conf. 194. lib. 2. in fine, quem sequitur Dec. dicta l. 2. sub finem, & probatur per l. si quis officium. ff. de rit. nup. & per d. l. 1. C. si rector Prouinc. adjuncta prædicta l. omnino. Secundo, constituendum est, quod prædicta lex omnino, quatenus habet, matrimonio prohibito, prohiberi sponsalia, non habet locum, nisi quando matrimonium perpetuo prohibetur, siue quando impedimentum est perpetuum, & non quando impeditur ad tempus, siue quando impedimentum est temporale, secundum Dinum in c. cum quid vna via. de reg. iur. lib. 6. quem inter alios sequitur Decius l. 2. ff. de iure om. iud. sub finem. Tertio, constituendum, quæ fuit ratio, qua prædictum Concil. Trid. limitauit ius commune antiquum declaratum in c. fin. de rap. per quod licebat raptæ si vellet nubere raptori, quia secundum Canones antiquos, quos Gratianus citat 36. q. 2. post pœnitentiam, purgationem, & satisfactionem, raptis id licebat, vt pulchrè Gratianus ipse in §. prohibetur. sub cap. apud omnipotentem, determinauit. Quarto, constituendum, quod ratio limitandi non fuit, quod perpetuo prohibeatur cōtractio matrimonij inter raptorem, & raptam, iuxta l. iniuriam. C. de rap. virg. Tum quia lex illa, quo ad hoc

non

non est seruanda iure Pontificio per iura prædicta. Tum quia ipsummet Conc. permittit contractionem, posteaquam rapta exierit domum raptoris; & fuerit assequuta plenam libertatem contrahendi, vel reuendi, & ita inducit impedimentum temporale, & non perpetuum. Quinto; quod ex hoc sequitur, quod per d.l. omnino. ff. de spons. non potest concludi, sponsalia, de quibus queritur, esse nulla: quia lex illa, quatenus habet non posse contrahi sponsalia ab his, qui non possunt contrahere matrimonium, non habet locum quando impedimentum est temporale, sed solum quando est perpetuum, vt dictum est, qua eadem ratione defenditur, quod cap. i. Conc. Tridē. annullans matrimonium contractum in absentia parochi, non annullat sponsalia; quia matrimonium non prohibetur perpetuo inter aliquos, eo quod prohibeatur fieri in absentia parochi, cum fieri possit in eius præsentia. Sexto, quod non videtur etiam ratio limitandi ius antiquum fuisse illa, qua nititur prohibitio matrimonij inter Senatores, & liberos eorum, cum quibusdam personis. Tum quia illud impedimentum est perpetuum. vt enim tradit Cinus, quem Salyc. & alij sequuntur d.l. i. C. si rector prouinc. id fuit statutum, ne Senatorum, & liberorum eorum dignitas vilesceret, iuxta l. semper. ff. de ri. nup. Tum quia id non est receptum iure Pontificio. Tum quia raptor, & rapta frequenter sunt æqualis dignitatis. Septimo, quod ratio limitandi videtur fuisse, quod consensus raptæ præstitus in domo raptoris, vel extra eam, donec assequatur plenam libertatem, non est satis liber ad contrahendum matrimonium, quod plenam libertatem requirit, cap. cum locum. de sponsal. quæ ratio ita militat in sponsalibus, ac in matrimonio, quia sponsalia etiam plenam requirunt libertatem, secundum omnes. Octauo ex hoc sequitur, quod, licet lex omnino, quatenus habet matrimonio prohibito propter impedimentum perpetuum, videri sponsalia prohibita, non concludat, vt dictum est, per prohibitionem Conc. temporariam videri prohibita sponsalia: tamen quatenus probat, prohibito vno videri prohibitum præambulum, in quo est eadem ratio, concludit, prohibito matrimonio inter raptorem, & raptam, donec rapta fuerit in domo raptoris, & donec assequatur plenam libertatem, cenferi prohibita sponsalia, donec maneret intra domum, vel extra, & assequatur plenam libertatem; quia, vt dictum est, defectus liberi consensus ita impedit sponsalia, ac matrimonium: Per quod patet responsio formalis ad quæstionē

9 propositam, & etiam concordia pro vtraque parte allegatorum. Nec obstat, quod aliqui dixerunt, quod prohibitio matrimonij, de qua in dicta l. omnino. per nouam extensionem Iuriconsulti extenditur ad sponsalia, ad quæ antea non extendebatur, ob illa verba, vt suppleatur, quod orationi deest, quia ex mente Decij in d. cap. commune, & in dicto cons. & dicta l. 2. & in cap. nam concupiscentias, de constit. qui huic obstaculo responder clarius, responderi potest contextum eius non loqui de suppletio-

pletionē, quo ad mentem, & sententiam, sed solum, quo ad suppletionē verborum, hoc est, quod Iurisconsultus declarat ibi, mentem, & propositum Imperatorum prohibentium matrimonium inter Senatores, & liberos eorum, cum quibusdam personis, fuisse etiam prohibere sponsalia, licet verbis id non expressissent. Non obstat etiam, quod prædictum cap. 6. Conc. Trid. est ius exorbitans à iure communi, & limitans illud, vt supra dictum, & probatum est; & quod iura exorbitantia non sunt extendenda de uno casu ad alium, cap. quæ à iure. de reg. iur. lib. 6. & consequenter, quod cap. illud loquens de matrimonio non debet extendi ad sponsalia, non inquam hoc obstat. Tum quia ius limitans aliquid extenditur ex similitudine rationis ad casum similem, vt efficaciter, & singulariter probatur per cap. cum dilect. de confirm. vtil. & alia multa, quibus ibi Decius, illud confirmat, & in proposito nostro nõ solum inuenitur ratio similis, sed etiam eadem, vt supra probatum est, & ex identitate rationis non solum iura exorbitantia, & limitatoria, sed etiam pœnalia extenduntur; iuxta glos. sing. cap. 1. verbo Italiæ, de temp. ordin. in 6. & late tradita ibi per Dominicum, & Francum post Anton. in cap. fin. de consuetud. Salua. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Dispensatio super affinitate non extenditur ad publicam honestatem concurrentem.*
- 2 *Dispensationem super affinitate taciturnitas publicæ honestatis concurrentis non vitiat.*
- 3 *Impedimento vno ex dependentibus sublato remanet alterum.*

C O N S I L I V M I V .

Quæritur, an dispensatio super affinitate extendatur ad publicæ honestatis impedimentum, & an valeat quo ad affinitatis impedimentum.

- 1 Per dispensationem, per quam tollitur affinitatis impedimentum, non censetur sublatum impedimentum publicæ honestatis concurrentis cum affinitate, iuxta glos. communiter receptam in arbore affinitatis, circa principium, cui videtur contraria glos. 3. cap. non debet. de consang. quæ est vera, quando saltem tacite fit mentio de illo: altera uerò, quando nec expressè, neque tacite fit talis mentio, iuxta cõcordiam, quæ inter illas ponunt Panor. & Præpos. in dicto cap. non debet.
- 2 Sed quæstio noua est, an dispensatio super affinitate valeat saltem, quo ad affinitatis sublationem; licet non ualeat, quo ad sublationem publicæ honestatis

honestatis

honestatis: nā pro parte negante facit, quòd tacetur aliquid, quo expresso difficilius concessa fuisset dispensatio super affinitate; & ita videtur surreptitia, cap. postulasti. de rescript. sed præfata glos. arboris affinitatis, à nemine ad hoc ponderata contrarium tenent, & idem uidetur sentire Panor. & Præpos. ubi supra, & alij omnes, qui sequuntur eam in sensu prædicto, quatenus in confirmatione eius allegant illud vulgatum, uno de duobus uinculis sublato, remanere aliud, cap. ex tuarum. de auth. & usu pallij. & l. si domus. ff. de seruitutib. vrbano. præd. per quod signant impetrationem dispensationis super vinculo affinitatis nulla facta mentione expressa, nec tacita de vinculo publicæ honestatis; alterum quidē tolli, & non alterum, & hoc est aptum, ac singulare exemplū illius Theoricæ Rotæ 32. in nouis. de rescript. scilicet taciturnitatem veri, quod expressum retraheret Principem à gratia facienda, non efficere illam surreptitiam, nisi sit tale, de quo iure caueatur illud esse exprimendum. quā decisionem nos quoque sequimur in Manu. confessor. c. 2. nu. 86. Cuius Theoricæ exemplum, vt prædicta Rota dixit, est in collatione facta à Principe criminoso, quæ ualet regulariter per resolutionem, & Felin. & eorum, quos ille citat in c. 2. de Rescriptis, quod nos resolutius tractauimus nuper in Miscella. 3. 4. De oratione. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Incestus an petita dispensatione contrahendi exprimi debeat. & seq.*
- 1 *Incestuosi non solum inter se, sed etiam cum alijs contrahere vetantur.*
- 2 *Gratij in impetrandis illa exprimi debent, quæ iura iubent.*
- 3 *Dispensatio matrimonialis super vno impedimento tacito alio vt valet.*
- 4 *Dispensat solus Papa super cōsanguinitate, super incestu etiam episcopus.*
- 5 *Dispensatio super consanguinitate tacito incestu quando non valeat.*
- 6 *Dispensationes se contingentes vna de alia meminisse debet.*

CONSILIVM V.

AN consanguinei, vel affines, qui copulam habuerunt secrete, teneantur exprimere Papæ hoc delictum, si petant dispensationem contrahendi inter se?

- 1 Respondeo, visum fuisse aliquibus in hac curia, esse necessarium, eo maxime, quod incestuosi prohibentur cōtrahere, non solum inter se, sed etiam cum alijs, vt communis tenet opinio canonistarum, contra communem theologorum, vt scripsi in Manu. cap. 22. num. 75. quod seruat curia, vt ibi dixi, & nunc hic repeto, pro qua dudum allegaui quatuor
textus

textus, qui expresse id probant; & ita duo impedimenta concurrunt in prædictis, vnum consanguinitatis, aliud incestus; & ita impetratio tacita copula incestuosa videri potest impetratio subrepticia: quia tacetur aliquid, quo expresso difficilior dispensasset Papa, quod arg. maximum coloris habet. præsertim, quod sublato vno, & duobus vinculis, alterum non videtur sublatum c. ex tuarum, de author. & vsu pal. l. si domus. ff. si serui vendi. §. affinitatis, instit. de nupt.

- 2 Sed oppositum est tenendum per multa. & primo ex decisione Rotæ. 3 2. de rescriptis in nouis, quam sequitur Felin. & allegati ab illo cap. postulasti. col. 4. de rescript. quatenus habet in impetratione dispensationis non esse necessario faciendam mentionem, nisi de illis tantum, de quibus iura iubent, etiam si talia sint, quibus expressis difficilior Papa dispensaret: & quia stylus curiæ videtur tenere, vt impetratio super vno impedimento matrimonij valeat, non facta mentione de alio; non quidem ad hoc, vt censeatur sublatum aliud, neque quo ad hoc, vt possit contrahi matrimonium licite ante dispensationem super alio: sed quo ad hoc, vt dispensatio valeat, & censeatur sublatum impedimentum, super quo habita est illa; & quod post habitam dispensationem super alio iuste poterit contrahi matrimonium.
- 4 Ex quibus inferitur primo, quod in casu posito, cum sint impedimenta consanguinitatis solus Papa tollere possit: impedimentum autem incestus etiam episcopus ex iusta causa, cap. si duo 3 §. q. 6. & sic quod habita dispensatione a Papa non facta mentione de copula possit contrahere, habita dispensatione ab episcopo super incestum, ante, vel post dispensationem consanguinitatis. Secundo, inferitur parum referre, quo ad hoc, quod copula sit occulta, vel manifesta, vel confessio confessa, vel absoluta, vel non confessa, nec absoluta, si episcopi dispensatio non interuenit. Addendum tamen, quod, si dicta copula fuerit occulta, vel manifesta, eo fine, vt facilius impetrarent dispensationem, esset facienda mentio eius tempore Sanctiss. Domini nostri, qui declarauit non esse animum dispensandi cum talibus, quamuis iure antiquo, & etiam Conc. Trid. sess. 24. c. 4. non videtur id obesse, si neque matrimonium, neque sponsalia contraxerunt. Si autem contractis illis publice habuerunt scilicet copulam, vel contractis clandestine habuerunt eam etiam ignorantes, non valebit dispensatio, nisi fiat mentio de illa; & si fiat, non dabitur huius Sanctissimi domini tempore, & merito; quia Concilium Tridentinum, vbi supra, statuit ne cum huiusmodi dispensetur; immo, neque cum eis, qui scienter, vel ignoranter non seruatis declarationibus contraxerunt, etiam si non consummauerint, vt in d. cap. 5. Obstat videtur, quod indulgentia secundi homicidij secundum Gulielmum de Cuno. l. 3. C. de episcopali audi. relatum per Baldum ibi, & etiam dispensatio concessa super pluralitate illegitimo non valet, non facta mentione
de prio-
- 6

de priori dispensatione, qua factus est habilis ad vnum. c. 2. de filijs presbyte. in 6. sed responderetur ad primum, quod lex illa tertia requirit expressionem iterationis, siue geminationis delicti. Ad secundum, quod caput illud 2. illo casu illam mentionem requirit, & ratio specialitatis est, quod illæ dispensationes se contingunt, & sunt quasi idem, & tacitū auget delictum, vel defectum expressum, super quod dispensatur, vnde gratia facta de pœna adulterij, non requirit mentionem de gratia pœnæ vel homicidij. Nec gratia pluralitatis beneficiorum facta illegitimo requirit mentionem gratiæ factæ de non ieiunando certis diebus, vel non soluendo pœnam periurij, vel fruendi orationibus Romanis. Per quæ respondimus gratiam ducendi vxorem factam subdiacono occultissime, & male ordinato non vitiari, eo quod tacuit, præsertim absq; dolo, quod erat affinis, nec gratia postea impetrata super affinitate, non facta mentione de dispensatione super ordine, quia sunt res separatæ, nec una auget alteram, nec ullo iure requiritur mentio alterius in altera.

S V M M A R I V M.

I Cause septem, vt in gradibus cognationis dispensetur, & quæ super secundo sufficiat. num. 2.

C O N S I L I V M VI.

AN infra scriptæ quinque causæ sufficiant ad iuste dispensandum cum quibusdam super cognatione in secundo gradu?

I Pro parte negante facit illud Concil. Trident. de reformat. matrimonij, c. 5. sess. 24. *In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.*

Pro parte affirmante facit illud eiusdem Concilij de reformat. cap. 18. sess. 25. *Si vrgens, iustaq. ratio, & maior quandoquidem vtilitas postula uerint cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis, a quibuscunque ad quos dispensatio pertinebit erit postulandum, aliterque facta dispensatio surreptitia censeatur.* Prima causa ignorantia rigoris prohibitionis, iuxta illud Pauli, *miserencordiam sum consequutus, quia ignorans feci.* 1. ad Timot. 1. Secunda, proles iam habita, cap. fin. 35. q. 8. l. qui in prouincia. §. diuus ff. de ritu nup. Tertia, diuturnitas matrimonij male contracti, refato c. de gradibus. & d. l. qui in prouincia. Quarta, scandalum inde oriundum, mortium puellæ, & cognatorum, argumento c. qui circa. de consangu. Quinta, misericordia Pa-

pæ;

pæ, quia puella est pauper, & eam vult iuuenis patruelis honeste dotare, arg. l. 1. ff. solut. matrim.

- 2 Respondeo primo, quod huius petitionis, & adiectæ informationis authores erudite, ac amice colligunt causas dispensandi hoc casu, quibus addi potest minor ætas decem & octo annorum, quæ miserationem ad pœnam diminuendam inducit, l. auxilium. ff. de minor. Secundo non arbitror illas solas sufficere de rigore iuris, quo ad dispensandum cum prædictis. Tum quia verba præfati Concilij sunt præcisa quatenus continent nullatenus dispensandum esse in præfato secundo gradu, nisi cū principibus, & ob vtilitatem publicam, quorum neutrum concurrit in eo. Tum quia, tam S. D. N. quam fe. rec. Pio V. frequenter ita visum est de similibus causis. Tertio, quod sicut misericordiæ domini non est numerus pl. ita misericordiæ S. D. N. nemo alius ab ipso met modum necessarium imponere potest, c. cuncta per mundum 9. q. 3. & cap. proposuit. de concess. præb.

S V M M A R I V M.

- 1 *Filij nati ex coniugio per commissionem de dispensando bona fide contracto, licet eius forma satis seruata non fuerit, censentur legitimi.*

C O N S I L I V M VII.

Episcopus accepta commissione à Papa ad dispensandum cum impeditis tertio gradu consanguinitatis, nullam informationem accepit, & ipsi coniugati credentes se esse iã dispensatos manserunt domi, & susceperunt prolem. Quæritur an filij eorum sint legitimi censendi.

- 1 Respondeo primo, quod si Episcopus commissarius non accepit informationem, nec fecit dispensationem, non erunt censendi legitimi: quia non habebant bonam fidem, & sciebant, vel scire debebant inter ipsos esse impedimentum. Si autem Episcopus, accepta commissione, facta, vel non facta informatione dispensauit, licet non satis ordine iuris seruato, credo, quod erunt legitimi, si bona fide credebant dispensationem fuisse legitime factam, quia habuerunt iustam causam credendi eam bene factam, quod sufficit ad legitimandam prolem, argumento cap. ex tenore, & gloss. communiter recepta, qui filij sint legitimi, & per alia quæ non vacat nunc scribere.

S V M M A R I V M.

- 1 *Affines quid proprie, & quid improprie.*
- 2 *Vxor, & maritus non sunt proprie affines, sed causa affinitatis.*
- 3 *Impedimentum affinitatis, & affinitas, sicut cognatio, & impedimentum cognationis diuersa.*
- 4 *Affinitas est proximitas personarum ex copula carnali proueniens, omni carens parentela, ab omnibus, etiam à S.Thoma recepta. nu. 5.*
- 5 *Affinitas non nisi ex copula carnali ordinaria producitur.*
- 6 *Testi varie, vel contrario modo loquenti non creditur.*
- 7 *Concordia S.Thomæ de affinitate varie loquentis.*
- 8 *Impedimentum publicæ honestatis humanum facilius tollitur, quam cognationis.*
- 9 *Dispensandi potestas est fauorabilis, licet dispensandi actus sit odiosus.*

CONSILIVM VIII.

Contra id, quod alias respondi, scilicet non contrahi affinitatem, nisi ex copula carnali, dicuntur aliqui scrupulum mouere, ex eo quod S.Thomas in additionibus ad eius tertiam partem q. 55. art. 4. videtur tenere, impedimentum affinitatis nasci ex sponalibus, vel matrimonio ante copulam carnalem habitam. Ad cuius sublationem præsuppono primo, verbum hoc affines generaliter, & large sumptum significare secundum sum etymologiam, quorum vnum trahitur ad finem alius, & è contrario, quo modo accepit Cicero in Catilinam ibi, *Huic sceleri ne paucos affines esse putetis.* & Modestinus in l. non facile. §. affines. ff. de gradibus affinit. ibi, *Affines dicuntur eo quod alter ad alterius cognationis finem accedit.* per quem contextum idem dicit gloss. recep. & approbata per omnes in arbore affinit. Hoc etiam modo videtur accipi in l. non ideo minus. C. de hæred. institu. quæ habet, institutionem vxoris factam a marito appellando eam affinem valere, licet, vt ibi ait glossa, vxor proprie non sit affinis viui, sed causa affinitatis, ut habet lex præallegata non facile. sic etiam accipitur in l. quod seruus ff. de condict. causa data. que dicit, inter sponsum, & sponsam de futuro esse quandam affinitatem, ubi gloss. recep. per omnes ait, improprie, & non proprie esse affinitatē; & ita largo, & generali modo illam ibi appellari affinitatem. Sic etiam glossa recep. per omnes in l. affinitatis. C. communi. de successio. ait, regulam illius legis, quæ habet, ratione affinitatis non dari successionem, procedere

cedere uniuersaliter, licet aliquando uxor succedat marito, & aliquando maritus uxori; quia licet largo modo, & improprie maritus, & uxor possint appellari affines, non tamen sunt proprie tales.

- 3 Secundo, quod aliud est loqui de affinitate, aliud loqui de impedimento affinitatis: sicut & aliud est loqui de cognatione, siue de consanguinitate, & impedimento cognationis, siue consanguinitatis. sicut enim non omnis cognatio, uel consanguinitas parit impedimentum matrimonij, ita neque omnis affinitas parit impedimentum affinitatis: & consequenter non omnis, qui ait esse aliquam affinitatem inter aliquos, uidetur dicere inter eos esse impedimentum affinitatis, nec iure Cæsareo, nec Canonico: nam iure Cæsareo non nascitur affinitas, nisi ex legitimis nuptijs copula carnali subsecuta, licet iure Canonico nascatur etiam ex sola copula illicita sine ullis nuptijs legitimis præcedentibus, iuxta cap. discretionem. de eo qui cognouit consang. uxoris suæ, & ei concordan. Quæ omnia sunt ab omnibus utriusque iuris interpretibus recepta.
- 4 Tertio, quod hæc consequitur rectissimam esse definitionem affinitatis, quam posuit glossa in arbore affinitatis typis excusa tam in Decreto Gratiani sub 35. q. 5. quam in Decretali, post titu. de consang. & affinitat. quam lib. 6. post tit. de cognat. spirit. & receptam per omnes in omnibus præd. locis, & per omnes Theol. in 4. lib. sent. dist. 41. post S. Th. in q. 1. art. 1. quæstiuncula 3. scilicet, quod *Affinitas est proximitas personarum ex copula carnali proueniens omni carens parentela*, intelligendo per illa uerba ultima, quod ea ratione qua est affinitas, non requirit ullam consanguinitatem interuenire, licet alia ratione possint concurrere consanguinitas, & affinitas, ut concurrat cum contrahatur ex concubitu consanguineorum licito, uel illicito, ut declarat S. Thomas in prædicta q. 1. art. 1. quæstiuncula 3.
- 5 Quarto, quod ex his colligitur, quam friuolus sit scrupulus, quo augere cupiunt nos, & nostrum responsum, ex eo quod uidetur eis dixisse S. Thomam ex solo matrimonio sine copula consecuta nasci impedimentum affinitatis in primo gradu impediens, & dirimens matrimonium. Tum primo, quod additiones prædictæ non sunt D. Thomæ, sed longe post eius mortem collectæ ab alio, ut in titulo ipsarum expresse docetur. Tum secundo, quia S. Thomas in 4. dist. 41. q. 3. art. 1. unde uidetur desumpta additio illa, expresse tenet definitionem datam a prædicta gloss. prædictæ arboris affinitatis, scilicet, quod est propinquitas personarum ex carnali copula proueniens omni carens parentela; & quia bona definitio est de substantia, & essentia definiti, & conuertitur cum eo. ita quod, cui conuenit definitum, conuenit definitio, & e contrario, ut probatur in l. 1. ff. de dolo, & l. 1. cum notatis a Bart. & alijs ff. de testa. & late tradit Decius, & citati ab eo in rub. de probatio. consequitur. quod S. Thomas approbando illam definitionem sentit expresse non

non posse dari propriam affinitatem sine interuentu copulæ: quia definitio eius habet eam nasci ex copula, & coitu. Tum tertio, quod ipsemet S. Thomas paulo post ait in responsione ad secundum, quod affinitas adeo requirit copulam carnalem ad sui productionem, quod quantumcunque aliquis claustra pudoris inuadat, vel frangat, nisi committio feminum sequatur, non contrahitur ex hoc affinitas, unde nec copula contra naturam, neque extra ordinaria pollutio, generat affinitatem, secundum eundem ibidem. pro quo facit cap. ult. de sponsalib. & cap. extraordinaria. 2 5. q. 2. & 3. Tum quarto, quod non obstat id quod ipsemet S. Thomas subdit ex contractum matrimonij per verba de presenti nasci quandam propinquitatem, seu affinitatem, quæ pertinet ad societatem: quia loquitur de affinitate generaliter, & largo modo sumpta, sicut leges citatæ in primo præsupposito, quarum omnium glossæ receptæ ab omnibus dicunt eam non esse proprie affinitatem. Tum quinto, quod aliud est dicere, quod aliqui sunt affines, & aliud, quod inter eos est impedimentum affinitatis, ut habet præsuppositum secundum, & ideo ex eo quod S. Thomas dixerit ex matrimonio solo nasci affinitatem, non inferitur, quod dixerit, ex illo nasci impedimentum, affinitatis, quia a diuersis non fit illatio l. Papinianus. ff. de morib. Tum sexto, quod est dicendum, S. Thomam loqui varie, aut esse sibi ipsi concordandum, si dicamus loqui varie, non est ei credendum; quia testi varie, vel contrario modo loquenti non creditur, ut tradunt Panor. & Fel. in princ. proœm. decret. in prima eius glos. & alia citata per ipsos. Aut esse ipsum sibi concordandum, & non sese offert alia concordia melior, quam quod in vna parte loquitur de affinitate proprie dicta, & de impedimento affinitatis, & in alia de affinitate largo modo, & generaliter dicta, quoniam glossæ citatæ in primo præsupposito sic concordant textus de affinitate loquentes improprie, & largo modo accepta. Tum septimo, quod ipse est fere solus, & omnes iuris interpretes sunt ei contrarij, & communis opinio præfertur singulari, ut est doctrina receptissima Io. Andree in cap. 1. de constit. Tum octauo, quod etiam singularis opinio præfertur communi, quando neruosiore ratione nititur, ut probat cap. capellanus. de ferijs. vbi Panor. ab omnibus recep. tradit, & Fel. & citati ab eo in cap. 1. de conti. nu. 54. & S. Thomas fortiore ratione tenet id quod communis fere omnium, quam id quod prædictis scrupulosis videtur dicere.

Per quæ omnia concluditur efficacissime, friuolum esse prædictū scrupulum: & quod illo non obstante plane asserendum est affinitatem proprie dictam non posse generari sine copula carnali licita, vel illicita, & minus impedimentum affinitatis, quia ad id requiritur, quod sit intra gradum quartum.

8 Quod autem lex Concilij Triden. quæ sessio 24. cap. 5. de reform. matrim. prohibet dispensationem dari coniunctis secundo gradu consan-

guinitatis, & affinitatis, non comprehendat impedimentum publicæ honestatis primi gradus facit præter alia, quod longe aliud est impedimentum publicæ honestatis ab impedimento affinitatis: quoniam hoc saltem quo ad aliquas personas, & gradus fuit inductum iure diuino scripto anti qui testamenti Leu. 18. illud vero nullo iure veteri, nec scripto, sed est inuentum nomen post passum Christum secundum omnes, & ita non est tanta ratio inhihendi dispensationē circa illud, & lex præsertim prohibitoria non est extendenda ad casum, in quo non est tanta ratio prohibendi, arg. cap. pœnæ de pœnitent. dist. 1. in similib. facit etiam illa ratio firma, quod nulla dispensatio restringibilis est extendenda vltra terminos propriæ significationis illius, per reg. quæ a iure de reg. iur. lib. 3. cū ei concordant. & sublatio prædicta dispensandi est restringibilis, quia contrarium eius, quod est potestas dispensandi, est fauorabilis, iuxta gloss. solen. in clem. 1. de offi. vic. receptam communiter per omnes, quorum aliquos citat, & sequitur Fel. in cap. postulasti. de rescript. num. 10. quauis ipsa dispensatio, & actus dispēfandi sint restringenda, quia sunt contra ius, sicuti dispensatio illegitimi est odiosa, sed potestas legitimandi est fauorabilis, & ampliabilis, vt tradit idem Felin. post alios vbi supra num. 8. Salua &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Affinitatis impedimentum ex illicito coitu, tam occulto, quam publico, nascitur.*
- 2 *Matrimonium iuste nemo contrahit, nisi credat non adesse impedimentum.*

C O N S I L I V M IX.

ANtonius vellet matrimonium contrahere cum Lucretia, quam Hieronymus eius frater adamarat, & dubitat an secreto eam cognouerit. Quæritur an Antonius tuta conscientia illud matrimonium contrahere possit.

- 1 Ex coitu carnali illicito nascitur affinitas iure Canonico quoad effectū impediendi matrimonium, secundum omnes, siue coitus, vt publicus, siue occultus, vt colligitur ex definitione affinitatis, data in arbore affinitatis, lib. 6. & singulariter colligitur ex cap. discretionem, de eo qui cogn. confang. vx. iux. Quatenus probat non referre quoad hoc, an coitus incestus sit publicus, aut occultus. Colligitur etiam in cap. concubuiti, & aliquot alijs 3 2. q. 7. Quatenus probatur per coitus admissos cum cognatis primi gradus impediri matrimonia, & clarum est huiusmodi coitus

coitus esse solere secretos, & occultos, & ideo sicut publicus coitus generat affinitatem quoad forum publicum, & conscientiæ, ita coitus occultus generat affinitatem quoad forum conscientiæ, & consequenter præfatus Antonius cum præfata Lucretia non potest iuste contrahere matrimonium, nisi coram Deo credat, quod Hieronymus non cognouit Lucretiam, vel nisi obtinuerit dispensationem, saltem quoad forum conscientiæ tantum, & iam si nullatenus probari posset, nec vllum scandalum ex contracto matrimonio generaretur, quod stylus sacre Pœnitentiariæ quotidie seruat. Salua quæ iustior fuerit sententia &c.

DE FRIGID. ET MALEF.

S Y M M A R I V M.

- 1 *Diuortium ob coeundi impotentiam ante triennem habitacionem fieri nequit.*
- 2 *Coeundi impotentia dari potest quoad vnam personam, & non quoad aliam, sed ante triennem habitacionem non præsumitur.*
- 3 *Matrimonium contractum cum secunda ob impotentiam coeundi cum prima etiam post sententiam diuortij ante triennem habitacionem, non valet.*
- 4 *Papa ex causa dispensat super matrimonio rato non consummato.*

C O N S I L I V M I.

Carolus, & Anna matrimonium inter se contraxerunt, & cum simul per aliquod tempus minus triennio cohabitassent, nec illud consummare valuissent ab ordinario ob illorum impotentiam, per sententiam impetrarunt, ut scilicet Carolus cum alia, & similiter Anna cum alio matrimonio iungi possit, prout factum est, ex quo filias vterque procreauit. Dubitatur an iuste in secundo matrimonio perseverare possunt, attento quod sententia præfata videtur iniusta ex eo quod vterque cum alio, vel alia filios habuit.

- 1 Respondeo sequentia, primum quod sententia diuortij lata inter Carolum, & Annam non videtur fuisse iusta, quia non videtur fuisse vere probata impotentia, cum per consecuta matrimonium constet vtrumque illorum fuisse potentem, nec etiam fuit probata impotentia præsumptiue, quia ad id requirebatur cohabitatio triennalis sine facultate coeundi per cap. Laudabilem, & cap. vlt. de frig. & malef. & notat. in cap. fra-

ternitatis.eod. tit. & iuxta resolutionem recep.communiter Pañor. in eisdem cap.

- 2 Secundo, quod possibile est, quod inter Carolum, & Annam interuenit verum impedimentum perpetuum maleficij, non obstante, quod vterque illorum habuerit potentiamcoeundi cum alijs, quia potest quis maleficio impediri quoad vnam personam, licet non impediatur quoad aliam, arg. cap. si per contrarius. 33. q. 1. & colligitur ex notat. Panor. & alijs vbi supra, sed non est præsumendum tale impedimentum, nisi præcedente cohabitatione triennali, sine facultate coeundi.
- 3 Tertio, quod per nullum remedium iuris ordinarij possunt iuste remanere, vt nunc de facto iniuste remanent, nisi redeundo prius ad cohabitandum per triennium, & experiendum impotentiam, & iurandum illud cum septima manu, vt dicitur in dicto cap. laudabilem, & dict. cap. vlt.
- 4 Quarto, quod potest dari remedium extraordinarium dispensationis Papalis, secundum illam opinionem omnium pure canonistarum, & eorum qui sunt Canonistæ simul, & Theologi, immo & aliquorum paucorum pure Theologorum, ex quibus est Caietanus, quos nos quoque referimus, & sequimur in Manual. Confess. cap. 22. num. 21. secundum inquam illam opinionem, quæ habet posse per Pontificem Maximum, dissoluere iusta de causa matrimoniũ ratum, & non consummatum: quãdoquidem matrimonium inter eos contractum nõ fuit consummatum, vt in facto proponitur. & satis iusta videtur esse causa prædicta. nam & simili casu dispensauit sua Sanctitas quoad forum conscientia, cum multis. Verum tamen est quod illi, quibus cum dispensauit, contraxerunt occulte, hi autem publice. & ita videri potest alicui facilius potuisse dispensare cum illis, quam cum his. sed quia illi contraxerunt mala fide, & nulla sententia diuortij, prius inter eos lata, ii autem bona fide, & sententia diuortij prius lata, satis potest dici esse par ratio, saltem ad dispensandum quoad forum conscientia tantum.

S V M M A R I V M.

- 1 Ordinari potest, ob impotentiam ab vxore separatus.
- 2 Bigamia impedimentum, vt contrahitur.
- 3 Ordinum sumptionem non impedit coeundi impotentia.
- 4 Eunuchi, & castrati qui ordinari possunt.
- 5 Fornicatio etiam cum multis non facit quem bigamum.

CONSILIVM II.

AN contrahens cum vnica, & virgine matrimonium per verba de præfenti possit legitime ordinari etiam sacris ordinibus, si matrimonium fuit inualidum propter suam impotentiam coeundi, ob quam declaratum fuit matrimonium fuisse, & esse nullum, & data licentia contrahendi cum alio fœminæ quæ contraxit cum illo; & an ipse possit iuste sine dispensatione simpliciter ordinari sacerdos, & habere beneficia.

- 1 Respondeo, prædictum D. Consulentem posse sine vlla dispensatione iuste ordinari Sacerdotē, & quærere, & retinere beneficia Ecclesiastica. Tum quia nullo impedimēto iuris naturalis, diuini, neque humani canonici ab eo prohibetur. Tum quia, si quod prohiberetur maxime esset impedimentum bigamiæ, iuxta totum titulum de bigamis. Sed hoc est falsum, quia bigamiæ impedimentum non inuenitur, nisi in eo, qui bis vere, putatiue, interpretatiue, vel similitudinarie antea matrimonium contraxit. At D. Consulens nullo illorum modorum contraxit bis matrimonium, immo nec semel, quia id quod voluit contrahere, & de pacto contraxit, non fuit verum matrimonium ob impedimentum legitimum frigiditatis, vel maleficij naturę legitime probatum, & definitum, vt in facto proponitur. Tum quia impedimentum impotentię contrahendi matrimonium non impedit habilitatem assumendi ordines, & beneficia, nisi impotentiam illam concomitetur aliqua irregularitas, vel inhabilitas alia, etiam si sit eunuchus, siue castratus, non impedit ordinationem, nisi se ipsum iniuste abscederit, & castrauerit, cap. si quis abscedit, cap. eunuchus, & cap. si quis in infirmitate, & alijs multis. § 5. dist. Tum quia nullus corpore vitiatuſ excluditur ab ordinatione, nisi sit mutilatus membro, vel tali vitio vitiatuſ, vt sit inhabilis ad exercendū ordines sine scandalo, vt probatur per prædictam fere totam dist. & totum tit. de corpore vitiatuſ. Tum quia non potest præfatus D. Consulens excludi ab ordine; eo quod habuerit rem cum ea, quæ non erat vera eius vxor. Tum quia fornicatio etiam cum multis mulieribus habita nō efficit quem bigamū, secundum omnes. Tum quia, licet prædicta mulier, cum qua contraxit, vere non esset vera vxor sua, erat tamen putatiua, cum qua poterat habere copulam, vel redire ad eam, etiam siue culpa, & peccato, si bona fide credidit illam esse suam vxorē, iuxta cap. 1. & cap. quod sedem, & cap. fraternitatis, & totum titulum de frigid. & malef. & licet mala fide cognouisset illam, non propterea ob id contraxit vllam bigamiam, vel aliud impedimentum ordinationis. Quare non est, cur D. Consulens debeat angiscrupulis, neque abstinere ab ordinibus, & beneficijs accipiendis absque vlla dispensatione.

S V M M A R I V M.

- 1 *Matrimonio est aptus, qui coire, licet non generare potest, nu. 11.*
- 2 *Seminis commistio non est de essentia copulae carnalis, nu. 12.*
- 3 *Virginem qui deflorare potest, potest & matrimonium contrahere. numero 16.*
- 3 *Matrimonij definitio spadoni coire potenti conuenit.*
- 4 *Matrimonij de essentia non est coitus actualis, sed sic potentialis. 7.*
- 4 *Matrimonium verum inter B. Virginem, & B. Ioseph fuit.*
- 5 *Coniuges ob impedimentum perpetuum separandi non vt coniuges, sed vt frater, & soror conuiuere possunt. nu. 10.*
- 5 *Sexuum commistio non est inter omnes periculosa. nu. 14.*
- 6 *Matrimonium non solum ad generandum, sed etiam vt remedium institutum. nu. 11.*
- 7 *Matrimonium non contrahit, qui coire nequit.*
- 8 *Matrimonium ex sexuum coniunctione illam inseparabilem Christi, & ecclesiae signat.*
- 9 *Matrimonium, quod copula carnalis consequi nequit, soluendum:*
- 10 *Spadonum multa genera, & qui coniugium contrahere possint.*
- 12 *Matrimonio coniungi possunt coire potentes, licet non seminare. nu. 21.*
- 13 *Seninum commistio ad matrimonij consummationem non requiritur.*
- 13 *Semen faeminae generationi ineptum ad conceptum necessario non requiritur.*
- 14 *Matrimonium contrahunt, qui ad contrahendum sunt apti.*
- 15 *Senes multi contrahentes matrimonium peccant, & qui separandi.*
- 17 *Matrimonium sequuta prole ob impotentiam arguentes non audiendi.*
- 17 *Coeundi potentia ex generatione prolis arguitur.*
- 18 *Filius natus ex uxore viuente cum marito censetur legitimus.*
- 18 *Prasumptio, quod quis sit legitimus, contraria probatione eliditur.*
- 19 *Confessio per errorem alienum, eo probato reuocari potest.*
- 19 *Error facti proprii, nisi alia concurrant, non excusat.*
- 20 *Coniugibus fatentibus, vel negantibus, quod per partium consensum, nec inducibile, nec remissibile sit, non credendum.*
- 21 *Membrum genitale contractum S. Martino.*
- 22 *Dispositio specialis attendenda, & non generalis contraria, & eq.*
- 23 *Regulas generales multos fefellisse, & fallere.*
- 23 *Virgo, vt concipere potest sine violatione claustrum pudoris.*
- 24 *Medicorum regulis contrario apparente non est standum.*

CONSILIVM III.

Quidam carens testiculis 18. ab hinc annis contraxit matrimonium cum L. in facie Ecclesiæ, & antequam huiusmodi matrimonium contraheret, consuluerunt officialem ecclesiasticum illius loci, si, stante, quod vir ipse carebat testiculis, poterat contrahere matrimonium, qui officialis respondit posse contrahere, ex eo maxime, quia vir ipse eam deflorauerat, & aliquibus vicibus ante contractum matrimoniū habuerat copulam carnalem cum ipsa muliere, quia erant concubini, & tam ipse, quam mulier dixerunt prædicto officiali, quod ille erat potens ad copulam, & commissionem carnalem sexuum: & quod emittebat aliquod semen quamuis parum, & ineptum ad generandum. sed quia nunc aliqui curiosi imposuerunt illis scrupulum, asserentes prædictum matrimoniū esse nullum ex eo, quia carens testiculis est incapax ad generandum; & quod similes homines de iure non possunt cōtrahere matrimonium, pro vt creditur, quod tenent omnes Theologi, & Canonistæ: tamen Medina in lib. de cælibatu, & frater Illefontus de Veracruz in speculo coniugiorum tenent, tales homines, licet careant testiculis, posse contrahere matrimonium. Ideo desideratur valde pro eorum tutiori conscientia consiliū Excellentiss. dominationis vestræ.

Quæstio hæc satis magna est in specie, in qua proponitur, & longe maior mihi fit propter opinionem prædicti Domini Michaelis à Medina, cui consulens videtur inniti. Quapropter dicam primo, quid mihi videatur de prædicta opinione, & deinde, quid in specie de hac proposita quæstione.

Opinio prædicta prædicti Reuerendissimi patris, eiusdemque eruditissimi viri, habet in summa, verum matrimonium posse contrahere cuiuslibet generis spadones, ita quod illa, quæ cum aliquo eorum contraxerit, etiam postquam rescierit illum non posse ita cum ea coire, vt emitat semen, & fiat feminum commissio intra vas genitale, potest licite cohabitare illi, & possunt ambo se osculari, amplexari, & condormire in uno lecto, & commiscere quoquo modo honestius poruerint, tanquam veri coniuges; quamuis teneamus illud matrimoniū non dici consummatum, nec ex eo oriri affinitatem, & quod Pont. max. possit illud authoritate sua maxima dissoluere, sicut alia matrimonia rata, nō consummata. Pro qua facit primo glos. in cap. hi qui. 3. 2. q. 7. quatenus habet utroque testiculo carentem posse contrahere matrimonium, quod videtur probari in l. si serua. §. si spadoni. ff. de iure dotium. Nec obstat, quod glossa in principio intelligat illum §. de spadone habente saltem vnum testiculum. Tum quia sine textu, & contra legem generaliter loquentem contra l. de pretio. ff. de publicia. Tum quia in fine dicit quosdam tenere, posse contra-

here etiam si vitroque careat, licet generare non posset. Nec obstat l. Pomponius. §. spadonem. ff. de edil. edic. quam doctissimus Domin. Sotus ait limitare prædictum §. si spadoni. Non enim id facit, ut ex eis collatis palam est, sed potius probat dicendum esse generaliter, spadonem non esse morbosum, quia spado vnum testiculum habens non est morbosus. Secundo, quod vir, & vxor pari iure sunt in hac materia censendi, cap. intelleximus. & cap. tua. de adult. & fœmina apta est ad matrimonium, siue seminet, siue non, modo sit apta ad patiendum copulam viri, secundum Inno. communiter receptum in cap. fraternitatis, de eo qui cog. consang. vxor. suæ, ergo & vir siue possit emittere semen, siue non, modo possit immittere

2 re membrum genitale intra membrum genitale fœminæ. Tertio, quod non videtur vlllo iure caueri, quod de essentia copulæ carnalis sit seminis commistio. nam cap. vlt. de spons. quod ad hoc citat Panorm. in cap. 2. de frigid. & malef. quem illud citantem prædictus Sotus, & alij sequuntur, non probat illud: non enim habet, quod iste adolescens, de quo agitur, immiserit membrum virile in membrum fœmineum; & quod non potuit seminare, sed solum, quod non potuit carnaliter cognoscere, quod

3 ob aliam causam potuit contingere. Quarto, quod reperitur spado potes deflorare virginem, qui aliquale semen non emittit, & est ineptus generationi, ut aliqui medici affirmât: ergo poterit matrimonium contrahere. Quinto, quod definitio matrimonij, nempe coniunctio viri, & mulieris indiuiduam vitæ societatem continēs, posita Inst. de patria potest. in principio, & relata à Gratiano 27. q. 2. §. 1. conuenit spadonum matrimoniis: siquidem spadones contrahentes matrimonium eo animo contrahunt, ut faciant cum suis coniugibus habitationem indiuiduam, & perpetuam,

4 ut palam est. Sexto, quod ad essentiam matrimonij non requiritur copula carnalis, siue coitus, sed sufficit consensus in mutuam, eandemque perpetuam, & indiuiduam cohabitationem, l. nuptias. ff. de reg. iuris, cap. sufficiat. 27. q. 2. Vnde & inter sanctissimam Virginem matrem, & sanctissimum Ioseph fuit verum, & perfectum matrimonium, c. B. Maria. ead. cau. et quæst. Quicquid Grat. sentiat in c. sufficiat. §. si ergo. et in c. quod autē. §. ecce. 27. q. 2. contra quem tenet D. Thom. communiter receptus in 4.

5 sententiarum dist. 30. quæst. 2. art. 2. Septimo vrget, quod Lucius Papa in cap. consultationi, & Cælestinus, in cap. laudabilem, de frigid. & malef. expresse faciunt facultatem conuiuendi eis, qui propter impedimentum perpetuum alterius, vel vtriusque possunt iuste separari, si etiam postquam sciuerunt illud, voluerint sibi mutuo cohabitare perpetuo, & iuri suo discedendi ab impotenti renuntiare. quod non videntur vllatenus potuisse iuste facere, nisi coniunctiones illæ vera matrimonia essent, propter probabile periculum peccandi mortaliter imminens eis conuiuentibus in tam coniuncta societate, siue vinculo coniugali, argum. cap. inter dixit. 32. dist. cap. in omnibus. 81. dist. & cap. 1. de cohabita. cleric. quibus

bus regulariter vetatur cohabitatio marium, & fœminarum non coniunctorum matrimonialiter. Quia periculosa est sexuum commistio, cap. de finimus. 18. q. 2. Octavo, quod communiter dd. simpliciter docent, senes, qui vt plurimum non possunt coire, & minus generare, posse verum matrimonium contrahere. Nono, quod matrimonium non solum fuit institutum ad generandam prolem, sed etiam ad euitandam fornicationem, vt late docet Grat. in cap. sicut non. §. 1. 32. q. 2. allegando illud Apostoli 1. ad Corint. 7. *Propter fornicationem habeat vnusquisque suam vxorem.* At, licet matrimonium spadonis non possit dirigi in finem prolis habendæ, potest tamen in finem fornicationis vitandæ. Nec obstat, quod tria sunt bona matrimonij, nempe fides, proles, & Sacramentum, cap. omne. 27. q. 2. quia ad ueram essentiam matrimonij non requiritur, quod ex eo proles habeatur, cap. B. Maria. ead. causa, & quæst. alioqui inter steriles non esset matrimonium, nec fuisset inter Virginem matrem, & S. Ioseph, quorum vtrumque est falsum, d. c. B. Maria.

- 7 Contra tamen hanc Medinæ opinionem faciunt multa, & in primis, quod cõmunis opinio fere omnium tam Theologorum in 4. dist. 34. quæ etiam ibi nouissime sequitur Sotus q. 1. art. 2. post conclusionem quartã, quam Canonistarum in cap. 2. & 3. de frig. & malefic. & d. cap. fraternitatis. de eo qui cog. confang. vxõ. tenet, quod impotens ad copulam est impotens ad matrimonium contrahendum. Secundo facit, quod, licet sine consecutione carnalis copulæ actualis possit esse verum matrimonium, secundum opinionem communẽ, quale fuit inter Virginem matrem, & Ioseph; non tamen potest esse absque copula potenciali. Impossibilitas enim coeundi, & habendi copulam reddit matrimonium nullum, cap. quod autem. §. ecce. 27. q. 2. Tertio facit illud Genes. 2. & Matth. 19. *Et erunt duo in carne vna.* i. fient quodammodo vna persona ex carnis copula, vt exponit D. Thom. in d. cap. 19. & sentit Greg. in d. cap. fraternitatis, de eo, qui cogno. & ita necessaria est carnis copula actualis, vel saltem
- 8 potentialis, ad hoc, vt valeat matrimonium. Quarto facit, quod ad hoc, vt Sacramentum matrimonij significet indissolubilitatem coniunctionis Christi ad Ecclesiam, requirit coniunctionem sexuum, vt ait Aug. in cap. non est dubium, & in cap. cum societas. 27. q. 2. aut carnalem copulam, secundum Benedictum, in cap. lex diuina ead. caus. & q. ergo sine carnali copula, vel commistione sexuum, quod uidetur fieri per commistionẽ feminum actualem, uel potentialem, non potest consistere matrimonium.
- 9 Quinto irrefragabiliter videtur facere, quod si post contractum matrimonium constiterit, non posse illud copulam carnalem consequi, dissoluendi sunt coniuncti, & ei, qui fuerit ad copulam habilis, danda facultas cum altera persona contrahendi; cap. fraternitatis, cap. si. de frigid. & malefic. & cap. decreta. 27. q. 2. Quod fieri non posset, si verum matrimonium inter eos intercessisset, cum, secundũ omnes, matrimonium raturum,

tum, etiam nondum consummatū, sit indissolubile in hunc sensum, quod iuxta fere omnium Theologorum sententiam non potest solui, quo ad vinculum, nisi per professionem alicuius religionis probatę, etiam per dispensationem Papę; & licet secūdum Canonistas, possit per hanc dissolui, non tamen debet id fieri, sine maxima causa. Sexto, quod friuolum videtur dicere, Pont. illos max. & grauissimos, Lucium & Cęlestinum, in cap. 2. & 3. de frigid. & malefic. dum his, qui ob impedimentum perpetuum dissoluuntur, faciunt facultatem conuiuendi, vt frater, & soror, voluisse dicere, quod possent cohabitare in vna domo, condormire in vno lecto, osculari, amplexari, & alia omnia munia coniugum sibi mutuo redere, excepta copula, quam non possunt habere: eiusmodi enim cohabitatio longe aliena est à cohabitatione fratrum, & sororum, quę debet esse castissima, & ab omni impudicitia aliena, vt palam est. Et ad argumentū, quo Medina ad id asserendum nititur, quodque ipse grauius supra muniui, mox respondebitur, & mea sententia satis est cuiuslibet eruditi modesto animo ad id credendum, quod omnes, qui super ea re vsque ad Medinam scripserunt, tam Theologi, quam Canonistę, ita illa duo responsa duorum illorum sanctissimorum Patrum intellexerunt. Quare nos quoque hanc, quę fere omnium est, opinionem sequimur, & suspicimus.

I I Non obstant pro contraria opinione adducta. Ad primum enim respondeo, quod spadonum multa sunt genera, & species, l. spadonum generalis appellatio est. ff. de verb. sig. & concedo non solum spadonem, qui vnum testiculum habet, posse contrahere matrimonium, sed etiam, qui nullum habet, etiam si sint thlasia, quibus testes fracti sunt, siue thlibię, qui eos habent attritos, modo arrigere collem, & virgam, & coire possint iuxta prædictas duas glos. in arg. citatas. quod etiam eruditiss. Alciatus tradit in d. l. spadonum. in quod me mouet maxime, quod ex medicorum responsis didici, per huiusmodi spadonum coitum sedari, siue tolli, vel vitari tentationem, & periculum fornicandi, tam in viro, quam in fœmina; etsi non tantum quantum, si vterque de more aliorum seminaret. auunt enim spadonem sic arrigere, & coire potentem, etiam si nihil seminis immittat in vuluam mulieris, exficcare tamen illum humorem vtrinque seminatum, ita vt eo exonereur, & consequenter huiusmodi matrimoniū consequitur illum finem, in quem est institutum, quatenus est remedium. nego autem, alios spadones, siue sint castrati, qui penitus non erigunt, siue quia naturaliter sine testibus geniti sunt, siue quia ante pubertatem omnino excissi, siue sint Thlasia, siue Thlibię, si nequeant erigere, neque coire intra vas debitum, ita vt prædictum est, contrahere posse. Ad secundum concedo in eo assumptum, & quod matrimonium contractum cum fœmina nihil seminante, potente tamen recipere semen viri intra suam vuluam seminantis, est verum matrimonium, & eadem ratione contractū inter fœminam seminantem, & spadonem potentem intra vas debitum illam

illam ad id prouocare, ita quod etiam ipse per illam prouocationem excitet suum humorem, quo calefit, & sedat suam tentationem, & passionem. ex quo tamen non sequitur idem dicendum de alijs spadonibus, & fœminis ad coeundum prædicto modo impotentibus, quia longe alia in
 13 eis ratio aliud, vt palam, est, suadet. Ad tertium conceditur, ad consummationem matrimonij non esse necessariam seminum viri, & mulieris cõmissionem; quia id nullo iure efficaciter probatur, præsertim, quod D. Thomas 3. q. 3. 1. art. 5. ad 3. post Arist. lib. 1. de generat. quorum vtrumq; late refert Caietan. 2. 2. q. 1. 54. art. 12. dicit, semen fœminæ esse quid imperfectum in genere seminis, & ideo de se non esse aptum generationi, nec necessario requiri ad conceptum, sed sufficere, & requiri coitum supra dicto modo habitum. Ad quartum conceditur, spadonem, de quo loquitur, posse contrahere, vt ad primum est dictum. Ad quintum respon
 14 detur, definitionem matrimonij non esse intelligendam de coniunctione cuiuscunque viri, & fœminæ, sed tantum illorum, qui habent legitimas personas contrahendi. & negatur omnes spadones habere tales personas vt dictum est ad primum, per argumenta pro parte negatiua adducta. Ad sextum concedimus non requiri ad essentiam matrimonij carnalem copulam actualem coniugum, sed bene potentiam eorum ad eam habendam. Ad septimum, respondetur concedendo Pontt. illos max. in eo citatos facere facultatem conuiuendi, de qua in eo; sed negando non potuisse eos eam iuste facere; nam licet regulariter cohabitatio virorum cum fœminis sit periculosa, frequenter tamen non est talis, vt cum cognatio valde propinqua tollit periculum, iuxta cap. in omnibus. 81. dist. cap. a nobis. de cohab. cler. & mul. vel cum deuotio, & virtus animorum ab eo liberat, arg. cap. quod Deo pari. 33. q. 5. quatenus probat non solum iuste, sed sanctissime sibi mutuo conuiuere posse coniuges, qui voto abstinenti a venereis pari consensu se astrinxerunt, vel ætas, vel morbus, vel aliquid aliud huiusmodi, cui innitentes facile possunt cõuiuere vt frater, & soror, vel vt pater, & filia, & patruus, & neptis; fatemur autem multos coniugatos esse adeo iuuenes, adeo infirmos, & in venerea propensos, & a virtute animi abstinentia, ieiunio, & deuotione in Deum, & virtutem castitatis, & pudicitia alienos, vt non deberent ipsi tali facultate uti, nec vt vterentur permitti, sicut neque cum est suspicio de lapsu, & lubricitate, vetatur etiam clericis cohabitatio cum fœminis etiam primi, vel secundi gradus,
 15 cap. 1. de cohabita. cler. & mul. Ad octauum respondetur, concedendo, senes contrahere posse regulariter, esseque personas ad id faciendum legitimas; si tamen essent omnino impotentes, non deberent contrahere, secundum illam Scoti, quæ sua subtilitate digna est, sententiam, in 4. senten. dist. 34. q. 1. ad 2. cui subdit, nonnullas, quæ cum senibus contrahunt, potius desponsare diuitias, quam personas, licet ei Medina repugnare videatur. Illi autem senes per superius dicta dicendi sunt impotentes, quia nec
 ge;

generare, neque adeo arrigere possunt, ut immittere queant genitalia membra in mulierum vuluas, qui ideo non deberent, nec possunt inter se contrahere. Et si contraherent matrimonia essent inualida, ideoque non licere eis impudice osculari, amplexari, & minus ad se polluendum prouocare; cum non liceat etiam iustis coniugibus prouocare ad pollutionē extra vas, & modum ordinarium, & ipsi non possint intra vas debitum or
 16 dinario modo se polluere. Ad nonum concedimus, matrimonium esse institutum, quatenus est remedium, ad uitandam fornicationem, & ita concedimus valere matrimonium contractum a spadone, qui licet non possit generare, nec mittere semen in vuluam mulieris, potest tamen cognoscendo eam intra vas, & ordinario modo, facere, ut tollatur, vel sedetur appetitus vtriusque ad habendam copulam carnalem conceptus, qui ad fornicandum posset incitare.

Circa igitur primum, videlicet opinionem admodum reuerendi patris eiusdemque viri doctissimi fratris Michaelis à Medina, videtur dicendū in summa, eam esse partim amplectendam, & partim restringendam, ut ex prædictis colligi potest.

Circa vero secundum breuiter dico, matrimonium, de quo est quæstio, esse mea sententia validum, & non posse quo ad vinculum diuidi, quia vir est eius generis spadonum, qui possunt contrahere, cum vxorem, quā habet, deflorauerit, & illa adeo appetitui commiscendi se viro satisfecerit, ut elegerit cum eo contrahere, & patiēdo intra vas debitum coitum, eius ordinarium, etiam sedet appetitum ipsius, eo maxime, quod in facto præsupponitur eum aliquale semen emittere potuisse. hoc enim ex prædictis circa primum efficaciter inferri videtur.

Quod postquam d. B. spado cum d. L. circiter annos 19. tanquam cum sua legitima vxore cohabitauerat, & filios susceperat, & longo tempore tanquam suos, & a se genitos in domo sua educarat, coram ordinario Episcopo cōparuit, & petijt, prædictum matrimonium nullum, & inualidum fuisse & esse declarari, eo quod nunc & tempore contractus erat, & fuerat ad copulam impotens: & quod medici, & in materia periti, dato ab Ordinario iuramēto, tria testati sunt. Primū quod d. B. carebat omnino testiculis. Secundo, quod illius genitale membrum maius dimidio digiti auricularis non erat. Tertio, quod propterea nunc erat, & fuisse a natiuitate constabat ad generandum inhabilis. Quæritur, an dictum matrimonium sit quo ad vinculum dissoluendum.

Præmisso igitur tenore prædicti responsi, respondeo ad hoc secundum dubium, primo, quod nihilo alio probato, quàm eo, quod in facto proponitur, proculdubio iudicandum est, prædictum matrimonium fuisse, & esse validum, ab eo, qui sequeretur opinionem prædicti doctoris a Medina, ut palam colligitur ex eo, sed quia illa nullatenus videtur tenenda, per prædicta, respondeo, quod ad iudicandum prædictum matrimonium
 non

non fuisse, nec esse validum, plurimum vrget conclusio illa, quæ desumitur ex tenore responsi præmissi, scilicet, non posse consistere matrimoniū inter illas personas, quarum altera non habet potentiam coeundi cum altera. & prædicti medici iurati, & artis periti attestati fuerunt tria, videlicet, quod carebat omnino testiculis, & membrum uirile non erat maius quam dimidium digiti auricularis; & quod ob hæc est, & fuit ad generandum prorsus inhabilis.

Sed pro contraria parte, nempe, quod prædictum matrimonium est validum, facit primo confessio utriusque, tam B. quam L. qui ambo tractando, nominando, & educando prædictos duos filios intra domum suam magno tempore tanquam filios suos a se genitos, per quandam consequentiam confessi sunt habere potentiam coeundi, immo & generandi. quum enim habere filium necessario præsupponat potentiam coeundi, & generandi, qui, uel quæ confiteatur se patrem, aut matrem alicuius, necessario confiteri uidetur se habere, uel habuisse potentiam coeundi, & generandi, arg. l. illud. ff. de acqui. hæred. & cap. præterea de offi. deleg. & ideo prædicti B. & L. qui confessi sunt toties, & tanto tempore prædictos esse filios suos, nõ debent audiri negantes id; nec consequenter qui negat eos filios suos, cap. per tuas. de probatio. & l. generaliter. ff. de non numer. pe. 18 cu. unde illud desumptum fuit. Secundo facit, quod et si ipsi negarent, tamen prædicti filij præsumuntur esse sui; quia filius natus ex nupta uiuente cum suo marito præsumitur filius eius, l. filium. ff. de his qui sunt sui, uel al. iur. Tertio, quod non obstat dicere, quod potest probari contra præsumptionem, qua quis præsumitur esse filius alicuius, ut dicta lex ipsa filium probat efficaciter, quia in nostro casu ultra prædictam præsumptionem concurrat confessio ipsius, contra quam non debet audiri, ut prædictum est. Nec obstat, quod confessio facta per errorem potest reuocari probato errore, l. non fatetur. ff. de confes. & glos. recept. in cap. fin. de confes. quia illud intelligitur de errore facti alieni; qui error iuris non excusat, cap. ignorantia. de reg. iur. lib. 6. nec error facti proprii, cap. ab excommunicat. de rescript. & l. quisquis. C. de rescind. uend. nisi concurrentibus certis circumstantijs, ut traditur in locis prædictis, & in cap. præsumitur. de reg. iur. lib. 6. & in hoc casu, si quis erat error facti, ille erat proprii facti, uidelicet, de impotentia coeundi, & non concurrat aliqua de prædictis circumstantijs. Ergo non licet illi eam reuocare. Quarto, quod non obstat dicere, quod non est standum confessioni coniugum confitentium uel negantium aliquid, quod non est inducibile, uel remissibile per consensum partium, iuxta mentem glos. cap. super eo. de eo qui cogno. consanguini. uxo. suæ, & declarationem Panormitani in cap. iurauit. num. 4. de probation. & in hoc casu uidentur prædicti coniuges confiteri aliquid, quod non est inducibile consensu partium cõtra matrimoniū, eo quod, confitendo se habere filios, confitebantur se habere potentiam coeundi,

& generandi, quæ non erat inducibilis per consensum partium, non inquam hoc obstat. Tum quia potentia coeundi, & generandi non est de essentia matrimonij, secundum prædictam opinionem Medicinæ, quam si teneremus, vt prædixi, omnia essent plana, sed quia diximus eam non esse tenendam alia ratione dico non obstat, nempe quod non probat se impotentem ad coeundum. non enim hoc dicunt medici, solum enim testantur tria supradicta in argumento pro contraria parte formato, videlicet quod caret omnino testiculis & quod membrum eius genitale non est maius quam dimidium digiti auricularis, & quod prorsus ineptus est ad generandum. quæ tria non concludunt necessario non fuisse illi potentiam coeundi, vt in præmissis responso probatum est quum secundum omnes inueniatur spado, qui careat vtroque testiculo, & arrigat virgam, adeo, vt virginem deflorare possit, qualem posse contrahere matrimonium, etiam si generare nequirit, in prædicto præmissis consilio num. 3. firmiter tenendum probauimus. Quinto facit, quod fieri potest, quod a tempore contractus matrimonij vsque in diem inspectionis medicorum fuerit membrum genitale contractum, sicut Sulpitius testatur in vita Sancti Martini fuisse viro sancto contractum suum adeo, vt tempore suæ mortis videretur membrum infantis, & quod verisimile est membrum pudore medicorum præsentium contractius, quam alias apparuisse: & certum est eiusmodi membrum appetitu coeundi calefactum crescere, & in aliquibus plusquam in duplum, vel amplius, & ita potuisse coire. Sexto, quod nec medici, nec B. dicunt eum non habuisse potentiam seminandi, & verisimile eum solitum seminare, cum alioqui nullatenus potuisset credere prædictos filios fuisse suos, nec continere iram, qua moueretur ad occidendum, vel accusandum, aut certe ad petendum diuortium propter adulterium. Septimo, quod nihil obstat dictum medicorum, quatenus habet eum, qui caret testiculis, non posse generare, quia potentia generandi non est de substantia matrimonij, sed solum potentia coeundi, alioqui inter steriles, & coire potentes, & seminantes non posset consistere matrimonium, quod est contra omnes. Octauo, quod potius est standum ei, quod videmus in specie, siue in indiuiduo statutum, vel effectum, quam ei, quod in genere statuitur contrarium, vel definitur non esse statutum, vel fieri non posse, cap. generi. de reg. iur. lib. 6. & l. in toto ff. de reg. iur. Ita quod a regula generali, immo & vniuersali, discedimus in casu, in quo in specie inuenitur contrarium, siue casus ille specialis præcedat, siue sequatur, l. sed & posteriores ff. de legib. & gloss. l. sciendum ff. qui fatid. cog. adiuncta alia in authent. offeratur. C. de lit. contest. & sic videtur in hoc casu particulari recedendum a regula illa generali medicorum, dicentium, carentem vtroque testiculo non posse generare, eo quod videmus in particulari filios natos, & educatos longo tempore ab vtroque parente, & habitos, & nominatos ab eis pro filijs suis, sicut & frequen-

frequentissime multi aegroti, quod medici per suas regulas generales definunt nullatenus a suis morbis vnquam liberandos, immo & quam citissime morituros, sanantur, & liberantur. Nono, quod licet probatio prædicta sufficeret ad impediendum matrimonium contrahendum inter prædictum B. & L. & etiam ad dissoluendum contractum, si non haberent filios, sed cum videat Ecclesia eos multo tempore esse confessos habere filios, & agnoscere, & tractare illos pro filijs, & matrem eorum idē etiam nunc facientem, & quod nunc est tam honesta, quod nunquam de illa est cōquestus B. & quod frequenter, quæ iudicantur steriles, fiunt prægnantes, & multæ ante legē euangelicā, & post illam senio cōfectæ, & centū, & plures annos natæ genuerunt filios, & quod idem Deus est, & gubernat nūc, qui olim, credendū profecto videtur potius euentibus, & gestis in specie,

23 & indiuiduo, quam regulis generalibus, quæ multos fefellerunt, & fallūt non solum medicos, sed etiam ipsammet Ecclesiam, cap. à nobis, il 2. de sent. ex com. cap. fraternitatis, de frigid. & malefic. quatenus habet, ob eū tum, qui non vnquam contra peritorum in arte regulas euenit, mutari iudicium, etiam ecclesiæ, facit quod regulariter nulla virgo manens virgo fit prægnans, & tamen interdum contigit virgines concipere, sine violatione claustrī pudoris, ex femine viri circum illud effuso, testante id D. Thoma quod lib. 6. art. 18. Decimo, quod magis videtur credendum prædictæ dicenti habuisse copulam cum B. & ex eo genuisse filios, quam B. Tum quia vxores solent petere communiter separari à viris impotentibus coire, & non contra viri impotentes ab vxoribus potentibus, vt experientia docet, & est argumentum cap. fin. de frigid. & malef. & cap. propotuiti. de probat. Tum quia ipse de multo tempore id fuit verbo & facto confessus. Tum quia suam turpitudinem videtur allegare contra cap. cum super. de concess. præben. & cap. inter dilectos. de donat. quandoquidem consequenter videtur confiteri se, peccasse contrahendo cum l. & abutendo ea, & non confitendo illa peccata confessario, vel sine vlla emendatione communicando corpori, & sanguini Domini, per responsum enim præmissum, num. 15 constat huiusmodi impotentes in his omnibus peccare. Vndecimo facit, quod hanc partem tenendo solum credimus contra illam regulam medicorum, quod carens viroque testiculo non potest generare. Tenendo autem contrariam, crederemus contra multas regulas naturales, diuinas, & humanas, nempe prædictam feminam honestam toties, & tanto tempore adulteratam fuisse, & B. adulterum fuisse, & filios adulterinos, & spurios esse, & patres eorum tanto tempore mentitos fuisse, & in tam graui peccato perseuerasse contra tot regulas iuris naturalis, diuini, & humani, contentas in cap. fi. de præsumpt. cap. 2. de regulis iuris. in 6. l. merito. ff. pro socio. & alijs similibus.

Non obstat argumentum pro parte opposita formatum, quia satis, superque diluitur in quinto, & sexto argumentis, in quibus ostēditur, quod medici

medici supradicti non deponunt prædictum B. caruisse potentia coeundi, immo neque potentia feminandi, sed tantum caruisse testiculis, & potentia generandi, & per responsum præcedens, numero 3. constat esse spades carentes utroque testiculo, qui possunt coire; & quod potentia generandi non est de essentia matrimonij, sed solum potestas coeundi, & in sequentibus fundamentis ostenditur credendum esse in hoc casu particulari propter multas circumstantias in eo concurrentes, quod in B. fallit illa regula medicorum, quæ habet carentem testiculis non posse generare, sicut, ut ait Cyprianus, in cap. nec aliqua. 27. q. 1. sæpè manus, & oculi obstetricum, & pari ratione aliorum artis peritorum falluntur, & frequenter experimur multas eorum regulas in multis casibus, contra sua prognostica fallere, & in prædictis fundamentis, num. 16. responsi præmissi probatur, quod ad solum iudicandum hoc matrimonium validum non est opus defendere B. potuisse generare, sed solum potuisse coire, hoc est membrum suum genitale immittere in vas genitale vxoris, quo se, & vxorem saltem ex parte exoneraret appetitu coeundi, siue fornicandi modo ibi prædicto.

Respondendum igitur videtur ordinario consulenti partes ipsius esse accipere alios medicos phycos, vel alias artis peritos, quos prædicta l. ad id duxerit eligendos, non obstante publicatione aliorum testium, & si quid maioris lucis pro ea, vel pro B. allatum fuerit, illud diligenter perpendere, iuxta omnia supradicta, quod si nihil aliud probatum fuerit ultra id, quod in facto narratur, declarare prædictum matrimonium fuisse de se validum, & nullatenus eius dissolutionem esse faciendam. Salua &c.

QVI FILII SINT LEGITIMI.

S V M M A R I V M.

- 1 *Filij nati eo tempore, quo inter parentes impediabatur matrimonium, per clausulam prolem susceptam, & suscipiendam legitimantur.*

C O N S I L I V M I.

Certum est filios fornicarios non legitimari per subsequens matrimonium, si quo tempore nati, vel concepti fuerunt, parentes eorum non poterant contrahere inter se matrimonium cap. tanta, qui filij sint legitimi. sed dubitatur, quid si contraherent per dispensationem datam, cum clausula. *Prolem susceptam, vel suscipiendam legitimare reputantes*, an illa clausula

clausula includat ad etiam adulteros, & incastuosos.

Responderetur primo ab omnibus teneri, quod dispensando in radice matrimonij, id est tollendo impedimentum, quo impediuntur contrahere, poterit per quandam consequentiam legitimari filios etiam spurios, antea natos per citata à Sylu. in sum. ver. legitimus. §. 4. num. 7. ecclesia Silu. cuius est iudicare, an sit legitimus etiam ad successionem potest eum facere haberi pro legitimo.

DE DIVORTIO.

S V M M A R I V M.

- 1 *Adulteria coniugum, vt mutua compensatione tollantur, siue concurrant siue non, siue vnum sit publicum, & aliud occultum.*
- 2 *Adulter coniux nolens adulteram recipere non est absolendus.*
- 3 *Sententia diuortij ob adulterium coniugis dissoluitur, alio adulterante.*
- 3 *Ius petendi debitum per pollutionem alterius, nec amittitur, nec recuperatur.*
- 3 *Vxor dimissa, si cognito viri adulterio petit reconciliari, est recipienda, imo repetenda.*

CONSILIVM I.

VIR propter notorium adulterium vxoris, apud iudicem diuortium iuste obtinuit, postea secrete peccauit, & nunc continet. Quæritur primo. An sit cogendus repetere vxorem tacentem quidem, sed perseuerantem in peccato, & quæ repetita cessaret peccare.

Secundo, quid si dictus vir etiam nunc peccet aliquando, sed secrete.

Tertio quid si publice etiam ipse postea peccauit?

Quarto, quid si semel vxor, ita dimissa, cognito adulterio viri, petiit reconciliationem, sed viso, quod vir noluit reconciliari, perseueravit in adulterio, & nunc tacet?

Quinto, an inquam vir sit cogendus vxorem repetere?

Sexto, An sicut adulterium viri impedit, ne possit vxorem notoriam adulteram dimittere, idem operetur pollutio extraordinaria præcedens, & an sequens maxime si timetur, quod in eadem perseuerabit, cogat eundem, vt mulieri publicæ adulteræ reconcilietur.

Dico primo, certum esse adulteria coniugum, quo ad effectum perdedi, vel recuperandi ius petendi debitum, mutua compensatione tolli. c. intelleximus. & c. tua de adulteriis. cum eis annotatis. Secundo, quod si-

cut alter coniugum per suum adulterium ipso iure perdit ius debitum exigendi, ita ipso iure recipit, & recuperat illud adulterio suæ cōsortis per ea, quæ latius adduximus in Manuali cōfess. c. 22. à num. 23. Tertio, quod non videtur, quo ad hoc differentia, An eodem tēpore simul vir, & vxor adulterentur, An successiue prius vir, & postea vxor, aut contra, prius vxor, & postea vir. Tum quia nullo iure id cauetur, sed solum statuitur virum, & vxorem perdere ius exigendi debitum per suum adulterium, & recuperare illud per consortis adulterium. Tum quia id in quo fundatur per dicta compensatio est illud. *frangenti fidem, fides frangatur eidem.* l. cum proponas. C. de pactis, c. penul. de iureiurando, & id in vtroque casu videtur habere locum. Ex quo sequitur, idem esse iudicandum in casu proposito, quo iudicaretur, si vxor prius adulterata fuisset publice, & postea vir secrete. Quarto; quod licet quo ad forum exterius plurimum referat, an adulteriū sit publicum, necne, per c. significasti. & c. Porro. de diuortijs, & per eis annotata. quo ad forum tamen Dei, & conscientia (quo ad quod omnia sunt nuda, & aperta, ad Heb. 4. c. Deus omnipotens. q. 1.) nihil vel certe parui refert, quo ad nostrum propositum.

- 2 His præsuppositis, ad primam quæstionem respondeo, non videri absolendum in foro Dei, & conscientia præfatam maritum, nisi velit suam vxorem recipere. Tum quia si vtrumque adulterium esset publicum, vel vtrumque secretum, id esset respondendum, & vt prædictum est, nihil aut parui refert, an sint publica, an secreta, quo ad forum Dei, & conscientia.

AD SECVNDAM respondeo; quod à fortiori idem est respondendum, si maritus interdum, vel raro adulteretur, immo tunc nullum dubium foret.

AD TERTIAM, quod idem à fortiori dicendum, si mariti adulterium esset notorium.

- 3 AD QVARTAM respondeo, prædictum maritum teneri ad idē in foro Dei non obtante prædicta separationis sententia. Tum quia, quo ad illud forum per suum adulterium amisit ius sibi per illam sententiam quæsitum. Tum quia sententia ipsiusmet D. N. Iesu Christi veri Dei, qua ipso iure absoluitur à necessitate cohabitandi vxori, non prodest ei, per prædicta. Ergo à fortiori minus proderit sententia hominis arg. authen. Multo magis. C. de sacrosan. eccles.

AD QVINTAM, à fortiori tenebitur præfatus maritus recipere illam, si ea cognito viri adulterio petiit, ab eo reconciliationem. Addo quod vbiunque reperitur verbum tenetur recipere, potest addi, quod tenetur, & repetere, confirmatur, per illud Apostoli, Ad Ephes. 5. vir caput est mulieris, & tenetur eam regere. Item cum mulieris sint timidiores, etiam si cupiant, non tamen solent ex verecundia repetere maritos, vnde etiam augetur obligatio viri, vt ipse repetat eam etiam tacentem, potest

potest tamen vti aliqua honesta arte, vt tacitè moneat aliquem, qui tanquam communis amicus à seipso videatur moneri, vt cupiat, & roget, ac instet, ipsos, virum, & vxorem reconciliari.

AD SEXTAM respondeo, quod non auderè lege, quæ habet perdi per adulterium ius petendi debitum; extendere ad pollutionem extra ordinariam præcedentem, vel sequentem etiam continuatam. Tum quia lex pœnalis non est extendenda ad casum, in ea nõ comprehensum, cap. pœnæ. de pœniten. dist. 1. l. preces. ff. de pœnis. Tum quia non est eadem ratio propter multa, quæ considerari possunt, diuersa inter adulterium, & huiusmodi pollutionem, & à diuersis non fit illatio l. Papinianus. ff. de minorib. c. ad audientiam. de Decimis. Quid autem de vitio sodomitico, vide Couar. in 4. par. 2. c. 2. §. 1. num. 6. Salua &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Fornicatio, matrimonium præcedens, non est iusta causa repudij.*
- 2 *Maritus ob fornicationem præcedentem relinquens vxorem, tenetur ad eam redire, & debitum reddere; licet ipsa metu id non petat.*
- 2 *Debitor iure poli etiam non exactus tenetur debitori soluere. nu. 4.*
- 3 *Maritus tentationi occidendi vxorem orationibus resistere potest, & debet, & non illam deserere.*
- 4 *Vxor iuste timens occidi, à marito, eum extra patriam sequi non tenetur.*
- 4 *Mertricem ducere, vt conuertatur, est charitatis opus.*

C O N S I L I V M II.

Quæsitum fuit primo, An credens ducere Virginem in vxorem, ducendo corruptam possit eam dimittere.

Secunda, An maritus, qui vxorem dimisit, eo quod eam corruptam inuenit, teneatur ad eam tacentem, & non petentem redire, & debitum reddere.

Tertio, An timor occidendi, cum cohabiter illi, excuset virum, ne secū viuere teneatur.

Quarto cum huiusmodi vxor, virum, ob timorem, ne ab eo occidatur, extra patriam sequi recuset, & maritus indecorum reputat cum ea in patria habitare, & ipsa nec virum, nec debitum petat, sed taceat, adhuc teneatur maritus ad eam redire, & debitum soluere.

AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo negatiue; quia nullibi reperitur scriptum, quod maritus possit relinquere vxorem, propter fornicationem ante matrimonium per eam admissam; copula enim

præcedens non continet iniustitiam contra maritum, nec consumat matrimonium sequens, nec est sufficiens causa, vt sponsus, per verba de futuro promittens aliquam ducere in vxorem, possit iuste ab implemēto suæ promissionis recedere; cap. quemadmodum, de iureiurando, vbi hoc expresse Panorm. & alij notarunt.

- 2 AD SECVNDAM respondeo affirmatiue, quod sic, quia debitor tenetur soluere creditori sponte, & non expresse exactus, si sciat, vel debet scire, quod creditor vult suum debitum sibi solui, & non detineri à debitore; licet ob metum, vel aliam causam grauem non petat expresse, argum. cap. sæpe, de rest. spoliat. quatenus habet, paria esse retinere alienum, vel capere illud; quia præceptum de non retinendo Leuit. 19. vtrumque præcipit, scilicet non rapere, nec detinere alienum, secundum D. Thom. 2. 2. quæst. 62. art. fin. & in nostro Manu. cap. 17. in princip. & num. 94.
- 3 AD TERTIAM respondeo, quod non; nisi fortè ad aliquantulum temporis: quia in sua manu situm est resistere, ope diuina eiusmodi tentationi, quantum possit, tenetur vitare, vt quotidie per orationem dominicam orat ex formula Christi.
- 4 AD QVARTAM respondeo, quod si uxor probabiliter id timet coram Deo, non tenetur sequi maritum extra territorium vbi degit: & quod vana, & mala imaginatio est, quod sit dedecus coram Deo, & bonis christianis, habitare cum huiusmodi vxore, quandoquidem inter opera charitatis computatur, ducere meretricem etiam publicam, ad hoc, vt à via erroris in viam rectam reducatur, cap. inter opera, de sponsal. nec excusatur à peccato grauissimo, qui prouocatus ad duellum acceptat illud, & exequitur: eo quod commilitones, & alij vulgares, qui colunt diabolium, & suas leges, reputent illud esse probrosum, cum Deus iustissimus, & veri honoris conseruator optimus id grauissime prohibeat, cap. 19. de reform. sess. 25. Concilij Trid. & cap. monomachia. 2. q. 4. Nec excusatur à fornicatione, qui rogatus à pulchra puella in opportuno ad id loco consentit ei, eo quod Holofernes Iudith 12. & eiusdem farinae homines contrarium facere, sed dissentire, sicut Iosephus dissensit, Gen. 39. oportet enim plus obedire Deo, quam hominibus Ad Ro. 5. & cap. qui resistit. 11. q. 3. Et ibant Apostoli gaudentes à conspectu consilij. & quæst. 5. Non obstat responsio, ad secundum, quod communiter dicitur, debito rem non esse in mora soluendi ante petitionem creditoris, quia quo ad forum interius, sufficit petitio interior, qualis videtur esse in casu proposito, præsertim, si vxor est iuuenis, & vir non est continens; etenim creditor non desinit petere sponte, sed coactus metu, verecundia, vel alia causa, quam nouit debitor, vt notatur in l. vinum. ff. si certum per. Salua, quæ iustior fuerit sententia.

S V M M A R I V M .

- 1 *Mariti petitio, & vxoris pertinacia, non æquipollent sententiæ diuortij .*
- 2 *Adultera mariti adulteri professionem semper reuocare valet.*
- 3 *Adulter correptus adulteram impenitentem potest dimittere, sed non re religionem ingredi, nisi & c. nu.4.*

C O N S I L I V M III.

EXcellentissime Domine, Super casu sequente, & rationibus pro vtraque parte adductis desideratur iudicium vestrum. Vir ex vrgentibus, & vehementibus præsumptionibus habens vxorem, de adulterio suspectam, contra eandem ad diuortium coram ordinario iudicium intentauit: vxor negauit adulterium, & simul se subduxit de domo viri, ac adultero adhæsit: verum, quoniam vir ob eius inopiam, & potentiam vxoris, non potuit dictum adulterium probare, in causa non fuit vltius processum. Post aliquot annos dictus vir; qui tamen interim, nec ipse continuit, sed secrete adulterium perpetravit, ad cor rediens, ab ordinario loci petiit, vt cogeret dictam eius vxorem ad cohabitandum cum eo: negauit vxor reuerti, asserendo, ante omnia terminandum iudicium diuortij contra ipsam intentatum: & quia vir non habebat modum litigandi, nec hæc eius petitio effectum habuit, vnde per aliquot annos quieuit, sed tamen nec cōtinuit, immo secrete adulteravit, per communes amicos eandem vxorem interpellari fecit, vt vellet ad ipsam reuerti, qui oblitteratis omnibus ante actis volebat eandem recipere, & vxorio affectu tractare. negauit d. vxor velle reuerti, & prolem ex adulterio, non tamen notorie, procreauit; vir etiam & ipse minime continuit, sed secrete peccauit: nunc autem non sperans in seculo ab vxore separatus continere decreuit de nouo iudicialiter rogare, vt reuertatur; & si hoc obtinere non possit, de cætero continere, & religionem ad loca remota accedendo ingredi, & professionem emittere. Ob hoc Romam venit, consilium petit pro salute animę suę; & an hoc ei liceat exequi. Pro negatiua facit primo, tunc demū vir sine licentia vxoris religionem ingredi potest, ex capite adulteri, si de eo constet notorie, vel lata sit sententia diuortij. glos. in c. Agathosa. ver. fornicationis. & ver. conuersionis. vbi Archid. & Turrecre. 27. q. 2. quorum neutrum, cum hic intercedat, nec licebit religionem ingredi. Secundo propter adulterium non potest vxor dimitti si vir simili laborat vitio. c. nihil iniquius 32. q. 6. c. significasti. de diuort. nec religionem intrare, Abb. c. veniens, num. 7. de conuers. coniug. Non obstante, quod viri deli-

ctum sit secretum, vxoris autem publicum, Abb. c. constitutus. n. 9. de conuers. coniug. S. Tho. in 4. dist. 35. q. 2. art. 6. Sot. dist. 36. ar. 6. ad fin. Archi. d. c. nihil, & licet vir ageret pœnitentiam præteriti peccati, non tamen tollitur ius exceptionis mulieri competentis, Abb. c. fin. num. 8. de adult. & ibi Ioan. de Ana. colum. penult.

Pro affirmatiua facit: nam ideo vxoratus inuita vxore non potest ingredi religionem, quod ex lege matrimoniali tenetur eidem adhærere, nec potest eam iure suo priuare, quia seruiture cessante cessaret & prohibitio, vt deducitur ex cap. constitutus. vbi glos. 1. cap. veniens, vbi glos. 1. de conue. coniug. c. Agathosa. 27. & alibi sæpe. sed sic est, quod in casu præmissio dictus vir liber erit à prædicta seruitute, adeo vt possit ab eadem vxore diuertere ergo poterit religionem intrare, vinculo matrimonij non obstante. Consequentia paret assumptum probatur, ex Goffred. tit. de diuort. num. 15. dum inquit, si maritus sit correctus, & vxor sit impœnitens, in peccato perseverans potest petere diuortium, & dimittere eam, idem Hostiens. eod. tit. num. 11. Turrecrem. c. nihil iniquius 32. q. 6. qui addunt Thom. & Bonon. quos affert, & sequitur Sum. Confess. lib. 4. tit. 22. de diuor. q. 15. fol. 240. inquit, quod licet occultus adulter non possit, nec dimittere, nec accusare vxorem publicę adulteram; si tamen vir egit pœnitentiam, & mulier monita nollet se emendare, poterit vtrumque, idem tenet Palud. in 4. distinc. 35. q. 1. ar. 2. adducens rationem, quia vltima mora nocet, S. Antoninus in 3. par. cap. 2. §. 6. vers. 7. Syl. in verb. Matrimonium 9. nu. 6. & ver. diuortium nu. 9. Sot. in 4. dist. 36. art. 1. ver. quapropter. facit etiam ad hoc glos. in c. quem ad modum vers. præcedentem. de iureiur.

Ad contraria respondetur. & ad primum, requiri, vel sententiam, vel notorietatem, quo ad forum exterius, & ne Ecclesia, cui non constat de adulterio, cogere possit diuertentem ad dimissam reuerti. Vnde Goffred. de conuers. coniug. num. 7. in q. 14. post scientiam diuortij, qui ingreditur religionem irreuocabiliter ingreditur, & qui ingreditur ante, ingreditur quidem, sed reuocabiliter. idem, & clarius, not. D. Nauar. in Manua. confess. c. 22. num. 23. dum vult in foro conscientia innocentem posse diuertere, sine Iudicis sententia. ratio est, quod non sententia, sed delictum ipsum priuat vxorem adulteram iure suo, vt deducitur ex c. dixit Dominus & ex Abb. c. gaudemus. num. 5. de conuer. coniug. Annal. d. c. fin. col. 3. de adulter. Ad secundum respondetur, vt supradictum est, quod procederet, si dicti coniuges nunquam se, nec adinuicem repudiassent, nec aliud interuenisset, quod eandem vim obtinere potest, vt est prædicta repetitio, & admonitio, quam fecit vir vxori, per quam dicta vxor in vltima mora, & contumacia constituitur pertinaciter, quod voluit, & vult permanere in adulterio. Vnde, sicut, si post reconciliationem peccaret, posset dimitti, arg. glo. c. quemadmodum. per illum textum. de iureiur. ita & si modo pec-

do peccet post prædictam interpellationem, & monitionem, quæ vim re conciliationis habet, ex prædictis, maxime ex doctrina Soti, vbi supra. Ne igitur hæc obstinata mulier, ex dolo suo reportet lucrum sine sui spirituali vtilitate in perniciem viri, qui ad Deum vult conuerti, cupio huic pœnitenti licere religionem in remotis locis ingredi, si tamen reperire poterit beneuolos receptores.

Sed nunquid ingrediendo teneatur propalate se vxorem adulteram habere, & si de hoc non interrogetur, non video, quod teneatur, maius dubium est si nominatim interrogetur, an vxorẽ habeat, & forte adhuc posset inquam respondere se ex hoc capite nullum habere impedimentum, & si adhuc vrgeretur respondere an habeat vxorem viuentem, & forte respondendo ad intentionem interrogatus posset negare, intelligendo se nõ habere vxorem, quæ præbeat ei ad ingressum impedimentum, vt in simili voluit D. Nauar. c. 12. num. 19. post Sil. ver. iuramentum 3. q. 2. ad fin.

Respondeo, quod quæstio hæc magna est in se, & eam erudite profecto, & acri iudicio, magnoque caritatis zelo tractauit qui adduxit prædicta quisquis ille sit. Et primo respondeo, quod facti narratio videtur secum pugnare, quatenus habet maritus non potuisse probare adulteriũ, & quod vxor fugit ab ipso, & adhæsit adultero. Item quod maritus petijt diuortium, & postea repetit vxorem, & quod illa vult ferri sententiã super diuortio, & quod ipse non potest facile habere super eo sententiam.

Secundo quod præfata narratio facti non videtur sufficiens, eo quod continet causas, ob quam vxor negat reditu, cum tamen neget adulterium.

1 Tertio, quod ego cupio determinationem præfati domini eruditissimiq. Consulti esse veram, & quod iugulum quæstionis videtur consistere in probando, quod pœnitentia præfati viri adiuncta requisitione, & petitione, qua vxoram petit, & eum eius pertinentia æquipollet sententiæ diuortij, & quod pro parte affirmante videntur adduci supra omnia substantialia quæ adduci possent.

2 Quarto, quod pro parte negante facit, quod non videtur inueniri vllus canon, qui hoc exprimat, nec videtur occurrisse vllus casus, in quo expresse aliqua gloss. vel auctor ordinarius id dixerit; & quod in foro exteriori ingressus huius viri in monasterium, etiam consequuta professione reuocabitur, si vxor præfata suæ malæ actæ vitæ pœnitens, petierit illũ, & probauerit ipsum quæque adulteratum fuisse, & quod non est in mora residiscendi, neque regrediendi ad maritum, eo quod forte allegat, quod non audet regredi ad maritum timore iusto mortis, ne veneno, vel aliquo alio modo publice, vel secrete occidat eam, & quod parata est stare iudicio iudicis, coram quo lis est ad instantiam mariti cœpta, &

- quod non datur ei, vel non potest dari cautio sufficiens, de non occiden-
 3 do eam publice, neque secrete, & quod præfati auctores, quamuis dicant,
 quod adulter secretus post iustam pœnitentiam, & requisitionem suffi-
 cientem potest adulteram impœnitentem dimittere, & petere diuortium,
 non tamen dicunt, quod potest intrare irrevocabiliter religionem. quod
 non abs re videntur omittere, quia dimissio, & petitio diuortij nulli tertio
 præiudicat, ingressus autem religionis graviter præiudicare potest mona-
 stero, & religioni, quam ingrederetur, & profiteretur, & quod non po-
 test ipse dicere vere etiam quoad forum conscientie, & coram Deo tan-
 tum, se non habere vxorem, quæ non possit suo ingressui præiudicare, cû
 hæc adultera posset præiudicare probando mariti adulterium, cum per
 pœnitentiam eius non sit ablatum vxori ius compensandi suum adulte-
 rium mariti, saltem in foro exteriori; quin etiam posset quis dicere sen-
 tentiam diuortij datam ex eo, quod non probavit adulterium obiectum
 marito nihil prodesse ei, quo ad forum conscientie: attento, quod secun-
 dum receptam opin. sententia in se iniusta non prodest coram Deo ei,
 pro qua datur; licet ad hoc replicari posset, quod illa proficeret, quo ad
 forum exterius, & pœnitentia iusta & requisitio sufficiens mariti, cum
 4 pertinacia vxoris, excusaret eum quò ad forum interius conscientie, iux-
 ta præfatos auctores. Itaque securius mihi videtur, quod obtineat sen-
 tentiam diuortij, quam vt ex facto conijcio facile habebit; & tunc in no-
 mine Domini ingrediatur religionem, respondendo ad interrogata mo-
 dis eruditissime superscriptis. Dixi autem, quod facile obtinebit, quia po-
 test petere diuortium, vel quod iubeatur redire ad suum maritum; & si re-
 plicauerit, quod timet, ne occidatur ab eo, triplicabitur, quod dabit cau-
 tionem iuratum, & si respondeatur, quod illa non sufficit, addi potest,
 quod si non est contenta de tali cautione, quam maiorem ipse dare non
 potest, feratur sententia diuortij, vel ex capite adulterij, vel ex capite ini-
 micitie capitalis, quam ipsa fatetur, iuxta text. singularem in c. litteras. §.
 final. de rest. spol.

DE DONATIONE INTER Virum, & Vxorem.

S V M M A R I V M.

- 1 Donatio ficta, & simulata est ipso iure nulla.
- 1 Donatio post debitum vxori facta presumitur simulata.
- 2 Donatio iurata facta vxori valet.

2 Donare

- 2 Donare potest reus criminis, ob quod bona, vel administratio eorum non perduntur, ante quam in iudicium deducatur.
- 3 Donatio post crimen, tanquam fraudulenta reuocari potest.
- 3 Bona in fraudem donata ante reuocatoriam apprehendi nequeunt.
- 4 Donatio vera, & iurata uxori post crimen facta valet, donec reuocetur.
- 5 Bona rei criminis ab uxore occultata fisco debentur.

CONSILIUM I.

Maritus post delictum commissum, pro quo a fisco bona sua fuerunt per sententiam confiscata, uxori suæ per instrumentum certa bona donauit, & instrumento subscripsit, sub die, vt ante delictum commissum appareret donationem fuisse factam, & maritus bona donata, vsque ad condemnationem possidebat, vxor postea illa occultauit, & retinet. Quæritur an donatio prædicta teneat, & quia dicta mulier alia etiã occulte accepit, & retinet, an illa etiam fisco non petenti, & in conscientia tradere teneatur.

- 1 Ad primam quæstionem respondeo primo, quod in foro conscientie siue Dei nõ potest prodesse plus præfato donatori instrumentum falso die firmatum, quam si fuisset vero die firmatum. Tum quia Deo omnia sunt nota, ad Hebr. 4. c. multi 2. q. 1. tum quia fraus & dolus nemini patrocinari debent, cap. Sedes Apostolica de rescript. Secundo, quod præfatum instrumentum donationis, etiam si esset legitime factum, non posset ei prodesse, si donatio fuit sicte, & simulate sine vero animo donandi facta, quia illa est ipso iure nulla, & nihil valet, l. 1. & tot. tit. C. plus valere quod agitur, & quod talis præsumitur hæc de qua agimus in foro exteriori, cum fuerit facta uxori, quæ est persona coniuncta, & virtualiter ipse remansit in eorum possessione, iux. doctrinam Bart. in l. post contractum ff. de donat. num. 4. Tertio, quod etiam si esset vera coram Deo donatio non posset prodesse, quia fuit facta uxori, quæ non valet, l. 1. ff. de donat. inter vir. & uxorem nisi esse iurata, Bart. recep. in l. si quis pro eo sub fin. ff. de fideruss. Quarto, quod si vera, & iurata fuisset donatio, dubitari potest: nam pro consulente facit, quod reus criminis, propter quod ipso iure non perduntur bona, vt perduntur in crimine læsæ maiestatis humanæ l. quisquis. C. ad legem Iul. maiest. & diuinæ, c. cum secundũ. de hæred. lib. 6. neque tale, ob quod administratio ipso iure interdicitur, quale est repetundarum, l. ex iudiciorum ff. de accusat. donare potest post crimen commissum, antequam in iudicium deducatur, & valet ipso iure donatio. Et contra consulentem facit quod illa reuocari potest tanquam in fraudem fisci facta, d. l. post contractum. ff. de donat. vbi Bart. communiter recep. vtrunque tenet. sed contra hoc facit consideratio quædam, quam nullibi legi, scilicet quod donatio vera in fraudem facta ipso

- ipso iure tenet, & non potest, nec debet creditor, vel alius, in cuius fraudē facta est, admitti ad illa bona donata, nisi prius per actionem reuocatoriam rescindatur, iux. §. item si quis in fraudem inst. de action. eo quod per donationem, & emptionem, etiam in fraudem factam, transit dominium in donatarium, & emptorem, iux. gloss. in d. §. item si quis, & est tex. expressus in l. si sciens ff. de contrah. empt. & quod ideo donatarius non videtur obligatus ad reddenda illa bona, donec per iudicem reuocetur donatio, vel emptio, sicuti nec incidens in pœnam tenetur soluere illam in foro conscientię, donec à iudice condemnetur, iux. gloss. celeb. in
- 4 cap. fraternitas. 12. q. 2. S. Thom. 22. q. 62. art. 4. Quinto, quod per hanc considerationem in præsentia mihi videtur tenenda, præsertim contra fiscum, contra quem in dubio iudicandum est, l. non puto ff. de iure fisci, resolute. Ad quæstionem respondeo, quod si coram Deo præfatus Consulens vere donauit præfata bona vxori, & donationem confirmauit iuramento; ita quod non potuisset illam reuocare, etiam si nunquam fuisset condemnatus, poterit vxor eius retinere illa sibi tanquam sua, quia vere sunt talia, donec donatio illa reuocetur, & rescindatur per iudicem, tanquam in fraudem facta; si autem non habuit verum animū donandi, cum illa semper manserint sua, cadunt sub confiscatione generali omnium bonorum suorum, & sic debentur fisco per sententiam condemnatoriam.
- 5 Ad secundam quæstionem respondeo, indubitati iuris esse, quod illa bona occultata debentur fisco, cum occultatio non habuerit vim auferendi dominium, sicut habuisset vera donatio, vel vera venditio, & ita semper remanserunt tam sua, ac si non fuissent occultata.

S V M M A R I V M.

- 1 *Heres scriptus, cuius culpa testator obiit, illi succedere nequit.*
- 2 *Fornicatio matrimonium præcedens, vxori, nec eius heredi obest.*
- 2 *Bona constante matrimonio quesita sunt mariti, nisi aliud consuetudine, vel statuto caueatur. mm. 3.*

CONSILIUM II.

IN contractu quodam ante nuptiali, in Italiæ partibus, adiecta fuit clausula, Quod si alter coniugum decederet, non relictis liberis, ad superstitem pertinerent omnia mobilia, & debita, etiam actiua, cum onere soluendi omnia passiuua. Accidit, quod maritus pro certo sciuit adulteratam esse vxorem. ipsa enim, cum celare non posset, confessa fuit, & quia

quia admonita a prava consuetudine non cessabat, & contra maritum veneno tollere parabat, vnde & communem cum ea mensam fugiebat, in tali anxietate constitutus maritus præuenire malens, quam præueniri, curauit illi certum venenum dari, ex quo postea in febrim incidit, & post plurium dierum spatium defuncta est: nesciens se ex veneno mori, vnde & factum occultum est. Quæritur an maritus ad aliquid teneatur hæredibus vxoris virtute prædictæ clausulæ, & quia incertum est vter cōiugum superuixisset, si naturali morte vterque mortuus esset, cum vterque fere ætatis esset eisdem.

- 1 Pro parte negante est textus in l. 2. ff. de his quib. vt indig. quæ habet, hæredem scriptum, cuius negligentia mortuus fuit testator, non posse succedere illi, per quam Azo in summa dicit fortiori esse priuandum eum, si occiderit illum.

Pro parte affirmante facit, quod illa voluit illum occidere prius, & quod fuit adulterata, & quod ante matrimonium fuit corrupta, & pro virgine tradita, & quod nulla bona mobilia in dotem attulit,

Sed respondeo primo, quod hæ rationes pro parte affirmatiua nihil concludunt, quoniam ipse quoque maritus adulteratus fuit, & non licuit ei præuenire eam veneno, eo quod ea voluit illum præuenire.

- 2 Neque fornicatio præcedens matrimoniū quidquam obest vxori, vel hæredibus eius, iuxta notata in cap. quemadmodum, de iureiurand. Secundo, quod alia ratione posset eius intentio defendi, nempe quod, vt audio, Romæ vtuntur iure Cæsareo, exceptis illis casibus, in quibus per statuta vrbis receditur ab eo, & quod iure Cæsareo omnia, quæ maritus, & vxor constante matrimonio quærunt, pertinent ad solum maritum sustinentem onera matrimonij, cum obligatione restituendi dotem, si quam accepit, l. dotis fructus, & l. plerumque ff. de iure dotium, l. Quintus Mutius ff. de donatio inter virum, & vxor.

- 3 Nec obstat cap. significauit, quod est 2. extra eod. de donatio. inter virum, & vxor. quia intelligenda est eius decisio, quando pactum nuptiale: vel consuetudo terræ aliud haberent, vt Panor. & Præpos. communiter recept. declarant in eodem cap. Nescio tamen an sit aliquod Romanum statutum, contrarium ei, quod supra dico me audire.

Nec etiam obstat dicere, quod pactum prædictum nuptiale significare videtur, quod, si pactum illud non esset adiectum hæredibus præmorientis, deberetur dimidium bonorum quæsitorem durante matrimonio, quia hoc ex nulla parte illius colligitur, licet colligatur pactum illum fuisse fauorabilius vxori, quam marito, immo nihil profuisse marito: vxori autem potuisse prodesse plurimum: quod nihil præfatæ nostræ decisioni obstat, vt palam est. Salua &c.

DE SECVN. NVPT.

S V M M A R I V M.

- 1 *Mors mariti an per famam, & alia probetur, arbitrabitur iudex.*
- 2 *Testis vnus deponens de fama illam non probat.*

CONSILIVM I.

VXor, eo quod subolfecit maritum suum mortem obijisse, cuperet secūdo nubere, sed tamen dubitat id posse iuste facere, eo quod mors mariti in dubio versatur, quia tantum vnicus testis deponit de publica fama; alter, quod audiuit, illum valde ægrotare. Quæritur, quid iuris.

1 Respondetur primo, quod omnium textuum in hac materia dispositum optimus videtur esse cap. in præsentia. de sponsal. & post illud auth. hodie C. de repud. & c. quoniam frequenter §. si autem. adiuncta gloss. vt lite non contest. in quibus omnibus locis, & alibi sæpe tractant de hac re doctores, & quidquid alij alibi dicant, verior sententia videtur esse, quam tradit Panor. quem sequitur ibi Præpos. in d. c. in præfata, & Co-uar. in Epitom. super 4. lib. Decreta. 2. par. cap. 7. §. 3. num. 4. videlicet, quod relinquitur arbitrio Iudicis, an fama mortis coniugis absentis satis probet eam sola, vel cum alijs coniecturis: etiam si nulli sint testes deponentes de visu, vel scientia mortui.

2 Secundo, quod non videtur satis bene probata fama mortis præfati uiri, quia solus vnus deponit de illa, & non tam ample, quam illa requirit, iux. doctrinam Bart. in l. de minore. §. plurimū nu. 13. ff. de quæstio. quam etiam nos post alios retulimus in rub. de iud. nu. 52.

Tertio, quod, si probaretur per duos, uel tres testes idoneos, ita vt requirit Bart. vbi supra, sufficeret satis abunde cum coniecturis alijs supra dictis bene probatis ad hoc, vt iustus, & æquus Iudex arbitrari possit prædictam mortem esse satis probatam ad hoc, vt prædicta vxor possit licite secundo nubere, & quod ego sine ullo scrupulo id arbitrarer, in gloriam D. N. Iesu Christi, qui nos omnes saluet.

Finis Quarti Libri.



CONSILIORVM,
SEV RESPONSORVM
MARTINI ABAZPILCVETA
DOCTORIS NAVARRI.

Liber Quintus .

DE ADCVSATIONIB.
& inquisit.

S V M M A R I V M .

- 1 Infamis, & criminofus ab accusatione ne repellendus num. 2.
- 2 Confess. oprorbiū crimen contra participes non credendum.
- 2 Testimonium vnius, testimonium nullius .
- 3 Iudex in dubio bene fauere præsumitur .
- 4 Iudex per viam accusationis, denunciationis, vel inquisitionis procedere potest, & quando .

CONSILIVM I.

Regularis quidam vir nequam, & apostata confessus est inter alia commisisse crimen pessimum cum alio eiusdem regulæ viro probō, & optimæ famæ: Quæritur primo, vtrum confessio illa contra præfatū patrem sit recipienda in iudicio? Secundo an debeat ei fides adhiberi, cum non habeat vllum contestem, neque vlla indicia sufficientia? Tertio an Prælatū examinātor illius infamis, qui fecit, vt ille infamis, diceret coram quinque, vel sex fratribus

tribus nescientibus hoc dictum, & postea dixit alij fratri sic, quod cum esset secretum modo est, quasi publicum benefecerit, nec ne? Quarto quomodo præfatus Pater possit se defendere ab hac calumnia?

1. **AD PRIMAM QUESTIONEM** respondeo, quod præfatus frater apostata non habet legitimam personam ad accusandum aliū, quia est criminofus, & infamis, quales non permittuntur ad accusandum l. qui accusare. ff. de accusat. cap. prohibentur. 2. q. 1. tradit gloss. in cap. 1. de accusat. quæ sentit quod etiam infamis infamia facti repellitur ab accusando, quam gloss. esse seruandam iure Pontificio tenet ibidem Panor. communiter receptus, & Goff. in cap. omnipotens, de accusatio. & alij, quos ipse citat, & probant satis iura citata per præfatam gloss. præfertim cap. omnipotens, & cap. meminimus.
2. **AD SECUNDAM** responderetur, quod non est standum suo dicto. Tum per cap. 1. de confess., quod habet eis, qui confessi sunt proprium crimen non esse credendum deponentibus contra alios participes suorum criminum, pro quo gloss. communiter recepta in verbo confessi, & Panor. citant alia, quæ apud illos, & citatos ab eis videri possunt. At præfatus frater confitetur crimen proprium nefandum, ergo non est credendum ei de partecipe illius criminis. Tum quia est criminofus, & infamis infamia iuris, & facti, & ita non est credendum ei, per cap. testimoniū. de test. cum multis alijs, quæ citant ibi Barbat. & Felin. Tum, quia testimonium vnus dicitur testimonium nullius, cap. cum a nobis. de testib. cum suis concordan. & ipse non habet contestem, neque alia indicia sufficientia, vt ponitur in facto.
3. **AD TERTIAM** respondeo, non posse me sine ampliori relatione præfatum prælatum examinatore, condemnare, nec absoluere, quippe qui alia iusta de causa potuit id facere, & etiam aliqua de iniusta causa, & iudex in dubio præsumitur benefacere, quamuis admitteretur probatio, si mala, mente, & iniuste id fecerit, quod non est credendum, donec probetur per cap. in præsentia de renuntiat. & l. merito cum similibus ff. pro socio.
4. **AD QUARTAM** respondeo, quod ex prædictis responsis potest colligi modus defendendi præfatum Reuerendum patrem, habito, quod prælatus præfatus examinatore non potest procedere per solum dictum præfati fratris. Tum quia non potest procedere per viam accusationis, quia non potest esse legitimus accusator, nec per viam denuntiationis, quia non præcessit correctio fraterna, nec per viam inquisitionis, quia non præcessit sufficiens infamia, iuxta cap. super his, de accusat. adiuncto cap. inquisitionis. eod. tit. per quod probatur, quod non sufficit vnus, vel alterius, neque trium testium dictum, ad procedendum per viam inquisitionis, sed oportet, quod sit orta infamia: nec sufficit qualiscunque infamia, vt procedit possit contra huiusmodi approbatos viros, &

ros, & prælatos, sed oportet quod sit exorta legitime a beneuolis, antequam incipiat procedi, vt est casus in cap. qualiter, & quando. il 2. de accusat. & ibi gloss. notabilis recepta, quæ declarat non sufficere illam quæ oriretur ex maleuolis, & in casu præsentis si qua oborta est, censenda est orta ex illo maleuolo, & ex machinatione examinantis, quæ non est iudicanda sufficiens per ea, quæ nos latissime dicimus in rub. de iudic.

S V M M A R I V M.

1 *Accusatus de crimine pendente lite promoueri potest.*

C O N S I L I V M II.

AN accusatus de crimine possit pendente lite promoueri. Respondetur, quod sic. Tum quia, cap. omnipotens. de accusat. cum suis concordant. limitatur non procedere in accusato per maleuolos, & non grauato apud graues, & bonos viros, secundum. Hostien. & Ioannem Andr. in cap. minime, de accusat. quo refert, & sequitur multum ibi commendans Felin. & merito, qua alioqui facillimè cuique pateret via optimos, & doct. impediendi ab accusatione bonorum, per concursum, si sola accusatio a quouis maleuolo, vel improbo facta, non secuta apud bonos, & graues viros infamia sufficeret ad repellendum a concursu, & petitione beneficij, quod esset absurdum, & ita non dicendum l. nam quod absurdum ff. de bo. liber.

S V M M A R I V M.

- 1 *Intellectus l. 1. §. ergo. & l. reus ff. de numerib. & hono.*
- 1 *Prælati in quærendis, & non in quæsitis ecclesie nocere potest.*
- 2 *Condemnatus de crimine inhabilitante pendente appellatione cur promoueri nequit.*
- 3 *Denunciatus de crimine causa pendente non promouendus.*
- 4 *Denunciationem fraterna correctio, & accusationem inscriptio præcedat.*
- 4 *Inquisitio duplex, generalis, & specialis, hæc nocet, illa non.*
- 5 *Iudicium, & litispendentia sine citatione esse non potest.*
- 6 *Accusati promotio ob infamiam apud bonos secutam impeditur.*
- 7 *Accusatus, denunciatus, & inquisitus, infamis non promouendus.*
- 8 *Accusatio, denunciatio, vel inquisitio de graui tantum causa infamat.*

CON

Super Antinomia l. 1. vers. ergo. ex vna parte, & l. reus ff. de muner. & honor. ex altera, dico primum eam optime tolli per earundem glossas Accursi. quæ in summa habent, quod præfatus vers. ergo agit de honore præterito iam quæsito l. autem reus, de honore futuro nondum quæsito, & ideo nil mirum, quod appellatio non iuuet tantum in casu illius, quantum in huius, quia *Turpius eicitur quam non admittitur hospes*. cap. Quemadmodum. de iur. iur. & seruus potest nocere in quærendis, & nõ in quæsitis, l. seruus. cum gloss. C. de pact. Prælatus item potest nocere ecclesiæ in quærendis, non autem in quæsitis, gloss. fin. 16. quæst. 6. & irregularitas non priuat ipso iure beneficio quæsito. quærendo vero sic, Innoc. in cap. cum nostris de concess. præbend. Secundo, quod ille vers. ergo. facit aliquid, sed ex longinquo pro parte affirmatiua quæstionis, An suspensio suspendatur per appositionem, & l. illa reus. facit, sed ex longinquo, pro parte negatiua eiusdem quæstionis. Tertio, quod tenes partem affirmatiuam præfatæ quæstionis, facile potest respondere præfatæ l. reus, quod ratio quare reus condemnatus, de crimine inhabilitante ad honores, non debeat promoueri ad illos, etiam si appellauerit, quod habet illa lex, non est, quia appellatio non suspendit sententiam, sed quia infamia exorta ex receptione inter reos ob crimen faciens quærere in habilem ad honorem, impedit eum ab illo assequendo, iuxta l. 2. C. de dignit. lib. 12. & cap. infamibus. de reg. iur. lib. 6. & ita intellexit illam gloss. recept. in cap. omnipotens. de accusat.

An autem illud cap. & dict. l. reus cum allegatis a suis gloss. obstant promotioni, & elect. Prioris generalis N. ea ratione quod accusatus non sit promouendus, alia quæstio est, ad quam non respondi antea, cum præfata respondere, quia non quærebatur de illa, nunc autem quando quæritur, licet occupatissimus, respondeo primo, quod pro eius parte affirmante facit præfatum cap. omnipotens, & cap. tantus Daniel. 81. distinct. quatenus habent denunciatum de aliquo crimine pendente causa denunciationis, non debere promoueri ad aliquam dignitatem, & præfatus Prior N. videtur fuisse denunciatus de crimine, & quod pendente enuntiatione contra Priorẽ fuit ipse electus. Secundo, quod l. reus ff. de mun. & honor. & l. qui de libertate. ff. de lib. causa probant eum, qui de crimine accusatur, vel seruus esse præcluditur lite pendente non esse promouendum ad dignitatem, at super crimine præfati Prioris videbatur lis pendere tempore suæ electionis, & promotionis.

Pro parte tamen negante, quæ verior est, facit primo, quod non pendebat lis vlla super aliquo crimine contra præfatum Priorem tempore suæ electionis, non quidem super accusatione, quia nemo illum accusauit,

facit: nam accusationem debet præcedere inſcriptio, cap. ſuper his de ac-
 cuſ. non item ſuper denunciatione, quia denunciationem præcedere de-
 bet correctio fraterna, dict. cap. ſuper his, quarum neutra in caſu præ-
 dicti Prioris interuenit. Non item ſuper inquisitione, quia nondum fuit
 proceſſum contra eum ſpecialiter licet generaliter, & præparatorie con-
 tra totum conuentum proceſſum fuiſſet. Duplex enim eſt inquisitio, ſci-
 licet generalis, ſiue præparatoria, qua generaliter Episcopuſ, vel Viſi-
 tator inquit crimina nemine nominato; & altera ſpecialis, ſiue ſollem-
 nis, qua procedit ſpecialiter contra eum, quem per generalem inquisi-
 tionem, vel infamiam, vel aliam viam inuenit culpabilem, ſecundum
 Speculat. de inquit. §. quando. recep. communiter ab omnibus in cap.
 1. de offic. ord. & in l. congruit. ff. de offic. præſid. & ſingulariter pro-
 batur in cap. 1. §. ſane. de cenſib. lib. 6. & nemo per ſolam generalem,
 & præparatoriam inquisitionem dicitur inquituſ, & contra neminem
 dicitur pendere liſ propter generalem inquisitionem. Tum quia nondum
 eſt iudicium cum ipſo cæptum, cum nondum ſit citatuſ, ſiue vocatuſ, ſi-
 ue iuſſuſ reſpondere ad culpam intimatuſ, & ſine citatione non poteſt
 eſſe iudicium, nec liſ pendens. §. ſi. inſtit. de offic. iud. & clem. 2. vt lit.
 pend. & l. vbi cæptum. ff. de iud. Tum quia alioquin contra omnes, qui
 per generalem inquisitionem inuenirentur notati, cenſeretur cæpta liſ in-
 quitionis, antequam citarentur, & antequam quidquam eis intimare-
 tur. quod eſt contra mentem omnem vbi ſupra, quodque nemo vnquam
 dixit. Tum quia non poteſt dici litem inquisitionis pendere donec inci-
 piatur, non poteſt autem incipi, donec citatio vel intimatio culpe ad re-
 ſpondendum quod effectu idem eſt, faciat, & conſequenter propter
 inquisitionis pendentiam non poteſt præfatuſ Prior a promotione repel-
 li: & ita propter nulliuſ litiſ ſuper crimine pendentiam potuit repelli.
 quæ profecto ratio omni reſponſione maior eſt, & efficax ſolutio colligi-
 tur ex ea ad dict. l. Reuſ. quæ de reo accuſato, immo & condemnato
 promouendo appellatione pendente loquitur, & ad d. l. quæ libertate,
 etiam de illo contra quem ſuper ſeruitute liſ pendebar agit. & ad dict. c.
 omnipotens, & tantuſ Daniel quæ loquuntur de denunciatiſ, contra quos
 procedebatur.

6 Secundo, pro eadem parte negante facit dictum Hoſtien. in c. memi-
 nimuſ. de accuſat. communiter recepti ibi per alioſ, & Felin. in d. cap.
 omnipotens. & antea per Ludouic. ſing. 443. quod ille, & alij commu-
 niter vitioſe citantur, ſcilicet, quod tunc demum impeditur promotio
 per accuſationem, quando propter illam accuſatuſ eſt factuſ infamiſ apud
 bonoſ, & graueſ viroſ, & non alioſ. & præfatuſ Prior per viſitationem ge-
 neralem non fuit factuſ infamiſ apud bonoſ, & graueſ viroſ, immo ne-
 que apud aliquoſ alioſ, quia viſitatio fuit ſecreta, & nulli præter Viſita-
 torem, Notariuſ, & deponentem ſciebant Priorem fuiſſe notatuſ de

tali crimine, donec fuit intimata pœna suspensionis, quæ intimatio non produxit infamiam. Tum quia conuentus, qui erat electurus, non credit eum ita deliquisse, nec tenebatur credere iuxta doct. Innoc. probatama Felin. in d. cap. omnipotens. num. 4. Tum quia fuit lata sine vocatione, siue indicatione culpæ, & sine vlla copia se defendendi facta, & ita inualide, & nulliter.

- 7 Tertio, quod præfatum dictum Hostiens. adeo est verum, quod, etiã si nec ipse nec alius illud dixisset, erat tamen asserendum, quia ratio, quare accusatus, denuntiatus, vel inquisitus non debet promoueri, est, quia per talẽ accusationem, denuntiationem, vel inquisitionem, factus est infamis, vt supra in concordia antinomix tetigimus, & affirmat Anan. per gloss. recept. ibi in d. cap. omnipotens. nemo autem dicitur infamis, vel laborare infamia, nisi ea sit apud bonos, & graues viros, licet rumor aliquis sit sparsus, & etiam creditus apud aliquos, vt probatur in c. qualiter, & quando, 2. de accusat. cuius gloss. in verb. ad inquirendum recepta ab omnibus id declarat, & subdit, quod requiritur, etiam quod nõ sit orta ab inimicis, neque maleuolis. ergo accusatio, denuntiatio, vel inquisitio non impedit promotionem, nisi per eam sit orta infamia apud bonos, & graues viros.

Quarto, quod pendentia accusationis, vel inquisitionis factæ calumniose, vel malo animo non impedit promotionem, vt probat cap. meminimus. de accus. At hic malo animo interuenit, vt conijcitur ex multis in facto contentis.

Quinto, quod voluntas accusandi, inquirendi, vel denuntiandi non sufficit ad hoc, sed oportet, quod actu pendeat, vt not. Anan. in d. cap. meminimus nu. 2. At in casu proposito non fuit, inquisitio formata contra Priorem, sed solum facta preparatio per generalem inquisitionem, & voluntas forte descendendi ad specialem, ad quam tamen per octo menses non processerat, nec vt creditur processisset, nisi vt innocentem electionem perturbaret contra breue Apostolicum, quo videbatur ne directe, vel indirecte impediret liberam electionem Prioris faciendam.

- 8 Sexto, quod nunc demum accusatio, denuntiatio, vel inquisitio infamat quando est facta de graui causa puta capitali, vel status vt not. Anan. in d. cap. omnipotens. num. 6. & prob. eo quod alias sequeretur, quod accusatio de fractione silentij, vel ieiunij, vel omissione precum horariarum vnius, vel alterius diei induceret hunc effectum; quod est absurdũ, & contra mentem contex. præfati c. tantis præfati cap. omnipotens, & similibus quæ loquuntur de graui crimine. at comburere vnum librum de consilio seniorum relicto transumpto ad id necessario non erat tale, & præterea iam fuit super eo sententia, nullam, vel leuissimam pœnam continens. Lata ergo &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Iudex, qui bona fide indiciorum copiam non dedit, nec peccat, nec restituere tenetur. & nu. 4.*
- 2 *Lex de indiciorum copia reo danda, humana est, obscura, & de postulante loquitur.*
- 3 *Iudex pœnas à iure positas, non nisi à parte requisitus incidit.*
- 5 *Consuetudo à lege de testibus repetendis, & a pœna temporalis excusat.*
- 5 *Legem humanam, ex causa apparente iusta, transgrediens, venialiter tantum peccat.*

CONSILIVM IV.

Quidam sacerdos, vir pius, & doctus, olim inquisitor, multos reos, alias sufficienter indiciatos, torqueri fecit, non data eis copia indiciorum, nec assignato termino ad faciendas suas defensiones, quia non petierunt sibi dari; & in causis processit ad reorum condemnationem non repetitis testibus, qui de consuetudine loci, ut plurimum non soliti sunt repeti. Cum in præmissis bona fide, & credens bene agere processerit, an scilicet teneatur ad aliquam satisfactionem parti læsæ.

- AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo, quod non videtur teneri ad vltiorem restitutionem faciendam parti, saltem in foro conscientie. Primo quidem, quod ipse omisit dare copiam indiciorum sine dolo, & bona fide, non credens se male facere. Idque omisit in materia, nullo iure naturali, neque diuino, nec humano clare præcepta. & qui iudex modo præfatus transgreditur legem humanam subobscuram, non peccat mortaliter, secundum Innocent. in c. per tuas, in 2. de Simon. quem commendat Bal. in l. ab eo C. quomodo, & quando iudex, & vtrunque sequitur Felin. in c. 1. in limit. 2. de re iudica. Secundo, quod lex de danda copia indiciorum reo, est humana & obscure lata. Quia licet communis opinio teneat dandam esse copiam indiciorum ante torturam iuxta doctrinam Bart. in l. fin. in q. pen. de quæst. ob rationes quas tradit Alex. cons. 65. vol. 1. col. 2. nullus tamen videtur tex. in hoc expressus. I enim, vnus. §. cogniturum. ff. de quæstionib. quæ videtur omnium probantissima, obscure id facit. Immo in sensu directo solum probat id esse faciendum postulante reo, significans a contrario sensu non esse necessarium id facere, eo non petente. Tertio, quod D. iudex non incidit pœnam, sub quam tenetur aliquid facere, nisi requiratur à parte, iuxta glos. recep. & nota. in c. fin. de rescip. in verb. damnis, & alia multa quæ tradit Felin. in c. si autem

4 de rescrip. nu. 4. & citati ab eo. Quarto, quod licet regulariter iudex mereretur pœnam, non dando copiam indiciorum etiam non petendi, id tamen falleret, quoad forum conscientia, quando indicia vere coram Deo essent sufficiētia, quoniam omnia sunt ei aperta, ad Hebræos 4. & c. Deus omnipotens 2. q. 1. & ita quo ad Deum. D. Conf. non peccauit, quia præfati erant sufficiēter indiciati, vt ponitur in casu.

5 AD SECVNDAM de ommissione repetitionis testium, Respondeo, quod neque ob illam videtur D. Consul. ad vltiorem restitutionē teneri. Tum per argumenra responsionis præcedentis. Tum quia consuetudo illius terræ habebat, vt plurimum ne repeterentur necessario, vt ponitur in casu; & cum lex de repetendis testibus iuris naturalis non sit, nec diuini, sed tantum humani, potuit ibi consuetudine limitari. c. fin. de consuetud. & l. 2. C. quæ sit long. consuet. Tum, quod consuetudo excusat à pœna saltem temporali, etiam transgredientem legem naturalem, iuxta glos. solem. c. dē nique. 4. dist. quæ habet similem in c. cum venerabilis. de consuetud. Tum quia qui transgreditur legem humanam ex causa, quæ bonâ fide sibi videtur iusta, licet vere non sit omnino talis; non peccat plusquam venialiter, secundum mentem D. Thom. in 2. 2. quæst. 96. arti. 6. & 2. 2. q. 147. articul. 3. vbi pulchre hoc explicat Caietan. & tradimus nos in Manual. Confess. in 9. præludio nu. 14, & paulo explicatius in c. 23. nu. 42. vbi hoc videri potest.

S V M M A R I V M.

- 1 *Fiscus per confiscationem non succedit prohibito alienare.*
- 1 *Fiscus, cum concurrunt fideicommissum, & prohibitio alienandi, etiam re uiuente nil assequi potest.*

CONSILIVM V.

1 **A**N prohibito alienare succedat fiscus per Confiscationem: Respondeo, quod non, etiam, quod ad vitam prohibito, vt succedat in fideicommissio: iuxta l. Statius. §. Cornelio. ff. de iure fil. quia passim admittunt Doctores, quod ubicunque vltra fideicommissum concurrat alienandi prohibitio, vt fiscus, neque in vita delinquentis aliquid consequi possit, vt post Bart. Alex. Paul. Angel. tradit Crotus in l. filiusfam. §. diui. num. 36. vbi Rip. nu. 47. vers. item expressa de leg. 1. Curti. Iun. in conf. 120. nu. 11. Roland. conf. 98. nu. 29. lib. 2. Boss. de bonis publ. nu. 34. in pract. Crim. Jul. Clar. testans de communi. in sua pract. crimi. in §. fin. lib. 5. q. 78. vers. item quæro nunquid in confiscatione, Alex. Conf. 23. n. 3.

SVM-

S V M M A R I V M.

- 1 *Monitorium sub varijs formis dari, & varia continere potest.*
- 2 *Monitoria dari possunt seruando canonum formam.*
- 2 *Monitoria ad reuelandum magna cum discretionem seruanda.*
- 3 *Excommunicari potest nemo pro culpa præterita, nisi sit notoria, vel iam damnatus parere recuset.*
- 4 *Episcopus contra blasphemos sic melius procedere potest. nu. 5.*
- 4 *Monitoria ad denuntiandum peccata, vt occasio peccati.*
- 5 *Monitorium ad denuntiandum iuxta iuris regulas temperandum.*

C O N S I L I V M VI.

Conqueritur ciuitas quædam, eiusque diocesis, quod Episcopus publicare vult monitorium quoddam, ad finem reuelationis, sub pœna excommunicationis contra eos, qui blasphemant nomen Dei, aut sanctos eius, vel qui præsentem fuerint. Quæritur itaque an huiusmodi monitorium possit licite publicare Episcopus, & si liceat, an generaliter expediat propter similitudines, & alia, quæ inde possunt oriri inter virum, & uxorem; patrem, & filium, aliosque vinculo societatis coniunctos. deinde, quia, cum videatur esse crimen misti fori, hac via daretur occasio declinandi à foro sæculari?

Ad hanc quæstionem respondeo primo, non posse quem illi satisfacere non facta copia monitorij, quod dicitur esse publicatum; quoniam, vt ipse in repetitione cap. inter verba, 11. q. 3. concl. coroll. 66. num. 331. demonstrauit, quod multiplicis formæ possunt esse hmoi monitoria; aliquando enim monent subditos, vt denuntient, aliquando vt testificentur, aliquando vt denuntient notoria vel famosa, vel testificentur super illis, denuntient etiam secreta; aliquando vt restituant, aliquando vt dicant momenti tanquam iudici; aliquando vt dicant ei tanquam bono viro, qui prodesse possit, & non obesse &c. vt colligitur ex c. inquisitionis. §. tertie. & c. qualiter, & quando. 2. de accusat. l. Diuus. 2. ff. de custodia reorum, c. presbyter. c. mala. 2. q. 5. c. vestra. de cohabita. cler. & mulierum; c. manifesta. 2. q. 1. c. si sacerdos. de offi. ordi.

Secundo respondeo, quod episcopus potest ferre huiusmodi monitoria, non transgrediendo dispositionem canonum disponentium super materia, in qua ea vult ferre, iuxta glos. sollemnem, c. ex parte. de verb. sig. & text. cap. qui cum fure. & ibi annotata per Panor. de excess. prælat. c. consanguineos. de repudijs. & in d. c. si sacerdos. & ab alijs alibi.

Pars ij.

M 3

Ter-

Tertio, quod huiusmodi monitoria varie pro varietate formarum illorum magna cum prudentia, & discretionē sunt à subditis obseruanda, ne incidant, & incurrat vitium detractionis, & infamationis, & ne grauius, & mortifere peccent, vt ipsi in dicto coroll. 66. admonemus.

- 3 Quarto, quod pro parte negatiua quæstionis propositæ facit primo, quod Episcopus non videtur posse excommunicare aliquem pro peccato præterito, nisi sit notorium, vel fuerit condemnatus de illo, & noluerit parere, c. nemo. 2. 1. q. 3. & c. sed illud. 4. 5. dist. sed solum pro futuro, vel pro contumacia nolendi satisfacere pro præterito, per ea multa quæ glos. memorabilis c. ex parte. 1. de verb. sign. adducit. At Episcopus præfatus penam excommunicationis infligit, vel intentat subditis innocētibus. ergo illud ei non licet. Secundo, quod non est danda vlli occasio peccandi, c. fin. de iniurijs. & præfatum monitorium videtur dare occasionem peccandi per rixas, & odia, quæ ex huiusmodi denuntiationibus concipiuntur à denuntiatis contra denuntiantes, vt palam est. Tertio, quod de duabus vijs perueniendi ad aliquem finem, eligenda est plenior, & placidior. At dominus Episcopus posset per visitationem, & inquisitionem generalem informare se de huiusmodi blasphemijs, & blasphemis, iuxta c. 1. de off. ordi. & l. congruit. ff. de offi. præsid. & postea sine turbatione populi per inquisitionem specialem procedere contra eos, quos inuenerit culpabiles, iuxta c. Inquisitionis. de accusa. præsertim, quod non est periculum in mora breuis temporis, si debitore. ff. de iudic. Quarto, quod per ea, quæ ipse late vbi supra scribo, credibile est multos peccaturos multum in hac re. Alios quidem denuntiando secreta, & ante correctionem fraternā, alios denuntiando ea, quæ non debent denūtiare, & quando, & alio modo quam oportet, præsertim si non detur iusta dilatio ad consulendum peritiores, & prudentiores, alios autem alijs modis: quos ipse supra tracto.

- 5 His tamen non obstantibus, credo, quod de rigore iuris posset Episcopus ferre eiusmodi monitorium temperatum, & modificatum, ne includeret secreta, & quæ non possent probari, nec personas, quæ ad id non tenentur, nec excluderet correctionem fraternali, quam ipse nō potest excludere, nec iubere, vt statim antequam illa congruo tempore, modo, & ordine fieri possit, huiusmodi blasphemix sibi statim denuntiarentur, per ea quæ D. Thomas scribit 2. 2. q. 33. art. 7. & alia quæ nos addimus vbi supra: immo etiam, si hic Episcopus non temperaret suum edictum, ita temperandum esset per suprascripta; dolentes, quod plurimi plurimū errant in respondendo, non solum huiusmodi edictis durissimis; sed etiā chartis, & monitionibus, quas sup. rebus perditis, & furto sublati passim solent dare ordinarij, & sollempnius curia, appellando illas significauit.

Ad opposita responderi posset eo fere modo, quo respondendum esset ad defendendas prædictas chartas. Mea tamen sententia prudentius, & Deo gratius ageret Episcopus, si procederet primum per viam visitatio-

nis, & inquisitionis generalis, & postea per inquisitionem specialem, vt supra dictum est.

DE SIMONIA.

SYMMARIUM.

- 1 *Præstationes solui solite in collatione beneficij, siue à Papa, siue ab alio facta, an sint simoniacæ?*
- 2 *Præstatio immemorialis in collatio beneficij præsumitur iusta.*
- 2 *Consensus alicuius interuenisse per immemoriam præsumitur.*
- 3 *Præstatio beneficijs conferendis privilegio Papæ imponi potest.*
- 3 *Consuetudine antiquissima dimidium fructuum beneficij vacantis fabricæ, vel successori vel alij debetur.*
- 4 *Promissio eius, quod tacite inest, collationem non vitiat.*

CONSILIVM I.

CAnonici cathedralis ecclesiæ N. nonnullarum parochialium collationem habentes, soliti sunt ab ecclesijs, quas ipsi conferunt, quandam præstationem exigere, & præcipue a plebe montis Morini medietatem decimarum per immemorabile tempus exegerunt. Nunc modernus d. plebis rector, cui a Greg. xij. fuit libere facta collatio, nulla obligatione seu onere adiecto, recusat talem præstationem medietatis decimarum dictis canonicis persolvere; canonici vero ipsum teneri omnino prætendunt, & ad talem obligationem probandam, adducuntur tria instrumenta collationum dictæ plebis, in quibus promittuntur ea, quæ solent in collationibus promitti: promittitur etiam dicta medietas decimarum, quæ deducitur in promissionem, ac stipulationem in ipso actu conferendi, cû in dictis instrumentis dicatur, quod is, cui fiebat collatio, promissit, & convenit medietatem decimarum persolvere. quæ quidem præstatio in prædicto instrumento collationis nuncupatur affictus, in reliquis vero instrumentis collationum, non appellatur amplius affictus, sed promittitur tanquam debita huiusmodi præstatio de iure & antiqua, & laudabili consuetudine, nullo alio tali præstationi imposito nomine sine causa, nisi quod sit de iure, & laudabili consuetudine. Accedit præterea, quod & alij etiam, quibus post collationes in dictis instrumentis contentas fuit libere a Papa facta collatio, dictam medietatem decimarum dictis canonicis persolverunt, prout, & alij ante fecerant, quibus ab ipsis canonicis

erat facta collatio. Quam quidem præstationem modernus rector soluere recusat, cum nulla ostendatur causa illam præstandi; & initium, quod ex dictis instrumentis apparet, videtur vitiosum, cum libera debeat esse collatio, nullo pacto, promissione, seu cōdicione appolita, pro vt in dictis instrumentis collationum promissum apparet. Quæritur an talis præstatio valeat de iure fieri absque simoniæ labe?

- 1 Respondet primo, quod narrata in hoc facto secum pugnare videtur, quatenus primo in eo dicitur, quod canonici prædictum dimidium decimarum consueti sunt petere, & exigere à plebe montis Morini. Deinde præsupponitur, quod non plebs, sed rector plebis solet illud soluere, vel quod nunc rector renuit soluere; de plebe autem, an ipsa velit, vel nolit, nihil dicitur; & nemo non videt, plurimum referre ad iudicandum interuenisse simoniam. An plebs, cui non confertur rectoria, dicitur soluere solita, an rector, cui illa confertur sit solitus soluere: Secundo, quod in facto præsupponitur solitum solui prædictum dimidium decimarum canonicis, etiam cum rectoria confertur à Papa, & nō à canonicis, cui consequens est, quod prædicti canonici non sunt soliti capere prædictum dimidium propter collationem, quam faciunt; quandoquidem illud capiunt, etiam cum ipsi illam non faciunt.
- 2 Tertio, quod in facto præsupponitur tempore immemoriali factam fuisse hanc præstationem, cui consequens est, posse probari per illud quamcumque iustam causam, quæ ad id imponendum occurrere potuisset a principio, arg. l. hoc iure, §. ductus aque, ff. de aqua quotidian. & estiuæ, & cap. super quibusdam, de verb. sig. & eis anno tatorum. At palam est priuilegio Papæ potuisse illud onus iuste imponi siue plebi, siue rectori; præsertim consentienti, qui consensus probabitur etiam per illud tempus, si oportuerit, & allegatus fuerit per prædictos
- 3 canonicos. Quarto, quod in multis ecclesijs habet antiquissima consuetudo, vt mediætas fructuum beneficij, quoties vacauerit, debeatur fabricæ, vel mortuo beneficiario, vel alicui alij, vt clare colligitur ex extrauag. suscepti, ne sede vacante, inter communes. Quinto, quod iustissime potuit Papa imponere huiusmodi annatæ solutionem faciendam, quoties vacauerit prædictis canonicis, seu capitulo eorum ad se honeste sustentandum. arg. prædictæ extrauagan. & ita si voluerint canonici allegare ista, audiri debebunt.
- 4 Sexto, quod certum est, eum cui confertur beneficium posse iuste sine labe simoniæ promittere conferenti, vel cuilibet alij etiam in tituli acceptationem quidquid iuste ratione illius post acceptationem debeat: quia expressio eius, quod tacite intelligitur, non inducit simoniā, glos. memor. c. ad audientiam. 2. de rescrip. arg. ca. significasti, de elect. & l. 3. de legat. 1. Quare nō auderem in præsentia subscribere me consilio contra illos dato, & mihi ostenso, licet videatur mihi illud a viro ingenio, iudicio, & eruditione præstanti redditum. Salua &c.

S V M M A R I V M .

- 1 *Simoniacis absoluendis an onus monendi complices imponi possit. & seq.*
- 1 *Confessores regum, & principum non inducendo eos restituere simoniace accepta peccant. num. 4.*
- 2 *Restituat, qui metu, vel dolo alium induxit ad peccandum.*
- 3 *Monitio non plus complicit. in simonia, quam alijs peccatis debita.*
- 4 *Correctioni fraternæ quando in simonia, & alijs peccatis, sit locus.*

C O N S I L I V M . II.

Quæritur, an ei, qui simoniam admisit, & petit absolutionem a peccato, vel a censuris, debeat imponi onus monendi eum, cum quo admisit illud peccatum, vt faciat eius pœnitentiam, & restitutionem, quam ob id facere teneatur?

- 1 Respondetur primo, pro parte affirmante facere in primis, quod sacre Pœnitentiariæ prætorium videtur imponere illud in litteris, quibus dat, vel committit absolutionem huiusmodi: Secundo, quod Alexander III. in cap. de hoc, de simon. iussit Iudici, vt induceret reges, & principes, qui aliquid simoniace acceperunt ab electo in Episcopum Oxoniens. ad restituendum illud ipsi ecclesiæ Oxoniens. & quod Panor. ibidem num. 6. reprehendit confessarios regum, & principum, eo quod ignorantia, vel vt placeant illis, non inducunt eos ad restituendum ea, quæ acceperunt simoniace ab his, qui eliguntur, & promouentur ad dignitates.
- 2 Tertio, quod qui alium ad peccandum inducit, videtur teneri ad restituendum ei omnia illa bona, in quibus ei nocuit inducendo eum ad pœnitentiam, & exhortando ad opera bona, secundum Scotum in 4. dist. 15. q. 7. art. 1. & Adrian. in 4. de restit. q. 3. quos retulimus in Man. Confess. cap. 14. num. 32.

Secundo respondeo, quod pro parte negante facit primo, quod nullo canone, nec lege videtur statui, vt huiusmodi onus admonendi plus imponatur ei, qui peccauit peccatum simoniæ, quam alia peccata, per quæ incurritur obligatio restituendi, & aliqua censura. nam præfatum cap. de hoc, non habet, quod confessarij, & alij absoluentes a peccato simoniæ in foro conscientie debeant imponere absoluto pœnitentiam, & onus vtendi præfata monitione. Tum quod loquitur de iudice delegato a Papa processuro in foro exteriori. Tum quod non habet, vt simoniacus absoluendus moneatur a restituendo, sed quod ipsemet restituat, vt palam habet eius contextus, nec Panor. ait errare confessarios

fessarios Principum, eo quod non inducunt Principes ad monendum
 confimoniacos ad restituendum, sed eo quod peccant, non inducendo
 ipsosmet Principes simoniacos ad restituendum id, quod ipsi tenentur re-
 stituere. Secundo, quod nulla ratio vilo iure naturali, diuino, nec hu-
 mano fundata reddi potest, cur magis debeat simoniacus admonere sui
 peccati consortes, quam alij, qui multo maiora peccata, quam aliqui si-
 moniaci peccant, incurrendo grauiores censuras, quam simoniaci, qua-
 les sunt multi, quorū absolutio reseruatur Papæ in Bulla Cœnæ Domini.
 Tertio, quod licet multi canones super multis criminibus quædam spe-
 cialia statuerint facienda in absolute illorum, quorum 47. collegit
 Hostien. in summa de pœniten. & remissio, nullus tamen videtur muni-
 ri, qui statuat hanc obligationem, & onus imponendum esse absoluto a
 simonia, & censuris eius. Quarto, quod nec cap. quoniam, nec cap. de
 regular. nec cap. cum essent, nec cap. nobis, nec alia de simon. quæ de-
 terminant de pœna, & de absolute, & remedio simoniacorum, & si-
 moniacarum, vllam faciunt mentionem de pœnitentia, & onere huiusmo-
 di monitionis, & inductionis imponendo absoluendis, nec memini le-
 gere auctorem aliquem classicum, qui determinet huiusmodi onus esse
 imponendum magis ei qui absoluendus est a simonia, quam alijs, qui
 absoluendi sunt a rapinis, furtis, homicidijs, & prædationibus, etiam
 piraticis; & obligatio, quæ iure naturali, diuino, vel humano non in-
 ducitur, non debet cœferi inducta, & imposta, quia, vt ait Stephanus
 Papa in cap. consuluisti. 2. q. 4. *Quod patrum documento sancitum non est,
 superstitiosa adinventione non est presumendum*, pro quo est cap. legatur,
 24. q. 2. & illud Imperatoris in auth. de trient. & semiss. §. considera-
 mus. col. 3. *erubescimus sine lege loqui*, idest dicere aliquid statutum es-
 se aliqua lege, quæ non inuenitur, & nulla, vi opinior, consuetudo con-
 fessariorum totius orbis Christiani videtur hoc seruare magis in peccato
 simoniæ, quam in alijs.

- 4 Non obstant opposita, non primum, quia Illustrissimi eiusdemque sum-
 mi Pœnitentiarij non est ferre legem nouam; sed latus a sancta Sede Apo-
 stolica, cuius dominatio sua Illustrissima est summus quo ad forum con-
 scientiæ Iudex vniuersalis deputatus seruare. Ad secundum supra late re-
 sponsum est. Ad tertium responderi potest per ea, quæ nos scribimus in
 prædicto cap. 14. num. 31. primum quidem, quod, vt ibi resoluimus, ne-
 mo tenetur lege iustitiæ ad restituendum ei, quem induxit ad peccandū,
 nisi vi, metu, vel dolo eum induxerit. Deinde, quod licet lege charita-
 tis teneatur ad illud etiam cæteteris paribus aliquantulo plus, quam alij
 proximi, non tamen, sub præcepto ad mortale peccatum obligante, ni-
 si quando præceptum de corrigendo fratre obligaret ad vtendum frater-
 na correctione, etiam alios, qui id scirent, quod non habet locum in
 quolibet simoniaco. Postremo, quod non omnes simoniaci, qui petunt
 absolu-

absolutionem, sunt, qui participem induxerunt in simoniam, & frequenter simonia est adeo occulta, vt non sit in ea locus correctioni fraternæ, neque denuntiationi, iuxta regulas traditas de fraterna correctione à S. Thom. 2. 2. q. 3. & ab Archid. & vtroque Card. in cap. si peccauerit. 2. q. 1. & à Panor. & alijs in cap. nouit. de iud. Quamuis non sit contra vllam legem naturalem, diuinam, vel humanam, quod confessarius, vel pœnitentiarius summus, vel minor, iniungat simoniaco prædictam monitionem, seu pœnitentiam, & onus eam faciendi, quando ex circumstantijs, personarum, & causarum colligitur, id non fore nimis graue absoluendo, & apparet posse prodesse, & non obesse.

S V M M A R I V M.

- 1 *Simoniam est, conuenire inter concurrentes, quod alter alteri defectus non opponer*
- 2 *Simoniam conuentionalem non excommunicat, nec fit realis, nisi vtrinq; compleatur.*
- 3 *Beneficij collatio facta irregulari est nulla.*
- 3 *Restituat impediens alium à beneficio consequendo.*

C O N S I L I V M III.

Ioannes & Petrus clerici opposuerunt se vni beneficio patrimoniali vacanti: & Petrus minus dignus voluit opponere huiusmodi digniori irregularitatem, veram quidem, sed occultam, quam probare non poterat, nec deducit in iudicium, sed interuentu amicorum conuenit inter ambos, vt omiſſis omnibus exceptionibus se submitterent examini, & qui iudicaretur dignior haberet beneficium, & solueret alteri pensionem regularium annuam, cum beneplacito Sedis Apostol. deinde Ioannes obtinuit dispensationem super irregularitate, & super retentione beneficij, nulla tamen de prædicta conuentione facta mentione. Quæritur primo, an in hoc casu interuenit confidentia, vel simonia vlla. Secundo, an fuit valida prædicta collatio prædicti beneficij patrimonialis. Tertio, an prædictus Ioannes teneatur aliquid restituere prædicto Petro, cum prædictus Ioannes esset incapax ad dictum beneficium, & tunc impediuit modo su prædicto prædictum Petrum alias dignum à consecutione prædicti patrimonialis beneficij, maxime quia prædictus Ioannes hucusque bona fide processit, nullam credens fuisse confidentiam, nec simoniam.

AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo primo, quod nulla interuenit confidentia; sed sic simonia. Quia conuentio de non exponen-

- ponendo alicui exceptionem propter promissionem pecuniæ, est simonia
ca, propter ea, quæ nos diximus in Manu. Confess. cap. 23. nu. 100. & seq.
- 2 Secundo, quod prædicta simonia non videtur fuisse realis, sed tantum con-
ventionalis: quia non fuit impleta ab utraque parte: licet enim Petrus ad-
implet non opponendo; Ioannes tamen non adimpleuit constituendo
neque soluendo pensionem; & consequenter non fuit incurta ipso iure
excommunicatio; nec consequenter noua irregularitas, celebrando per
ea, quæ vbi supra scribimus: Non obstat dicere, quod pactum de non
opponendo exceptiones fuit causa, vt prouisor conferret beneficiū Ioan-
ni: & ita fuit adimpletum pactum ex parte oppositorum, seu concurren-
tium, vel candidatorum, & etiam ex parte prouisionis: Quia nil sibi ipsis
opposuerunt, & prouisor prouidit, non inquam hoc obstat. Tum quia hoc
pactum non fuit factum cum prouisore: Tum quia hoc pactum non fuit
causa prouisionis beneficii: quia ea fuisset sequuta, etiam si fuisset oppo-
sitiō facta; quia cum irregularitas esset occulta, non poterat probari, & de
non apparentibus & non existentibus idem est iudicium exterius, l. duo
sunt Tit. ff. de testam. tutel. & cap. si sacerdos. cum gloss. de offi. ordi.
- 3 AD SECVNDAM respondetur, quod non valeat collatio pro-
pter irregularitatem præcedentem, iuxta doctrinam Innocentij bene in-
tellectam, & communiter receptam in cap. cum nostris. de concess. præb.
& facit cap. clerici. cum gloss. & ei adnot. de cler. excommun. ministr.

AD TERTIAM respondetur, quod tenetur ad restitutionem eo
modo, quo impediens aliquem ab officio, vel beneficio consequendo te-
netur, iuxta tradita in prædicto Manu. cap. 17. à nu. 69. Quoniam Petro
erat ius ad rem quæsitum in beneficio coram Deo, & in foro conscien-
tiæ. Quare plurimum interest animæ salutis Ioannis cōuenire quam op-
timum modo potuerit, cum Petro, ita vt maneat intentus, modo caueat om-
nino ne quidquam soluat ratione promissionis pensionis prædictæ. Salua.

S V M M A R I V M.

- 1 *Simonia est promittere pensionem soluere, si inueniatur imposita super al-
tero beneficio permutato.*

CONSILIVM IV.

DVo volentes sua beneficia permutare conuenerunt, quod, si vllum
illorum beneficiorum inueniretur grauatum aliqua pensione, is, cuius
erat illud ante permutationem, solueret illam pensionem. Consecuta per-
mutatione, auctoritate ordinarij, nulla de præfato pacto facta mentione,
post

post sesquiannum apparuit alterum illorum esse grauatum pensione 15. ducato. Queritur, an interuenerit simonia, & quid sit agendum.

- I Respondeo, certum esse, quod interuenit simonia saltem conuentionalis, quia interuenit pactum, quod fuit medium faciendæ permutationis, & omne tale efficit renuntiationem, collationem, & permutationem simoniacam, c. quâ pio. 2. q. 1. c. si. de pact. Secundo responderetur, quod præfata simonia fuit tantum conuentionalis, & non realis, quia promissio de soluendo pensionem casu, quo inueniretur imposita, nondum est executæ. Nec obstat, quod renuntiationes, & collationes ad permutationem necessariæ fuerint utrinque factæ: quia illæ non inducebant simoniam, sed solum promissio de soluendo pensionem, quæ nondum est impleta: & ita non peruenit ad simoniam realem per ea, quæ scripsimus in Manual. Confessat. c. 23. nu. 106. Tertio, quod præfati D. consulentes cauere debent, ne ullatenus is, qui debebat pensionem ante permutationem, soluat illam antequam impetretur à Papa facultas id faciendi, quam puto facile concessum iri.

S V M M A R I V M.

- I *Annatam soluere debet, non renuntians beneficium, sed renuntiatarius.*
 2 *Simoniaca indicabitur pactio, ut resignatarius quid pro resignante soluat.*

C O N S I L I V M V.

Sunt duo sacerdotes, quorum alter vult renuntiare beneficium suum in manibus Papæ, reseruata sibi pensione, quæ illi placuerit; sed non habet unde soluat annatam. Alter vult donare pure, & gratuite id, quod est necessarium ad soluendam illam; si absque peccato fieri potest. Respondet quidam eruditus, quod sic, si nulla alia de causa, quam subuentionis eleuandæ paupertatis id faceret. Queritur an sit iusta responsio.

- I Respondeo primo, quod in argumento, siue factio, præsupponitur vnum falsum, scilicet annatam esse soluendam à renuntiante beneficium: quod tamen non est verum; quia immo est soluenda à renuntiatario, licet compositio, quæ soluitur pro pensionis impositione, debeat solui ab eo, cui reseruatur, saltem si voluerit expedire litteras. Secundo, quod in foro exteriori iudicabuntur ambo simoniatici, argu. c. quam pio. 1. q. 2. & c. fin. de pact. Tertio, quod etiam videtur aliud falsum in factio præsupponi, scilicet, quod resignatarius vult gratuito dono donare resignanti, vel soluere pro eo annatam siue compositionem; cum tamen etiam præsupponat quod non solueret eam si renuntiaret, in fauorem alterius; & ita non solum vult soluere

soluere illa: quia Titius est pauper; sed etiam eo, quod vult resignare beneficium in fauorem suum. Quarto, quod præfatus D. consultor recte respondet quoad forum conscientię sub conditione, si renuntiatarius soluit dictam pecuniam nõ alia de causa; nisi &c. Attamen conditio non purificatur, cum renuntiatarius velit soluere illam pecuniam non solum, vt paupertatem Titij subleuet, sed etiam vt renuntiet in fauorem eius, vt palam est.

S V M M A R I V M.

- 1 *Papæ beneplacitum omni pœna saltem temporali excusat, si sequatur. num. 4.*
- 1 *Vexatio in beneficio possessione adeptæ, & nullo præcedente pacto redimi potest. num. 4.*
- 2 *Simonia est omnis conuentio dandi spirituale pro temporali.*
- 2 *Pactio omnis, & conuentio in spiritualibus simoniata.*
- 3 *Simoniaci sunt paciscentes, vt se mutuo iuuent in lite beneficali, & qui obtinuerit alteri pensionem soluat.*
- 3 *Pensio beneficalis, nec constitui, nec redimi potest in scio Papæ.*
- 4 *Renuntiatio beneficij simoniaca est nulla.*

C O N S I L I V M VI.

DVo litigantes super quodam beneficio, quod vterque per statuta foundationis sibi debitum contendebat, superuenientibus alijs litigatoribus eadem ratione sibi debitum contendentibus conuenerunt, vt sese mutuo iuarent contra alios, & alteruter eorum qui obtineret alteri constitueret certam pensionem, & impensę essent communes. quæ omnia excepta pœna pecuniaria sub qua se ad id obligabant beneplacito Papæ subdiderunt, ita quod sine illo nulla essent, & communibus impensis beneplacitum impetraretur. Post quæ alter eorum altero desistente obtinuit victoriam, & possessionem pacificam adeptus præfatam pensionem noluit alteri constituere, nec soluere; sed vt alter à minis litigandi, quas faciebat, cessaret, dedit ei 500. Iulios pro impensis, & laboribus ante, & post prædictam conuentionem factis ante beneplacitum Papæ impetratum, quod postea non curauerunt impetrare. Quæritur, an vllam pœnam simonię incurrerint.

- 1 Pro parte negante facit primo, quod omnia conuenta fuerunt supposita beneplacito Papæ, quod secundum receptam sententiam excusat ab omni pœna saltem temporali, vt traditur in *Manua. Confes. cap. 23. n. 108.*

Secun-

Secundo, quod licet cuique suam vexationem redimere, saltem post quæstam possessionē pacificam, cap. dilectus 1. de simon. & qui præfatos iulios dedit, habebat illam pacificam, & alter minabatur ei litem. Tertio, quod neuter illorum quæsiuit, vel reliquit spirituale pro temporali, nec contra temporale pro spirituali: nam sine vlla alterius sui iuris renuntiatione alter obtinuit sententiam, & possessionem pacificam. & constat simoniam esse emptionem, siue contractum non gratuitum dandi spirituale pro temporale, iuxta gloss. recep. in summa 1. q. 1.

Pro contraria tamen parti facit primo, quod omnis pactio, siue conuentio super spiritualibus videtur simoniaca, cap. quam pio, 1. q. 2. & c. fin. de pactis. & negari non potest præfatum conuentionem fuisse factā super beneficio spirituali, quo duo sese iuuarent contra alios in litigādo, & quod qui obtineret solueret, vel constitueret alteri certam pensionem. Secundo, quod vterque putabat non licere sibi ita conuenire, nisi cum beneplacito Papæ, quod non erat necessarium, si nulla simonia, incurreret. Tertio, quod promissio illa pensionis faciendā ob auxilium accipiendum in litigando super beneficio non potest excusari a simonia, tenendo, vt omnes tenent, non posse quem vendere, vel constituere pensionem super beneficio suo, nec iam debitam, & constitutam redimere, sine Papæ auctoritate, secundum plerosque omnes, & recte, licet Caiet. quem quidam secuti sunt, sed male, contra in hoc teneat: aliud enim est quem remittere gratis pensionem sibi debitam, quod licet, aliud redimere pensionem a se debitam pecunia, quod non licet, & damnatur ex stylo Curie, qui facit ius, cap. quam graui, de crimine falsi. & cap. ex literis de const. Nō obstant opposita tū pro parte negatæ formata: non primum: Tum quia non fuerunt omnia subiecta voluntati Papæ: quia voluerunt, vt pœna sub qua se obligauerunt valeret, esto non accederet beneplacitum Papæ. Tum quia, vt probatur in Manual. cap. 23. num. 108. in fine beneplacitum Papæ non excusat, nisi postea quam fuerit præstitum: qui enim promittit dare centum pro beneficio sibi conferendo, si placuerit Papæ, & non alias, & soluit illa pro ipso ei collato antequam placeat Papæ, non excusatur a pœna simoniæ: nam positum sub conditione nihil operatur ante illius euentum §. omnis institui. de verb. oblig. & cap. si pro te de rescri. li. 6. Non obstat secundum oppositum: quia, licet datio illorum iuliorum fuit facta post adeptam possessionem pacificam, promissio tamen de soluenda pensione, ob adiutorium, & impensas communes longe antea facta fuit, vt in facto proponitur, & datio illa non fuisset subsecuta, nisi pactio illa, & adiutorium præcessisset. Non obstat etiam tertium, quia ad essentiam simoniæ non requiritur necessario, vt aliquid iuris spiritualis adquiratur, vel perdatur pro temporali: satis enim est, quod detur, vel accipiatur temporale pro spirituali: qui enim renuntiat beneficium suum pro mille scutis, nihil iuris spiritualis quæ-

lis quærit, vel perdit, quia renuntiatio non valet secundum Innoc. in c. cum vniuersorum, de rerum permut. & decis. Rotæ 7. in auth. eod. tit. & tamen committit simoniam secundum omnes. Item qui vendit beneficium alteri sine superioris auctoritate, simoniam grauissimam admittit, & tamen nihil iuris spiritualis perdit, vel quærit, quia nemo potest suum beneficium transferre in alium, neque relinquere, ita vt vacet absque superioris auctoritate, cap. quod in dubijs, & cap. admonet de renuntia.

Concludo igitur primo, quod conuentio præfata proculdubio fuit simoniaca simonia conuentionali, quatenus non fuit quoad pœnam subiecta beneplacito Papæ, & quatenus fuit datum, & acceptum adiutorium promissum ab vna parte antequam beneplacitum Papæ impetraretur, iuxta 4. fundamentum.

Secundo concludo, quod dubitati potest an præfata simonia fuerit realis, & videtur non esse: quia illa tantum dicitur realis, quæ ab vtraque parte completa est, vt post alios resoluitur in Manual. cap. 23. & licet vnus præfatorum pro sua parte impleuerit, alter tamen nõ impleuit, quia non imposuit pensionem, nec voluit soluere illam post beneficij consecutionem, & præfatos iulios dedit pro impensis, & pro redimenda vexatione iniusta, quam probabiliter timebat. Quare sequitur, nullas pœnas incurrisse contra simoniacos latas.

S V M M A R I V M.

1. *Consuetudo capiendi vnum scutum pro subscriptione provisionis non excusat secretarium.*
2. *Notarius non potest magis capere pro calamo, quam Episcopus pro ordinatione.*

C O N S I L I V M VII.

Quæritur, vtrum tuta conscientia Romæ a Secretario Cardinalis, cum ibi ita consuetudo vigeat, possit accipere scutum vnum pro subscriptione, & registratura bullæ provisionis beneficij ecclesiastici, quamuis nullum alium laborem in huiusmodi bulla habeat. Item pro impressione, seu appensione, sigilli in supradicta bulla alterum scutum accipi possit, cum & ita se consuetudo habeat, cumque Conc. Trid. neque c. 14. sess. 24. neque c. 1. sess. 22. de hoc aliquod decreuerit?

1. *Ad duas quæstiones præmissas videtur respondendum negative. Tum quia prædictum cap. 14. sess. 24. expresse habet, ne quid accipiatur pro institutionibus, vel collationibus beneficiorum. Tum quia idem latius iuratur*

betur cap. ex multis 1. q. 3. & cap. instituat, cap. cum in ecclesiæ, & cap. Iacobus. de simon. quæ probant non licere quidquam accipere pro collationibus beneficiorum, etiam in pios vsus conuertendum, quamuis quantum ad hoc prædictum Concil. Trident. limitauerit illa. Tum quia
 2 cap. 1. de simo. & cap. sicut episcopum, 1. q. 2. statuitur, ne notarius magis capiat pro calamo, quam Episcopus pro ordinatione, & institutione. Tum quia prædictum Concilium Trident. innouauit omnia iura antiqua, & ita licet in desuetudinem abiissent, reuixerunt tamen, & sunt hodie valida. Tum quia prædictum Concil. declarauit, nullam consuetudinem etiam immemorabilem contra hæc quidquam valere. Cum itaque consuetudo nihil proffit, & iura antiqua, quæ hoc prohibent, sint innouata per nouissimum, quod idem prohibet, consequens est non licere supradicta.

S V M M A R I V M.

- 1 *Simoniam est dare beneficium, vt illud sibi, vel alij reseruata pensione resignet.*
- 2 *Error circa ius humanum obscurum, & difficile non est mortale.*

CONSILIVM VIII.

Cardinalis quidem habens indultum ad conferendum beneficia cuiusdam ecclesiæ, vacante quodam canonicatu eiusdem contulit illud cuidam familiari nobili, dicendo, vt daret eum alteri reseruata sibi pensione centum scutorum, & si maior pensio constitui posset illa reseruabitur alteri, qui familiaris acceptauit illum, & quia erat litigiosus renuntiavit illum per concordiam colliganti, reseruata sibi pensione centum scutorum cum voluntate, vt reliqua maior pensio, quæ imponi posset, reseruaretur, cui vellet Cardinalis. Quæritur, an fuerit admilla simonia, etiam realis?

1 Pro parte negante facit, quod non videtur interuenire vlla pactio, sed tantum quædam admonitio, & significatio modi, quo posset habere familiaris pensionem prædictam, & quod non videtur fuisse executæ voluntas Cardinalis, quia renuntiatio non fuit facta, vt ipse volebat, & in eum, quem ipse elegisset, si lis non fuisset consecuta.

Pro parte vero affirmante, facit, quod familiaris consensit voluntati Cardinalis, volentis, vt canonicatus renuntiaretur, renuntianti reseruaretur illa pensio immo, & altera alteri; Item quod licet non fuerit executæ voluntas Cardinalis in totum, fuit tamen executæ, quod ad partem,

- quod videtur sufficere, per ea quæ scripsimus in Manu. cap. 23. num. 105. & denique, quia cum pactum sit duorum in idem consensus, l. 1. ff. de pact. & in casu proposito D. Cardinalis consenserit in hoc, vt ipse conferret canoniam familiari, & familiaris renuntiaret illam reseruando sibi pensionem centum, & alteri quidquid amplius posset reseruari, non potest negari interuenisse in hoc pactum, & consequenter simoniam conuentionalem, & cum ex parte Cardinalis fuerit completa in totum, & ex parte familiaris saltem pro parte, consequitur eam fuisse realem, per ea quæ in dicto num. 105. scripsimus. Quare respondendum videtur, vt consulens porrigat summo pœnitentiario petitionem contentam in scheda, quam ad me misit, addendo in fine illius sequentia verba, si per verba Latina voluerit eam porrigere; sin autem, per verba Italica: Attento quod prædicta simonia adeo subtilis videtur, quod a paucis, nisi valde eruditus iudicabitur esse talis, & ideo orator non iudicauit eam fuisse talem, & quod non est simonia a iure naturali, vel diuino prohibita, sed solum iure humano, canonico indicta, & quod error circa ius humanum obscurum & difficile intellectu non est peccatum mortale, secundum Innoc. c. per tuas il. 2. de simonia, receptum a Felino, & alijs relatis per eum cap. 1. col. pen. de re iud. Attento denique quod huiusmodi consensus inter conferentes, & familiares, quibus conferunt, solent interuenire quasi quædam gratiarum actiones sine cogitatu simoniæ.

S V M M A R I V M.

- 1 *Renuntiatio minus principaliter spe gratitudinis, etiam sine qua non fieret illa, non est simonia.*
- 1 *Simoniam non est dare spirituale minus principaliter ob temporale, nec contra.*
- 2 *Debitum, quod non est legale, sed antidorale, non habet vim pretij.*
- 2 *Simoniam non est resignare spirituale ob amicitiam consequendam, sperando mediate aliquod temporale.*
- 3 *Causa sine qua non, non semper est principalis.*
- 4 *Beneficium acquirendi spe, pr. relatis seruire licet.*

CONSILIVM IX.

Simoniam an sit renuntiatio beneficij facta principaliter, vt idoneo conferatur, & secundario cum spe quod erit gratus, & quid vbi erat talis, quod sine ipsa renuntiaret?

- 1 **AD PRIMAM QUÆSTIONEM**, respondeo non esse simoniacum

niacum resignantem suum beneficium principaliter, vt detur alicui idoneo, cum spe minus principali concepta, quod erit ei gratus, sine qua non renuntiaret. Nec contra erit simoniacus, qui recepit beneficium ex renuntiatione huiusmodi. Tum quia non est simonia dare, vel facere aliquid spirituale minus principaliter, ob aliquod temporale, nec contra dare vel facere aliquod temporale minus principaliter pro spirituali, vt per plura exempla declaramus in Man. cap. 23. num. 100. vers. quinto. Tum quia in eodem cap. num. 106. determinamus verius esse, quod intentio renuntiandi, & tollendi obligationem antidoralem non inducit simoniam, quia debitum, quod non est legale, sed tantum antidorale, non habet vim pretij, vt colligitur ex D. Tho. 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad secundum ergo nec intentio inducendi debitum antidorale inducet simoniam, quia quod operatur propositum in proposito, operatur oppositum in opposito, l. & si contra taleas ff. de vulg. & cap. sciendum 8. q. 1. Tum quia simonia nulla committitur, eo quod quis per huiusmodi renuntiationem, vel illius acceptationem principaliter, & immediate velit quærere beneuolentiam, & amicitiam, quæ sunt bona inæstimabilia, qualia licet quærere ex spiritualium collatione, & actione, etiam sperando mediate, & minus principaliter aliquod temporale ex illa beneuolentia, & amicitia, & contra, licet clare facere aliquod temporale principaliter ad quærendam beneuolentiam, & amicitiam, quæ sunt bona inæstimabilia, sperando ex eo mediate, & minus principaliter aliquid spirituale donum, vel factum, vt efficaciter colligitur ex vtroque Thom. in dict. quæst. 78. art. 2. arguendo ab vsura ad simoniam, quæ est fundamentalis ratio limitationis, qua Felin. in cap. ad audientiam il. 2. de rescript. num. 10, limitauit Innoc. in cap. tuam de ætat. & qual. immo & eius, quod nos adieciimus illi vbi supra in dict. num. 106.

3 AD SECVNDAM, videlicet an causa alicuius actionis dicatur principalis eo solum, quod est causa talis, quod non fieret actus, si illa non interueniret. Ad quam, quia eius decisio videtur esse radix, & fundamentum multorum aliorum nunquam non contingentium, paulo latius respondendo dico primo, quod vt in com. cap. cum minister. 23. q. 5. num. 27. probauimus, non est bona definitio illa Bart. in l. 2. §. fin. ff. de donat. qua definit, causam principalem esse causam, qua cessante cessat effectus. Tum quia multis causis minus principalibus, sine quibus actus non fieret, conuenit. Tum quia secundum eam omnis causa, quæ appellatur sine qua non, esset principalis, quod est falsum secundum omnes. Tum quia multi sacrifici dicunt Missas sancte, & sine simonia, quas non dicerent, si pitantiæ solitæ non darentur eis, vt in hac specie dixit Maior in 4. dist. 21. q. 1. & ante illum sensit D. Thom. quodlib. 8. art. 2. dicens, quod bene facit clericus surgens principaliter ad horas propter deum, licet minus principaliter surgat propter distributiones,

quas ob id lucratur, etiam si non surgeret ad illas, nisi sciret se illas lucraturum. Tum quia alioquin nulla fere actio esset bona, siue virtuosa; quia paucae sunt collatione aliarum, quae praeter solum Deum, & solam virtutem fierent, si nulla speraretur retributio, iuxta illud: *Quis virtutem amplectitur vnā, si prēmia tollas*. Tum quia gloss. in cap. cum esset de sim. cap. constituit. 74. dist. & cap. ad nostram. de elect. quae habent licere seruire praelato minus principaliter ob beneficia, procedunt etiam in illis, qui non seruirent, si alias illa non sperarent. Tum quia Urbanus Papa in cap. si officia. 59. dist. & Caest. in cap. quid proderit. 61. dist. determinarunt, licere clericis seruire Deo in ecclesiis ob spem ascendendi ad dignitates earum; immo Gelasius in c. consulere. 74. dist. dixit, eos ad hunc ascensum spe maioris commodi compellendos. intellexerunt etiam de illis, qui non seruissent praedictis ecclesiis, nisi illa sperarent. Tum denique quia alioqui oportet dicere, omnes fere clericos, quantumlibet religiosos inferuientes summis, & alijs inferioribus Pontif. sperantes aliqua sacerdotia, de quorum fructibus tandem sustententur, esse simoniacos, cum pauci eorum, ita pure seruiant, quod seruirent eis, etiam si talia non sperarent, quod est maxime absurdum. Haec satis raptim, & tumultuarie dicta submitto cuiusvis melius sentientis censurae.

S V M M A R I V M.

- 1 *Simonia est mutare pecunias patrono, vt presentet aliquem.*
- 2 *Simonia conuenientialis, non reddit quem priuatum, sed priuandum beneficium.*
- 3 *Beneficij collatio facta criminoso valet, nisi ex eo sit inhabilis.*
- 3 *Pœna nulla ipso iure incurritur, nisi exprimatur.*
- 4 *Simoniam ratificans illius pœnas non incurrit.*
- 5 *Finis diuersus speciei diuersitatem inducit.*
- 6 *Confessio, nisi in delictis diuidi non debet.*
- 7 *Ratificatio in delictis etiam simoniae locum habet.*
- 8 *Causa minus principalis, & impulsua simoniam non inducit.*
- 8 *Donare aliquid sancte potest quis ei, qui sui amore deliquit.*
- 9 *Promissum pro delicto faciendo eo sequuto sic iuste solui potest.*
- 10 *Simoniacus promotus, soluens, quod pro se à mediatore solutum est.*
- 11 *Præsumitur nemo ita iactare bona sua, vt stultus reputetur.*

CONSILIVM X.

Patronus Cathedralis, Episcopo tunc ægotante promissit L. presentare, & L. cognatus rogatus à patrono, vt in gratiam praedictae promissio-

missionis aliquam summam pecuniarum concederet, eam tradidit, sed patronus antequam L. præsentaret, obiit, & promissio nullum habuit effectum, & L. rogatus a cognato dictam summam, ne damnū sentiret, ei soluit. Quæritur, an L. factus sit inhabilis ad alium Episcopatum, seu beneficia obtinendum?

1 Pro resolutione huius dubij dico duo. vnum primo, certum esse quod prædictus patronus, & cognatus admiserunt simoniã, cap. de hoc. de sim.

Secundo, quòd simonia illa non fuit realis, per quam incurruntur censuræ, & alia pœnæ ipso iure, quas nos tetigimus in Manu. Confess. ca. 23. num. 111.

2 Tertio, quòd prædicta simonia fuit conventionalis, tantum ab vna parte solium completa: & ita punibilis, & ob eam posset quis priuari beneficio etiam iam habito; vt dicitur in dicto Manu. vbi sup. nu. 103.

Quarto, quòd nulla simonia conventionalis tantum facit quem ipso iure inhabilem ad beneficia, licet ob eam per sententiam posset inhabilitari, vt tangitur in dicto nu. 103.

3 Quinto, quòd collatio talis simoniace facta, & electio de illo celebrata ipso iure valent, vt elicitur ex dictis in illo nu. Et quia quicquid inuoluat Felin. in cap. fin. de præsumpt. & in cap. querelam. de iureiur. & in cap. 2. post princ. de rescri. & alii alibi, veritas est, quòd collatio facta criminoso ipso iure valet; nisi quando crimen est tale, quod inducit ipso iure irregularitatem, vel inhabilitatem expresse per ea, quæ ipsemet Felin. citat, & scribit retractans prius à se dicta in d. cap. 2. nu. 4. vers. sed contrariam, & irrefragabiliter probari potest per illa, quæ ibi tangit ipse, & citati ab eo in suis locis, & per illam reg. gloss. recep. in cap. fi. de iur. patr. scilicet, quod nulla pœna incurritur ipso iure nisi in casibus expressis in eo.

4 Sexto, quod consequitur hæc prædictum Lucam, etiam si esset verum, quod admisisset simoniam prædictam per ratificationem, tamen non esset excommunicatus, non suspensus, non irregularis, neque inhabilis ipso iure ad vllum beneficium; & quod collatio illi facta, & electio seu præsentatio de illo celebrata ipso iure valeret, & sine vlla dispensatione retinere posset: quamuis iudex causa cognita posset eum priuare iure per ea sibi quæsito.

Alterum vero est, quod per ea, quæ contra ipsum proponuntur, & adducuntur, non est dicendum, quod ipse admisisset simoniam præfatam; & iam conuentionalem tantum. Primo quidem, quia ipse non admisit eam per se, vt præsupponitur in facto. Secundo, quod non probatur satis eum ratificasse illam. Non enim probatur aliud, quam quod soluit Cognato pecuniam, quam contemplatione ipsius dederat patrono, ne retrocederet à promissione Episcopatus facta prædicto Lucæ, eo sine ne cognatus afficeretur damno propter amorem eius. Per quod non probatur eum ratificasse simoniam admissam à cognato. Primo quidem, quod à diuersis

non fit illatio l. Papinianus. ff. de minor. & cap. ad audientiam. de decim. At aliud est ratificare simoniam à cognato commissam : & aliud soluere illi pecuniam ab ipso datam, non eo fine, vt approbaret simoniam à Cognato commissam: sed longe alio, videlicet, ne pateretur iacturam ob id, quòd amice fecit. quorum diuersitas constat ex eo, quòd sunt diuersi actus, diuersæ personæ, diuersa tempora, & diuersi fines principales. Quæ quatuor, præsertim vltimum, inducunt speciei diuersitatem, iuxta S. Thomam 1. 2. q. 7. & 19. Deinde, quòd in dubio non est præsumendum delictum, cap. 2. de reg. iuris. & l. merito. ff. pro socio. At solutio prædicta potuit fieri bene, nobiliter, & meritorie; & etiam male & vitiose. Ergo præsumendum est, quòd fuit facta bene, nobiliter, & meritorie. Tertio, quòd de solutione illa per solam confessionem præfati Lucæ constat. At confessio eius est qualificata, cum qualitate, quòd fecit illam prædicto fine. Ergo, quantum constat, quòd fuit facta, tantum constat, quòd fuit illo fine facta; quia confessio qualificata non potest ita diuidi, vt acceptetur confessio qualitate reiecta, secundum Bar. receptum in l. Aurelius. §. idem quæsiuit. ff. de liber. leg. quàm sequitur Panor. in cap. bonæ. in 2. sub fin. de postul. prælat. & in cap. cum venissent. notab. 8. de instit. Quarto, quòd nõ obstat, quòd Bart. ibi limitat suum dictum, quando præsumptio iuris esset contra sic confitentem, vt quia confitetur delictum, puta homicidium cum qualitate, quòd ad suam defensionem fecit; quia in nostro casu agitur de confessione actus, quòd in se nõ est delictum, puta homicidium cum qualitate, quòd per se est delictum; Bart. aurem de confitente actum, qui per se est delictum, sicut in simili in ijs quæ per se sunt delicta præsumitur in dubio malus animus, cap. 1. de præsumpt. in ijs autem, quæ non sunt delicta in dubio præsumitur bonus per iura citata. Quinto, non obstat, quòd ratificatio habet locum in delictis, cap. cum quis. de sent. excomm. etiam in simonia, cap. penul. cum gloss. in verb. ratum habente. de elect. quia negamus in nostro casu vllatenus fuisse ratificatam simoniam: quia illa fuit commissæ in dando pecuniam, vt ad Episcopatum præsentaretur Lucas, quòd non ratificauit ipse: sed solum soluit pecuniam sic datam, vt non pateretur iacturam amicus, quòd longe aliud est, quam ratificare simoniam in dando illam pecuniam commissam: præsertim quòd iam omnis spes, & finis habendi Episcopatum per illam promissionem esset adempta; & nequeat præsumi, quòd soluit in finem, in quem data fuit, scilicet ne promissio reuocaretur, quum iam esset omnino irrecuperabiliter delata. Sexto, quòd non obstat, quòd præfatus Lucas non soluisset illam pecuniam, nisi data fuisset ob causam prædictam, quia hoc solum arguit, quòd illa datio fuit causa impulsua soluendi; non tamen finalis & principalis: & causa talis impulsua non inducit simoniam, vt per plura exempla probatur in dicto Manu. cap. 23. nu. 100. vers. Quinto, quòd. Septimo, quòd potest quis iuste, & sancte dare aliquid alicui pro recompensatione damni, quòd

quod suscepit delinquendo pro illo, vel pro subsidio vitæ, illi, qui pro suo amore peccauit, proponendo pro finali, & principali causa virtutem, charitatem, & misericordiam, per asserta in d. Manu. cap. 17. nu. 41. potest enim quis dare subsidium vitæ ob amorem Dei principaliter illi, qui ob amorē suum occidit aliquem, & vertit solum; quod nō dedisset, nisi illud damnum pro eius amore suscepisset, nullatenus approbando, neque ratificando maleficium, quod pro eo fecit. Qui etiā promissit aliquid, vt quod piam maleficium faceret, consequto maleficio, licite posset soluere illi promissum; non quidem vi promissionis, nec ratificationis malefici; sed in eleemosynam, & subsidium paupertatis suæ, & conseruationem sui honoris: quod pulchre ante nos dixit Caietan. 2. 2. q. 62. art. 5. ita quod promissio illa mala, vel delictum amore ipsius factum, non sint causa principalis illius doni; sed solum causa sine qua non; sic prædictus Lucas potuit reddere præfatam pecuniam prædicto suo cognato, non quidem principaliter tanquam debitam iustitia legali, neque tanquam datam pro simonia; sed tanquam insumptam ob amorem eius, intendendo pro fine principali amicitiam, & sui honoris conseruationem, & gratitudinem, quam merebatur ille amor, quo motus fuit ad dandam illam prædictus cognatus; licet datio illa sibi displiceret, & eam damnaret. Octauo, quod non obstat c. sicut tuis. de simon. quatenus probat, eum qui soluit vel reddit pecuniam pro sua promotione se ignorante, & etiā inuito data, reputari simoniacum. Tum quia illud agit de promotio, nos autem loquimur de nullatenus promotio; nec ob eam simoniam promouendo. Tum quia illud agit de illo, qui probatur aliunde, soluisse vel reddidisse pecuniam; nos autem de illo, quem non constat aliunde soluisse, quam per suam confessionem qualifica tam circumstantia principalis finis, quod sine bono lōge alio, quam ratificationis soluisset, qualem solutionem nemo potest asserere fuisse malam. Nono, quod nemo præsumitur ita iactare bona sua, vt reputari debeat imprudens, & omnino stultus, l. cum de indebito. ff. de probati. & si præfatus Lucas præsumeretur ratificasse præfatam simoniam, præsumeretur vanus, imprudens, & stultus: quia sine vlla spe, & specie boni, honesti, vtilis, delectabilis, suā pecuniam iactasset; quum fecisset actū malum sine vlla spe promotionis factæ, vel faciendæ, nec voluptatis, vel vtilitatis inde manatis, cum iā promissor, & promissio penitus interijisset.

Cum igitur præfatus Lucas ignorasset simoniam præfatam, donec permittens, & promissio interijset, nihilq. fuerit asequutus, nec speret asequi, quique simoniam illam postquam sciuit nullatenus approbauerit expresse; nec constet eum fecisse aliquem actum, per quem præsumi debeat ratificasse illā; immo actus qui ei obijcitur sit ita bene qualificatus, vt debeat laudari potius, quam vituperari cum feratur esse Abbas in primis, & primariæ nobilitatis, quem plurimum decebat facere illum actū principaliter ad conseruandum honorem suum, & amicitiam tantum ma-

gnatis, credendum est fecisse illud ad hunc finem principaliter, & non ad ratificandum sine vlla spe simoniam, vt sua fide testatur, consequitur nullam ob hoc debere pati repulsam.

S V M M A R I V M.

- 1 *Simonia est resignare beneficium litigiosum, vt resignatarius euicta lite pensionis constitutioni consentiat.*
- 1 *Simonia in beneficio ignorantes non ligat, sed data scientia illud dimittant.*
- 2 *Prouisio noua ob simoniam temporis, & fructuum meminisse debet.*
- 2 *Resignans beneficium sola intentione, vt detur N. non est simoniacus.*
- 3 *Canonicatus, & dignitas in eadem ecclesia sunt compatibilia.*

CONSILIVM XI.

Resignauit quidam suum beneficium litigiosum, sub conuentione tamen, quod euicta lite assignationi certæ pensionis consentire, & soluere resignanti teneretur prouisus consensit assignationi, sed pensionem nõ soluit. Quæritur, an sit simonia realis vtraque ex parte cõpleta, ita vt si nouam impetret prouisionem sit necesse fructus perceptos insinuare?

Quæritur, etiam, an si in manibus ordinarij Episcopi resignauit beneficium absque facto, sed ex intentione ad effectum, vt detur, seu conferatur, N. & ordinarius acceptata resignatione contulit N. beneficium, an illud valeat retinere?

Item, an absque dispensatione vnus canonicatum, & dignitatem in eadem ecclesia habere valeat?

- 1 **AD PRIOREM QVÆSTIONEM** respondeo primo, petitionem illam fuisse simoniacam, & quod licet a principio tantum fuisset conuentionalis, postea tamen subsequente victoria, & resignatione cum reservatione pensionis, facta fuit realis, iuxta ea, quæ post alios scripsimus in Manua. cap. 23. a num. 100. Secundo, quod simonia illa, quia fuit facta ignorantibus prædictis resignante, & resignatario, non fecit eos incidere in censuras, iuxta cap. de simoniace, & cap. de regular. de simon. attamen effecit, vt obligarentur ad renuntiandum sic adeptis.
- 2 cum primum isti nouissent, per ead. cap. & adnotata eis. Tertio, quod ex his inferatur eos, quo possint ea iuste tenere, debere supplicare Sanctissimo D. N. vt liceat eis illa retinere facta mentione de tempore, quo ea post prædictam notitiam tenuerunt, & fructuum quos perceperunt.

AD

AD SECUNDAM, quod plurimum refert an sola intentio animi absque pacto, & conuentione interuenisset, an etiam pactum, & conuentio: nam si sola intentio interuenisset, nihil obstinisset, & essent salua simul omnia, per ea, quæ post D. Antoninum dixi in Man. cap. 23. num. 103. & 107. si autem interuenisset conuentio, & pactum, & procurator habuisset mandatum ad sic paciscendum, censeretur simoniacus, & censuris ligatus prædictus consulens iam inde a renuntiatione, collatione, & pensionis constitutione factis, arg. cap. qui per alium, de reg. iur. lib. 6. & cap. mulieres, de sententia excommunic. nec prodesset scientia ordinarij, licet esset Cardinalis, quia nullus inferior Papa potest auctoritate sua efficere, vt conuentio simoniaca non sit talis, per tradita in Man. vbi supra num. 107. si autem procurator non habebat mandatum speciale ad sic paciscendum, solum censeretur obligatus ad renuntiaandum, vel ad obtinendum facultatem iuste retinendi a Sanctissimo D. N. a tempore, quo nouit, ita factum fuisse, iuxta dicta supra in questione prima.

- 3 AD TERTIAM, quod iure communi non vetatur quis habere canonicatum, & dignitatem in eadem ecclesia, immo permittitur, arg. cap. cum olim. de re iud. quia non est statutum de illis, vt non possint simul retineri, sicut de incompatilibus, de quibus in cap. de multa, de præben. & extrauag. execrabilis. Ioan. XXII. eod. tit.

S V M M A R I V M .

- 1 *Simonia vt sit, an vere spirituale pro temporali sit dandum num. 4.*
- 2 *Conatus facere pœnam contra facientem positam non incurrit.*
- 2 *Mortuum iugulans, viuum iugulare putans, non fit irregularis.*
- 3 *Simoniaca omnis conditio rei spiritualis traditioni apposita, saltem si iure non inest.*
- 4 *Simonia vt sit, sufficit voluntas emendi spirituale.*
- 5 *Promittens instrumento publico 100. vt conferatur sibi beneficium animo ea non soluendi, non committit simoniam.*
- 6 *Simonia, cum promissum principaliter intenditur, instrumenti traditione non fit realis.*

C O N S I L I V M XII.

IS, ad quem pertinebat collatio cuiusdam beneficij vacantis, indubie credebat debere se centum Petro petenti sibi conferri illud beneficiũ, & pretius etiam certo credebat deberi sibi illa 100. & conueniunt ambo, vt

bo, vt Petrus remitteret, & donaret illud debitum collatori beneficij, & quod ipse conferret illud eidem remissione facta per D. Petrum. collator conulit ei beneficium, collato illo constitit collatorem nihil debuiffe Petro. Quæritur an interuenit in hoc casu simonia, & qualis.

- 1 Pro parte negante, quod nulla in hoc casu interuenit simonia. facit primo, quod ad hoc, vt interueniat illa, requiritur, vt aliquod temporale detur pro spiritali, vel contra aliquod spiritali pro temporali, iuxta definitionem simoniæ positam in summa 1. q. 1. receptam communiter a S. Thom. & alijs in 4. dist. 25. & ab eodem 2. 2. q. 100. declaratam a nobis in Manu. Confess. cap. 23. a num. 100. & in casu proposito nil temporale fuit datum pro spiritali; quia reuera nihil debebat collator, & ita reuera nil fuit remissum, vel donatum. Secundo, quod, qui tentat facere aliquid, quod vere non facit, non incurrit pœnam contra facientem illud impositam, vt qui percutit clericum credens esse laicum non est excommunicatus, iuxta gloss. Panor. & alios in cap. 1. de sentent. excomm. neque qui iugulat hominem mortuum, putans se iugulare viuum, est irregularis, vt tradimus in Manual. Confess. cap. 27. nu. 219. post Arch. in cap. si quis 15. q. 1.

- 3 Pro parte vero affirmante, quod interuenerit simonia, facit primo, quod omnis traditio rei spiritalis facta mediante aliqua conuentione, aut conditione, saltem tali, quæ iure non inest, dicitur simoniaca, cap. quam pio, 1. q. 2. & cap. cum pridem. & cap. fin. de pactis, & constat in hoc casu traditam fuisse rem spiritaliæ præmissa conuentione, & cõditione remissionis, & donationis, quæ consequuta fuit.

- 4 Secundo, quod simonia est voluntas studiosa emendi, vel vendendi aliquod spiritali, vel spiritali annexum, iuxta gloss. prædictam in summa 1. q. 1. idest voluntas quærendi aliquod spiritali per contractum non gratuitum, vt nos declaramus vbi supra, & ita non requiritur ad essentiam simoniæ, quod detur aliquod temporale pro spiritali; quia sufficit, vt interueniat voluntas emendi, siue quærendi non gratuito aliquid spiritali, quod constat hic interuenisse.

Pro resolutione dico primo, negari non posse interuenisse in hoc casu aliquam simoniam per rationes pro parte affirmante factas. nec obstant rationes pro parte affirmante factas. nec obstant rationes pro parte negante adductæ, quia soluuntur per rationem secundam pro parte affirmante adductam, qua probatur ad essentiam simoniæ sufficere voluntatem quærendi spiritali per contractum non gratuitum, quod hic contigit.

- 5 Secundo, quod ad dicendum, quod non fuit simonia realis, multum facit decisio illa Caiet. in 2. tom. tract. 9. q. 2. de simon. relata a nobis in prædict. Man. cap. 23. num. 106. scilicet quod promittens in instrumento publico 100. scuta alteri, vt conferat sibi beneficium sine vilo animo emendi illud, nec soluendi illa, non committit simoniam. quod ipsum
illum

illum secutus dixit Sotus lib. 9. q. 5. art. 1. de iust. & iure. facit inquam eo quod etiam in nostro casu, licet interuenisset auctoritas remitteandi, & donandi, vere tamen nihil fuit donatum, vel remissum. Facit, secundo, quod ad simoniam realem requiritur, quod conuentio fuerit completa pro vtraque parte, vt traditur in d. Manu. cap. 23. num. 105. & in hoc casu licet conuentio fuerit completa ex parte collatoris, non tamen videtur impleta ex parte collatarij, quia vere nihil remisit, vel donauit, licet putauerit se donasse.

Sed ad dicendum, quod sit realis, facit primo, quod nos tenuimus ibi firma ratione contra Caiet. Deinde facit id, quod nos ibidem subiecimus, videlicet, quod esset simonia realis conuentio, qua conuenirent duo, vnus ad dandum spirituale, alter ad dandum instrumentum promissionis 100. si alter daret spirituale promissum, & alter aderet instrumentum eiusmodi promissum, etiam si nunquam solueret: & in casu proposito conuentum fuit de dando beneficio, si alter chirographum remissionis traderet, quod tradidit. Sed pro solutione prioris horum facit, quod nos tenuimus con. Caiet. dicendo, quod non esset simonia realis, sed quod esset tantum simonia conuentionalis. Pro solutione autem posterioris facit id, quod nos statim ibidem subiecimus, videlicet quod non completur simonia realis propter traditionem instrumenti de soluendo factum ab eo, qui daturus est temporale, quando is, qui traditurus est spirituale, principaliter considerat quod promittitur, & minus principaliter instrumentum ad solam probationem promissionis id exposuit. quod in nostro casu videtur contigisse, quia in eo collator principaliter desiderauit remitti, & donari sibi, quod putabat debere: & minus principaliter chirographum tantum ad hoc, quod probaret, si opus esset remissum esse sibi debitum. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Simoniam realem omnem beneficiale dispensationem annullat.*
- 2 *Beneficium dans, vt temporale quid accipiat, simoniacus. num. 6.*
- 3 *Simoniacus accipiens quid pro litteris collationis, sicut pro collatione.*
- 4 *Iniustitiæ maximum peccatum peccat, Episcopus, tentiam partem fructuum sibi soluere faciens pro litteris collationis.*
- 5 *Iniustitiæ peccata iniuste acceptum restituere obligant.*
- 6 *Iura omnia simoniam vetantia innouata, & per non usum tolli nequeunt.*

DE Episcopo accipiente pro expeditione litterarū collationis beneficij tertiam partem fructuū illius; an id iure facere possit, ita vt collatio valeat.

- 1 Respondetur primo, quod omnis beneficij collatio, prouisio, confirmatio, electio, præsentatio, & quælibet alia dispositio simoniaca simonia realis est ipso iure nulla, per Extrauag. 2. de simon. & plurimos antiquos canones, quos pro singulis modis prædictis prouidendi, & alijs multis citat Cosmas in glossa Concil. Bituricen. in tit. de annatis, in princ. per quæ, & per tradita à nobis post alios in Man. Confess. cap. 23. nu. 103. & 111. id colligitur.
- 2 Secundo, quod omnis, qui tradit spirituale beneficium per modos supradictos, & alios, & accipit aliquod temporale pro illa traditione, committit simoniam realem; si ab vtraque parte compleatur, saltem in parte traditio, & acceptio per prædicta.
- 3 Tertio, quod omnis, qui accipit aliquod temporale pro expeditione litterarum collationis, prouisionis, confirmationis, præsentationis, electionis, vel cuiuslibet alius dispositionis beneficialis præfatarum traditionum censetur accipere pro traditione illa spirituali, ad cuius probationem litteræ expediuntur. Tum, quod non solum committitur simonia, accipiendo aliquid pro traditione rei spiritualis, sed etiam accipiendo aliquid pro eo, quod est annexum rei spirituali, vt patet ex definitione simoniæ data à gloss. 1. q. 1. in summa, quam nos profunde declaramus in d. Manu. vbi sup. nu. 100. & constat expeditionem litterarum ad probandum collationem, vel aliam traditionem rei spiritualis, esse quid annexum rei spirituali ex eo, quod de illarum iustitia & valore non potest cognoscere iudex secularis, arg. cap. quanto. de iud. cum ei adnot. Tū, quod sophistica, falsa, inusitata, & puerilis interpretatio est, dicere, quod liceat accipere pro litteris titulorum beneficiorum spiritualium, & non pro titulis ipsis. Tum per cap. 1. de simon. quod cum multis ei concordantibus clare definit ordinantem Episcopum, qui capit ab ordinato aliquid pro pastellis, & litteris ordinationum esse simoniacum: quia censetur capere pro traditione ordinum, & eadem ratione qui capit aliquid pro litteris, vel expeditione litterarum, quibus probanda est traditio beneficij per aliquem modum tradendi, est simoniacus. tum quod valor solarum litterarum expeditionis sine respectu ad traditionem rei spiritualis non valet vno scuto, neque dimidiato, neque quandoque vno iulio: copia enim simplex litterarum expeditionis tanti valet in sua substantia, quanti valent litteræ tituli originalis sine respectu ad traditionem rei spiritualis. Et constat valere parum ipsam copiam simplicem. Nam palam est pro vno iulio extra-

hic

hi copiam simplicem originalis scripturæ, & ita grande peccatum mortale esset iniustitiæ accipere pro substantia literarum expeditionis tertiã partem fructuum cõtra legem naturalem contentam in 7. præcepto Decalogi, quod est iuris naturalis, & alia præcepta, vt declarat Sanct. Thom. in 1. 2. q. 100. art. 1. & 8. & sentit in 2. 2. q. 122. art. 1. Et cõsequenter teneretur restituere illam, cum omnia peccata iniustitiæ obligent ad restituendum iniuste acceptum per c. peccatum. de reg. iur. lib. 6. & cap. si res aliena. 14. q. 6. & nos latius tradimus in d. Man. cap. 17. num. 7. & in tract. de redditibus eccles. q. 2. nu. 12. & 7. tum quod pretium scripturæ literarum est aliud a tertia parte, quam accipitur pro annata: quia illud soluitur notario, hæc vero Episcopo, & consequenter non potest dici eam accipi pro pretio literarum, sed pro traditione tituli. Cui cõsequens est, illam acceptionem esse simoniacam, & esto non esset simoniaca, esset tamen peccatum mortale iniustitiæ inducens restituendi obligationem.

6 Quarto, quod negari non potest id esse vetitum per Conc. Trid. in c. 14. de reform. sess. 24. quo simoniaci reputantur omnes modi conferendi, instituendi, & prouidendi spirtualia beneficia accipiendo aliquid temporale pro illis.

Quinto, quod etiam non prodest Episcopo dicere, sublatam esse legalem constitutionem per non vsum. Tum quia declaratio illa fuit præfata Conc. conformis, cum aliquantula illius relaxatione: quia per illud vetatur, ne quidquam accipiatur, & constitutio permittit accipere duos aureos. Tum quod iura simoniacam labem vetantia nõ possunt tolli per non vsum, quia sunt conformia iuri diuino, & naturali, contra quem præscribi non potest, vt late notatur per omnes in cap. fin. de consuet. tum quod ad tollendam legem canonicam receptam requiruntur 40. anni, vt late tradit post alios Felin. in cap. 1. de treg. & pace. num. 7. & à præfata Conc. nondum sunt lapsi 22. anni. Tum quod Concil. innouauit omnia iura statuta contra simoniacam labem, & innouauit etiam insueta contra illud in c. 14. non obstantibus contrarijs, etiam consuetudinibus immemorabilibus. Per quæ omnia satis superque monstratur non licere prædicto Episcopo percipere prædictam tertiam partem, & teneri eum restituere ea, quæ percepit, nisi remissionẽ, vel condonationem aliquam iustam consequatur. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Resignationis publicationi literarum expeditio non sufficit.
- 2 Nullitas actus a simonia pœna non excusat.
- 3 Renuntiatio simoniaca realiter est ipso iure nulla.
- 4 Papa legem suam sic reuocare potest, vt ea inde secuta sint nulla.
- 5 Extrauagans Pij V. de public. resign. in hoc correctã.

CON-

CONSILIUM XIV.

A Et B. conuenerunt, vt B. procuraret, & esset mediator, vt frater eius renuntiaret quendam canonicatum in fauorem A. & quod A. renuntiaret in fauorem B. vnum beneficium simplex, & A. & frater B. dederunt mandata ad resignanda illa beneficia, prout conuenerant, nulla facta mentione de pacto, & conuentione præcedenti: & resignationes fuerunt factæ, & literæ expeditæ, & A. non fuit asscetus possessionem canonicatus, quia erat litigiosus, & vertebatur lis super eo; nec B. publicauit resignationem factam in suum fauorem, & ob id illa resignatio fuit nulla. Dubitatur à quo tempore vacauerint illa prædicta beneficia, ad effectum, vt dicatur realis, vel conuentionalis simonia.

- 1 Videtur respondendum primo, quod propositio casus primo aspectu potest cuipiam videri dubia, & sibi repugnans. Tum quia habet literas fuisse expeditas, & non fuisse factam publicationem: Tum quia nihil proponit de omissione publicationis renuntiationis canonicatus, sed solum de omissione publicationis beneficij simplicis. Sed responderi potest ad primam rationem, quod non sufficit ad publicationem, quod literæ sint expeditæ, & quod requiruntur alia contenta in Extrauag. Pij V. Ad secundam autem responderi potest id fuisse per incuriam omisum, vel quia interrogantem non angit, quantum altera.
- 2 Secundo, quòd præsupposito quod neutra renuntiatio fuit publicata, videtur dicendum ambas præfatas renuntiationes, & prouisiones fuisse simoniacas, & partes principales, quæ præfatam simoniam sciuerunt, incidisse in censuras Extrauag. 2. de simon. quia præfata simonia fuit non solum mentalis, & conuentionalis; sed etiam realis, eo, quòd ab vtraque parte fuit completa. Nec obstat, quod fuerint nullæ. Tum quia omnes renuntiationes interueniente simonia reali sunt nullam. Tum quia tempore, quo fuerunt factæ, non fuerunt nullæ ex alia causa, quam simonia; licet postea per omissionem publicationis literarum annullata sit renuntiatio beneficij simplicis.
- 3 Tertio, quòd neutrum illorum beneficiorum vacauit per renuntiationem; quia renūtiatio simoniaca realiter est ipso iure nulla, per Extrauag. 2. de simon. & per talem renuntiationem non transfertur ius in eum, in cuius fauorem fit illa, nec vacat etiam in præiudicium ipsius renuntiantis, vt determinauit Rora decis. 7. de renuntia. in antiq. post Innoc. communiter receptum in cap. cum vniuersorum. de rerum permutatio.
- 4 Quarto, quod si neutra literarum prædictarum fuerunt publicatæ, prout disponit præfata Extrauagans Pij V. potest affirmari vnum paradoxum mirabile, nempe, quod nulli eorum, qui per præfatas renuntiationes simoniacas inciderunt in censuras, indigent absolutione ab illis; quia præ-

præfata Extrauagans disponit, vt præfatæ renuntiationes non publicatę nullum effectum fortiantur, per hæc verba. *Alioqui, &c.* Potestas enim Papę tanta est in his, quæ sunt simpliciter iuris positiuæ, quod potest reuo care legem præteritam; ita vt habeatur pro infecta, sic, quod effectus pro ducti ab ea sint omnino nulli: & quod, etiam si aliquis eorum fuerit ex communicatus, non indiget absolute, vt ait gloss. sing. per illum tex. irrefragabilem Clem. 1. de immu. Ecclesiarum communiter recep. ibi & per Fel. in cap. 1. nu. 23. de constit. & aliorum alibi & præfata Extra uagans Pii V. per præfata verba habet, præfatas renuntiationes, & etiam extensiones consensuum pro infectis, & nullius roboris esse, cum omni bus inde sequentis, pro quo facit etiam stylus curiæ, qui habet, renun tiationes, & prouisiones virtute illarum à Papa factas nullius esse mo menti, nullumque producere effectum, donec extendatur consensus, & extenso illo sic, non solum à tempore extensionis, sed etiam à tempore datæ renuntiationis, admissionis, & prouisionis, quod est etiam aliud mi rabile paradoxum ignotum antiquis Canonibus, & comminiscens in eos, & omnibus Academijis, in quibus ipse prælegi, donec venirem ad Urbem.

Quinto, quod vterque renuntiantium potest iure suo antiquo vti eo modo, ac si non renuntiaffet; & quod præfata beneficia non vacarunt, nec eorum collatio præcedens indiget aliqua reformatione sui tituli, quod est consequens prædictis. Quod procedit secundum præfatam Ex trauag. Pii V. hodie tamen per Extrauag. Gregorij xiiij. secus est di cendum.

Sexto, quod si renuntiatio Canonici fuit publicata, indigent tam resignator illius, quam resignatarius, quæ etiam mediator, absolute, & dispensatione irregularitatis, si celebrarunt: quoniam illi excommu nicationem incurrerunt, & illa non tollitur per Extrauag. Pii, annullan tis consequuta virtute renuntiationis non publicatę; quia publicata fuit.

S V M M A R I V M.

- 1 Procurans alicui simoniaci, vel inhabili beneficium fructus ab eo male im pensos restituat. num. 3.
- 1 Pecunia pro beneficio data ecclesie iniuriam passæ restituenda.
- 2 Collatio beneficij indigno facta non valet.
- 3 Damni qui est causa, illud dedisse videtur.
- 4 Magistratus malum tutorem nominans, vt tenetur pupillo, ita beneficium indigno conferens tenetur Ecclesie.

5 *Fructus beneficij vacantis primo illud canonica habenti debentur.*

6 *Simonia aliena eam ignorantibus non nocet, nisi & c.*

C O N S I L I U M XV.

Nobilis procuravit, ut beneficium ecclesiasticum conferretur B. inhabili, & indigno, pacto adiecto inter eos, ut ipse B. teneretur postea illud renuntiare, fructusque restituere cuidam ipsius N. nepoti, prout factum fuit. Quæritur quid iuris?

Resolutio huius dubij videtur pendere a decisione illius, an procurans simoniace alicui beneficium teneatur restituere fructus ab illo male perceptos. Ad quod videtur dicendum primo, quod non teneatur restituere, si fructus illi fuerunt conuersi in utilitatem ecclesiæ, vel pauperum: quia videntur recte impensi, & quia restitutio, si esset necessaria, videretur eis facienda, nam cap. de hoc, de simon. quod iubere videtur pecuniam pro beneficio dadam esse restituendam ecc. cui facta est iniuria, intelligendum est de pecunia simoniace data, & non de pecunia, & fructibus quæsitis ex beneficio, vel alia ex simoniacæ quæsitæ, ut colligitur ex eius contextu, & annotatis ei per gloss. & doct.

2 Secundo dicendum, quod idem est dicendum de hoc nobili, quod de quolibet alio, qui est causa ut beneficium detur alicui indigno, vel inhabili, ita ut collatio non valeat, nec quærat illi ius in beneficio, arg. l. illud ff. ad l. Aquil. quia eadem ratio militat in omnibus, quum quilibet eorum sit causa, ut is, cui collatum est, male percipiat, & male dispendat fructus beneficij male sibi collati.

3 Tertio, quod stricto iure quilibet horum tenetur restituere fructus male perceptos, & male impensos ab illo indigno, & inhabili, si ille non restituerit. Tum quia omnis, qui est causa alicuius damni, sine qua illud non daretur, videtur illud dare, & saltem non restituente damnnum principali auctore tenetur restituere, cap. fin. de iniuri. & l. qui occidit. ff. ad l. Aquil. Tum quia secundum S. Thom. communiter recept. 2. 2. q. 62. art. 7. & omnes in 4. dist. 15. quorum nos meminimus in Manual. c. 11. num. 25. & latius cap. 17. num. 17. nouem personas aliæ a principali contentæ illo disticho,

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,

Participans, mutus, non obstant, non manifestant.

4 peccant ut ipse, & sex tenentur ad restitutionem eorum, quæ sibi obenerunt, vel quorum causa fuerunt, ipso non restituente, puta iubens, consulens, contentiens simpliciter, recipiens, laudans, & participans. Et negari non potest, hunc, de quo in casu proposito, fuisse consulendo, vel consentiendo, causam, sine qua ille non percepisset, nec dispendisset male fructus. Tum quia sicut Magistratus malum tutorem nominans tenetur

tur restituere damna per illum illata pupillo in subsidium, si tutor non restituat. l. 1. & tot. tit. ff. de mag. conuen. & sicut tenens seruum nemum tenetur de damno ab eo dato, adeo quod non satisfacit dando seruum. pro noxa, l. si seruus. §. Proculus. ff. ad legem Aquil. cum alijs ibi citatis per gloss. ita conferens beneficia indigno non solum peccat, iuxta cap. graue. de præb. & cap. perpetuo. de elect. lib. 6. sed etiam tenetur restituere damnnum ab eo datum, vt probat Cosmas in proœm. pragm. sanct. §. nam ecclesiarum. verb. indignorum, & in tit. de elect. §. & quoniam. verb. scientes. & quo ad propositum paria sunt conferre, & ita procurare, vt conferatur, cum procuratio sit causa collationis, sine qua non conferretur, per supradicta; qualis fuit procuratio, de qua in proposito. Tum denique, quod hic nobilis potest dici participasse de præfatis fructibus, quia fuerunt dati eius nepoti mediante facto ipsius, & ita videtur percepisse per illum à se nominatum, iuxta regulam, qui per alium. de reg. iur. lib. 6.

- 5 Quarto, quod dici posset, omnes hos tres, scilicet illum, qui recepit illud beneficium, & nobilem, qui fuit causa illius malæ collationis, & etiam nepotem, ad quem venerunt fructus, excusari à restitutione, ea consideratione, quam nos probauimus in Com. cap. non liceat. 12. q. 2. §. 12. num. 4. post declarationem cap. cum vos. de offic. ord. & cap. præsent. eodem tit. lib. 6. & cap. quia saepe. de elect. eodem lib. scilicet, quod fructus beneficij vacantis de iure, & non de facto pertinent ad eum, qui primo fuerit illud canonicè consequutus. Et cum præfatum beneficium vacaret de iure, licet non de facto, per totum præfatum tempus fructus eius pertinebant ad eum, qui primo illud beneficium canonicè obtineret: & præfatus nepos, cui præfati fructus fuerunt traditi, fuit primus, qui canonicè saltem ex parte sua illud obtinuit, & consequenter omnes illi pertinuerunt ad eum, & debuissent ei restitui, etiam si alijs fuissent dati. obijcienti autem, quod collatio ei facta videatur simoniaca propter pactum patris in initum cū præfato B. præcessore eius, responderi posset quod
- 6 id ignorabat nepos; & simonia aliena non nocet eam ignorantem, nisi quo ad hoc, vt teneatur renunciare beneficium, cum primum eam rescierit, 1. q. 4. cap. iam itaque, & cap. turbatur, §. non itaque. & cap. ex insinuatione, & cap. nobis. adiuncto cap. de simoniace. de simon. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Consulens sufficienter peritos excusatur, etiam quod id sit humana lege vetitum.*
- 2 *Simonia quidem, si sit in ordine, vel beneficio, habet annexam excommunicationem;*

O

cationem, alias non; unde non ligantur simoniaci in pensione, sicut nec in iurepatronatus. & num. 5.

- 3 *Pensio, etsi cum vita pensionarij extingatur, tamen quia non ita per eius mortem vacat, vt alteri sit beneficiorum more conferenda, non est beneficium, nec eius appellatione venit, præsertim in dispositione pænali.*
- 3 *Iuspatronatus vendens, simoniam committit, sed non excommunicatur.*
- 4 *Pensionem per confidentiam in alium transferens non incurrit pœnas extrauag.*
- 4 *Intentio principalis disponentis ex proœmio colligitur.*
- 5 *Confidentia super beneficijs commissa omnia inde secuta annullat.*
- 6 *Pensio res est temporalis, à qua ad spiritualem non licet arguere.*

CONSILIVM XVI.

Quidam pensionarius habens facultatem transferendi pensionem, quam habebat super beneficio à Papa constitutam, & volens vt tenens illud beneficium redimeret illam, transtulit eam in quendam familiarem suum, ad id dolo quodam modo inductus, eo pacto, vt postea ipse caperet pretium redemptionis, & daret primo pensionario, prius tamen facta iussione præfato familiari, vt interrogaret viros in ea re doctissimos, an id fieri posset absque vitio simoniæ, vel cōfidentie damnatæ per Pium III. & Piũ V. & responso ab ipsomet familiari reddito, se consuluisse viros eiusdem rei callentissimos, & respondisse quod sic. Quæritur an præfatus N. incurrerit pœnas statutas contra committentes simoniam, & confidentiam illicitam super beneficijs.

- 1 Respondeo primo, quod præfatus pensionarius non peccauit in præfata translatione, quia id fecit bona fide, credens id sibi licere probabiliter, & iuste; quia qui facit aliquid, quod iure naturali non est illicitum, de quo dubitat, an lege aliqua humana sit prohibitum, & super ea re consulit viros in ea sufficienter peritos, qui consulunt id esse licitum, non peccat faciendo illud, etiam si vere non esset iustum, & lege aliqua humana vetitum. *tex. est adiuncta gloss. 2. & doct. Panor. ibi recepta in cap. capellanus. de ferijs. nu. 6. & tradit D. Anton. in 1. parte, tit. 3. ca. 10. col. 6. quem nos quoque retulimus, & secuti fuimus in Manu. conf. cap. 27. num. 284. & num. 288. & ante illos id generalius dixit Innoc. in cap. per tuas. il 2. de simon. quod confirmatur per multa, quæ congerit Fel. in cap. 1. de re iud. nu. 15. vers. limita septimo.*
- 2 Secundo, quod in casu proposito non potuit interuenire simonia vlla, quæ ipso iure inducat excommunicationem, vel aliquam aliam censuram. Tum quia extrauag. 2. de simon. inter communes, quæ inducit excommunicationem ipso iure incurrendam contra simoniacos, habet locum solũ in simonia commissa in beneficio, & ordine, & non in simonia commissa super alijs rebus spiritualibus, vel annexis eis, vt colligitur ex contextu illius

3 Ius, & præ ceteris testatur Caiet. in sum. verb. excommunicatio. cap. 72. quod nos quoque affirmauimus in d. Manu. conf. ca. 27. nu. 106. At pensio, quæ non datur in titulum, sed ad vitam pensionarij, ita vt per mortem non vacet ad hoc, vt conferatur alij tanquam beneficium vacans, non est beneficium, secundum Card. recept. ab omnib. in clem. 1. de supple. negl. prælat. & tradit Gig. in q. 1. de pensio. & ideo non venit pensio appellatione beneficij, c. quamuis. de præb. lib. 6. & secundum Hostien. & com. cap. postulasti. de rescript. & trad. præfat. Gig. vbi supra q. 18. præsertim in dispositione pœnali, qualis est præfata extrauag. 2. de simon. arg. cap. pœnæ. de pœnit. dist. 1. & l. interpretatione. ff. de pœn. cum similib. Tum quia alias in Prætório sacræ Pœnitentiariæ definitum fuit, eum, qui committeret simoniam emendo, vel permutando ius patronatus, iuxta not. in cap. de iure vero. de iure patron. non incurrere excommunicationem illius extrauag. modo non fuisset commissa in præsentando; quia non esset commissa super beneficio, neque super ordine.

4 Tertio, quod præfatus pensionarius non incurrit confidentiam damnatam per bullas prædictorū Pij III. & Pij V. quia illæ solū damnant simoniam circa beneficia commissa, vt colligitur ex toto contextu præfatarum bullarum, quas nos referimus in præfat. Man. ca. 23. nu. 110. præsertim ex procemijs illarum, quæ palam monstrant factas fuisse ad tollendam corruptelam fiduciarie, siue confidentiariæ mancipationis beneficiorum: & constat ex procemio dispositionis colligi causam finalem, & intentionem principalem disponentis, qua cessante, cessat effectus, iuxta l. fin. ff. de hered. instit. colligitur etiam ex verb. huiusmodi, in eisdem bullis replicato, quod est restrictiuum, l. huiusmodi. ff. de leg. 1. & restringit eas

5 ad confidentiam beneficiale[m] supra relatam. Nec obstat, quod per eadem bullas decernitur esse nullas pensiones, accessus, & regressus, quæ imponuntur super beneficijs, quæ resignantur, vel conferuntur per confidentiam beneficiale[m] damnatā. Tum quia à diuersis, & separatis non fit illatio, l. Papinianus. ff. de minor. & ca. ad audientiam. de decim. & aliud est ita damnare collationem, vel renūciationem beneficiale[m], vt omnia deinde sint nulla, quod faciunt illæ extrauag. & aliud est damnare confidentiam pensionalem, nulla beneficij præcedente collatione, neque renunciatione cōfidentiali, vt palam est. Tum quia alia ratio suadet illud, quod non suadet hoc: ratio enim, qua pensiones, accessus, & regressus concessi super beneficijs per damnatam confidentiam collatis, & resignatis annihilantur, est, quia accessorium debet sequi naturam sui principalis, cap. accessorius. de reg. iur. lib. 6. & ita pensiones, accessus, & regressus accessorij præfatarum resignationum, & collationum confidentialium non poterant subsistere, illis non subsistentibus; quæ ratio non habet locum in confidentia traslationis pensionis iam rite constitutæ. Tum quia præfatæ extrauag. solum loquuntur de renunciationibus, electionibus, præsentationibus

tationibus; & alijs modis prouidendi beneficia ecclesiastica, statuendo quod illi per confidentiam facti sint nulli cum omnibus inde sequentibus: nos autem loquimur de translatione pensionis rite constitutæ, quæ translatio non fundatur super vlla mala confidentiali prouisione; & ita sumus in casu longe remoto à casibus præfatarum bullarum, cum translatio pensionis rite constitutæ nihil commune habeat cum confidentia mala prouidendi beneficia. Tum quia alioquin sequeretur quod si præfatus pensionarius remitteret ei, qui debet pensionem vnus anni, confidens, quod alio anno solueret aliquid vltra pensionem illius anni, incideret in pœnas præfatæ confidentiæ damnatæ, quod est absurdum, & nemo diceret, l. nam quod absurdum. ff. de bonis liber. Tum denique, quod pensio secundum Card. vbi supra recep. est in se res temporaria, & non licet arguere de confidentia rei spiritualis, quale est beneficium, iuxta cap. dilectio. de præb. adeo quidem, quod nec per somnium id venit in mentem præfatorum Priorum, &c.

S V M M A R I V M.

1. *Simonia est soluere pensionem antiquam impediendi expeditionem literarum.*
1. *Beneficiarius dare potest aliquid molestanti de facto, vt ius quæsitum & possessum seruet.*
2. *Possessio beneficii res spiritualis, vel spirituali annexa.*

CONSILIVM XVII.

AN prouisus à Papa, & impeditus ad instantiam pensionarij, qui habet pensionem antiquam super beneficio impositam, expedire bullas, antequam soluat pensiones decursas, possit eas iuste soluere, vt expeditis bullis capiat possessionem?

1. Ad hanc quæstionem respondeo, quod non; quia committeretur peccatum simoniæ: quoniam, quamuis liceat beneficiario pro iure spirituali iam quæsito, & possessio conseruando dare aliquid temporale molestatori de facto, vt videretur probare ca. dilectus. 1. de simonia, & gloss. ca. decimas. 16. q. 7. super verbo decimas. non tamen licet dare aliquid temporale pro iure spirituali quærendo, neque pro quæsito nondum possessio conseruando, vt finis præfatæ gloss. asserit, & Panor. resoluit in dict. cap. dilectus. nu. 4. eo quod possessio beneficii spiritualis est res spiritualis, vel quid annexum spirituali: & dare aliquid temporale pro quærendo aliquid spirituale, vel ei annexum, est simonia, iuxta glossam receptam 1. q. 1. in sum. quæ probatur in cap. 1. de iur. patron. Et ideo præfatus D. consulens caueat, ne quid promittat, vel det præfato impediendi suarum literarum, quibus apprehendenda est possessio, expeditionem, abiq; Sanctiss. D. N. auctoritate, vel licentia.

S V M M A R I V M.

- 1 *Simonia conuentionalis ab vtraque parte completa fit realis.*
- 2 *Absolutus ab omnibus virtute Iubilei etiam abolitus est absolutus.*
- 3 *Irregularitas per Iubilea, vel Cruciatam non tollitur.*
- 4 *Fieri consueta probabiliter præsumi possunt.*
- 4 *Titulus per simoniam quasitus est nullus.*
- 5 *Excommunicatus bona fide celebrans non efficitur irregularis.*

CONSILIVM XVIII.

Quæritur quid dicendum sit de illo qui habuit beneficium per renuntiationem infectam confidentiam ante bullam Pij IIII. contra confidentias in beneficijs, & reliquit illud ante bullam Pij V. infecti item simonia conuentionali quæ facta fuit realis postea per solutionem fructuum promissorum renuntianti, & quid si is obtinuit aliud beneficium?

- 1 Ad hanc quæstionem respondeo sequentia. Primum, quod consulens recte fecisset si fructus promissos non soluisset ei, qui renuntiauit beneficium in suum fauorem, ne simonia quæ tunc erat conuentionalis tantum fieret realis, per ea quæ post alios diximus nos in Manu. Confess. cap. 23. 101.
- 2 Secundo, quod si præfatus D. Consulens postquam soluit aliquos fructus, & consequenter post completam etiam pro parte sua simoniam, ante tamen quam diceret missam, vel vteretur ordine aliquo sacro, fuit absolutus per aliquod Iubileum plenissimum, vel virtute bullæ Cruciatæ, quæ ad id se extenderet, non fuit effectus irregularis, quia præcessit absolutio celebrationem. quod fundari potest per ea, quæ nos diximus in Manu. Confess. cap. 26. num. 13. adiunctis illis quæ dixeramus cap. 9. de absolutione data excommunicato, & quod absolutio etiam iniusta data ab habente potestatem absoluendi valet, cap. venerabilibus §. vbi de sent. excomm. lib. 6. Dixi, *post solutos aliquos fructus*, quia absolutio anterior nõ potuit prodesse, quoniam nondũ erat nata excommunicatio, nam nondum erat simonia facta realis, nec prodest dicere quod iam fuit absolutus a peccato simoniæ, quod iam præcesserat, quia non potuit absolui a peccato futuro quod admisit postea approbando simoniam præteritam per solutionem fructuum ante conuentam. Dixi etiam, *si fuit absolutus post aliquos fructus solutos, & antequam missaret, vel aliquo sacro ordine vteretur*, quoniam posterior absolutio delere quidem potuisset ex-

3 communicationem iam incurfam, non tamen impedire irregularitatem iam contractam, ad quam non se extendunt præfatæ bullæ, neque Iubilea, vt nos diximus in præfato Manual. cap. 27. num. 193. & latius num. 250.

Tertio, quod sequendo dictum præcedens posset dici, quod si præfatus Consulens postquam soluit aliquid præfatorum fructuum antequam missaret, fuit confessus per reconciliationem tali confessatio, qui in absoluendo a peccatis utebatur illa absoluendi forma, quam ego in præfato Manu. cap. 26. num. 9. admoneo, puta quod ante absolutionem a peccatis præmittatur absolutio generalis a quibuscunque censuris, si quibus teneris, a quibus ego te possum absoluere, etiam posse inquam dici quod præfatus Consulens posset credere se fuisse absolutum, credendo quod
4 fuit absolutus a suis peccatis præmissa illa generali absolutione, & consequenter quod non incurrit irregularitatem, quoniam consueta fieri probabiliter præsumi possunt esse facta l. fin. ff. de fideiuss. & cap. cum M. de constit. cum late ibi per Fel. traditis.

Quarto, quod non potest saluari valor tituli quem per renuntiationem illam simoniacam habuit præfatus Consulens, & consequenter quod tenetur restituere fructus illos male perceptos pauperibus vel operibus pijs, & credo sufficere iuuare aliquas cognatas pauperes pro sua charitate aliqua doris parte, vel cognatos scholasticos prætendentes sacerdotium, vel per bullam compositionis.

Quinto, quod puto præfato consulentem immunem esse a pœnis confidentiæ, propter ea, quæ nos scribimus in d. Man. cap. 23. num. 109.

5 Sexto, quod posset dici præfatum consulentem non incurrisse irregularitatem etiã si missasset, & post solutos fructus, & ante absolutionem præfatam, attentata ignorantia, & bona fide, & quod simonia præfata erat iuris humani, & quod vt ait Inno. cap. per tuas il 2. de simon. quem & multos alios refert, & sequitur Fel. in cap. 1. num. 15. de re iud. quod errans circa ius obscurum difficile intelligibile excusatur, & quod Abb. dixit cap. pastoralis, & verum de appella. quod irregularitas non contrahitur sine dolo, quod ipsum dixit etiam Domin. cap. solet de sent. excomm. lib. 6.

Septimo, quod si Consulens alterum beneficium quod habet obtinuit ante præfatam simoniam, potest illud retinere saltem in foro cōscientiæ, & etiam si obtinuit postea credendo quod irregularitatem non contraxit, non autem credendo quod irregularitatem contraxit quid autem debet credere, ex prædictis colligere licet.

S V M M A R I V M.

- 1 *Simoniaca est conuentio, & si per eam promittens nihil perdat, nec promissario queratur.*
- 2 *Simonia est promittere pensionem literis non expeditis soluere.*
- 3 *Simonias tot quis committit quot init pactiones, & absolutio formalis, vel equipollens pro singulis necessaria.*

C O N S I L I V M X I X .

Petrus resignauit quoddam suum beneficium in fauorem Octauij, & præter tres pactiones illicitas, & simoniacas, adiecit quartam, scilicet, ut dictus Octauius teneretur soluere sibi pensionem, etiam literis non expeditis, & obtenta fuit absolutio super tribus pactiõibus prioribus tacita quarta. Queritur an illa censeatur simoniaca; ita vt gratiam annuller, attento, quod nihil deperit promittenti, nec promissario acquiritur; & an tot incurrant excommunicationes, quot pacta fuerunt adiecta, ita vt tot requirantur absolutiones, quot fuerunt excommunicationes incurse?

- 1 Respondeo, quod etsi disputando præfatus Octauius saluari possit à simonia respectu quartæ pactiõis: consulendo tamen non auderem ipse illam saluare. Tum quia ad hoc vt pactum sit simoniacum in materia beneficiaria, non oportet, mea sententia, vt fiat pactum, quo per illud aliquid pereat promittenti, & aliquid acquiratur promissario: quidquid sentiat Feli. in cap. venias. 1. de testibus, laudando Panormit. qui hoc videtur ibi dixisse, vt ponit exemplum de illo, qui exceptionem declinatoriam fori opponit: nam si quis conferret beneficium alicui, vel præsentaret ad illud cum pacto, vt non opponeret exceptionem declinatoriam fori conferenti, præsentanti, vel alteri, simoniam profecto committere diceretur. Tum quia negari non potest pactam de soluenda pensione ad constitutum B. sine literarum Apostolicarum expeditione esse pactum cõmodans pensionario, & incommodans pensionem soluturo, vel quoad ius fori, animæ, vel fori exterioris, vel faciliorem sua natura reddens pensionis receptionem, siue recuperationem. quod satis videtur ad inducendam simoniam; arg. cap. quam pio. 1. q. 2. c. fin. de pactis. Tum quia quamuis considerationes sublimes, & subtiles partem aduersam colorent, subtilitate tamen sua attenuantur, & solui possunt. Tum quia facile defendi potest, & iuris rigori propius videtur, tot esse simonias, quot fuerunt pacta simoniaca, totque absolutiones esse necessarias, quot sunt

excommunicationes per eorum singula incurſæ formaliter, vel æquipol-
lenter, vel vnam, quæ extendatur ad quatuor excommunicationes. Tum
denique, quod, etiam ſi dicatur vnam ſolam excommunicationem fuiſſe
ortam ex illis quatuor paſſionibus, illa tamen non tolletur tota, donec
abſolutio queratur omnibus cauſis expreſſis, vt excommunicatio lata ob
multas cauſas copulatiue non tollitur niſi per abſolutionem responden-
tem ad omnes illas, iuxta cap. ex parte. de officio ordin. quare arbitror
præfatum Octauium egere quodam perinde valere, ac ſi præfata quar-
ta paſſio fuiſſet expreſſa: ſatis tamen eſſet referre quartam, cum relatio-
ne generali ad alias contentas in gratia ſupplenda, quia narrata in gratia
informata videntur narrata in gratia reformante.

S V M M A R I V M.

- 1 Collatio beneficij cum pacto, vt dimidium fructuum alij detur, ſimoniaca.
- 2 Differentia inter Papam, & inferiores quando cenſentur contra ius diſpenſare

CONSILIVM XX.

Quæritur an committatur ſimonia realis in caſu, quo Episcopus
conferat vnum beneficium ſimplex cuidam, cum pacto, & condi-
tione, vt dimidium fructuum daret alteri, & ille acceptet il-
lam collationem cum prædicto pacto, & conditione, & capta poſſeſſio-
ne det dimidium fructuum eius alteri?

- 1 Reſpondeo, quod Panor. expreſſe dixit, cap. 1. notab. 13. eccleſiaſti-
ca beneficia ſine diminuti. quod conferens alicui beneficium cum pacto,
vel conditione, vt aliqua pars fructuum ſibi detur, committit ſimoniam;
& eadem eſt ratio, quod facit pactum, vel ponat conditionem, quod ali-
qua pars fructuum detur alteri. Tum quia omne pactum, & omnis mo-
dus, & conditio (quæ iure non ineſt) adiecta collationi beneficij efficit
eam ſimoniacam, cap. quam pio, 1. q. 2. cap. fin. de pactis, & facit gloſ-
ſa ſollemnis in c. dudum, verbo, libere, de præbend. lib. 6. & hic ap-
ponitur collationi præfata conditio, vel modus. Tum quia non poſſu-
mus dicere quod Episcopus adiſciedo præfata conditionem voluit im-
ponere penſionem: quia non dixit illud Episcopus, & cum Episcopus
vult facere aliquid contra ius commune, etiam in caſu in quo id facere
poſteſt, non videtur illud facere velle, niſi id exprimat: illa enim eſt di-
fferentia ſollemnis inter Papam, & inferiores, quod Papa faciēdo aliquid,
quod non poſteſt valere propter aliquem defectum iuris, niſi diſpenſet,
ſi ſcit illum defectum, videtur tacite diſpenſare, non autem inferior eo,
niſi

nisi expresse dicat se dispensare. Quæ est doctrina Panor. recept. in cap. diuersis fallacijs de clericis coniugat. quam colligit ex concordia duorum dictorum Innocentij in cap. veniens. de fil. presbyt. & dict. cap. diuersis fallacijs. Et ita cum imponere pensionem beneficio sit contra ius regulare, cap. extirpandæ, de præbend. Episcopus non potest id sine iusta causa facere, nec videtur velle pensionem imponere, nisi id exprimat. Tum quia aliud est imponere pensionem super beneficio, & aliud facere collationem conditionalem, vel modalem, & in casu proposito fuit facta collatio conditionalis, vel modalis, vt in ipso casu proponitur. Tum quia verba prædicta Episcopi non significant mentem onerandi beneficium pensione, sed beneficiarium modo, & onere soluendi dimidiū fructuum. Itaque dolens profecto respondeo, prædictam collationem esse simoniacam, & realem, ab vtraque parte completam, & consequenter inducere censuras. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Electores digniorem omni reiecta exceptione eligant.
- 2 Eligentes dignum omissio digniore ad restitutionem non tenentur.
- 3 Electores conuenientes alios non eligere, nisi ex se ipsis, peccant etiam peccatum simoniæ.
- 4 Conuentio, qua quis sibi, vel alteri querit spirituale, simoniaca.
- 5 Simonia, est conuenire, vt alter in vna electione suffragetur vni, & alter alteri in alia.
- 6 Electi per conuentionem beneficia dimittere tenentur, & sunt excommunicati.
- 7 Absolui a peccato nemo potest nisi contritus, & prius ab excommunicatione absoluantur.

CONSILIVM XXI.

Cum ad triginta presbyteros beneficiarios duarum ecclesiarum parochialium pertineret auctoritate Apostolica presentatio duorum curionum, quos curas appellant, eligendorum ex ipsismet beneficiarijs, & institutio ad Episcopum: maior pars eorum conuenit, vt in quibuscunque vacationibus occurrentibus, ita eligerent de se ipsis, vt pro nullo alio suffragia ferrent, donec ipsi omnes fierent curati, siue curiones, & vt conuenerunt, ita etiam conuentionem fuerunt executi.

Ex hoc facto resultant multe quæstiones, quæ sic deciduntur: Prima quidem, quod prædicti presbyteri debent eligere digniorem ad exercendam

dam prædictam animarum curam, cap. licet 8. q. 1. cap. vnum §. nunc autem 2 §. dist. cap. constitutis 2. de appellat. & alia quæ allegat gloss. in d. cap. licet. & gloss. prag. sanct. Gallic. tit. de elect. §. ego N. verb. vtiliorem, & Panor. Francus, & Dec. in d. cap. constitutis, de appell. mihi semper placuit, & placet resolutio, quæ colligitur ex S. Thom. 2. 2. q. 63. art. 3. ad 3. quæ communiter videtur recepta, videlicet quod eligentes quidem tenentur eligere meliorem, & vtiliorem: et, si absque causa rationabili eligunt minus dignum, peccant quidem peccatum acceptionis personarum, sed valet electio, si quem eligunt est dignus.

2 AD SECVNDAM respondeo, quod, si elegerint dignum etiam omisso digniore, non tenentur ad restitutionem; si autem indignum elegerint, & inde consecutum fuerit aliquod malum, sic; & quando tenentur restituere, non tenentur restituere digniori prætermisso, sed ecclesiæ læsæ, vt resoluimus in Manu. Confess. cap. 17. a num. 72. & 73.

3 AD TERTIAM respondeo, quod prædicti presbyteri sic conuenientes, & coniurantes peccant primo peccatum acceptionis personarum, accipientes pro causa eligendi amicitiam, & spem providendi sibi, vel alijs amicis, cum in illa non faciat eligendum dignum electione, vt colligitur abunde ex S. Thom. in dict. art. 2. Secundo peccant peccatum simoniæ.

4 Tum quia omnes, qui faciunt aliquam conuentionem, quo sibi, vel alteri queratur beneficium spirituale, committunt simoniam, cap. quam pio 1. q. 2. cap. cum pridem, & cap. si de pact. & prædicti faciunt eiusmodi conuentionem. Tum quia canonici ita conuenientes, vt vnus suffragetur alicui in vna electione, vt alius suffragetur alteri in vna electione, vt alius suffragetur alteri in altera, simoniam committunt, vt diximus in dicto Manu. Confess. cap. 23. num. 100. vers. nam cum quis post Ang. in summa verb. simonia. 3. §. 2. & Syluest. verbo simonia q. 13. num. 4. addita noua, & neruosa ratione.

5 AD QVARTAM, quod scientes se fuisse electos virtute huiusmodi conuentionis, & coniurationis, tenentur statim, ac sciuerint, renuntiare illa beneficia curata, iuxta cap. de regular. & cap. ex insinuatione. de simon. & gloss. recep. cap. ex multis 1. q. 3. & quod sic conuenientes, & coniurantes admittunt simoniam mentalem, & conuentionalem tantum, si non fuerit completa; si autem fuerit ab vtraque parte completa, erit simonia realis, per quam incident, vel inciderunt in pœnas, de quibus in Manu. Confess. vbi sup.

6 AD QVINTAM respondeo, quod prædicti conuenientes, & coniurati tenentur pœnitere tam grauis peccati, cuius antequam pœniteat peccatum durat, & post pœnitentiam etiam excommunicatio Pape reseruata per extrauag. 2. de simon. & communiter, nisi fuerint absoluti à Papa, vel, antequam absolutionem consequerentur, missarunt, facti sunt irregulares, cap. 2. & cap. si celebrati de cleric. excom. miss.

7 AD SEXTAM, quod ex prædictis colligitur ad eam responsio affirmatiua, quandoquidem venia non datur nisi correcto, nec quis absolui potest nisi contritus, aut certe adeo attritus, quod eum pœniteat peccati, & proponat ab illo cessare, nec amplius illud committere, cap. peccatum. de reg. iur. lib. 6. cap. firmissime 15. q. 1. & cap. omnis de consec. dist. 4. immo nec possunt absolui a peccato, nisi prius fuerint ab excommunicatione absoluti, per ea quæ adduximus in Man. c. 26. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Beneficiorum permutatio, & non tractatus sine licentia prohibita.
- 2 Beneficia quæ sita, & non quærenda de Episcopi licentia permutari possunt.
- 3 Beneficia multa pro vno, vt permutari possunt.
- 3 Permutatio, vt suum detur tertio, simoniaca.
- 4 Pensiones, vt imponere potest Episcopus.
- 5 Renuntiatio beneficij sub pacto, vel modo prohibita.
- 6 Simonia vtrimque completa has pœnas inducit.
- 7 Renuntiatio simoniaca est ipso iure nulla.
- 8 Papæ beneplaciti reseruatio non inuat, antequam accidat.

C O N S I L I V M XXII.

CAius, & Titius concordarunt, quod Caius renuntiaret causa permutationis parochialem ecclesiam, & simplex beneficium, quod possidebat, in manibus loci ordinarij, ad fauorem Titij, & similiter Titius renuntiaret aliam parochialem, & simplex beneficium quod possidebat in manu loci ordinarij alterius diœcesis, in qua sita erant, ad fauorẽ Caij. Et propter inæqualitatem fructuum parochialium, & beneficiorum prædictorum, & etiam quia parochialis quam Caius resignabat erat grauata Apostolica auctoritate pensione annua scut. quadraginta, ideo concordarunt, quod Titius reseruaret sibi super fructibus beneficij, quod ipse resignabat ad fauorem Caij, annuam pensionem scut. nouem, & quod in euentum vacationis, seu cessationis, pensionis prædictorum scutorum quadraginta, talis pensio, seu vacatio illius esset ad fauorem Titij, & quod quilibet eorum fructus beneficij, & parochialis quæ accipiebat, recipere inciperet a die habitæ possessionis illorum, & non antea. Præmissa omnia, & singula cum beneplacito tamen Sedis Apostolicæ, & cum solitis potestationibus, & non alias, & sic renuntiarunt, videlicet Titius parochialem, & beneficium in manu ordinarij ad fauorem Caij, & Caius parochialem in manu alterius ordinarij ad fauorem Titij, & Caius

de

de voluntate Titij retinuit sibi beneficium simplex, quod tenebatur etiam resignare ad fauorem ipsius Titij, donec ille a Sede Apostolica dispen. ad obtinendum duo sub eodem tecto impetrasset, quia obtinebat aliud in eadem ecclesia. Accidit autem quod quidam Lucius concordauit cū Titio, videlicet: quod Lucius renuntiaret Titio aliud simplex beneficium quod in alia ecclesia obtinebat in manu ordinarij, & quod Titius faceret quod Caius renuntiaret beneficium quod retinuerat ad fauorem Lucij, reseruata tamen Titio annua pēssione super dictum beneficium, quod Lucius recipiebat, Caio scut. septem. quæ propter inæqualitatem fructuum imponebatur.

Præfatæ concordia non sunt vsque adeo Apostolica auctoritate confirmata, nec pensiones prædictas scut. 9. & aliã scut. 7. vnquam exegit Titius, nec recuperauit, nec inter partes pecuniæ aliquæ interuenerunt.

Dubitatur an permutationes, & resignationes prædictæ possint dici simplices, vel potius triangulares, vel quadrangulares. & an possent fieri in manibus ordinarij, & an partes aliquam simoniam commiserint in præmissis, & in aliquam censuram inciderint, taliter, quod indigeant simpliciter, vel ad cautelam, a Sede Apostolica absolutionem, & dispensationem obtinere de præmissis.

- 1 Pro resolutione huius dubij præsuppono primo quod nulli possunt permutare beneficia sua propria auctoritate, licet possint tractare non perueniendo ad conclusionem permutationis, & eam facere cum auctoritate superioris, c. quæsitum, c. cum olim, c. cum vniuersorum de rer. permut. cum adnot. eis per Panor. & communem. Secundo quod nemo potest permutare ius ad rem, quod habet, virtute expectatiuæ cum beneficio alterius etiam cum auctoritate ordinarij, quia permutatio beneficiorum iam quæsitum & non quærendum permittitur, c. 1. in illis verbis (sua beneficia) de rerum permut. lib. 6. quæ ponderantur ibi per Philip. Fran. & citatos per illum, & per Pan. in d. c. cum olim nu. 4. & Feder. Sen. q. 13. de permut. benef. post Ioannem Mona. & Ioannem And. in d. c. 1. & ratio est quia rei alienæ permutatio non valet, l. 1. ff. de rer. permut. & beneficium expectatum non est expectantis, vt palam est. quæ communis sententia est. qua ratione neque ius quæsitum per præsentationem, vel nominationem, vel aliud, quod sit ad rem, & non in re potest permutari cum beneficio, vt Fran. vbi supra expressit.
- 3 Terrio, quod potest quis plura beneficia pro vno permutare si nihil aliud obstat, vt late resoluit Feder. vbi supra q. 12. Quarto, quod non potest quis permutare suum beneficium cum alio, vt suum detur tertio per superiorem ordinarium, secundum Ioan. Andr. communiter recep. in d. c. 1. & Fed. in fin. q. 40.

His præsuppositis, respond eo ad dubium primo, incognitas esse iuri permutationes triangulares, & quadrangulares, nec meminisse me legere vllibi

- re vllibi eiusmodi appellationes, nec posse illas esse iuridicas: cum prædicta permutatio beneficiorum necessario debeat fieri inter duos tantū de beneficijs, quæ iam sint quæsitæ illis. Secundo, quod pensio prædicta nouem ducatorum potuit imponi ab ordinario, duratura dum Caius teneret beneficium sibi quæsitum per illam permutationem ad coæquandos fructus vtriusque beneficij permutati, arg. cap. ad quæstiones, de rer. permut. quod in hoc citat Anch. consil. 279. Quæstio proponitur, & posset, si opus esset, efficacius probari, quam ille probat, & quæ Fel. in ca. quia verisimile, de præsumpt. num. 1. Tertio, quod Titius potuit cogere Caium ad renunciandum beneficium simplex in fauorem suum causa complendæ permutationis. Quarto, quod pactum, quo conuenit inter Lucium, & Titium, vt Titius efficeret quod Caius renunciaret in fauorem Lucij beneficium, quod tenebatur renunciare in fauorem Titij, & Lucius renunciaret suum in fauorem Titij, continet simoniam conuentionalem, per cap. quam pio. 1. q. 2. cap. fin. de pact. cum enim non possit saluari per permutationem, quia illa non potest fieri, nisi super beneficijs proprijs, & fiat super spiritalibus, restat vt sit simoniacum, simonia saltem iuris humani, quo omnis renunciatio beneficij facta sub modo, vel conditione est simoniaca per prædicta iura, & per gloss. adiuncto tex. in cap. dudum, verb. libere, de præben. lib. 6. Quinto, quod prædicta simonia conuentionalis videtur facta realis, eo quod ab vtraque parte fuit completa: nam Titius compleuit, quod promisit, procurando vt Caius renunciaret in fauorem eius: Lucius item præstitit, quod promisit, renunciando beneficium suum in fauorem Titij; & consequenter est facta realis.
- 7 Sexto, quod dolenter scribo, quod vterque illorum incidit in censuram extrauag. 2. de simo. Septimo, quod Titius tenetur relinquere beneficiū Lucij, & Lucius beneficium quod renunciavit, quia renunciatio fuit simoniaca, & consequenter nulla, per quam non vacauit beneficium. & idem de Caio dicendum est per dict. extrauag. & per conclusionem illam communem, quæ habet beneficium non vacare per renunciationem simoniacam, quam tenet etiam Pan. in dict. cap. cum olim, & cap. cum vniuersarum. Octauo prædictus Titius debet procurare absolutionem, & habita ea, potest cogere Caium, vt renunciaret beneficium præfatum denovo in manibus ordinarij causa permutationis, vt conferatur sibi, per prædicta.
- 8 Nec prodest dicere contra prædicta, quod tractatus permutationis fuit habitus, saluo Papæ beneplacito: tum quia executio illius tractatus, & cōcordiæ fuit facta sine illius beneplacito: tum quia cōcordia secunda inter Titium, & Lucium, & Caium, fuit alia à tractatu, & concordia habitis prius inter Titium, & Caium solos, in quibus fuit posita illa protestatio, quæ cum non fuisset repetita in illa secunda concordia, nõ potuit illi prodesse, arg. l. non omni. ff. si cert. pet. & l. in agris. ff. de acq. rerum dom. quare

nus ha-

nus habent quod limitata causa, &c. & præterea executio præcessit beneficium, & sic fuit commissa simonia, prout diximus in Manual. confess. cap. 23. num. 108. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Renunciatio beneficium principaliter, ut ob id ad aliud præsentetur, est simoniaca, secus si secundario, & ut in causam impulsivam. & num. 8.
- 1 Præsentatus ad beneficium, cum pacto, ut aliud dimittat, an simoniacus. & num. 8.
- 2 Simonia non est dare alia ratione, quam pro pretio quærendi spirituale.
- 3 Præpositio, pro, aliquando principalem, aliquando remotam causam signat.
- 4 Temporale pro spirituali minus principaliter dari, & accipi potest.
- 5 Causa impulsiva esse potest illa, sine qua non fieret actus.
- 6 Simonia non est mutuare episcopo principaliter ob amicitiam, & secundario ut quærat sibi, vel alij beneficium.
- 7 Simonia non est dare pro sustentatione ministri, & pœna peccati.

CONSILIVM XXIII.

Sempronius petijt à patrono præsentationem ad dignitatem vacantem, & pertinentem ad eius præsentationem, & quo facilius eam obtineret, obtulit se relicturum vnum beneficium simplex valoris centum ducatorum, & post multum temporis commisit patronus suo procuratori, ut præsentaret Sempronium ob aliquas causas, modo ipse renunciaret præfatum beneficium simplex libere in manibus ordinarij ad conferendum cui vellet: quo facto, Sempronius obtinuit præsentationem, & dignitatē. Quæritur an interuenerit simonia realis.

- 1 Respondeo primo, ægro animo me onus respondendi huic quæstioni accepisse: quia per plurimas, & grauissimas occupationes non poteram illi pro eius dignitate respondere: sed vim mihi fecit amicitia rogantis, & auctoritas Illustrissimi, cui seruit. Secundo, quod non miror varie à varijs responsum fuisse illi, quia multa pro eius vtraque parte possent adduci. Tertio, quod arbitror D. Consulentem de rigore iuris in foro exteriori iudicatum iri simoniacum realem, si omnia proposita in facto probarentur; quoniam ex illis resultaret conuentum, & pactum fuisse inter patronum, & ipsum in absentia per nuncios, ut consulens prius renunciaret beneficium, & postea patronus, vel procurator eius præsentaret illum ad dignitatem; & omne pactum huiusmodi, etiam si nihil temporale de-

Ie detur, uel accipiatur, est vere, vel præsumitur in foro exteriori simoniacum, arg. cap. quam pio. 1. q. 2. & cap. cum pridem. & cap. fin. de pactis. & tradimus nos in Manual. confess. cap. 23. num. 100. cum seq. & cum ab utraque parte, tam à patrono, quam à consulente fuerit impletum, consequens est debere iudicari simoniam fuisse realem, per ea, quæ post alios nos tradimus ubi supra, num. 103. Cui consequens est, iudicandum esse in foro exteriori D. Consulentem incurrisse excommunicationem, & præsentationem sibi à patrono, & institutionem ob eam ab Episcopo factam inualidas, & nullas, & fructus male preceptos.

2 Verum satis defendi posset per supradicta inter patronum, & consulentem acta non interuenisse veram simoniam, coram Deo, & quo ad forum conscientiarum, per ea, quæ nos altius alijs tradimus ubi sup. num. 100. in 4. notab. præsertim primo per illa verba. *Non est simonia dare, vel accipere alia ratione, quam pro pretio, vel causa principali, & immediata querendi aliquid spirituale, puta pro sustentatione ministrorum, vel pro liberalitate, vel elemosyna, vel pro solutione obligationis, legis, vel consuetudinis, ut sentit S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. & exprimit ibidem Caiet. & melius in summa in verbo simonia.* et nos probauimus in cap. sicut. 3. de simonia. Et si narrata sunt vera, consulens non obtulit renunciationem præfati beneficij simplicis principaliter pro pretio, & causa principali, & immediata querendi præsentationem ad dignitatem, sed pro causa impulsua, & incitativa ad eam habendam.

3 Secundo colligitur hæc responsio ex illis ubi supra positis verbis. *Præpositio, Pro, aliquando significat pretium, vel causam principalem immediatam, in qua significatione accipiendo vniuersaliter est verum nil pro re spirituali vel ei annexa posse accipi, ut probat ca. sicut, & ca. non satis. de simonia. & declarat Archid. in cap. ordinationes, & cap. iudices. 1. q. 1. Nihil inquam, etiã paruum, vel minimum, secundum S. Thom. in 4. lib. sent. dist. 25. q. 3. art. 3. ad. 1. & in d. q. 100. art. 3. Aliquando significat causam impulsuam, vel remotam, vel sustentationem, vel aliam ex prædictis; & in hac significatione verum est posse accipi aliquid pro spirituali, iuxta gloss. iunct. tex. in dict. cap. iudices, & cap. Agatho. 63. dist. ubi etiam Archid. & communis in cap. ad Apostolicam. de simonia.*

Et præfatus D. Consulens non renunciauit, nec voluit renunciare beneficium suum simplex pro pretio dignitatis, neque pro causa principali immediata habendi eam, sed pro causa impulsua, & incitativa animi patroni ad præsentandum eum ob suam sufficientiam, & quia relicturus erat vnum canonicatum, quem habebat incompatibilem dignitati, & spectabat ad præsentationem ipsius patroni, & ob alias qualitates, quas sciebat patronus inesse illi, & ob quas decebat eum præsentari.

4 Tertio colligitur ex illis ubi supra. nu. 101. positis verbis, *licet dare vel accipere aliquid temporale minus principaliter, & tãquam pro causa impulsua*

sua, & excitatiua pro spiritualibus. Tum per proxime dicta. Tum per glos. cum esset. de simonia. & cap. cum ad nostram. de elect. quæ aiunt, simoniam quidem admittere illum, qui Pralato inseruit principaliter ob beneficium ecclesiasticum; præsertim interueniente pacto, non autem qui principaliter ob alium iustum respectum inseruit, licet secundo, & minus principaliter ob illam spem seruiat: quod pulchre de more declarat Adria. quolib. 9. art. 2. sub litera L, M, N, O. Tum quia glos. illa celeberrima in c. 1. de clericis non resid. lib. 6. ait peccare quidem eum, qui surgit ad matutinas preces principaliter propter distributiones quotidianas, non autem illum, qui surgit principaliter ut Deo inseruiat, & minus principaliter, & secundo ut eas lucraretur. Tum quia Urbanus Papa in c. si officia. 59. dist. & Celest. in c. quid proderit. 61. dist. determinarunt licere clericis seruire Deo in ecclesiis ob spem ascendendi ad dignitates illarum. Immo Gelasius in c. consuluit. 74. dist. dixit eos ad hunc ascensum spe maioris commodi compellendos. Tum quia glo. recepta in d. c. quid proderit. dicit expresse per illum tex. licere clerico seruire in ecclesia ad querendam aliquam dignitatem, modo principaliter ob id non seruiat: cui similis est glos. c. hoc ad nos. 59. dist. Tum denique quod glos. c. consuluit. de usuris. recepta communiter, & confirmata multis contra Sotum in d. Manu. confess. c. 17. num. 209. habet, quod licet peccet qui mutuatur principaliter ob lucrum, non tamen qui principaliter id facit, ut inuuet proximum, quamuis minus principaliter, & secundo id speret.

Quarto colligitur ex illis uerbis, quæ habent, *Causam impulsiuam*, & *incitatuam* uoco etiam illam, sine qua non fieret actus, modo ille fiat principaliter ob aliam, quam illam; ut in hac specie dixit Maior in 4. dist. 25. q. 1. & ante illum sensit S. Thom. quolib. 8. art. 2. loquens de clerico surgente ad matutinas ob distributiones, alias non surrecturo. Tum quia, ut in comment. c. cum minister. 23. q. 5. num. 27. probauimus, non est bona definitio illa Bart. in l. 2. §. fin. ff. de donat. qua definit causam principalem esse causam, qua cessante, cessat effectus. Tum quia secundum eam omnis causa, quæ appellatur sine qua non, esset principalis. quod est falsum secundum omnes, & per supradictos tex. & gloss. quæ habent locum etiam in his, qui non seruirent ecclesiis, vel prælatis, nisi sperarent beneficia, & quia actus virtutum licet fiant vitiosi ob finem principalem temporarium, non tamen fiunt tales ob minus principalem, per adducta in d. cap. cum minister. post Adrian. ibi citatum: alioqui enim omnes fere actus nostri essent vitiosi: quia paucissimi fiunt pure propter solum Deum, & solam virtutem, sine aliquo respectu retributionis, quem etiam David habebat in seruiendo Deo, Psal. 118. Inclinaui cor meum, & c. propter retributionem. & ut quidam dixit, *Quis virtutem amplectitur ipsam, Præmia si tollas?* Itaque vere coram Deo incurrit simoniam quicumque dat, vel facit aliquid temporarium, etiam minimum, vel spirituale pro spirituali, tanquam pretium eius, vel causam principalem, & immediatam eius habendi.

Et è contrario nemo, qui alia ratione, & minus principaliter dat, vel accipit etiam temporale pro spirituali, vere coram Deo, & in foro conscientie simoniam committit, quamuis in foro exteriori interdum præsumatur committere. Quæ solutio ex prædictis, & ex Archid. & Caiet. ubi supra irrefragabiliter colligitur. Et ex narratis in facto quæstionis colligitur, quod consulens non renunciauit præfatum beneficium principaliter, & pro causa principali habendi dignitatem, vt dictum est, licet id fecisset pro causa, sine qua non fuisset forte consecuta præsentatio patroni; neque patronus præsentauit consulentem principaliter ob renunciationem beneficij, accipiendo illam pro causa principali, sed ad summam pro causa impulsua, sine qua forte non fecisset præsentationem.

6 Quarto colligitur ex illis verbis, quibus ibidem aio respondisse me pri dem, non commississe simoniam illū, qui mutauit Episcopo noue prouiso bonam pecuniæ summam principaliter, & immediate, vt ei beneficeret, & ad ineundam amicitiam, sperans secundo sibi, vel alij gratiam alicuius beneficij; quia non mutauit pro pretio, neque pro causa principali, & immediata rei spiritualis, saltem vt hoc in loco spirituale accipitur, sed pro bono, & æquo, & bona amicitia ineunda, licet secundo, & mediate speraret aliquam gratiam beneficiariam.

7 Quinto facit, quod ibidem num. 102. dicitur non esse simoniam dare, vel accipere pecuniam pro impensis, vel pœna excommunicationis, vel absolutionis per iurisdictionem spiritualem imposita, arg. ca. venerabilibus. §. porro. de sententia excommunicat. lib. 6. etiam si pœna non erogeretur pauperibus, arg. ca. dilectus. de pœnis. licet id esset melius. Ad quod reducendum est, quod ait S. Thom. in 4. dist. 25. cum alijs quibusdam. Quorum ratio est, quod non dantur illa temporalia pro pretio rerum spiritualium, neque pro causa principali immediata earum, sed pro interesse, & damno partis iniuste accepti, vel dati, vel pro pœna peccati, & contumaciæ.

8 Cum ergo etiam D. Consulens non renunciauerit beneficium pro pretio, neque pro causa principali, & immediata quærendi. præsentationem, sed pro causa impulsua, & illectiua animi patroni, vt eam faceret principaliter pro sufficientia, & virtute animi, quæ inerant renunciandi; cumque patronus non præsentauerit eum propter renunciationem, accipiendo illam vt pretium renunciationis, neque pro causa principali, & immediata suæ præsentationis; dicendum est à neutro fuisse vllam simoniam commissam coram Deo, & in foro interiori, licet à iudice exteriori iuste posset præsumi esse commissam: quia, vt habetur 1. Reg. ca. 16. & in ca. humanæ aures. 22. q. 5. homines, & forum exterius iudicant secū dum ea, quæ apparent exterius, Deus autem, & forum conscientie secū dum ea, quæ vere, & realiter sunt, etiam si sint contraria præsumptis.

Sexto, quod licet securius esset D. Consulenti eligere viam fori ex-

terioris per Datariam ad tollendum quem concepit scrupulum, fastidiosior tamen, & damnosior erit illa sibi, quia oportebit eum quærere absolutionem ab excommunicatione, & refectionem tituli, & nouam prouisionem, & facere restitutionem fructuum, vel componere se cum Camera Apostolica, quæ magnum sumptum requirunt, & cessant omnia illa eligendo viam conscientia, & fori interioris: & si præfata dignitas non pertineret ad præsentationem prædicti patroni, consulere ei, vt eligeret viam exterioris fori; quia credo præfata narrata in facto probari posse per prouisiones patroni, & per eius commissarium, & aliorum qui ea nouerunt, & posset illa impetrari à Sede Apostolica, & inferri ei magna molestia. mihi tamen satis videntur probare fundamenta superiora proxima nullam interuenisse in casu proposito simoniam quò ad Deum, & forum conscientia, & consequenter posse ipsum sedare animum suum. Salua, quæ iustior fuerit, sententia.

S V M M A R I V M.

- 1 *Simoniacæ præsentatio gratiam subsequutam annullat.*
- 2 *Simoniam vt sit realis, sufficit ex duobus in pactum deductis alterum compleri.*

CONSILIVM XXIV.

INter F. & P. & populum præsentatorè ecclesiæ parochialis conuenit, vt F. renūciaret illi ecclesiæ, & populus præsentaret P. & P. ipsi F. solueret propensione 16. scuta; & cōsequenter F. renūciauit in manibus ordinarij, qui contulit illam P. qui dedit mandatum ad consentiendum pensioni prædictæ, quod tamen noluit admittere Papa, & ita non soluit. Quæritur an titulus P. sit canonicus.

- 1 Respondeo primo, quod præfatus P. non habet canonicum titulum præfate rectoriæ: quoniam eius præsentatio fuit simoniaca. Primo quidem, quia conuenit inter F. & P. vt ille renūciaret beneficium, & hic constitueret pensionem, siue consentiret illius constitutioni. Secundo, quod inter F. & populum patronum conuenit, vt F. renūciaret, & populus præsentaret P. & ita interueniunt duo pacta simoniaca, immo & forte tertium, scilicet quod populus præsentaret P. & P. consentiret constitutioni pensionis 16. scutorum, quæ tria clare sunt simoniaca, arg. c. quam

2 quam pio 1. q. 2. & cap. fin. de pactis. Nec obstat dicere, quod licet prædicta pacta sint simoniaca simonia conuentuali, non tamen sunt talia simonia reali, quia non fuit completa ex vtraque parte quod requiri ad simoniam realem dicimus nos post alios in Manu. Confess. cap. 23. num. 1 co. cum quamuis F. compleuisset pro sua parte, quia renuntiauit P. tamen non impleuit, quia non soluit pensionem. non inquam hoc obstat: tum quia conuentio secunda, qua conuenit inter F. & patronos, vt ille renuntiaret, & hi præsentarent P. completa fuit ab vtraque parte, & etiam prima fati potest dici completa ex parte P. quia dedit mandatum ad consentiendum constitutioni pensionis, tum quia etiam tertia conuentio, quæ forte facta fuit quod populus præsentaret P. & P. consentiret constitutioni pensionis, potest dici completa ex vtraque parte. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Præsentatio cum pacto, vt præsentatus præsentationem prosequi debeat in solidum, an simoniaca, & seq.
- 1 Interpretatio continens delictum in dubio reiicienda.
- 2 Facta prouidorum recta præsumenda etiam ex parte literam improprando.
- 2 Argumentum a contrario non valet ad inducendum delictum.
- 3 Intellectus l. Titia. §. fin. ff. de manu. test. varius.
- 3 Lex apte varios recipiens sensus pro firmo fundamento, nisi pro parte vitio carente, citari nequit.
- 4 Dicitio nisi post negatiuam orationem, nisi accedat affirmatio, nihil ponit nec in odiosis, et pœnalibus.
- 4 Præsentans præsentato ius suum non prosequente potest alium præsentare.

CONSILIVM XXV.

ABbàs, & conuentus præsentauerunt quendam ad beneficiũ sui iuris pat. litigiosi cum pacto quod nisi ipse præsentatus intra tempus a iure prosequeretur suam præsentationem in solidum, ipsi possent contrauenire præsentationi, & agere ea, quæ forent opportuna, & necessaria. Euenit quod quidam impetrauit prædictum beneficium sub prætextu quod in huiusmodi præsentatione esset admissa simonia, & causa in Rota commissa quæsitum fuit de sensu, & intellectu præfatæ clausulæ, vtrũ contineret simoniam, an reseruatio prædicta nitatur iure communi.

1 Hoc dubium resoluendum videtur, scilicet quod solum videtur reseruatum ius contraueniendi, & agendi solum illa, quæ iure communi poterant

terant præsentantes facere, etiam si nulla huiusmodi reseruatio in præsentationis instrumento fuisset facta.

Primo quidem quod interpretatio contraria, quam aduersa pars præterdit, nullo iure firmo nititur, quia negari non potest, sensum clausulæ, de quo agitur, esse dubium, & clausulam illam vario modo intelligi posse, & intelligendo modo quo aduersa pars ait contineret præsentantes labes simoniæ incurrisse, & intelligendo eo modo, quo nostra pars ait, vitatur delictum simoniæ, quod est maximum, cap. tanta est labes de simon. ergo in dubio reiicienda est illa interpretatio cap. 1. de reg. iur. l. merito ff. pro socio.

Secundo quod secundum interpretationem contrariam verbum illud in solidum significaret, quod præsentatus teneretur verificare suis impensis, quod ius patronatus pertinet ad præsentantes, quod tamen est nimium diuinare: nullum enim verbum in instrumento præsentationis id significat: sed aduersa pars pro suo affectu videtur diuinasse.

- 2 Tertio, quod facta virorum prouidorum, quales sunt Abbas, & Monaci præfati valde Illust. Monasterij, relata in aliqua scriptura debent præsumi recte facta, etiam improprando aliqua ex parte literam, cap. nisi essent veri prouidi de præben. cum ei adnot. & præfata clausula improprando tantillum eius literam potest intelligi, ut nullam contineat reseruationem potestatis, qua iure non competit præsentanti post factam præsentationem. Ergo illa sic est interpretanda.

Quarto, quod interpretatio contraria non potest colligi ex prædicta clausula, nisi arg. a contrario sensu, & huiusmodi argum. nihil valet, quando colligitur ad aliquid, per quod disponens auctor incideret in aliquod delictum, & pœnam eius. Ergo non potest illud ex ea sumi.

- 3 Quarto, quod nihil facit pro aduersa parte dicta Didaci a Couarr. quæ dicitur ipsa pro se citasse in Epit. 2. par. cap. 4. num. 6. Tum quia citat illa, quatenus tractat intellectum legis Titia §. fin. ff. de manu. test. qui multipliciter, & probabiliter a multis intelligitur, ut ipse Dida. ibi, & alij in l. actione C. de transactio. & alij alibi tradunt, & lex, quæ multiplicem eundemque probabilem intellectum habet, non potest pro firmo fundamento allegari, l. in ambiguo ff. de reb. dub. cum ei adnota. nisi allegaretur pro parte quæ vitio caret, l. in ambigua. ff. de legibus, & ita vel ille §. non potest citari pro firmo fundamento ad propositum casum, vel est intelligendus pro nostra parte, cum sic intellectus non concludat vitium, & delictum. Tum quia ipsemet Didacus expresse tenet, quod dictio nisi, quæ sequitur negatiuam orationem, nihil ponit, nisi aliquid aliud affirmatiuum accedat, secutus in hoc Hadrianum, & alios dicentes, quod qui promittit alicui non ducere aliam nisi eam, non promittit ducere illam, nisi aliquid aliud affirmatiuum interueniat, quod multis ibi confirmat. Tum quia communis opinio habet, etiam referente Decio in d.l.

dict. l. actione. quod dictio nisi, sequens orationem negatiuam, nihil ponit in odiosis, & pœnalibus. cuius contrarium certe defendi non potest ab eo qui tenuerit gloss. illam solennem clem. 1. verbo facere de vsuris. cui fere omnes cōsentiunt, & nemo probabiliter ab illa dissentire potest. Ergo nec in proposito nostro potest fieri interpretatio, qua illa dictio, nisi, ponat aliquid odiosum, & pœnale, cum nihil affirmatiuum ad hoc faciens contineat, neque consequenter, vt ponat reseruatiōem alicuius potestatis contrarię iuri communi; per quam auctor incidat in delictum, & pœnas, sed tantum reseruatiōem potentiaę, siue potestatis faciendi ea, quæ iure communi licuisset ei facere.

- 5 Sexto, quod sine vlla verborum impropriatione potest ita intelligi præfata clausula, vt solum videatur per eam reseruari potestas faciendi ea, quæ iure communi potest præsentans non prosequente præsentationem præsentato. Nam, si præsentatus omitteret prosequi causam, eo quod moreretur, vel renuntiaret suo iuri, vel etiam priuaretur per sententiam iudicis, vel ipso iure, ob hæresim, vel aliud crimen, vere, & proprie diceretur eam non prosequi, & omnibus illis casibus iure communi liceret ei, qui eum præsentauit, alterum præsentare, iuxta cap. si electio. de electio. lib. 6. cum ei adnota. adiuncto cap. licet. il. 2. de præben. lib. 6. Ergo hæc interpretatio est suscipienda; quia inheret proprietati verborum ecclesię, arg. l. non aliter. ff. de leg. 3.

S V M M A R I V M.

- 1 *Confidentia illicita in resignationibus tantum simplicib. committitur.*

C O N S I L I V M XXVI.

FActa permutatione beneficiorum inter duos iuridice, alter, recepta possessione beneficij per permutationem quaesiti, accepit etiam fructus beneficij antiqui collati compermutanti nondum possessionem adepti. Quæritur an sit locus bullis Pij III. & V. de confidentia.

- 1 Respondeo, non videri iudicandum, locum esse in casu proposito bullis Pij III. & V. contra confidentias publicatis. Tum quod illę bullę, vt nos dicimus in Manual. Confess. cap. 23. num. 101. & 110 tantum afficiunt confidentias illicitas, & simoniacas, qualis non fuit facta in prædicta permutatione iuridice facta. Tum quia bulla Pij. V. loquitur de resignationibus beneficiorum, quæ simpliciter fiunt in fauorem aliquorum, & non de illis quæ fiunt per permutationes iuridicas. Tum quia non est eadem ratio in vtriusque illarum, & constitutiones illę maxime pœnales
- pars ij. P 3 non

non sunt extendendæ de aliis casibus ad alios per iura uulgata. Tum quod nulla earum facit mentionem de resignatione per permutationem. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Confidentia ex sola partium intentione in mente retenta non inducitur.*
- 2 *Beneficium sufficiens post Concilium Trid. cum alio incompatible.*

C O N S I L I V M XXVII.

HAbens beneficium sufficiens capellaniam ex resignatione accepit intentione illam ad resignantis nutum renuntiare: nulla tamen interuenit conuentio, nec pactum. Quæritur an sit admissa confidentia.

- 1 Respondeo primo, quod in hoc casu coram Deo, & in foro interiori nulla est confidentia; qua incurrantur pœnæ proprii motus, Pii V. quoniam, ut scripsi in Manu. Confess. cap. 23. a nu. 109. nec Pius III. nec V. quorum Extrauagantium summa, & quatenus opus est ad literâ transcribuntur nu. 110. nihil sanxerunt contra confidentiam, quæ ante illos erat licita; sed solum contra eam, quæ erat illicita, & simoniaca. & in hoc casu nulla talis inuenitur: quia nulla interuenit conuentio, nec pactum illicitum; & sola intentio vnius partis, immo nec ambarum, non inducit verè simoniam; ut ibidem & paulo ante probatur.
- 2 Secundo, quod in foro exteriori præsumeretur confidentia illicita comprehensa in d. Motu proprio, si probaretur intentio recipientis beneficii. Quare cauere debet D. Consulens, ne eam ita confiteatur, ut probari possit. Quamuis meo consilio ipse relinqueret illam capellaniam, si accepit illam post Concilium Trid. quo prohibitum est, ne quis habens vnus beneficium sufficiens aliud accipiat, licet, si ante illud accepit, posset retinere, iuxta opinionem Card. in Clem. gratiæ. de rescrip. quam ego soleo sequi, & sequor in Manua. cap. 25. à nu. 125. quia consulens ut vir pius & seruat ea quæ opinio eius requirit ad utendū ea. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Confidentia censetur, si resignans a resignatario pensionem, vel fructus capiat.*
- 2 *Resignatarius, ut potest tuta conscientia resignanti quotannis quid donare.*
- 3 *Intentio resignantis beneficium, ut tali, vel tali detur, non nocet.*

C O N-

CONSILIVM XXVIII.

NRenuntiauit canonicatum in fauorem I. simpliciter, nulla referuata sibi pensione; habito tamen antea ab I. mandato de consentiendo sibi referuationi pensionis quingentorum super fructibus canonicatus, quo noluit uti ad euitandas impensas; & quia volebat ducere vxorem, qua ducta pensio vacaret; & suis impensis expediuit bullam prouisionis I. per quam ille accepit possessionem: & postea N. duxit vxorem, & præfatus I. in signum gratitudinis vellet se obligare ad donandum singulis annis 40. ducatos N. dū viueret. Quæritur an licite quoad vtrum que forum possit se obligare; ita ut neuter eorum possit timere suam conscientiam iudicantem interius, nec iudicem exteriorem.

I Respondeo primo, nullatenus posse præfatum Ioannem obligare se ad danda quotannis d.N. præfatos 400. ducatos per bullam Pij V. cuius nos copiam edidimus in *Manu. confess. cap. 23. n. 110.* quæ inter alia continet expresse, eum, qui renuntiauerit aliquod beneficium Ecclesiasticum in fauorem alicuius, & postea receperit à resignatario aliquam pensionē, vel aliquos fructus sibi, vel aliis suis cognatis, vel cuicumq; alij censeatur probata confidentia, per quā censeantur partes incurrisse pœnas in præfata extrauag. contentas: quoniam per talem obligationem, & solutionem probaretur præfata confidentia, qua probata Iudex fori exterioris grauissimè posset illos punire, & iudicare collationem præfati canonicatus fuisse simoniacam, & ipso iure nullam.

Secundo, difficile posse inueniri viam, per quam conscientia Petri & Ioan. præfatorum quiescere possint ab impugnatione eorum, si per obligationem præfata darentur & acciperentur præfati 400. ducati: quia per eandem probaretur confidentia prædicta per modos portandi præsumptiue noue inductos per prædictam Extrauag.

Tertio, quòd, si præfatus Petrus nondum vxorem duxisset, facilius poterat excogitari aliquod remedium, cui tamen non est nunc locus, cum Petrus non sit capax pensionis, quam volebat Ioan. constituere, vel potius ad constituendam eam consentire.

2 Quarto, quòd probabiliter defendi posset inueniri aliquod remediū faciendi quinque sequentia. Primum, quod nulla confidentia simoniaca conuentionalis inter sese, antequam præfatus Ioannes per præfata bullam accepisset possessionē pacificam, admissa fuerit. Secundum, quod ipsimet Petrus & Ioannes soli conueniant coram Deo & confessariis suis, & vere pœniteat eos omnium quæ voluerunt, & excogitauerunt facere contra iura naturalia, diuina, & humana, circa præfata resignationem, confidentiam, & simoniam tacitam, vel expressam, mentalem, uel conuentionalem, post præfata possessionem acceptam; & quod proponant

ponant firmiter nullatenus vnquam se adiutores ex aliquo capite rerum inter se præteritarum. Tertium, quod præfatus Petrus non sit diues, & vere indigeat secundum statum suum: ita vt ei possit iustè intuitu paupertatis erogari de redditibus ecclesiasticis aliqua pecunia de his, quæ superperuerint Ioanni sese honestè sustentato. Quartum, quòd Ioannes promittat illam summam Petro principaliter propter amorem Dei, & eleemosynam; & etiam Petrus recipiat eam principaliter ob Deum, & eleemosynam: quamuis minus principaliter possint habere respectum minus principalem, & secundarium ad obligationem antidoralem, qua præfatus Ioannes obligatur Petro per illam legem naturalem, quæ obligat beneficiarium ad benefaciendum suo benefactori, si non fortem. §. libertus. ff. de condit. indeb. Quintum, quòd præfati Petrus & Ioannes faciant hæc omnia, & seruent secretissima; ita vt nullus alius præter ipsosmet sciat esse promissa, vel facta: & quod Ioannes solus per se, & non per alium faciat illam eleemosynam Petro soli per se solum illam recipienti; adeo vt nullatenus possint plenè probari.

- 3 Quinto, principaliter dico, quòd animus & spes gratificationis, quam Petrus habuit ante resignationem sine pacto & conuentione habita cum Ioanne, non potest nocere verè prædictis coram Deo; quia simonia mentalis sola pœnitentia tollitur, iuxta cap. fin. de sim. & intentio resignantis beneficium, vt conferatur tali vel tali, non nocet secundum S. Antonin. quem nos sequimur in d. cap. 23. nu. 109. Sed caueat Petrus, ne cui hoc confiteatur: ita vt probari possit: quoniam hoc nouè inducit Pius V. vbi supra sufficere ad præsumendam confidentiam: quamuis verè non sit, vt nos ibi notauimus &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Confidentia per verba generalia iactatoria non inducitur.*
 1 *Ins. in beneficio per solam signaturam acquiritur.*

CONSILIVM XXIX.

Quidam Cardinalis impetrauit à Papa beneficium cuidam suo familiari, & signata supplicatione per Papam, iussit suo sollicitatori, vt non curaret expedire literas, quod cū venisset ad nouitiã præfati familiaris, dixit Cardinali, se cum omnibus, quæ habebat, & præfatum beneficium esse paratum eius obsequio, & voluntati. quibus dictis Cardinalis respondit, se esse contentum, vt ipse expediret literas, & caperet possessionem, si non efficeretur certum quid, quod non fuit effectū.

Quæ-

Quæritur, an, si præfatus familiaris expediuit literas, & cœpit possessionē, incurrit pœnas confidentiæ contentas in bullis Pij iij. & Pij. V?

- 1 Respondendum videtur, quod non: quia familiaris non promisit Cardinali quidquam certum, vel obligatorium, sed per verba generalia iactantiæ, quæ non obligant. l. fin. ff. de testamen. & in c. cum venissent, de instit. & antequam illa promissio, vel oblatio iactatoria facta fuisset, iam ius erat quæsitum familiari per solam collationem signaturæ, c. penult. de concess. præb. lib. 6. c. si tibi absent. de præben. eod. lib. & præsupponit Rota decis. 27. de rescrip. & 20. de concess. præben. in antiquior. Felinus, & Decius in rubrica de constitu. Non obstat quod promissio fuit specialis de disponendo de beneficio ad libitum Cardinalis: quia simul fuit generalis ad complacentiam. d. c. cum venissent, nec refert, quod ante possessionem, & literas expeditas, quarum expeditionem, & possessionem potuisset impedire Cardinalis, stante quod non solum committitur simonia per promissionem, ante iuris acquisitionem, sed etiam ante possessionis adeptionem, Abb. receptus in c. dilectus, il. 1. sub fin. de simon. quia respondetur eadem ratione, qua superius, scilicet, quod promissio fuit vana, iactatoria, generalis, & ad complacentiam. Cæterum puto expedire in hoc casu, vt idem familiaris supplicet eidem Cardinali, vt remittat sibi huiusmodi qualem qualem promissionem, & sit contentus illa naturali, quæ nascitur ab instinctu naturæ, vt bene facienti benefaciamus, iuxta. l. si non fortem. §. libertus. ff. de cond. indeb.

S V M M A R I V M .

- 1 *Simoniaca non est renuntiatio ex sola intentione, sed sic ex pacto inter re signatarium & mediatorem.*
- 2 *Simoniaca est renuntiatio subsecuta ex præcedente renuntiatione simoniaca.*
- 3 *Collatio beneficij in fauorem ignorantis simoniam cum tertio commissã, est valida, & fructus dum ignorat facit suos, sed sciens tenetur beneficium statim dimittere.*
- 3 *Administrator beneficij etiam culpabiliter factus non tenetur fructus restituere, quando nec beneficiarius tenetur.*
- 4 *Mediator simoniæ fructus tenetur restituere, si collatio fuit à principio nulla, & simonia fuit realis.*

CONSILIVM XXX.

Titius clericus ad instantiam Caij laici renūtiat beneficium cum reservatione fructuum, & regressus in fauorem Seij, fratris Caij, & renuntiauit cum intentione, quod quando Lælius filius Caij, ad ætatem legitimam peruenisset, Seius illi renuntia e teneretur beneficium. moritur interim Titius; cum nondum Lælius ad ætatem peruenisset, & Seius cum non intenderet vitam clericalem agere, ad instantiam Caij renūtiat cum reservatione fructuum, & regressus Sempronio, qui pactum, fecerat cum Caio, in scio Seio, quod renuntiaret statim aliud beneficium Lælio, & quod mortuo Seio teneretur renuntiare Lælio, vel cui Caius veller. Sempronius renuntiat illud aliud beneficium; & postea moritur, & cum Lælius esset in ætate legitima renūtiat illi Seius. Lælius nihil horū, quæ supra narrata sunt, scit, neq; scit. Caius semper percepit fructus, qui debebantur Seio, & Lælio, ipsis tamen consentientibus. Quæritur primo, an resignatio facta in fauorem Seij teneat? Secundo, an valeat resignationes factæ à Seio resignatario. Tertio, an Caius teneatur restituere fructus ex dictis beneficijs perceptos?

- 1 Respondeo primo, quod renuntiatio facta à Titio in Seium non fuit simoniaca, si sola intentione, vt postea Seius renuntiaret in Lælium, facta fuit, sed in facto licet dicatur nullum pactum, nec confidentiam interuenisse inter Titium & Seium non tamen dicitur, quod non interuenit cum alio præsertim cum Caio, in cuius gratiam facta fuit renuntiatio in fauorem Seij, qui erat frater illius, ea intentione, vt postea daretur, Lælio filio Caij, & si interuenit aliquod huiusmodi pactum cum Caio, fratre Seij, qui idem erat, & sic patet, quod interuenit simonia cum tertio ignorante resignatario.

Secundo, quod renuntiatio quã fecit Seius in fauorem Sempronij fuit simoniaca eodem genere simoniæ, scilicet, ignorante resignante, quia inter Sempr. resignatarium, & Caiū patrem Lælij ad cuius instantiam resignatio fiebat in Sempronium, interuenit pactū, vt renuntiaret alterum beneficium in Lælium filium Caij & etiam illud cum perueniret ad legitimam ætatem Lælius.

- 2 Tertio, quod tertia renuntiatio, quã fecit Seius in Lælium, non fuit in se simoniaca, licet inter Caium, & Sempronium interuenisset pactio de renutiando in Lælium, quia inter Seium, ad quem per regressum peruenit beneficium, & Lælium, nec Caium, vlla fuit conuentio.

Quarto tamen idē iudicandum est de acquisitione beneficij facta per regressum ob mortem Sempronij, quod est dictum de acquisitione prima. Quia virtute acquisitionis primæ quæsiuit regressum, & ita regulabitur sicut prima renuntiatio, & consequenter iudicabitur simoniaca, si Titius conuenit cum Caio ignorante Seio, & alias non.

Quin-

- 3 Quinto, quod mea opinione, quam alias fulsi, collatio beneficij per simoniam inter alios initam facta ignorantibus valet ipso iure: licet, cum primum scierit illam commissam, teneatur illud renuntiare, & potest certe dispendere fructus perceptos, donec nescierit. Et consequenter nec ille, nec hæredes eius tenentur ad restitutionem. & ita Caius qui percepit fructus de cōsensu Seij, & Lælij, videtur percepisse de consensu legitimorū administratorū, & cōsequēter non cogitur de rigore iuris ad restitutionem eorum. Nec obstat quod nemo debet reportare commodum de sua iniquitate, nec consequenter Caius de simonia, quam ut tertius admisit ignorantibus fratre Seio & filio Lælio. Quia responderi potest, quod non recipit immediate de iniquitate sua commodum, sed ex donatione expressa, vel tacita legitimorum administratorum, quamvis eius iniquitas fuerit occasio iuris legitimorum administratorum, arg. c. quia diuersitatem de concess. præb. quatenus probat, quod ei, qui sua culpa fuit excommunicatus, quæritur commoditas suspendendi cursum temporis semestris dati ad conferendum collatoribus propter impedimentum excommunicationis, argumento proxenetæ, siue mediatoris, qui persuaderet collatori beneficij, ut conferret illud minus digno, digno tamen, contempto digniore, licet peccaret, & mediante illo peccato quæreretur beneficium illi minus digno, non peccaret, neque teneretur restituere, si quid ei alius legitime daret, plus quam alius, qui nil in ea re peccasset: argumento item quod mater, quæ ex fornicatione genuit filium, possit accipere ab illo filio, quod sibi alius legitime donaret ex bonis, quæ à patre fornicario iusta successione, vel donatione, quæreret. Quia non capiunt commoditatem de iniquitate, sed de alio titulo bono,
- 4 licet occasione iniquitatis obueniēte. Fortius tamen obstat potest id, quod alias defendimus, mediatorem simoniæ teneri ad restituendos fructus perceptos à simoniaci, si eos ille non restitueret, arg. c. fin. de iure iur. & aliorum. sed responderi potest illud esse verum in mediatore illius simoniæ, per quam collatio beneficij redderetur nulla ipso iure, qualis est simoniæ realis, quæ contrahitur cum ipso met beneficiario, vel sciente, & volente ipso, non autem in mediatore simoniæ mentalis tantum, vel mentalis, & conuentionalis tantum, vel realis ignorante collatario, siue eo, cui confertur beneficium. Ratio diuersitatis sit illa, quod per illam nil iuris quæritur beneficiario, quippe quæ reddit titulum eius inutilem, & ipso iure nullum: & communiter capit, & impendit fructus alienos sine iusta facultate id faciendi, & ita tenetur restituere ipse, ut quidam fur, & qui fuit causa, ut sic inutiliter, & male acciperet, & dispenderet eos, iuxta extrauag. 2. de simon. Per has autem non redditur titulus nullus, ut supra dixi, & ita durante ignorantia iuste tenet beneficium, iusteque potest dispendere fructus eius, nec tenetur restituere eos post habitam de tali simonia notitiam, Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- I** *Resignatarius nolens soluere pensionem alij, quam resignanti, reseruata, prætextu confidentia admiffa, ius suum elidit.*

C O N S I L I V M X X X I.

Resignauerat A. suum Canonicatum in manibus Pontificis in fauorẽ B. cum reseruatione certæ pensionis in fauorem cuiusdam C. Bullæ omnes fuerunt expeditæ, & sic virtute Bullarum Apostolicarum de reseruatione dictæ pensionis in fauorem dicti C. hæredes prædicti C. petunt ab ipso B. solutionem pensionis ab hinc aliquibus annis decursarũ, Ipse B. respondet, illas non debere, quia fuit imposita prædicta pensio ad sustentandam, & alendam familiam, & filios prædicti A. resignantis, quod promittit se probaturum, atq; ideo esse confidentiam, & non debere pensionem. hæredes prædicti C. replicant contrarium. Quæritur quid iuris?

- I** Respondeo primo, quod replicatio hæredis prædicti C. est iuridica, videlicet, quod prædictus B. debet soluere pensiones decursas nondum solutas, vel quod ipse B. debet relinquere Canonicatum, super quo constituta fuit pensio. Si enim constitutio pensionis non valuit; quia in renuntiatione interuenit confidentia annullans constitutionem pensionis, à fortiori interuenit confidentia annullans renuntiationem, ob quã fuit pensio constituta; quia magis vetatur renuntiatio fiduciaria, quam pensio ob eam constituta, vt colligitur ex ipsismet extrauag. Pij iij. & Pij v. quarum partes necessarias retulimus ad verbum in Man. cap. 23. n. 110.

Secundo respondeo, quod non interuenit in casu proposito confidentia illa illicita, & simoniaca, tam grauius a prædictis Pijis punita quoad forum conscientia, si inter ipsum A. & B. vel C. non interuenit pactum, vt pensio constituenda redderetur in sustentationem, & alimenta filiorum suorum, licet intentio ipsius fuisset illa, & licet ideo renuntiaret canonicatui, sperans, quod id postea ipse C. faceret, per ea, quæ ipse scripsi supra num. 109. & paulo post in notabilibus extrauag. Pij v. nu. 110.

Tertio, quod si prædictus B. legitime probauerit prædictam conuentionẽ interuenisse, immo & si probauerit intentionem principalem ipsius A. constituendi pensionem, fuisse, vt illa cederet sustentationi filiorum suorum, iudicabitur pensio illa constituta per confidentiam præsumptiue illicitam, & ita esse inualidam; & eadem ratione iudicabitur renuntiationem Canonicatus, super quo fuit posita pensio, præsumptiue fuisse factam

S V M M A R I V M.

- 1 *Renuntiatio fructuum decursorum inter collitigantes non est simoniaca, nisi &c.*

C O N S I L I V M XXXII.

Quidam præsentatus ab aliquibus patronis omisit litigare super sua præsentatione multo tempore litigantibus alijs super iure beneficij, ad quod fuit ipse præsentatus, & cum concordassent alij certo modo cum beneplacito Sedis Apostolicæ, tam super iure beneficij, quam fructibus, etiam decurrendis. Quæritur an possit ipse sine auctoritate Papæ consentire illi concordiæ, quatenus fuit facta super fructibus sine vlllo iuris sui, siue præsentationis præiudicio absque simonia.

- 1 Pro parte affirmatiua facit, quod per huiusmodi consensum, nihil iuris spiritualis traditur, nec recipitur, nec fit vllum pactum super re spirituali de relinquendo, vel tradendo illam. ergo non est simonia, argu. definitionis eius, quæ ponitur in sum. 1. q. 1. Secundo, quod nullo iure videtur prohiberi, quod volens litigare super iure alicuius beneficij cum vno non possit renuntiare fructus eius alij, qui litigauit super eodem beneficio cum alio, vel alijs, præsertim post concordiam inter eos habitam.

Pro parte vero negante videtur facere, quod renuntiatio iuris petendi fructus decursos, quos præten dit sibi debitos fore casu quo sua præsentatio iudicaretur valida; & sequatur institutio, corroboratur ex eo, quod acquirit sibi fauorem notabilem eorum in quorum vtilitatem renuntiat ius illud petendi fructus: quia sunt patroni, vel personæ quibus patroni beneficij fauerunt, & fauent, & indirecte obligaretur ad fauendum huic renuntianti fructibus obligatione saltem antidorali. Quamuis eius remissio non videatur inducere simoniam, iuxta dicta in Manu. Confess. cap. 23. a nu. 106. attamen videtur esse quoddam pretium ad retinendum patronos qui eum præsentarunt, & ad inducendum alios ad præsentandum eum de nouo. & præterea remissio hæc fit, vt hi quibus illa fit prosequantur litem, quam gerunt cum illo, cum quo remissor gesturus est aliam, & ita videtur soluere pretium, vt ei faueant quo adius non dum quæsitum, sed quærendum virtute præsentationis parum validæ. Quare tutius foret facere illam cum beneplacito Sedis Apostolicæ.

S V M M A R I V M.

- 1 *Confidentiam illicitam non admittit impetrans alicui beneficium, & confidens, quod illud postea in sui fauorem sit renuntiaturus. nu. 5.*
- 2 *Confidentia an alterius tantum partis conscientia admittatur. nu. 5.*
- 3 *Beneficium alicui procurans, vnde sibi vel alij quid eueniat, simoniacus.*
- 4 *Confidentia tantum illicita bullis Pij. IIII. & V. damnata.*

C O N S I L I V M XXXIII.

Quidam residens Romæ monitus a fratre suo de vacatione cuiusdā beneficij, vt illud impetraret sibi, illud impetrauit pro fratre suo, & expediuit literas, quas misit ad fratrem, ad quem etiam scripsit literas priuatas, quibus significabat noluisse impetrare illud beneficium pro se, sed pro illo, ea spe quod ipse renuntiaret illud in fauorem eius, quando esset adeptus sustentationem sibi decentē, & frater in Hispania manens accepit possessionem, quam tres annos continuauit, post quos frater, qui impetrauit, existens Romæ, rogauit prædictum fratrem, vt resignaret prædictum beneficium in sui fauorem, & frater in Hispania manens, statim misit mandatum ad resignandum, & scripsit ei, quod ea mente semper possedit illud, vt resignaret in suum fauorem, quando cunque vellet, & ita resignatione facta, & expeditis literis accepit possessionem. Quæritur an in præmissis interuenerit vlla confidentia damnata?

- 1 Pro parte affirmante facit primo, quod frater residens Romæ impetrauit beneficium pro fratre suo, confidens, quod ille renuntiaret illud in suum fauorem, quando ipse vellet. ergo habuit confidentiam, quod ille resignaret. cum confidens habeat confidentiam, sicut amans amorem, & cognoscens cognitionem, cum anima hominis non per se ipsam, sed per qualitates, & euentia a se producta intelligat, & appetat, sicut etiam angelus, quia solus Deus est simplex sine vlla compositione, cap. firmiter de summa trinit. etiam formæ ad subiectum, vt ibi ait gloss. ita quod ipsemet est sua intelligentia, & voluntas, vt declarant omnes in 1. sentent. distinct. 9. & S. Thom. 1. p. q. 3. art. 6.
- 2 Secundo, quod fel. rec. Pius V. in sua extrauag. intolerabilis, quam referimus in Manual. Confess. cap. 23. num. 110. inter alia constituit, sufficere ad constituendam confidentiam, vt vnus inter quos dicitur habita habuerit illam, vt colligitur ex illis verb. *etiam sola dimittentis intentione receperit.* & ex illis. *licet ipsum confidentie crimen alterius tantum partis*

partis conscientia sit admissum. Cum ergo orator tempore impetrationis habuerit confidentiam, licet frater eius id nesciret, videtur contracta confidentia.

3) Tertio, quod procurans, & quærens alicui beneficium, vnde ipse, vel alius cognatus eius accipiat aliquod commodum, videtur confidentiam beneficalem admittere, vt prædictus Pius V. videtur expresse dicere.

Quarto, quod frater existens in Hispania renunciauit in fauorem fratris, qui Romæ impetrauit, propter confidentiam, quam habuit de ipso frater impetrans.

4) His tamen non obstantibus, contrarium videtur iudicandum, saltem in hoc foro conscientie. Tum quia extrauagantes illæ Pij iij. & Pij v. non damnant, nec puniunt omnem confidentiam, sed solum illicitam, & simoniacam, & quæ ante illas extrauag. erat illicita, per ea quæ nos vbi supra nu. 109. scripsimus, quæ ibi legi possunt. At confidentia prædicti fratris impetrantis non erat ante illas extrauag. illicita per scripta vbi supra nu. 109. vers. ad duodecesimum, quæ etiam ibi videri possunt. Tum quia, si prædictus orator ob prædictam spem, & confidentiam iudicandus esset admisisse confidentiam illam damnatam, & punitam à prædictis Pijis, consequeretur omnes fere collatores, electores, & præsentatores, qui conferunt beneficia suis cognatis, familiaribus, & amicis, aut præsentant eos ad illa, immo & intercessores, & impetratores, qui procurant, vt beneficia conferantur eis, dicerentur admittere confidentiam; quod tamen dicere, & iudicare esset absurdum, & ab omni humana societate, & charitate Christiana alienum. quotus enim quisq; præfatorum facit prædicta, qui non speret, & confidat, quod ille cognatus, familiaris, vel amicus, cui confert, vel quærit beneficium, aut præsentat ad illud, non speret aliquam gratitudinem ab eo, & confidat, quod ipse erit sibi gratus, & faciet in gratiam eius aliquod magnum, vel parum? Quotus item quisq; est, qui recipit beneficium, qui non concipiat animum retribuendi, & ostendendi aliquam gratitudinem erga beneficientem sibi: cum iure ipso naturæ sit constitutum, vt beneficientib. beneficiamus. l. si non sortem. §. libertus. ff. de condic. indeb. adiuncta eius glos.

5) Non obstant opposita. Ad primum enim respondetur, concedendo prædictum oratorem habuisse quidem confidentiam, negando tamen, quod illa fuit illicita, & simoniaca damnata, & punita à prædictis Pijis, sed licita, & honesta, iurique naturæ consona: quia nullum pactum, nec vlla conuentio interuenit ante impetrationem, nec literarum expeditionem inter ipsum, & fratrem suum, & contra iuris canonici expressos canones: & dicere quod est illicitum sperare aliquod beneficium ecclesiasticum à prælato, vel ecclesia, cui seruit, vel ab hero, siue patrono intercessionem ad habendum illud, modo celsent pacta, & obligationes ciuiles additæ obligationi naturali, & antudorali, qua beneficiarius te-

netus

netur beneficio, cap. si officia. 59. disti. & cap. quid proderit. 61. distin.
Ad secundum respondeo id, quod respondi vbi supra nu. 110. in ad
nota. 1. & 6. addita extrauag. Pij v. quod ibi videri potest.

Ad tertium respondeo, quod Pius v. non damnat omnes, qui procurant
alijs beneficia, sed solum qui procurant, vt de illis postmodum ad libi-
tum suum disponatur, fructus etiam percipientes illorum. quod non fe-
cit prædictus frater impetrans, vt constat ex facto.

Ad quartum responderetur, quod, sicut confidentia bona, & licita ni-
hil nocet licite confidenti, nec actui, quem licite confidendo facit per
prædicta, & quia res, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit,
cap. 2. de constitutio. sic nihil debet nocere illi, qui facit illud, quod li-
cet, per regulam sine culpa sua non est quis puniendus, cap. sine culpa sua
non est quis puniendus. de reg. iur. lib. 6. & ita quotidie maximi prælati,
& domini conferunt, & conferri procurant aliqua beneficia aliquibus fa-
miliaribus, de quibus cõfidunt, quod facient ea, quæ iuste ipsi rogauerint,
nullo tamen pacto præmissõ, nec vlla promissione de faciendo ea, quæ
ipsi rogauerint, & postea rogantes eos, vt illa beneficia renuncient libere
in manibus suis, vel in manibus Papæ, vt conferantur alijs dignioribus,
vel sibi ob aliquod iustum respectum gratioribus libenter, & licite rogata
præstant, quos nemo iudicat, nec licite potest iudicare confidentiam il-
licitam committere per prædicta: & quia alioqui bona pars maximorum
prælatorum, & dominorum periret, quod tamquam absurdum non est
dicendum. l. nam quod absurdum. ff. de bonis liber. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Intellectus extrauag. cum primum. Pij V. in simoniacos. & seqq.
- 2 Irregularitas post adeptum beneficium vacationem ipso iure non inducit.
- 3 Pœna, antequam infligatur, conscientiam non ligat.
- 3 Pœna in dubio per verba futuri temporis non censetur ipso iure imposta.
- 4 Clausula in vna parte dispositionis posita, vbi est eadem ratio, ad omnia re-
fertur.
- 5 Simoniacus in beneficio antiquo iure ad alia non erat inhabilis.

CONSILIVM XXXIIII.

AN commitens simoniam hodie in beneficio fiat ipso iure inhabilis
ad illud, & quodcunque aliud adipiscendum, & iam adeptum?
Decisio huius quæstionis dependet ex intellectu extruag. cum pri-
mum.

1 **mum . Pij. V.** qua est folio 9. & 12. libri suarum const. si enim illa ita intelligatur, vt pœnæ in ea contra simoniacos in beneficio institutæ ipso iure absque alia sententia in foro conscientia censeantur inflictae, & quod inducit inhabilitatem, tam ad beneficia adepta, quam adipiscenda, est vno modo respondendum, si vero intelligatur, vt non habeat locum in beneficijs iam adeptis, nec in adipiscendis, nisi post sententiam, est aliter respondendum.

2 Sed ille extrauagans non habet locum in beneficijs per simoniam adeptis. Tum quia de illis non facit expressam mentionem, & est constitutio, & ita restringenda cap. odia de reg. iur. lib. 6. Tum quia inhabilitas, & irregularitas post beneficium quæsitum non inducit vacationem illius ipso iure, homicidium enim, & irregularitas inde nata non priuat homicidam suo beneficio ipso iure, iuxta Innoc. recep. in cap. cum nostris. de concessio. præbend. & probatur in cap. clericis, nec clericus, vel monach. & cap. ex fororis, de excessibus prælato. & vtrouique Panor. Tum quia non est recedendum a iure antiquo, nisi quatenus per nouū exprimitur, l. præcipimus. C. de appellat. Et sic præfata extrauag. ita videtur intelligenda, vt non censeatur habere locum in foro conscientia ante sententiam. Tum quia pœna non ligat conscientiam ante illam inflicta[m] iuxta gloss. solenn. in cap. fraternitas 12. q. 2. & Sanct. Thom. in 2. 2. q. 62. art. 4. Tum quia pœnæ sunt restringendæ, cap. pœnæ de pœnitent. dist. 1. & in dubio pœna per verba futuri temporis statuta nõ censetur ipso iure imposita, iuxt. gloss. in cap. in pœnis de reg. iur. lib. 6. & pœnæ præfatæ per verba futuri temporis imponuntur. Tum quia cõtextus eius triplicis generis pœna punit simoniacos, scilicet in ordine, dignitate, & beneficio, & punitos non punit, nisi conuictos. ergo non videtur punire alios, nisi etiam fuerint conuicti, quia clausula posita in

3 ante sententiam. Tum quia pœna non ligat conscientiam ante illam inflicta[m] iuxta gloss. solenn. in cap. fraternitas 12. q. 2. & Sanct. Thom. in 2. 2. q. 62. art. 4. Tum quia pœnæ sunt restringendæ, cap. pœnæ de pœnitent. dist. 1. & in dubio pœna per verba futuri temporis statuta nõ censetur ipso iure imposita, iuxt. gloss. in cap. in pœnis de reg. iur. lib. 6. & pœnæ præfatæ per verba futuri temporis imponuntur. Tum quia cõtextus eius triplicis generis pœna punit simoniacos, scilicet in ordine, dignitate, & beneficio, & punitos non punit, nisi conuictos. ergo non videtur punire alios, nisi etiam fuerint conuicti, quia clausula posita in

4 in vna parte dispositionis, siue ponatur in principio, siue in medio, siue in fine, censetur referri ad omnia contenta in illa, cap. secundo requiris. de appellat. modo eadem ratio referendi sit in omnibus, vt pulchrè Dec. post alios ibi resoluit, & in prædict. tribus cap. eadem ratio inuenitur. sic enim habet contextus. *Quicumque igitur detestabile crimen simoniae prauitatis commissæ conuictus fuerit, in consequendis ordinibus, eo ipso sit ab illorum executione per decennium sine specie dispensationis suspensus, & per annum carceribus mancipetur, qui dignitates ecclesiasticas simoniace acquisierit, illis sit ipso iure priuatus, & in futurum inhabilis, ad eas, & quasunque alias obtinendas. Qui beneficium, aut officium ecclesiasticum simoniace adeptus fuerit illis similiter sit pro iure priuatus, & ad fructuum omnium, quos perceperit restitutionem teneatur, & perpetuo sit inhabilis ad ea, & quasunque alia beneficia ecclesiastica obtinenda.*

5 Non obstant illa verba (eo ipso) ter repetita in dicta ecclesia. Tum quia certum est primæ pœnæ non esse locum ante conuictionem. Attamen

men in illa parte, in qua illa ponitur sunt posita illa verba, quæ referri videntur ad priuationem iuris, quod videbatur quæri, & ad annulationem actus simoniaci, & adeptionis beneficij, & non ad inhabilitatem, quod ad illa. Partim quod non est eadem ratio referendi, cum iure antiquo adeptio simoniaca esset ipso iure nulla per extrauag. 2. de simonia. inhabilitas autem ad alia sit contra illud. Partim quod alioquin verba illa. *si conuictus fuerit*, essent frustratoria. Cum etiam, vt prædictum est, in impositione primæ pœnæ ponuntur illa verba, (eo ipso) Partim denique quod ponuntur post illa verba. *si conuictus fuerit*. & ita ad verificationem eorum prærequiritur coniunctio. Tum quia pœnas per illam constitutionem inductas quo ad alia quædam delicta non deberi ipso iure, sed per sententiam ostensum fuit in miscela. 46. de oratio. num. 2. Tum denique quod meo iudicio, a paucis est prædicta constitutio quoad hunc effectum vsa recepta, licet a plurimis circa beneficia, simonia committatur, & lex qua non est vsa recepta, non ligat §. leges. 4. dist. & gloss. recept. cap. 1. de treg. & pac. Quod post alios vtiliter applicauimus ad quandam legem partim recep. partim non in Manual. Confess. 23. num. 62. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Simoniacus in ordine suspensus est, & excommunicatus num. 6.*
- 1 *Simoniacus deponi potest, sed non est ipso iure depositus num. 6.*
- 2 *Collatio irregulari, vel inhabili facta, est ipso iure nulla.*
- 3 *Pœnam nullam ipso iure incurri, nisi lege caueatur.*
- 3 *Simoniacus in beneficio relicto eo, & acta pœnitentia celebrare valet.*
- 4 *Beneficium per simoniam a se ignotam adeptus potest illud nisi sit dignitas, vel curatum dispensante Episcopo habere.*
- 5 *Simoniacus in beneficio occultus absolutione secuta aliud adipisci non vetatur, sed non illud ipsum sine dispensatione num. 7.*
- 7 *Intrusus in beneficio, vt sit ad illud licet non ad alia, inhabilis, ita & simoniacus.*

C O N S I L I V M X X X V.

AN simoniacus in beneficio sit irregularis, et inhabilis ad obtinendū alia beneficia?

- 1 Pro parte affirmante facit cap. penult. de electio. quatenus videtur habere, quod dispensatio episcopi ad id requiritur: secundo quod simonia non solum est crimen, quod meretur depositionem, cap. tanta de simon. sed

sed etiam eam inducit ipso iure, vt per locum a fortiori probat cap. recusatam de simon. & illam admittens in ordine, vel beneficio est hodie excommunicatus per extrauag. 2. de simo. Tertio quod collatio facta homicidæ, vel alias irregulari, est ipso iure nulla, licet per homicidium, & irregularitatem non perdantur ipso iure beneficia prius adepta secundum Innocen. recte intellectum in cap. cum nostris de concessio. præben. Quarto quod simoniacus in beneficio non potest habere illud. neque aliud si per se commisit simoniam, vel per alium se volente vt visus est aliquibus resolueri Panor. in cap. de simoniace, de simon. nu. 7.

3 Pro parte vero negante, quæ tenenda est facit. Primo quod nulla pœna est dicenda ipso iure incurri, nisi lege id caueatur glo. solem. & recep. in cap. fin. de iure pat. et quod nulla est, quæ irregulariter infligat simoniaco in beneficio. Secundo, quod irregularitas non incurritur nisi in casibus expressis a iure cap. is qui de senten. excom. lib. 6. At nullibi exprimitur fieri quem irregularem ipso iure ob crimen simoniæ in beneficio commissum. Tertio quod Innocen. quem nos retulimus in Manua. confes. cap. 23. nu. 111. dicit expresse in d. cap. tanta, quod simoniacus in beneficio non est suspensus, et ideo relicto illo acta pœnitentia potest celebrare, quod non posse si esset irregularis, vt dicimus in d. Manua. cap. 27. nu. 194. arg. cap. fin. de tempo. ordin. et cap. inquisitionis de accusatio. Quarto, quod adeptus beneficium per simoniam a tertio commissam, et a se ignoratam, licet teneatur renuntiare, illi potest tamen illud ipsum habere per dispensationem episcopi, nisi sit prælatura d. cap. penult. Quinto quod nullo iure videtur caueri, quod adeptus aliquod beneficium per simoniam, etiam a semetipso, vel se volente commissam non possit adipisci aliud sine dispensatione, modo simonia non sit notoria, vel non sit condemnatus de illa, et ipse simoniacus sit absolutus ab excommunicatione, quam ob illam simoniam incurrit, & Panor. in sua longa dist. d. cap. de simoniace. Solum dicit, quod solum adeptus per simoniam propriam aliquod beneficium, etiam si sit simplex, non potest habere illud per dispensationem episcopi, de alijs autem nihil dicit neque glos. ordinaria, cap. 1. 1. q. 5. neque glossa cap. ex multis 1. q. 3. neque glos. d. cap. de simoniace neque glos. cap. post translationem de renuntia. nec vlla alia id dixit neque Felin. qui per omnia sequitur Panor. in d. cap. de simoniace de eo aliquid dixerunt.

6 Ad primum oppositorum respondeo quod loquitur de simoniaco in ordine, vt colligitur ex eius glos. qui licet non, sit irregularis est tamen suspensus iure nouo extrauagantis 2. & antiquo d. cap. tanta adiuncta gl. magna de simonia & ideo non solum eget dispensatione ab excommunicatione. sed etiam a suspensione.

Ad secundum, concedo simoniacum etiam in beneficio posse deponi, sed nego esse ipso iure deposita, & nos loquimur de irregularitate ipso

iure imposta. Concedo item esse ipso iure excommunicatum, & consequenter quod durante excommunicatione est inhabilis ad omnia beneficia, sicut quilibet alius excommunicatus, sed nego quod sit irregularis, ita quod acta pœnitentia, & absolutione secuta non possit habere alia beneficia, quia id nullo iure cauetur.

Ad tertium concedo collationem beneficii factam homicide, vel alias irregulari, etiam post pœnitentiam esse ipso iure nullam: nego tamen per simoniam induci irregularitatem nisi secuta sententia condemnatoria, quæ infamat ut dicit Panor. in d. cap. de simoniace.

Ad quartum nego id dici a Panor. ut supra dictum est, & quando diceret profecto erraret: quia sine textu, & iusta ratione id affirmaret, quod tamen ut prædixi nullatenus facit.

- 7 An autem adeptus beneficium per simoniam propriam & consequenter excommunicatus per iura nova excommunicatione Papali, & absolutus ab illa possit noue habere illud ipsum beneficium, saltem si occulta est simonia, quæstionis est, & videtur quod non: primo quia etiam obtentum per simoniam alienam se volente admissam non potest retineri etiã cum dispensatione Episcopi; si est dignitas, vel beneficium curatum cap. penult. de electio. secundum receptiorem sententiam, pro qua est bonus textus, qui de Episcopatu agit in cap. post translationem de renuntiat. Secundo quod Panor. ubi supra recept. ab alijs simpliciter determinat eum, qui per Simoniam propriam adeptus est aliquod beneficium non posse illud retinere etiam per episcopi dispensationem, ita quod videtur resoluendum, quod licet possit quis obtinere per dispensationem Episcopi beneficium simplex obtentum per simoniam alienam se ignorante commissam post renuntiationem liberam statim factam post certificationem, & alias sine vlla dispensatione obtentum tamen per simoniam propriam vel se volente admissam non potest habere sine dispensatione saltem Episcopi, etiam si sit simplex, potest tamen habere alia post absolutionem ab excommunicatione, ut supradictum fuit.

- 8 Non obstat, quod sicut homicidium sublata irregularitate est capax cuiusvis beneficii, ita simoniacus sublata excommunicatione non videtur habere impedimentum vllum ad illud, cum non sit irregularis, nec suspensus ab officio, quin per titulum nouum illud acquirere possit, quia responderi potest, quod sicut intuitus in aliquo beneficio sit inhabilis ad illud, licet non ad alia, cap. quisquis de electio cap. 1. de concess. præben. & alia multa adducta per Fel. in cap. in nostra nu. 12. corol. 2. de rescrip. ita adeptus aliquod beneficium per simoniam propriam sit inhabilis ad illud licet non fiat inhabilis ad alia.

Quæ supradicta omnia licet vera sint secūdam iura antiqua quæ præcesserunt Pium V. extat tamen eius extrauag. Cum primum edita anno 1566. per quam pater. An simoniacus in beneficio fiat inhabilis irre-

irregularis vel suspensus ipso iure late dictum fuit in proximo præcedenti consilio.

S V M M A R I V M.

- 1 Renuntians beneficium cum spe, quod ordinarius conferet cui ipse volet, non peccat.
- 2 Confidentia illicita etiam intentione alterius partis a Pio V. prohibita.
- 3 Constitutio Pij V. præcipue ad inducendum modos confidentiam probandi tendit.

C O N S I L I V M XXXVI.

Multi renuntiant beneficia sua in manibus ordinarij pure, simpliciter, & libere, concepta tamen spe, quod illi conferant ea illis, quibus ipsi volent, vel quod patroni præsentabunt ad ea, quos ipsi volent, nullo tamen pacto, nec modo, nec conditione super hoc expressis. Quæritur an huiusmodi peccent, & incidant in pœnas contra renuntiantes cum confidentia per Pium V. impositas in extrauag. cuius tenor exprimitur in nostro Manu. Confess. cap. 23. num 100.

- 1 Respondeo, quod non. Tum quia nihil videtur fieri ab eis illicitum, neque interuenit voluntas id faciendi, & consequenter non est peccatû, cum omne, quod est tale, sit transgressio alicuius legis iustæ, vel voluntas eam transgrediendi. §. definitio. 15. q. 1. & cap. nam concupiscentiam. de constit. Tum quia nullo iure naturali, diuino, nec humano talis spei conceptio prohibetur. ergo non est dicendum esse prohibitum, cap. legatur 24. q. 2. §. consideremus. auth. de trien. & semis. col. 3. non obstat extrauag. fel. rec. Pij. V. de confidentia, quatenus in duobus locis reprobatur confidentiam procedentem ex solo animo, & conscientia renuntiantis, vel conferentis, vel præsentantis. non inquam hoc obstat.
- 2 Tum quia loquitur de confidentia illicita, de qua Pius III. edixit: nam constitutio interpretans aliam intelligenda est secundum terminos interpretatæ authen. constitutio hæc interp. §. 1. colla. 6. & extrauag. Pij V. facta fuit ad interpretandum dictam extrauag. Pij III. & consequenter intelligenda de confidentia illicita, quia ex multis locis illius colligitur eam constituere de tali. Tum quia illa constitutio Pij V. non emanauit tantum ad declarandum, quæ confidentia sit illicita, quantum ad inducendum modos probandi eam per indicia, & præsumptiones, vt ex eius tenore patet, quod ad forum contentiosum pertinet, & non ad forum conscientia, in quo cessant præsumptiones, cap. tua, & cap. is, qui

de sponſalib. & cap. humanæ aures . 22. q. 5. cum ei à nobis late adnota . Tum quia alioquin conſequeretur, quod fere omnes, collatores, electores, & præſentatores, etiam Cardinales, Archiepiſcopi, & Epifcopi, Reges, Duces, &c. admitterent confidentiam illicitam, & animabus ſuis mortiferam: nam fere nemo illorum eſt, qui non concipiat aliquam ſpem alicuius gratiæ referendæ ſibi a beneficiario, quem eligit, vel præſentat, vel cupit, vt per renuntiationem ſuam ei conferatur, quod omni iure naturali diuino, & humano licet, cum omni tali debeat quis eſſe gratus beneficienti, l. ſi non fortem §. libertus. cum gloſſ. ff. de condiſt. indeb. cap. cum in officijs. de teſtament. & tradit S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. & præſupponit iuriſconſultus in l. ſed & ſi §. conſuluit ff. de petitione hæred. Adde, quod idem videtur dicendum de his, qui impetrant aliqua beneficia a ſancta Sede Apoſtolica, vel aliunde, concepta ſpe, quod renuntiano ea in alios, conſequentur aliquam penſionem, vel vtilitatē legitime conſtituendam, dummodo nullo pacto, vel conditione, expreſſe, vel tacite id fiat, cum nullo iure ad plus videatur prohibitum, quam id, quod ſuperius eſt determinatum.

S V M M A R I V M.

- 1 Reſeruatione penſionis ſine Papæ auctoritate eſt ſimoniaca .
- 1 Beneficium abſque titulo capiens peccat, & patronus poteſt præſentare, non conferre .

C O N S I L I V M XXXVII.

Quidam A. habet ſimplex beneficium de iure patronatus laicorum quærit mutuo pecunias a B. amico ſuo, quas vt facilius ab eo habeat, ſeu inueniat, dixit ſe velle dictum beneficium reſignare, & iſte B. cogitauit pro filio ſuo, cui prædictus A. reſignauit dictum beneficium cum reſeruatione medietatis fructuum, ſine tamen conſenſu, & auctoritate Apoſtolica, & cum literis patentibus patroni eiufdem beneficij fuit capta poſſeſſio illius, & poſt quinque annos a die captæ dictæ poſſeſſionis fuit ſequuta inſtitutio ſimplex ordinarij, & ſine aliqua narratione dictæ reſeruationis penſionis, & tranſactis multis annis, A. qui habuit pecunias, voluit compenſare cum medietate dictorum fructuum ſibi reſeruatorum ex dicta conuentione, ac demum dictum beneficium ſimplex fuit dimiſſum, & reſignatum cuidam alteri attinenti eiufdem B. qui retinebat quandam aliam parochialem in confidentia, qui pro eo quod ipſe retrocederet dictam parochialem eidem prædicto filio, ipſe prædictus

prædictus filius dimisit illi dictum simplex beneficium, de quo factus filius erat ignorans. Pater autem sciens de dicta confidentia parochialis, notitiam dedit Sanctissimo, sed forsitan non habuit notitiam de dicto beneficio simplici sic, ut dictum est, resignato, & dimisso, & illius possessione adeptam cum reservatione medietatis fructuum ex conventionem partium, & sine literis, & absque auctoritate Apostolica. Quæritur quid agendum B. ut suæ conscientiae consulatur?

- 1 Respondeo primo, A. & B. commisisse simoniam realem, & consequenter incidisse in excommunicationem latam contra simoniacos in beneficio, in extrauag. 2. de simon. Secundo licet filius B. non incurrisset simoniam, nec communiter excommunicationem prædictam, peccauit tamen grauiter accipiendo, & retinendo possessionem prædicti beneficii simplicis absque titulo Apostolico, nec ordinarij, contra cap. 1. de reg. iur. lib. 6. cum patronus non habeat potestatem dandi, vel conferendi beneficia, sed solum præstandi ad illa, iuxta totum titulum de iure patronatus, & ita tenetur restituere omnes illos fructus male perceptos. Tertio, quod in quæst. non narratur, saltem satis aperte, ad quid fuit facta Sanctissimo D. N. mentio de confidentia, nec dicit quid fecerit, vel induxerit super ea Sanctitas sua, neque qualis fuerit translatio illa beneficii simplicis in illum, qui habebat parochialem in confidentia, & qualis translatio parochialis in filium B. & ideo non possum ego certam super re incerta ferre sententiam, iuxta cap. iudicando, 31. dist. Salua, quæ iustior fuerit sententia.

S V M M A R I V M.

- 1 *Spiritualia sub conditione, quæ iure inest, dari, & remitti possunt.*
- 2 *Renuntiare beneficium intentione, ut alteri detur, iure non vetatur.*
- 3 *Simoniam non est mandare alicui, ut renuntiet beneficium, & postea roget, vel rogare faciat collatorem, ut illud tali conferat.*

C O N S I L I V M XXXVII.

Quod renuntiare beneficium intentione, ut conferatur alicui, videtur esse veritum per Pium V. in bulla eius quam nos referimus ad literam in nostro Manu. Confess. cap. 23. num. 110. & per extrauag. eiusdem quæ incipit. Quanta. pro quo facit, quod quamuis spiritualia possint dari, vel dimitti sub conditione, vel modo qui iure inest, cap. significasti de elect. & l. 3. ff. de leg. 1. & tradit vtiliter Felin. in c. ad audientiam 2. de rescript. & de iure in fit conditio, vel modus, ut be-

Q 4 beneficium

beneficium ab vno renuntiatum conferatur alteri, non tamen iuri inest, quod conferatur illi, aut illi, certæ personæ, & omnis conditio, & modus, qui exprimuntur aliter quam iure infunt, inducunt simoniam, cap. cum pridem, & cap. fin. de pactis. sed nos contra respondimus in dict. 2 nostro Manu. vbi sup. num. 107. & 110. ver. sexto nota. Tum quia nullo iure id cauetur, & gloss. sing. recep. in cap. ordinationes. 1. q. 1. id tenet. Tum quia, tam illud, cap. ordinationes, quam cap. qui studet. ead. cau. & q. requirunt dationem, & receptionem, vel pactum, vel conditionem, vel modum expressum dandi, vel recipiendi. Tum quia renuntiare sola intentione, vt alteri detur, non est simonia, quia non conuenit ei definitio eius, quæ secundum gloss. recep. in summa 1. q. 1. & declarata a nobis post in cap. 23. num. 100. est voluntas studiosa emendi, vel vendendi spirituale, vel spirituali annexum, qualis non est voluntas sola resignandi, sine pacto conferendi illud factò a collatore, neque potest dici contractus non gratuitus, neque gratuitus, nec voluntas contrahendi gratuito, neque non gratuito cum eo, cui conferendum est illud. Tum quia qui nimis emungit elicit sanguinem, Prouerb. cap. 30. & transfertur in cap. denique 4. dist. Tum quia id expresse tenuit S. Anton. 2. p. tit. 1. cap. 5. §. 11. Tum quia minus principalis intentio accipiendi, vel dandi aliquid temporale pro spirituali non efficit simoniam, vt probatur post alios in d. cap. 23. num. 100. & vt plurimum qui renuntiat beneficium sola intentione, vt detur alicui, principaliter renuntiat ob aliquid aliud, quam vt detur illi. Tum quod Domini Rotæ declarauerunt, non committere simoniam eum, qui dedit mandatum ad renuntiantum cum clausula, vt post admissam renuntiationem alicui amici rogarent collatorem, vt conferret ei, cui volebat renuntians, vt refert Cassad. in dec. 2. de simon. & certum est ex tali mandato colligi intentionem renuntiantis fuisse, vt ei conferretur. Tum quod vix vllus est, qui renuntiet sponte suum beneficium, qui non habeat intentionem tacitam, vel expressam, principalem, vel minus principalem, mediatam, vel immediatam, vt conferatur alicui, & ita esset iniicere laqueum quamplurimis excusatum, contra cap. de viduis 27. q. 1. Tum quod nõ obstat constitutio Pij V. quia est intelligenda de intentione tacite, vel expresse in conuentionem deducta.

Neque etiam obstat eiusdem Pij V. constitutio de confidentia, quia non probat definire ipsum, quod sola illa intentio efficiat simoniam, sed quod præsumatur simoniaca, vt in d. Man. dicitur, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Simonia remittere debitum pro constitutione pensionis, sed non excommunicat. 3.*
- 1 *Pensio beneficalis, licet sit quid temporale, pecunia emi, nec redimi potest.*
- 2 *Emptionis, & venditionis nomine in materia simoniae omnis contractus non gratuitus venit.*

CONSILIVM XXXIX.

Quidam Canonicus debebat 200. annua fratri suo, qui rogavit eum, ut consentiret reservationi pensionis 200. ducatorum super canonicatu suo in fauorem filij sui, & nepotis eius, & quod ipse remitteret ei obligationem soluendi sibi prædicta 200. annua. quæ omnia facta sunt. Queritur an constitutio pensionis valeat, & an ambo inciderint in excommunicationem?

- 1 Respondeo primo, quod prædicta constitutio fuit simoniaca; quia licet pensio non sit quid spirituale secundum sententiam Panormitani receptam, Felini, & aliorum omnium, excepto Andrea Siculo, in c. ad audientiam. il. 2. de rescrip. per illum textum. & c. quamuis, vbi Dom. & alij idem tenent, de præben. lib. 6. tamen non potest iuste emi secundum omnes, nec redimi secundum fere omnes absque autoritate Apostolica, contra Card. Caietan. qui licet teneat posse redimi sine illa, non tamen concederet posse emi: & in casu proposito agitur de constituenda pensione per emptionem, siue contractum non gratuitum Papæ occultum, & ita etiam secundum illum hoc non potuit fieri: in materia enim simoniae, quæ definitur esse emptio, vel venditio studiosa rei spiritualis, vel ei annexæ pro temporali, vel contra secundum glos. 1. q. 1. receptam à S. Tho. 2. 2. q. 100. art. 1. & omnes nottos in Rubrica de simonia. In materia inquam simoniae, appellatione emptionis, & venditionis venit omnis contractus non gratuitus secundum omnes, quos etiam sequimur in Manu. nostro c. 23. nu. 100. cuius conclusionis rationem nouam, & verissimam videmus premi tulisse in sacrae pœnitentiariæ Prætorio, scilicet quod pensio, de qua loquimur, licet non sit res spiritualis, est tamen annexa rei spirituali, videlicet beneficio; & sicut emptio rei spiritualis est simoniaca, ita est etiam emptio rei annexæ spirituali, ut prædicta glos. recepta dicit.

Secundo respondeo, quod licet prædicti duo fratres peccauerint, etiã
mo.

mortaliter, conuentionem prædictam simoniacam faciendo, & exequendo: arbitror tamen eos non incidisse in excommunicationem, vt alias in prædicto Prætorio dicere noue memini, & addimus in Manu. vbi supra nu. 111. quia iura non excommunicant omnes simoniacos, sed solū simoniacos in ordine, & beneficio, iuxta extrauag. 2. de simon. & receptā sententiam, quam etiam sēl. record. Pius V. in extrauag. Cum primum, sensisse videtur, & simonia, de qua agimus non est super beneficio, vt prædictum est.

Tertio, quòd Consulens Christiane, prudenter, & vtiliter ager postulando a S. D. N. super prædictis absolutionem. Tum & necesse est suæ salutis æternæ vt id faciat, saltem quoad forum conscientiæ, esto non faciat facultatem fidem faciendi, nec faciat quoad forum exterius: cum quoad illud, vt arbitror, non sit necessarium; & vt potest esse commodo, si secretissime fides ea de re data seruetur, ita posset esse incommodo cuiusdam infamiæ, si ante vel post mortem in maleuolum deueniet.

S V M M A R I V M .

- 1 *Simonia vt sit completa, sufficit, vt conuenta in parte compleantur.*
- 2 *Simoniaci in beneficio vt sibi coram Deo consulere possunt.*

C O N S I L I V M XL.

DVo conuenerunt vt alter renuntiaret suum beneficium, vt conferretur alteri habenti duo beneficia simplicia, & ille renuntiaret illa, cū pacto, vt ordinarius conferret ea nepoti renuntiantis suum curatum, & vterque impleuit pactum quoad renuntiationem, & alter etiam quoad literarum expeditionem, & possessionis apprehensionem. Quæritur quid iuris.

- 1 Respondetur primo, quòd simonia fuit realis, & inciderunt partes in excommunicationem; quia licet non fuit completa ex vtraque parte in totum, completa fuit tamen ab vna parte in totum, & ab altera in parte, quod sufficit per ea quæ nos tradimus in Manu. Conf. c. 23. nu. 100. & sequen.
- 2 Secundo respondetur, quòd prædicti Consulentes satisfacerent suis conscientijs, si primum absoluerentur ab excommunicatione simoniæ incurstæ; & si ignorabant se illam incurrere, quod est verisimile, cum destiterint ab executione totali, curent, vt omnia acta, quibus perpetrata fuit simonia, retractentur, & Episcopus secreto illis quatenus opus est conferat sua beneficia, attenda prædicta ignorantia; & quod beneficia sunt
iuris

iuris patronatus, & patroni non reclamant; & quod renuntiationes ipso iure fuerunt nullæ, propter simoniacam labem, immo, & altera, propterea quod alter eorum ordinatus fuit ad titulum sui beneficij, & quod si sciuissent, & aduertissent eam labem incurfuros, non renuntiaffent. Sed hæc omnia non fufficerent quoad expediendum fe in foro exteriori, fi probarentur in eo omnia ea, quæ fuerunt facta: ideoque curent feruare, feruarique facere fecretum, a pte a Deo, & confeffario eius petendo veniam.

S V M M A R I V M.

2 *Permutatio beneficiorum, & venditio fructuum alterius simul fieri nequeunt, sed diuerfo tempore fic. num. 2.*

C O N S I L I V M XLI.

Quidam habens executoriales fuper quodam canonicatu litigiofo, per quas condemnatus iubetur relinquere beneficium, ac reftituere omnes fructus quinquennio perceptos ascendentes ad fummam 300. ducatorum, vult permutare illud ius, quod habet fibi adiudicatum pro quodam beneficio alterius, conftituta pro pentione certa pecuniæ quantitate fuper prædicto canonicatu, vult etiam conuenire fuper fructibus prædictis, vt cum permutator det ei 500. aureos in præfentia, & poftea duas partes refiduorum fructuum, & vt retineat fibi tertiam pro laboribus, & impenfis. Quæritur, an, & quomodo liceat hoc facere? non facta in permutatione mentione de hoc factò fecundo.

1 **R**efpondeo primo, non licere prædictis Confulentib. permutare modo prædicto, cum pacto de foluendis pactibus a refignatario canonicatus, retenta fibi certa parte illorum non facta mentione in fupplicatione de illo pacto, quia refignationes, collationes, & acceptationes beneficiorum refignatorum, quæ funt neceffariæ ad prædictam permutationem, hærent cum pacto dandi, & accipiendi fpirituale pro temporario, & è contrario, quod fine licentia Papæ eft fimoniacum per definitionem fimonix receptam, quæ ponitur a gloff. 1. q. 1. in fumma, & a S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 1. & ab alijs alibi.

2 **S**ecundo, quod poffunt fieri hæc per duo pacta diuerfa, ita quod alterum non fiat propter alterum, nec coniunctim, fed diuifim, quorum alterum fit permutatio beneficiorum auctoritate Papæ, & alterum venditio prædictorum fructuum auctoritate propria, fic quod fructus non emanant a refignatario canonicatus faltem principaliter, propterea, quod fit

fit permutatio, neque fiat permutatio propterea quod prædicto modo vendantur, & emanent prædicti fructus, sed quod is cui renuntietur canonicatus, emat, ut quidam tertius prædictos fructus pretio, ut prædicatur, conuenit.

Tertio, quod longe aptius esset, ut primo fieret prædicta permutatio sine promissione emendi, & vendendi prædicto modo prædictos fructus, & post aliquot dies consecutis permutationem fieret emptio, & venditio prædictorum fructuum, cauendo tamen, tam coram Deo, quam coram hominibus, ne ullus eorum promittat alteri se empturum, vel venditurum si permutatio fiat, & alias non: & si quæ promissio huiusmodi ante hac facta est, discedatur ab ea vere coram Deo, vtriusque consensu, ita quod uterque maneat liber ad vendendum, vel emendum post permutationem factam, ac erat ante illam, quoad obligationem iustitiæ legalem, quamuis posset interuenire aliqua decentia antidoralis, & spes quod consequenter inter eos illa emptio, & venditio fructuum, per ea quæ nos tradimus in Manu. nostro, cap. 23. num. 100. vers. 5. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Simoniaca conuentio non completa, nec causa gratiæ illam non vitiat.*
- 2 *Simoniam facit remissio debiti legalis, sed non antidoralis.*

CONSILIVM XLII.

VAcante simplici beneficio valoris 15. scutorum annuorum Titius & Ioannes satagentes illud impetrare, ne alter alteri esset impedimento, pactum inierunt, quod alter eorum, qui impetraret daret aliquam pensionem alteri, qui non posset impetrare: obtinuit Titius, & renuit dare pensionem quam promisit Ioanni, promittens, se, quotiescumque sese offerret vacationis occasio, non modo non petitarum beneficiū, sed omnem suam operam præstaturum, quo posset Ioannes obtinere. Mox oblata occasione vacationis Titius iuxta promissum scripsit literas in fauorem Ioannis, qui obtinuit beneficiū. Dubitatum est, an in paciscendo de danda, vel accipienda pensione aliquam simoniam incurrerint, & similiter in fauore præstito medijs literis: & si ipso facto sunt priuati beneficijs, quæ etiam antea obtinebant; & si inhabiles redditi sint ad alia obtinenda; & similiter si incurrerint in aliquam censuram.

- 1 Respondeo primo, quod in impetratione prioris beneficii nulla fuit incurta simonia, saltem realis, quæ censuram haberet annexam. Tum quia, ut verbo extra scripta certior sum factus, conuentio prædicta non fuit causa, ut Titius obtineret illud: sed fauor maior, quo fouebatur. Tum quia

quia conuentio non fuit ab vtraque parte completa: quia Titius noluit consentire pensionis super beneficio iam obtento constitutioni.

- 2 Secundo respondeo, quòd mea sententia, etiam in secunda impetratione non fuit admissa simonia, saltem realis, ea neruosa ratione, quod simonia non committitur per remissionem debiti factam, vel faciendã pro beneficio quærendo; nisi quando debitum est legale; quod à creditore potest exigi: & ne quando solum est debitum de honestate, siue antidotale, vt nos tenuimus in nostro Manu. Confessa. cap. 23. num. 106. & in nostro casu prædictus Titius non debebat Ioanni quidquam per iustitiã legalem, per quam Ioannes poterat debitum illud exigere à Titio: quia erat debitum fundatum super promissione, qua promiserat ei consentire in pensione constituenda super priore beneficio, quæ fuit nullius valoris, & talis per quam non poterat prædictus Ioannes compellere Titium ad constituendam præfatam pensionem.

Tertio, quod per prædicta cessat necessitas respondendi ad alias quæstiones propositas: ad quas supra eod. consil. 34. & seq. respondetur: quoniam proponuntur præsupposito, quod simonia realis esset commissa in prædictis impetrationibus, & per prædicta apparet, quod non est commissa talis, & consequenter non est cur quærat de pœna eius, quia non entis non sunt qualitates l. si seruum. §. 1. ff. de act. emption. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Consuetudo, quod quis renuntiet beneficio, vt conferatur nominanti se ad personatum, an valeat? & seq.
- 2 Personatum institutio fraudulenta damnatur.
- 3 Consuetudo immemorialis habet vim priuilegij.
- 3 Priuilegio quidquid induci potest, potest immemoriali.
- 4 Bonorum vincitio, vt post aliquorum vitam operi pio cedant iusta est, & sancta, & seq.
- 4 Re sua ad libitum quilibet vti potest.
- 5 Emphiteusis ad tres, vel plures vitas in lusitania frequens.
- 6 Bona vincita sine Episcopi auctoritate, licet ad ea nominari debeant clerici, non sunt beneficium.
- 6 Beneficium ecclesiasticum ecclesiastica auctoritate constitui debet.
- 7 Beneficium ius spirituale, vel spiritualibus annexio consequenter.
- 8 Beneficium ecclesiasticum debet esse perpetuum.
- 9 Pensio reservata super fructibus beneficij non est beneficium.
- 10 Papa immutare potest naturam beneficiorum ecclesiasticorum. num. 17.
- 10 Laicus priuilegio Papæ potest conferre beneficia num. 17.

- 11 *Personatus an sint beneficia ecclesiastica . num. 16.*
 11 *Personatus , beneficia vt sint , facit immemorialis consuetudo .*
 12 *Personatus quare beneficia personalia .*
 12 *Beneficium in genere quid , & quid ecclesiasticum . num 18.*
 13 *Personatus , vt sint beneficium , auctoritate Episcopi debent institui.*
 14 *Beneficia ecclesiastica sine dote dici nequeunt .*
 15 *Simonia datio rei temporalis pro spirituali , & contra .*
 16 *Beneficium spirituale duplex , seculare , & regulare .*
 17 *Papa facere potest , vt beneficia non sint perpetua .*
 19 *Personatus intentione querendi beneficium instituti .*
 20 *Intentio sola mentalis non facit simoniam .*
 20 *Pactio omnis in beneficialibus reprobata .*
 21 *Conuentiones simoniace eodem iure censentur .*

CONSILIVM XLIII.

IN prouincia Tarraconensi reperiuntur quædam beneficia a iure cõmuni , & ab alijs beneficijs , quæ in reliquis mundi prouincijs instituantur , omnino discrepantia , & aliena , quæ beneficia personatus , seu beneficia personalia vulgo appellantur , & a consilio prouinciali Tarraconensi de institutionib. cap. 6. fuerunt approbata . Verum quia in dicto cap. nulla fit mentio specialis de vsu ipsorum , sed tantum quod possint resignari , & permutari , operę pretium visum est referre qualiter ipsorum vsus se habuerit , & ad præsens se habeat .

Sciendũ igitur est , q̄ ubi verbi gratia N. clericus desiderabat obtinere beneficium ecclesiasticum , quod B. possidebat sub pacto expresso de dando ipsi , B. vnum personale beneficium valoris annui decem ducatorum , & ad hunc effectum N. illud instituebat decreto ordinarii interueniente , sed in institutione nullum verbum fiebat de intentione , propter quam fundabatur personatus , sed tantum dicebatur quod attendens , quod erat melius commutare mundana cum cælestibus . N. instituebat illud personale beneficium , cuius quidem redditus a principio iam applicabantur alicui causę piæ , & sæpenumero propter pactum expressum alicui beneficio , etiam patronatus laicorum , seu ad certam piam causam de quo pacto nulla mentio in applicatione fiebat . Quo personali beneficio fundato ad vnam , seu plures vitas N. qui fundauerat nominabat ad illud personale beneficium B. clericum simpliciter , & absque eo quod exprimeretur , quod nominabat in recompensam : qui quidem B. ante Concilium Trident. ex causa permutationis cum beneficio vulgariter dicto deperitica resignabat in fauorem N. beneficium ecclesiasticum valoris etiam decem ducatorum , sed post Concilium Tridentinum B. semper beneficium illud ecclesiasticum resignabat in manibus ordinarij , & ordina-

ordinarius illud conferebat N. quæ quidem pro vt fiebant non narrabantur ordinarijs, sed certissimum est, quod ordinarij, & reliqui quod omnes clerici, & laici sciebant hæc ita fieri pro vt narrata sunt, & ita quotidie fit, & obseruatur passim.

Super quibus omnibus est tamen in primis aduertendum, quod huiusmodi personalia beneficia seu personatus non poterant, nec possunt obtineri, nisi per clericos seculares, vel regulares. Secundo, quod per pactum expressum fere semper qui nominat ad personatum promittit, quod nominatus poterit nominare alium ad illud personale beneficium, & aliquando, quod secundo nominatus poterit tertium nominare, pro vt sibi reseruauit in fundatione institutor tres, vel quatuor vitas, per quod tempus vult, quod duret personale beneficium. Tertio, quod quæ plures personatus ex pacto expresso applicantur alicui piæ causæ, seu beneficio ecclesiastico ad voluntatem alterius, qui beneficium ecclesiasticum dat in recompensam illius personalis beneficij. Quarto, quod nunquam permutantur, nec resignantur, nisi per simplicem nominationem, quæ fieri potest etiam aliquando in motis articulo, quæ nominatio nullam requirit postmodum collationem, nec institutionem ordinarij, sed solum fit coram notario, & testibus.

Ex quibus posset inferri primo, quod concilium prouinciale vbi approbavit, quod possent resignari, & permutari, intellexit, prout ipsa resignantur, vel permutantur per simplicem nominationem, non quod intellexerit, quod permutentur pro vt solent reliqua beneficia ecclesiastica, nam hoc esset de directo contra mentem institutoris illorum, quia semper, si fundator hoc vult, reseruat sibi quod ad simplicem nominationem suam, vel alterius nominati, detur illud beneficium personale. Quinto, quod nulli personatus sunt perpetui, quia a principio applicari debent certæ piæ causæ, post illud tempus ad quod sunt instituti. Sexto, quod vacant per contractum matrimonij, quia non possunt obtineri, nisi per personas ecclesiasticas, vt habetur in dict. cap. 6. concilij prouincialis: si vero possint obtineri per regulares, vel si vacent per mutationem status ex seculari in regularem non potest dari certa regula, nisi intelligamus regularem mendicantem, quo casu certum est quod vacant: nam vbi de regulari in hoc loco loquimur intelligimus de monachis claustralibus S. Benedicti, & Canonicis Regularibus, S. Augustini, qui officia distincta, & proprium saltem de facto habent. Septimo, applicatur huiusmodi personatus, vel pro maritandis puellis pauperibus, vel alicui monasterio, seu in augmentum reddituum alicuius beneficij ecclesiastici, seu alicui piæ causæ decreto ordinarij ad hoc interposito. Octauo, aliquando sunt personatus annui valoris sex ducatorum aliquando 100. 200. & etiam 400. Nono beneficium de pertica appellatur beneficium ecclesiasticum perpetuum nullius valoris, quod semper vacat in manibus

bus ordinarij. Decimo, instituenti personatum in recompensam nominationis conferebatur beneficium nominati ad personatum, assignato ei commodo nonnullorum reddituum annualium ad quoddam beneficium perpetuum, reseruato tamen iure instituenti ex dictis redditibus quoddam personale beneficium.

Quæ omnia ea maxime de causa sunt ibi approbata, quia tendunt ad augmentum cultus diuini, nam a principio illi redditus qui ad tempus instituantur pro personali beneficio, applicantur alicui piæ causæ, seu beneficio ecclesiastico, ita quod efficiuntur redditus ecclesiastici.

Et est maximi momenti immemorabilis cōsuetudo, de qua testimoniū reddit concilium prouinciale, quod confirmat huiusmodi personalia beneficia, verisimile est enim quod illa immemorabilis consuetudo, ita militat circa vsum personalium beneficiorum, seu personatum, atque circa ipsa personalia beneficia, & qui sint consuetudinis immemorabilis effectus nemo est, qui nesciat.

Sed pro maiori omnium elucidatione ponitur hic tenor constitutionis prouincialis, quæ habetur lib. 3. tit. 5. cap. 7. de institution.

Licet personatus, siue personalia beneficia ideo nuncupata sint, quod non in perpetuum beneficia remanerent. sed ad vitam aliquarum personarum ecclesiasticarum dumtaxat instituerentur, & postea eorum redditus in alios pios vsus applicarentur, & ab immemorabili tempore in hac nostra Tarraconensi prouincia erigi, & institui consueuerint, cum ea in diuini cultus augmentum tendant, & Christifidelium prædictas voluntates ampliari, non autem restringi conueniat, institutiones eorundem adiunari oportere censuimus. verum cum nonnunquam in dictorum personatum, seu personalium beneficiorū fundatione plurimæ fraudes, & sæpe non sine simoniaca labe (quod vehementer dolemus) commissæ fuerint, vt huiusmodi fraudibus quantum a nobis fieri possit occurratur, sacri approbatione concilij statuimus, vt nullus personatus, seu personale beneficium, sine auctoritate, & decreto Episcopi, seu eius Vicarij generalis erigatur, qui decretum & auctoritatem suam in fundatione interponere non possint, nisi dos assignata in censualibus, vel alijs redditibus perpetuis consistat. Ea vero dos, siue ij redditus non super bonis dotanti, vel eius qui patronus efficitur ex censuali, vel alio nouo contractu fundentur, sed sint alij veri redditus in locis tutis, & firmis consistentes ab eisdem ordinarijs antea approbandi, ita vt prius pecuniæ recte collatae sint, quam decretum interponatur, nec dos in sola pecunia numerata consistat, aut in prædijs, vel domibus inutilibus, alijsue rebus mobilibus, vel immobilibus, aut animalibus, nisi ea perpetuo fructuosa esse verisimiliter possint. Quod si permittatur in fundatione, vt in alia opera pia redditus suprædicti collocentur post primæ, vel secundæ, vel vltioris personæ obitum, quæ beneficium obtinebit. (Nolumus enim, vt post earundem resignationem, aut aliam vacationem id fieri permittatur) in ipsa erectione, seu fundatione declarentur species pio-

cies piorum operum, & cum casus euenerit in ea pia opera illi redditus distribuuntur; & ut horum omnium, & singulorum nihil unquam possit celari in libro speciali, tam personatum erectiones, & dotationes, quam collationes, & institutiones, necnon in libro piarum causarum, vel operum piorum ea pia opera in dictos euentus instituta describantur. Maximam quoque curam prædicti ordinarij adhibebunt, ne quis dolus, vel fraus, aut aliqua simoniaca pactio in fundatione, aut erectione, vel in collatione, aut institutione, aut etiam in permutatione dictorum personatum, siue personalium beneficiorum interueniat, eaque prohibere, ac punire seueritate canonica procurent. quod non solum in futura, sed etiam in præterita crimina iure communi prohibita locum habere declaramus.

- Contra prædictum usum videtur facere primo, quod est simoniacus,
- 1 arg. c. quam pio. r. q. 2. & c. fin. de pact. quatenus conueniunt expresse vel tacite instituens personatum, & habens beneficium, ut hic relinquit beneficium quo nominetur ab illo ad personatum: & quatenus habens beneficium renuntiat illud in manibus ordinarij cū pacto tacito vel expresse, ut conferat illud nominati. & quatenus ordinarij cōfert illud nominanti virtute duarum præcedentium pactio: immo quatenus nominaturus instituit personatum eo fine, ut vere, vel equipollenter commutet illud pro beneficio nominati. & consuetudo mala & simoniaca, quæ est contra legem diuinam, est inualida, & nullius effectus, c. mala. & c. quæ contra mores. 8. dist. & specialius in c. non satis. c. sicut. 3. & c. iacobus. de simo. Secundo facit prædicta constitutio prouincialis. Primo quidem quatenus egre probat institutionem prædictorum personatum: adeo quidem, quod multis conditionibus restringit modum, quo illa fieri debeat. Deinde, quod dixit multas fraudes solere in huiusmodi institutionibus interuenire; immo & multas simonias, quas non solum non laudat, sed reprobat. Tertio, quod grauissime hortatur ordinarios, ut curent, ne quis dolus, aut fraus, vel aliqua simoniaca pactio in erectione, aut fundatione, vel in collatione, aut institutione, aut permutatione dictorum personatum interueniat. Quarto, quatenus etiam iniungit eisdem, ut prohibeant, & seuerè puniant prædictas fraudes, & simonicas pactiones. Quinto, quatenus iubet ut non solum futura, sed etiam præterita circa hoc peccata puniantur; non obscure significans illa esse adeo intolerabilia, ut nullo usu, neque consuetudine, iustificari potuerint.
 - 3 Pro usu vero prædicto facit. primo, quod consuetudo immemoralis videtur hoc approbare, & quod illa habet vim priuilegij c. super quibusdam. §. præterea de verb. sign. l. hoc iure. §. ductus aquæ. ff. de aq. quor. & æstiuæ, ita quod quicquid induci potest priuilegio induci possit tali consuetudine per ea quæ tradunt Panor. & Feli. nu. 4. & 5. in c. cum contingat. de foro comper. & in c. accedentes. nu. 6. de præscrip. & Fel. in eadem rub. nu. 6. & in c. causamque. eod. tit. & Dec. in cons. 171. post

Panor. in c. de hoc. de simo. & alii alibi. At priuilegio Papæ posset induci talis vsus. ergo etiam prædicta consuetudine potest ille iustificari. Secundo, facit constitutionem prædicta prouincialis, qua parte approbat permutationem prædictorum personatum, & beneficiorum personalium; quæ quia facta est à scientibus prædictum vsum, videtur intelligenda de permutatione illa tacita, qua instituens personatum tacite commutat illum cum beneficio eius, quem ad personatum nominat. Tertio, quod huiusmodi personatus instituuntur & eriguntur auctoritate Episcopi: & ita dicuntur fieri religiosa, & specialia, arg. c. ad hæc. de relig. domi. & ita beneficia ecclesia. Pro resolutione huius difficultatis, quæ profecto maxima est, dico sequentia.

- 4 Primum, quod deputatio, vincitio seu vinculatio bonorum aliquorū immobilium, siue mobilium, vt maneant coniuncta, & perueniant ad nominandum per deputationem; & nominandos per nominatum ab eo post vnā vel plures vitas; & postea cedant alicui operi pio in sese, est iusta & sancta, etiā sine auctoritate Episcopi facta: & prædictus personatus ante prædictam constitutionē erat talis, tum quia quilibet potest ad suū libitum re sua vti. l. in re mandata. C. mandatis, & in l. sed & si. §. consuluit. ff. de petit. hæred. tum quia in traditione suæ rei quilibet potest modum a legibus non improbatum apponere, c. verum. cum glos. de condi. appof. l. in traditionibus. C. de past. At deputare & vincere, vt prædictum est, aliqua bona nulla lege naturali, neque diuina, neque humana, modo sine alterius iuris præiudicio fiat, improbatum.
- 5 Secundo, ex hoc sequi quòd prædicta deputatio, siue vincitio, & vinculatio nō incipit esse iusta ob constitutionem prædictam prouincialem, nec ob vllam consuetudinem memorialem vel immemorialem: quia sine vllō tali munimine ipsa per se erat iusta, & laudabilis. tum per prædictam irrefragabilem rationem, tum quia vbique gentium relinqui possunt, & frequenter relinquuntur in Regnis Castellæ, & Nauarræ fideicommissa aliquorum bonorū aliquibus, ita vt post vitam eorum cedant quibusdam aliis, & post eorum vitam cedant pauperibus, vel fabricæ alicuius Ecclesiæ: & non est dubium quod testatores possent dare pluribus fideicommissarijs; facultatem nominandi secundos. Nec est dubiū, quod qua ratione potest hoc facere testator in vltima voluntate, potest etiam donator facere inter viuos: quin & quotidie fit in Lusitania in contractibus emphyteuticis, quibus datur ab ecclesijs emphyteusis ad tres vitas, quarum prima possit nominare secundam, & secunda tertiam; quibus finitis reddit ipsa emphyteusis cum melioramentis ad Ecclesiam, vnde manarat.
- 6 Tertio huiusmodi deputatio, & vincitio, seu vinculatio si fiat sine Episcopi auctoritate, nō est beneficiū Ecclesiasticū; sed temporale quoddam bonum pijs operibus sub aliqua conditione, vel modo dicatū, vincitum, siue

- siue (vt vulgus ait) vinculatum, etiam si adderetur in deputatione, quod nõ possent nominari nisi ecclesiasticę personę, nec possent teneri a coniu-
gatis. Tum quia beneficium ecclesiasticũ spirituale non potest constitui
sine auctoritate ecclesiastica, sine qua nihil potest dici sacrum, siue reli-
giosum iure canonico, dicto c. ad hęc de relig. dom. & beneficium est ius
7 spirituale, cap. dilecto. de præbend. siue spiritualibus annexum conse-
quenter secundum S. Thom. recep. 2. 2. q. 100. art. 4. etiam si deputa-
tor vocaret illa bona sic deputata, & iniuncta personatum, vel beneficiũ
personale, immo, nec si appellaret personatum, clericatum, vel benefi-
cium personale, clericale, eo quod non peruenerit ad illam nominari,
nisi clerici, neque possint teneri nisi ecclesiasticis, neque si eiusmodi de-
putationem appellaret institutionem, quia huiusmodi nominatio sine
auctoritate Episcopi facta nihil prodest quo vere fit spirituale benefi-
cium, vt palam est. Tum quia multa sunt muneralia, & stipendia cleri-
calia temporalia, quę non possent teneri nisi a clericis, immo, & multę
cappellanię, quę non possunt teneri a sacrificijs, quę tamen non sunt be-
neficia spiritualia, quia non sunt perpetua, qualia sunt omnia benefi-
cia ecclesiastica, cap. præcepta. §. dist. & cap. sanctorum. 70. dist. &
gloss. recep. in cap. si gratiose, de rescript. lib. 6.
- 8 Quarto, quod huiusmodi institutio etiam decreta, & auctoritate Epi-
scopi accedente facta, non potest dici beneficium ecclesiasticum solo iu-
re communi attento. tum quia non est perpetuum, (ita quod illud de-
beat teneri a nominato eius vita durante, sic quod non possit renuntiare,
sine auctoritate superioris) quod requiritur ad hoc, vt sit beneficium ec-
clesiasticum, cap. admonet. & cap. quod in dubijs. de renunt. Tum quia
multa stipendia instituuntur in ecclesiasticis auctoritate Episcoporum
ad docendum, canendum, vel ad alia ministeria exercenda per solos
clericos, quę ob hoc non sunt beneficia, licet sint ministeria clericalia,
quę cõferuntur ad tempus, & relinquuntur sine superioris auctoritate,
9 quę palam est non esse beneficia. Tum, quod pensio, quę super fructi-
bus beneficiorum de more constituitur renuntiantibus, vel alijs, tum ab
ordinarijs ad vitam constituentis, tum etiam a Papa ad vitam eius cui
constituitur; etiam cum clausula transferendi non est iure beneficium
ecclesiasticum, vt tenet omnes contra And. sic in cap. ad audientiam 2.
de rescript. per illius contex. & per cap. quamuis 1. de præb. lib. 6. vbi
idem annotauit Dom. recep. & late tradimus post alios in rubr. de præb.
& certum est quod huiusmodi pensio magis approximat ad naturam be-
neficii spiritualis, quam prædicti personatus, & beneficia personalia.
- 10 Quinto, quod si præfata consuetudo immemorialis, de qua testatur
constitutio prouincialis, expresse determinaret, aut necessario tacite præ-
supponeret, quod præfati personatus sint beneficia spiritualia, essent ta-
lia, quod si Papa id expresse ordinaret, vel necessario tacite id in sua ordi-

natione præsupponeret essent beneficia spiritualia : quod cum iure humano tantum beneficia spiritualia debeant esse perpetua , & teneri perpetuo a collatario , ita quod non possint renuntiarî nisi de superioris licentia , neque conferri nisi a superiore ecclesiastico , posset Papa id mutare . Tum per prædictam gloss. adiuncto dicto cap. si gratiose . de re script. lib. 6. Tum quod est supra omne ius humanum , cap. cuncta per mundum §. quæst. 4. & c. proposui de concess. præb. Tum quod etiam laicis fecit gratiam , vt haberent ius præsentandi ad beneficia , quæ fundarent tota , tit. de iurepat. & potest concedere gratiose contra ius commune , vt ea conferant , immo , & alia quæ non fundarent , vt concessit Regi Apuliæ iuxta gloss. 16. q. 7. in sum. Regi Galliæ , cap. dilectus 3. de præben. cap. generale de elect. libr. 6. gloss. cap. imperium dist. 10. & alijs Regibus iux. aliam gloss. in §. hinc etiam 17. dist. & id quod Papa potest statuere , potest etiam induci consuetudinæ immemoriali , quæ habet , vt supra dictum est , vim priuilegij .

- 11** Sexto principaliter dico , quod ad dicendum quod prædicta consuetudo , & præfata constitutio , etsi expresse non dicant illos personatus esse beneficia spiritualia ; tacite tamen videntur præsupponere illud . facit primo , quod Concil. prouinciale significauit consuetudinem immemoriam operatam fuisse , induxisse , vel effecisse aliquid in hoc ultra ius cõmune . at non videtur dari posse aliud , quod operatâ fuerit , quam hoc : nam iure communi , si præfati personatus , & eorum institutio in se erat licite , & iuridica quoad alia , puta quod essent opera valida iuste instituta , & non indigebant quoad hoc alio munimine quam iure communi , vt probatum est supra . ergo prædicta consuetudo , & constitutio significant quod consuetudine immemoriali introductum , & effectum sit , vt ij personatus essent beneficia spiritualia , temporalia , & ad tempus duratura , & quæ conferri poterunt ab institutoribus , etiam priuatis ; & a collatorijs , & nominatis etiam priuatis , etiam solo verbo , vel instrumento , notarij , modo auctoritas Episcopi in id accederet . cui accessurę dedit nouam formam præfata constitutio . Secundo , quod constitutio , & consuetudo
- 12** præfata quæ appellant illos personatus beneficia personalia , & quod eo dicuntur personalia quod non sunt perpetua , sed finiuntur a finitis aliquot personis ecclesiasticis , significant , quod hi personatus ita sunt beneficia , ac alia ecclesiastica , nisi qua parte hæc sunt temporalia , & alia perpetua . Tertio , quod prædicta constitutio habet præfatos personatus particulariter solere institui in prouincia Tarraconen. & quod in alijs , vbi non est talis consuetudo , nec solent , nec possent institui . At certum est quod etiam in aliquibus per viam fideicommissi , vel cappellaniæ , vel donationis certis vinculis astrictæ possunt , & solent fieri a testatoribus , & donatoribus ; ita quod possint appellari beneficia in genere , prout beneficium definitur ab Huber. in tit. quæ sit prima causa benef. amitt. in v. lib. feud.

fib. feud. dicente, quod est beneuola actio, siue beneuolum datū quādiu tribuens accipienti, ergo in prouincia Tarraconen. specialiter habet consuetudo, vt præfati personatus dicantur, & sint beneficia spiritualia

13 ad tempus duratura. Quarto, quod Concil. vetat ne possint institui, nisi auctoritate Episcopi, quam tamen supra probatum est non esse necessariam ab hoc, vt illa institutio valeat in se sicut valeret quoddam fideicommissum, vel quoddam donatum, vel quoddam stipendium temporale, vel quædā Cappellania dicendi aliquas missas. ergo sensit Episcopi

14 auctoritatem requiri ad hoc vt dicatur beneficium spirituale. Quinto, quod Concil. appellat dotem bona, in quibus fundantur. per quod significat esse spiritualia beneficia, quæ sine dotibus consistere nequeunt, cap. nemo de consecr. dif. 1. cap. si quis obiecerit 1. q. 3. & quod præcipit dotem constitui non in quibuscunque bonis, sed in a se nominatis, cum tamen ad hoc quod sint beneficia, seu bona bene data absque hoc quod

15 sint spiritualia in quibuscunque possint constitui, vt palam est. Sexto, quod Concil. præsupponit in huiusmodi personatus institutione solere interuenire simoniam, quæ tamen non potest interuenire nisi essent spiritualia, non enim esset simonia alicui dare pecuniam, vt reliqueret aliquod fideicommissum, vel donaret aliquod denarium grande illi, vel illi, etiā cum onere faciendi aliqua opera pia, etiam dicendi aliquas missas; quod nõ datur aliquid temporale pro spirituali, nec contra, ergo significat hos personatus esse spiritualia beneficia, in quibus committeretur simonia, si daretur aliqua pecunia institutori, vt cum personatus fuerit institutus conferatur ei, vel ipse nominetur ad illum, vt in cap. tua. de sim. probatur eum qui dat bona sua ecclesiæ eo pacto, vt præbenda, ex eis erecta, præbeatur sibi, admitti simoniam. Septimo prædictum Concil. significat posse huiusmodi personatus vacare per resignationem, & alio modo, ita vt ad nulla opera pia obligarentur hi, qui eos postea acciperent. puta si a principio ita institueretur, vt vnus, alter, vel tertius eos tenere possint, nulla a principio facta specificatione alicuius operis p*i*j, cui applicarentur bona post finitas personas nominatas. quo casu videtur Concil. significare, quod posset ordinarius illos ita vacantes conferre cui vellet, & maneret beneficia spiritualia perpetua, & consequenter a principio erant spiritualia cum temporale non possit fieri spirituale, nisi spirituali auctoritate accedente, iuxta dict. cap. ad hæc de reliq. domib. qualis in hoc casu non accedit post vacationem. quæ maxima, & profunda declaratio præfatæ constitutionis est. Octauo, quod prædictum Concil. serio præsupponit posse prædictos personatus permolari siue commutari. quod nullius momenti esset, si non esset spiritualia beneficia, cū palam sit temporaria commutari posse: & ideo vt id aliquid operetur intelligendum est, quod sunt beneficia spiritualia. Nono, quod vacat per contractum matrimonium, vt in informatione facti præsupponitur,

& non vacarent: nisi essent spiritualia beneficia c. q. à te de cleri. coniug. quamuis habet beneficiariū in minoribus constitutū contrahendo matrimonium perdere quidem beneficium, sed non alia bona quæ dederat ecclesiæ. Decimo, quòd non possent nominari ad illos nisi clerici: quòd est magnum signum præsumendi esse beneficia ecclesiastica.

16 Septimo principaliter dico, quòd pro contraria parte quòd prædicti personatus nõ sint nec debeāt dici beneficia spiritualia, facit primo, quòd non sunt perpetui, qualia esse & dici debere beneficia ecclesiastica supra probatum est. Secundo quòd non conferuntur à superioribus ecclesiasticis, vt debere conferri si essent spiritualia beneficia supra probatum est. Tertio, quòd omne beneficium spirituale est sæculare aut regulare, iuxt. not. in c. possessores de reb. eccle. non alie. c. cum singula de præben. lib. 6. & prædicti personatus non videntur esse sæculares: quia si eos tenentes fiant canonici regulares non mendicantes non videntur vacare, vt in informatione facti significatur: nec sunt regulares, quòd conferuntur sæcularibus. Ergo non sunt beneficia ecclesiastica.

Quarto, quòd non permutantur cum beneficijs ecclesiasticis cum tamen possent permutari si essent talia, c. cum olim. de rer. permut. & c. 1. eod. titulo lib. 6. Quinto, quòd si essent beneficia tenerentur recitari horas canonicas qui eos haberent: quòd omnes beneficiati tenentur ad eas c. fin. 92. dist.

17 Octauo principaliter dico, quòd ad hæc argumenta responderi potest, ad primum quidem concedendo, quòd omnia beneficia spiritualia iure communi attento debent esse perpetua; sed quòd priuilegio Papæ fieri potest, vt aliqua sint temporaria d. c. si gratiose. iunct. glos. de rescrip. lib. 6. & consequenter consuetudine immemoriali quæ habet vim priuilegij vt dictum est, in id duci potest, quòd in nostro casu facit, ad secundum idem responderetur quòd ad primum, nempe priuilegio Papæ cessante conferenda esse beneficia à superiori spirituali; per illud tamen fieri posse, vt a priuato etiam laico per supra dicta conferantur. Ad tertium concedo quidem iure communi omnia beneficia esse regularia, vel sæcularia ad hunc effectum, vt sæcularia sæcularibus, regularia regularibus conferantur: priuilegio tamen Papæ fieri posse, vt vnum & idem beneficium sit regulare & sæculare ad hunc effectum, quòd conferri potest tam sæculari quam regulari; & contra: quòd illud est iure humano inductum, adeo quòd etiam consuetudine immemoriali, quæ priuilegio Papæ comparatur, vt prædictum est, tolli potest. Ad quartum concedo, quòd non permutentur cum beneficijs eo modo, quo iure communi alia beneficia permutantur, puta renuntiando illa in manibus superiorum; & accipiendo eadem per nouam eorum collationem, iuxta not. in d. c. cum olim, & c. cum vniuersorum de rerum permut. & c. 1. eodem titulo lib. 6. negando tamen, quòd non permutentur

tur

itur modo speciali inducto per prædictam consuetudinem immemorialem; videlicet, q̄ habes beneficium resignet illud in manibus ordinarij, quo conferat illud habenti personatum per potestatem nominandi ad eum & quòd ille nominet ad personatum illum qui resignauit beneficiũ vt sibi conferretur. Nec obstat, quòd non potest fieri pactum inter duos, quo alter renuntiet beneficio suo, vt alteri conferatur: & quòd alter cõferat ei aliquid auctoritate sua; quamuis posset tenèri alteri beneficio in manibus superioris, quo illud per eum conferatur alteri, qui renuntiauit suo, vt sibi conferretur; non inquam hoc obstat: quòd concedimus id ita esse in permutatione beneficiorum iure communi, & regulari modo erectorum: sed nos loquimur de permutatione beneficij iure communi & regulariter creati cum beneficio anomalo, & irregulari, & diuersæ naturæ per priuilegium, vel consuetudinem habentem vim priuilegij creato. Obstat autem grauissime, quòd ante Concil. Tri. permutatio fiebat cum beneficio perpetuo & ita modo regulari; non autem eo modo quo nunc fit proxime relato: & consequenter modus hic permutandi non est inductus consuetudine prædicta immemoriali; & ita non licebit cum sit contra ius commune. l. quòd iure ff. de legib. sed responderi potest quòd illa beneficia de natura sua non erant vere beneficia spiri-

18 ritualia, quippe quibus nõ conueniebat definitio beneficij spiritualis videlicet ius percipiendi aliquos fructus, siue redditus ecclesiasticos. quæ colliguntur ex Anchar. in c. 10. de reg. iu. lib. 6. & Cald. & Felin. in c. postulasti de refer. quos & alios late referimus in rub. de præb. non inquam conuenit eis, cum nullos redditus haberent, & nullius essent valoris, vt ponitur in facto: atque ideo sublata fuerunt per Concilium: & consequenter in effectu permutatio fiebat sicut hodie fit: & ita consuetudo hæc est non omnino formaliter seruata sit, tamẽ æquiuallenter & in effectu seruata est à tempore immemoriali. quòd sufficit; cum de æquipollentibus idẽ iudicetur. l. fin. ff. mandat & c. licet ex quadam de testib. Ad quintum concedo eos qui tenuerunt illos personatus teneri ad recitandas horas canonicas & quamuis forte probari possit aliquos eas non recitasse, arbitror tamen & probari posse, quòd omnes communiter recitauerunt: quia nemo potest nominari, nisi sit Clericus; & communiter nominatur quo ratione beneficij, vel ordinis suscepti, vel mōx suscipiendi tenentur ad recitationem illarum.

19. Ex quibus infertur primo, prædictus personatus non solum posse institui in finem quærendi aliquod beneficium alterius per viam renuntiationis eius ob spem habendi in recompensationem illum personatum, sed etiam & melius, & purius in finem vt teneatur ab ipso institutore, vel a nominando ab eo primo loco, vel alio, vltiori. Tũ quòd vt in institutione, & creatione illorum solum dicitur, quòd instituit illos institutor, vt mundana cum celestibus commutet. Tum quòd licet illa intentio intra solam

mentem retenta non inficiat actum, vt mox dicam: purior tamen erit si absque illa fiat: quòd finis est purior & cælestior, & quo melior est finis cæteris paribus melior est actus, ex doct. S. Thom. 1. 2. q. 7. art. fin. & q. 78. art. 4. & 7.

20 Secundo infertur, quòd licet institutio talis personatus facta intentione sola mentali quæredî aliquod beneficiû per permutationē supradicto modo speciali faciendâ non reddatur simoniaca; immo nec alias illicita, arg. c. tua. de simo. & glos. c. ordinationis. 1. q. 1. & clarius D. Anto. 2. par. tit. 1. c. 5. §. 11. quem refero refellendo Panor. & Dec. in Manuali confess. c. 23. a nu. 107. institutio tamen personatus facta præmissa pacto cum aliquo beneficiario quod ille renuntiabit beneficio suo, vt detur institutori personatus, & quod institutor postea nominabit eum ad personatum est simoniaca: quòd est pactio & conuentio super beneficijs, nec iure communi, nec speciali probata. Quod enim sit conuentio super beneficijs specialibus, patet, quòd tam personatus, quàm aliud beneficium pro eo habendum sunt beneficia specialia per sextum dict. quòd autem illa conuentio non probetur iure communi, palam est, quòd autem non probetur etiam iure speciali Prouinciæ Tarraconen. probatur. tum quòd cõstitutio eius reprobat simoniacas fraudes & pactiones, quæ institutionibus personatum sunt. tum quòd licet cõsuetudo immemorialis habeat, vt talis personatus institui possit, & quòd instituens illum possit quærare aliud beneficium Ecclesiasticum per permutationem speciali, & priuilegiato modo factam: non tamen habet, quod possit pacisci cum alio beneficiario, vt renuntiet ei suum beneficium, pro personatu ab ipso fundando, vel instituendo: & ita non licet, sicut nec liceret alicui pacisci cum habente aliquod beneficium, quod ipse fundabit vnum beneficium perpetuum auctoritate Episcopi tanti, vel tanti redditus: & quod post fundatum illud, & legitime erectum præsentabit eum ad illud per d. c. tua. de simon. & per d. c. quam pio. 1. q. 2. & c. si. de pact. immo, neque quod postquam fundauerit & ei collatum fuerit, permutabit cum illo per eadem.

21 Tertio, quod ad damnandas simoniæ conuentiones circa permutationes prædictorum personatum cum alijs beneficijs faciendas, seruari debent regulæ, quas seruamus ad damnandæ simoniæ conuentiones, super permutatione aliorum beneficiorum iure communi constitutas, exceptis his quæ cõsuetudo illa immemorialis permittit; Videlicet quod personatus dabuntur renuntiantibus beneficia auctoritate priuata per solâ nominationem sine alia superioris auctoritate: quia de similibus idem est iudicandum, l. illud. ff. ad l. Aquil. c. dudum 2. de elect.

Quarto, quòd narratio facti nihil obstat proximo corollario præcedenti; quia licet habeat institutorem huiusmodi personatus ea intentione solitum illum instituere, vt quæreret aliquod beneficiû; non tamen habet

bet eum solitum prius pacisci cum alio beneficiario, quod renuntiaret illi suum beneficium, & in recompensam acciperet personatum tanti valoris; si illud noue institueret. immo habet quod nil tale in institutione & decreti Episcopi appositione exprimebatur, & consuetudo adeo exorbitans à iure communi non est extendenda, c. quæ à iure de reg. iu. lib. 6. sed quatenus fieri potest ad concordiam iuris communis reducenda, arg. c. cum dilectus. de consue. & c. causam quæ. de rescrip. & quamuis vt prædictum est coroll. secundo liceat beneficium spirituale perpetuum fundare ea intentione intra solam mentem retenta, vt post illud fundatum Episcopi auctoritate, & sibi collatum permutaret cum beneficio alterius, non tamen liceret illud antea pacisci per prædicta.

Et quoniam ex prædictis fundamentis, & radicibus poterit quiuis ingeniosus elicere resolutionem dubiorum quæ circa prædictos personatus occurrent finem facio. Salua quæ iustior fuerit sententia.

S Y M M A R I V M.

- 1 Personatus institutio multis de causis inualida est.
- 2 Simoniace personatum fundans, iuste bonis applicatis priuari potest.
- 3 Causa iusta ad dispensandum ex pluribus colligi potest.

C O N S I L I V M X L I I I I.

Quidam A. clericus cum P. clerico iuxta Tarraconen. diœcesis constitutionem, & consuetudinem personatum dotare, & constituere valoris 100. ducatorum conuenit, & d. P. ad sic creatum, & constitutum personatum præsentare. & cum eo pro alio beneficio simplici permutare, & postmodum absque Episcopi ordinarij auctoritate, seu decreto personatum iuxta dictam formam, dicti valoris erexit, & dotauit partim super rebus mobilibus, partim super pecunijs debitis, & non exactis, nec minus in stabilia bona conuersis, & personatum sic creatum permutauit pro alio beneficio parui valoris cum d. P. & ipse P. ad titulum d. personatus, & alias legitime fuit ad sacros ordines promotus, nõ tamen in eisdem ministravit. *Queritur quid iuris?*

- 1 Ad quæstionem propositam respondeo primo, erectionem personatus, de quo agit quæstio, male fuisse factam. Tum quia non potuit illa fieri sine auctoritate Pape, vel ordinarij, iuxta constitutionem Tarraconen. vt in superiori consilio diximus. Tum quia non fuit dos eius constituta super redditibus censualibus, nec alijs redditibus perpetuis, vt debet constitui

constitui secundum eandem constitutionem. Tum quia fuit facta saltem partim super rebus mobilibus, & pecunijs debitis cuidam creditori nondum exactis, nec in bona stabilia conuersis. Tum quia fuit facta antequam decretum erectionis fieret ab ordinario contra eandem constitutionem. Tum quod fuit vana, quia fuit factum pactum de presentando ad beneficium nondum institutum: & quod bene diceretur. Tum quod fuit simoniaca, quia facta fuit cum pacto permutationis factæ, vel faciendæ, sine auctoritate superioris. Tum quia proponitur factam fuisse cum quadam renuntiatione sine vilius superioris auctoritate. Tum quia, vt in responso præcedenti, nullum pactum potest apponi in fundatione a patronis aut fundatoribus horum personatum, quod non possit apponi in fundatoribus, vel erectionibus aliorum beneficiorum perpetuorum, præterquam quod sint temporaria, & non perpetua.

2 Secundo dico, quod Sanctiss. D.N. iuste possit omnes præfatos, qui in præfata erectione mortaliter peccarunt pro crimine simoniæ, & alijs quæ in hac re admiserunt, priuare saltem quoad forum conscientie illis bonis, quæ fuerunt data pro erectione hac iniusta & simoniaca, & applicare oratori pauperi clerico illi, quoad vitam suam relicto, saluo iure petendi post eius vitam illis, qui ad aliqua eorum prætereunte potuerint esse sibi ius repetendi propter inualiditatem, siue nullitatem actuum, quos temere fecerunt, sed non intenderunt facere perpetuam donationem, sed solum quoad vitam eius, quoad quam solum intenderunt personatum constituere.

3 Tertio, quod paupertas oratoris, & ordinatio eius ad præfatum personatum nullum, & abstinencia ab executione ordinis male assumpti, & confessio peccatorum, & humilis petitio redemptionis male assignatorum beneficio personali quoad vitam suam, & secretum peccatorum in hoc commissorum videntur posse suam Sanctitatem mouere, vt illam faciat ei in pœnam culparum fundantium, & amorem Iesu Christi D.N.

S V M M A R I V M.

- 1 Conuentio inter monentem, & aulicum, quæ simoniaca, & quæ non.nu.2.
- 1 Conuentio de faciendo quid. temporale, pro spiritali, simoniaca.
- 3 Peccato quod sine præsertim mortali non fit, iuste fieri nequit.

CONSILIVM XLV.

Quidam cum non speret alias se posse obtinere beneficium, conuenit cum quodam aulico, vt cum primum ipse intelligeret vacationem alicuius

alicuius beneficij illum certiore faceret, ad hoc vt aulicus illud impetraret pro N. & N. consentiret constitutioni pensionis pro ipso aulico, quod factum est. Quaritur an fuerit commissa simonia realis?

- 1 Respondeo primo, quod in Manua. Confess. cap. 23. num. 107. vers. ad 7. satis clare respondetur prædictæ quæstioni, dum determinatur simoniacam esse conventionem, qua clericus monens aulicum, vel familiare Papæ conuenit cum ipso, quod alter impetret beneficium vacans, & alter promittit se consenturum pensioni imponendæ: quod est verissimum, quia est promissio de faciêdo aliquid temporale pro habenda re spirituali, quæ palam est simoniaca per definitionem simoniæ datam a gloss. r. q. 1. in summam receptam ab omnibus Theologis, & canonicis, & declarata a nobis latius, quam ab alijs in dict. cap. 23. num. 100. & paulo
- 2 post in vers. ad octauum palam determinatur quod licite potest sciens vacationem beneficij monere familiarem Papæ, & rogare, vt impetret illud sibi nulla facta promissione de constituenda pensione impetranti, licet post impetrationem factam libere absque pacto, & promissione præcedenti consentiat pensioni constitutæ, vel constituendæ a Papa, vel etiâ si in impetratione faciêda a Papa reprimatur promissio, vel conuentio de consentiêdo pensioni a S. Sanct. imponendæ. ita quod ex viroque loco colligitur resolutio, quod promissio, vel conuentio inter monentem, & aulicum, siue familiarem facta, vt alter impetret beneficium, & alter consentiat constitutioni pensionis, est illicita, & simoniaca, nisi fiat cum consensu Papæ. sed quod licitum est, quod sciens vacationem moneat eam aulicum, vel familiarem, & roget, vt illud sibi impetret, non facta promissione, neque renuntiatione de consentiêdo pensioni: licet post impetrationem libere illi consentiat. Secundo, quod nulla ratione naturali, diuina, neque canonica potest consuli, nec responderi contrariû ab vlllo iureconsulto, neque confessario Christiano religionis amico.
- 3 Tertio, quod ex his inferitur, non posse dari vllam instructionem per quam sciens vacationem beneficii expressè vel tacitè faciat promissionè de consentiêdo constitutioni & solutioni pensionis, antequam sit imposita, & gratia perfecta; ita quod non possit reuocari propter defectum consensû præstiti, vel aliam; etiamsi numquam vllum beneficium aliqui speret se obtenturum: quandoquidem nihil potest fieri iuste, quod sine peccato præsertim mortali, quale est grauissimum peccatum simoniæ, fieri & obtineri non potest, cap. ita ne. & cap. tolerabilius. 32. q. 5. quæ habent tolerabilius esse omnia mala pati, quàm malo consentire: hoc intelligo quoad pœnas simoniæ, nisi cum beneplacito Papæ id fieret, cui tamen nullatenus debet placere, ne se suamque sedem, quæ syncerissima debet esse, ab huiusmodi labe simoniæ turpiter fœdaret.

S V M M A R I V M.

- 1 *Procurator principalem suum bonæfidei errorem in bullis beneficij non moneat.nu.3.*
- 2 *Fructus beneficij simoniacè quæsti cui restituendi dubium.*
- 3 *Leges humanas male intellectas transgrediens non peccat.*

C O N S I L I V M XLVI.

Iulius, & Octavius ante 12. annos coram notario & testibus pactum, & concordiam in hunc, qui sequitur, modum inierunt, quod si prædictus Iulius ecclesiam quandam in fauorem d. Octauii resignaret, ipse Octavius consentiret pensioni 200. scutorum super ea, ac omnes expensas in expeditione bullarum d. pensionis faciendas, nec non mediam annatam solueret. Item pensionem solueret sine expeditione bullarum, adiecta clausula, Saluo Sed. Apost. beneplacito, & non aliter. Itaque in d. instrumento quatuor simoniacæ pactiones continebantur, quarum quarta erat Octavius se obligare prædictam pensionem soluere, etiam literis non expeditis. Post hæc miserunt Romam literas procuratorias, cum d. concordia instrumento, & facta fuit resignatio in manibus Pontificis in fauore d. Octauii simpliciter, & de d. Ecclesia prouisus fuit ipse Octavius reseruata dicta pensione, cui iuxta conuenta consensit Octavius per d. procuratorem. sed Pontifici nulla facta fuit concordia mentio. Receptis literis prouisionis prædictus Octavius dictæ Ecclesie possessionem accepit, dubitans quodammodo Sedi Apost. nullam factam fuisse mentionem d. concordia, sed consilio quorundam doctorum quieuit, dictamque pensionem per viam compensationis literis super ea minime expeditis perfoluit per annos duos. Transactis præfatis duobus annis Octavius certior factus fuit, quod apud Sed. Apost. nulla fuit facta mentio prædictæ concordia: & statim huc Romam ad procuratorem quandam, pro remedio misit, qui narrauit Pontifici qualiter bona fide dictus Octavius possessionem acceperat, & etiam narrauit tres pactiones simoniacas in d. instrumento contentas, & omisit quartam, non tamen data opera, sed bona fide, & ignorantia quadam; qui Octavius nullum sibi facit scrupulum de prædicta omissione. Quæritur, an teneatur præfatus procurator sub pœna peccati mortalis illum admonere, antequam ad impetrationem gratia fructuum male perceptorum procedat propter non factam professionem fidei, vt debebat; nisi post duos annos. & alia &c.

- 1 Respondeo, videri dicendum, quod non tenetur præfatus procurator admo-

admonere præfatum defectum prædictum Octavius. Tum quia præfatus Octavius laborat ignorantia facti, qua putat sufficienter fuisse satisfactum defectui sui provisionis. Tum quia procuratori præfato non est omnino certum, quod illa pactio fuit simoniaca, & completa ex utraque parte per rationes superius factas. Tum quod simonia illa, si qua est, est iuris humani, & non omnibus cogniti; immo etiam a multis doctis adeo ignorati, ut contrarium saltem disputando defendi possit. Tum quia non agitur de damno tertij, quod clare videatur esse damnum, cum nesciatur certe fructus præfati beneficij pertinere ad ecclesiam, cum non sit adeo certum per præfatam pactionem provisionem manere nullam per præfata. Tum quia ecclesia non patitur damnum per diminutionem rerum suarum, sed per cessionem suæ acquisitionis, & ita non agit tantum de damno vitando, quantum de lucro captando. cuius rei scientia non tantum cogit, quantum cogeret scientia damni rei quæsitæ vitandi. Tum quod fructus beneficij per simoniam quæsitæ non debentur ecclesie, sicut pecunia quæ accipitur pro illo, quoniam de hac sola loquitur, cap. de hoc de simon. & mea sententia potius essent restituendi successori, quam ecclesie, licet etiam in illius usum conuerti possint, per ea quæ profundius aliis scripsimus in cap. non liceat. r 2. q. 2. declarando cap. cum uos: de officio ordin. & cap. quia sæpe. de electio. lib. 6. & cap. à prin. 3 de offic. ord. eodem lib. Tum quod transgrediens leges humanas male intellectas non peccat, secundum Innoc. in cap. per tuas. de simon. quem Panor. sequitur in cap. Capellanus. de ferijs. & multi alij alibi, & in his Felin. qui citat alios in cap. 2. col. pen. de re iud. vers. fallit septimo. Tū quia Hier. Aug. & Hadria. loquuntur de illo, qui certo scit rem esse alterius, quam eius, qui tenet: nos autem loquimur de illo, qui nescit hoc certo, immo iure dubitat, & scit beneficium non esse alterius: & quod possidens illud bona fide possidet; & pauci etiam docti sciunt ad quem debeant pertinere illi fructus, esto quod mala fide possideret. Per quæ omnia nullatenus auderem asserere præfatum procuratorem obligari ad monendum præfatum Octavius: adeo quidem, ut magis inclinem ad obligandum eum ad tacendum, iuxta cap. quia circa de confang. & aff. & ea quæ super intell. eius late tradimus in c. si quis autem. de pœnitent. dist. 7. Salua, &c.

S V M M A R I V M .

- 1 Scholaris loco Collegij pretio renuntians simoniacus est, sed non excommunicatus.
- 2 Scholaris pecuniam pro loco Collegij simoniace acceptam cui restituet. Resti-

- 3 *Restitutio turpiter accepti turpiter danti necessaria non est.*
 3 *Scholaris simoniace Collegio renuntians sic sibi consulat.*

CONSILIVM XLVII.

Tolosæ, & Ademoni sunt multa collegia pro scholasticis pauperibus instituta, quorum collegæ frequentissimè vendunt tacitè sua loca aliquibus quos collegia ipsa rogata per collegam vendentem, facta per eum renuntiatione, eligunt, vel recipiunt eos in collegas, & socios suos. Quæritur an huiusmodi vendentes committant simoniam cum pœnis Extrauag. 2. de simonia. Secundo, cui restituenda est pecunia, si qua accepta restituenda sit.

- 1 **AD PROPOSITAM** quæstionem respondeo primo, quòd admittunt simoniam: quoniam loca illa, siue sodalicia, licet nò sint spiritualia; videntur tamen eis annexa, sicut ius patronatus Ecclesiasticum de quo in cap. quanto de Iud. & cap. cum secundum. de Iurepatr. Secundo, quòd non videntur incurrere excommunicationem latam per præfatam Extrauag. quia illa solum fertur contra simoniacos in ordine & beneficio ecclesiastico secundum communem sententiam: & præfata loca siue sodalicia non sunt beneficia Ecclesiastica, vt palam est: & ita sicut emens ius patronatus quamuis simoniam committeret, non tamen incideret in illam excommunicationem, vt aliàs in prætorio Pœnitentiariæ probauimus, scilicet ementes huiusmodi loca simoniam admittere, non tamen incidere in excommunicationem præfatam.
- 2 **AD ALTERAM** respondeo primo, quòd pecunia illa non est necessario restituenda collegio, pro cuius sodalicio accipitur: quamuis pecunia, quæ pro beneficio accipitur, restituenda sit Ecclesiæ, cui facta est iniuria, per tex. sing. in cap. de hoc. de simonia, quòd specialiter & singulariter disponit de restitutione pecuniæ acceptæ per simoniam circa beneficium commissam secundum communem. Secundo, quòd de rigore iuris non tenentur restituere etiam illis, à quibus eam acceperunt; quia turpiter datum, & turpiter acceptum non est necessario restituendum turpiter danti, iuxta reg. *Impari delicto, vel casu, melior est conditio possidentis.* de reg. iur. lib. 6. & copiose tradimus in Manu. Confess. cap. 17. num. 30. & seq. Tertio, quòd secundum communem opinionem est restituendum pauperibus; quòd tamen esse Concilii, & non præcepti probamus vbi supra secuti quatuor graues auctores. Quarto, quòd D. Confulens satisfaciet impetrando donationem ab eo à quo pecuniam accepit, quia Hadr. quem sequimur vbi supra nu. 31. post Ang. ver. restitutio 2. §. 4. patet quòd ex mente Aug. in cap. non sanè. 14. q. 5. is qui ob malefium accipit, satisfacit restituendo pauperibus, vel ei qui dedit. At per donationem obtentam ab eo qui eam dedit satisfactum est illi
per

per l. i. ff. qui satis. cog. & l. si rem. §. omnis. ff. de pignora. actio.

S V M M A R I V M.

- 1 *Resignatio cum pacto, & apocha tradita, vt resignans percipiat fructus, dum viueret, an simoniaca realiter?*
- 2 *Simoniam completur, licet ius resignatario non quaeratur.*
- 3 *Simoniam instrumenti traditione non completur, nisi vt promissi pars tradatur.*
- 3 *Simoniam in resignatione ante consensus extensionem non compleri.*

CONSILIVM XLVIII.

Quidam rogauit fratrem suum, vt renuntiaret quãdam cappellaniã in manibus Papæ, in fauorem nepotis vtriusque, cum pacto, & chirographo tradito ei à nepote de relinquendo resignanti omnes fructus ad vitam suam resignaturo: & ita resignauit. Sed antequam consensum præstaret, & ille extenderetur, aduertentes illam pactionem esse illicitam, & simoniacam, restiterunt, & chirographo raptò recesserunt penitus à prædictis pactis, & voluerunt, vt simpliciter sine vllò pacto resignaret rogatus: & ita resignauit, & fuit signata supplicatio in fauorem resignatarij.

Quæritur an sine peccato possit resignatarius expedire literas? & frui cappellania eius possessione apprehensa?

- 1 Respondeo, quod pro parte negante facit, primo quod pactio prædicta videtur simoniaca realiter, quia resignaturus resignauit beneficium vt promisit, & resignatarius tradidit chirographum de relinquendis fructibus: & ita fuit impleta simonia ab vtraque parte, Secundo, quod pactio prædicta videtur continere confidentiam illicitam, eo quod resignatarius promisit relinquere fructus eius resignanti ad vitam suam, quod videtur facere conuentionem simoniacam confidentialem, per declarationem Prj V. cuius Bulla non requirit complementum confidentiæ vtriusque partis, vt & nos adnotauimus in Manu. Confess. cap. 23. n. 110.
- 2 Sed contrarium visum est verius duplici ratione: prima quod non videtur fuisse simonia completa ex parte resignantis, eo quod resignatio eius non valuit: neque per illam vacauit illa cappellania; & ita non fecit actum, per extrauag. 2. de simonia, ad hoc, vt illa censeatur completa ex parte resignantis. Sed hæc ratio non videtur sufficere ad excusandum.

Tum

Tum quia frater solum promisit resignare, & resignauit, & licet per illam resignationem non fuerit quæsitum ius alteri, nihilominus tamen ipse fecit, quod promisit. Tum quia resignans non potest transferre ius in resignatarium, sed solum resignare, & superior post acceptatam resignationem tradit ius resignatario secundum omnes. Tum quia resignatio beneficii spiritualis est actus spiritualis, & dare aliquid pro illo actu solo resignandi est simonia, arg. cap. quam pio. 2. q. 2. Tum, quia, ut simonia realis committatur, non requiritur, quod actus spiritualis qui promittitur, valeat, sed sufficit, quod valeret, si non esset simonia infectus. Nam qui promisit conferre propter 100. scuta beneficium, complet ex parte sua promissum conferendo illud, licet collatio non valeat simonia impediens valorem, ut palam est. Secunda ratio est, quod non videtur interuenisse confidentia, eo quod resignatarius nullos fructus percipit, priusquam discederet à pactis; sed nec ista ratio videtur satisfacere, quoniam vitium confidentiæ incurritur absque complemento promissorum ex parte utriusque & qui promisit resignare compleuit ex parte sua. quod sufficit, ut nos adnotauimus in c. 23. num. 110.

- 3 Alijs tamen rationibus videtur posse defendi desiderium consulentis, prima, quod prædicta simonia non videtur fuisse completa ex parte resignatarij; quia ipse nullos fructus dedit, & licet chirographum, siue apocham tradidisset; tamen non fuit traditum, ut pars promissionis, sed ut probatio eius; & tradere scripturam pro probatione promissi non est implere partem promissi, ut & nos & notauimus vbi supra num. 106. Secunda ratio, quod nec etiam resignans videtur completuisse pro parte sua; quia resignatio antequam extendatur consensus resignantis nihil valet, secundum stylum curiæ; & ita fuit actus, qui non valuisset etiam si nulla simonia interuenisset, quia liberum erat ei retrocedere, quamuis iure communi, & extra curiam facta resignatio, sine alia consensus extensione, valeat, iuxta cap. quam periculosum, 7. q. 1. Tertia ratio; quod non videtur vlla fuisse confidentia in hoc casu: Nam licet resignare cum pacto, ut resignatarius resignet aliquando in fauorem resignantis, vel alterius, vel ut soluat aliquot fructus alicui, sit confidentia à Pio V. damnata, resignatio tamen cum pacto, ut resignatarius det aliquos fructus resignanti, non est talis confidentia, ut ex contextu bullæ Pij colligitur. Salua &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Simoniam committere censetur, qui ante ius in re aliquid dat.
 2 Papæ beneplaciti reservatio, antequam impetretur, non excusat.

CONSILIVM XLIX.

Quidam renuntiauit beneficio in fauorem alterius in manibus Papæ referuata pensione: & post signatam supplicationem & præstitum consensum ante adeptam possessionem conuenit inter partes fieri aliquam referuationem beneplacito Papæ quæ sine illo non licuisset, sed antequam beneplacitum Papæ accederet exequuta fuerunt & adepta fuit possessio. Quæritur an interuenerit simonia realis.

- 1 Respondeo, præfatas conuentiones iudicatum iri simoniacas, saltem in foro contentioso. Tum quia fuerunt factæ ante adeptam possessionem & non licet habenti etiam verum & bonum ius in beneficio, & carenti eius possessione quærere illam per dationes, & remissiones rerum temporalium, vt expresse adnotauit Panor. communiter recept. in cap. dilectus de simon. Dixi, *Quo ad forum contentiosum.* nam quo ad forum conscientie saluari forte posset per ea quæ nos adducimus in Manu. confess. cap. 23. num. 101. Tum quia non prodest ei referuatio beneplaciti Papæ: quia antequam beneplacitum eius impetraretur resignatarius accepit possessionem beneficii & resignans retinuit ea, quæ per conuentionem ei restituantur, & quod referuatio huiusmodi beneplaciti nihil profit si antea fiat, quod conuentum est, præsupponit pro certo ludo Gomez. in q. 12. lit. f. de trien. poss. & multis probari potest & prætorium sacre Pœnitentiariæ seruat, & nunc imprimitur in dicto Manu. confess. vbi supra num. 107. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Simoniacus an sit dans, quid ne ab incepta permutatione discedatur.*
- 2 *Præces alia subsistente iusta causa simoniam non inducunt.*
- 3 *Mutuare ad amicitiam ineundam vnde beneficium sequatur, licet.*
- 4 *Intentio minus principalis non inducit simoniam.*
- 5 *Causæ principalis sine qua non fieret actus definitio reprobata.*
- 6 *Simonia iure diuino sine intentione non committitur, vel humano sine pacto.*

CONSILIVM L.

FRanciscus & Petrus conuenerunt super suorum beneficiorum permutatione in manibus sanctæ Sedis Apostolicæ, & fuit signata supplicatio, & antequam illa signaretur mutuauit P. aliquot pecunias F. ani-

S mo

mo eas recuperandi, intercessitq; fideiussor pro eo accipiente alias per viam cambij, & postea cum signata fuisset supplicatio ante tamen quod extenderetur consensus P. praestitit F. aliquot officia ei grata intercedendo vt fideiussor, & sollicitando in lite, quae super beneficio permutando F. pariebatur, idque fecit, & facit partim ob amicitiam inter eos iam diu contractam; partim vt ostendat se gratum ei volenti per permutationem transferre in ipsam Petrum beneficium quod valde desiderat consequi: partim ne discedat a proposito permutandi cum illo, quod iure facere posset, quae officia omnia non respiciunt in se spem habendi beneficium. Queritur an Petrus in hoc simoniam admiserit, vel an sana conscientia possit permutationem complere.

- 1 Ad dicendum quod admittat simoniam, facit quod P. dedit & dat aliquas pecunias, vel alia, quae sunt pecunia aestimabilia F. videlicet vt faciat praefatam permutationem, & ne retrocedat ab illo proposito: per quod videtur praestare temporale pro spirituali, & consequenter esse simoniam, cap. Saluator. 1. q. 3. & cap. sunt nonnulli. 1. q. 1.

Sed contra videtur dicendum. Primo quod simonia definitur esse studiosa voluntas emendi, vel vendendi spirituale, vel ei annexum, secundum glos. receptam in summa 1. q. 1. & S. Thom. in 2. 2. q. 100. art. 1. & in 4. dist. 21. vbi omnes hoc tenent. post quos paulo latius tradimus nos in Manuali nostro confess. cap. 23. num. 100.

- 2 Secundo, quod preces, quibus rogatur collator beneficij, non inducunt simoniam, quando subest debita causa, propter quam confertur beneficium, secundum eundem S. Thomam vbi supra art. 5. ad 3. at in nostro casu subest causa debita, scilicet dignitas siue idoneitas personae, ac permutatio iusta & obsequia, de quibus in facto, praestita compermutanti, ad summum videntur esse quaedam preces, ergo tantominus inducent simoniam, quanto minus iuris habet ad conferendum compermutans, quam collator.

- 3 Tertio, quod licitum est mutuate alteri ad consequendam eius amicitiam, ex qua ei proueniat aliquod beneficium, iuxta doctrinam eiusdem S. Thomae in 2. 2. q. 78. art. 2. in corp. q. vbi clarius id explicat Caiet. quem sequimur in comment. de vsur. num. 22. & in Manuali confess. cap. 17. num. 209.

- 4 Quarto, quod ea, quae minus principaliter intenduntur, non inducunt simoniam, cap. quid proderit. 61. dist. & cap. si officia 59. dist. quatenus cum glos. habent quod obsequia eorum, qui principaliter inseruiunt ecclesiae, & praelatis propter Deum, vel quia iustum, & honestum est, licet minus principaliter inseruiant ad consequendum aliquod beneficium ecclesiasticum, non committunt simoniam, sed neque qui vadunt ad officia diuina principaliter propter Deum, & minus principaliter propter distributiones quotidianas, iuxta glos. sing. in cap. 1. de cleri. non resid. li.

6. At causa principalis propter quam Petrus vult querere beneficium præfatum, est id, quod dat per permutationem & non obsequia prædicta quæ non præstat illi principaliter propter habendum illud beneficium, sed minus principaliter, & quod præfatus P. nihil dedit præfato F. præuio pacto, vt illam permutationem perficeret: immo per ipsum Petrum stat quo minus perficiatur: vt in facto proponitur.

5 Quinto, quòd non obstat dicere, quòd Bartol. in l. 2. §. fin. ff. de donat. ait, quòd causa principalis est illa, sine qua non fieret effectus; & quòd præfatus Petrus non præstitisset tot officia F. quot præstitit: nisi sperasset per illa eum retinere in proposito transferendi præfatum beneficium in ipsum per permutationem. Non inquam hoc obstat quia illa definitio Bart. non est bona vt nuper in commentario, cap. cum minister 23. quæst. 5. num. 39. clare monstraui per multa exempla, & iura, quibus probatur, quòd multi ad officia diuina non irent aliquoties, nisi distributiones quotidianas lucrarentur: multi non inferuissent Papæ, neque Prælati: nisi spectarent beneficia, quibus essent digni: multi sacerdotes aliquando non missarent, nisi pitantiæ offerrentur eis; nisi rogarentur vt id facerent: immo rari sunt, qui virtuti studeant sine vlla spe inde consequendi aliquid, iuxta illud Iulianalis, *Quis virtutem amplectitur vllam, Præmia si tollas.* Attamen rari ex prædictis ponunt finem principalem in distributionibus, pitantijs, precibus, & beneficijs speratis, sed in Deo ipso, in honestate, & virtute, licet minus principaliter per illa temporaria moueantur ad illa. Nam vt Io. Maior aperte exemplificat in 4. distinct. 25. passim contingit aliquem habere aliquod negotium magnum in platea; ad quod tamen agendum non iret; saltem tali, vel tali hora; nisi superueniret aliud munus, quo superueniente vadit principaliter quidem propter negotium maius & minus principaliter propter superueniens.

6 Sexto denique facit peremptorie, quòd nemo committit simoniam iure diuino prohibitam; nisi qui intendit emere, vel vendere spirituale, vel illi annexum, vt probamus in d. Manuali Confess. cap. 23. num. 100. in principali, & corol. 4. & quòd prædictus P. nullam talem voluntatem habuit; & ita non commisit simoniam iure diuino prohibitam. Nulla vero simonia iure humano inducta committitur sine pacto, seu conuentione, cap. tua cum glos. & Doct. de simon. nam intentio intra mentem reterta, vt fiat hoc, vel illud, quod non posset licite per pactum exprimi, non efficit simoniam iuris humani, vt vtiliter tradit D. Antoni. par. 2. tit. 1. cap. 8. §. 11. & tradimus nos vbi supra nu. 107. ad. 10. cumque præfatus P. nullatenus intenderit, nec intendat emere aliquod ius per præfata officia; cumque illa faciat nullo pacto præuio vt ob ea F.

permutet, cumque illa sint officia quæ passim amicis fiunt ab amicis; cūq; non sint illa causa principalis consequendi beneficium illud, sed alia beneficia commutandi cum eo, nulla profecto simonia iuris diuini, aut humani iure reperitur in hoc casu, præsertim quo ad forum conscientia. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Simonia non est mutare pecunias beneficium resignanti.*
- 2 *Simonia mentali beneficium quærens non tenetur illud dimittere.*

C O N S I L I V M L I.

ANtonius dixit Petro velle se illi renuntiare canonicatum: & quod quæreret datam, quam appellant paruam, & multis mensibus in eadem voluntate permanens, antequam præstaret consensum petijt ab eo, quandam summam pecuniæ mutuam, qui eam illi mutuauit cum obligatione soluendi, post quod extendit consensum, & Petrus per literas expeditas accepit possessionem. Quæritur an admiserit simoniam, & teneatur relinquere canonicatum.

- 1 Respondi, in foro exteriori cogendum ad restituendum per extrauag. Pij. V. de confidentia; in foro autem interiori minime. Tum quia vere nulla interuenit simonia realis, cum nulla emptio formalis interuenerit, neque aliqua æquipollens, quia verus contractus mutui intercessit. Tum quia nulla conuentio illicita interuenit. Tum quia, qui mutuat pecuniã alicui principaliter ad contrahendam, vel augendam cum mutuatio amicitiam, & subleuandam eius necessitatem, non committit vsuram, nec consequenter simoniam, licet secundo speret ab eo aliquod beneficium, etiam conferendum sibi iuste, principaliter, propter amicitiam, & realiter postea confertur illud ei ab eo, vt colligitur ex S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 3. & in corp. quæst. vbi clarius Caiet. explicat, quem nos sequimur in comment. de vsuris. super cap. 1. 14. q. 3. num. 22. vbi etiam citauimus Sorum lib. 9. q. 1. art. 2. de iust. & iure clarius hoc dicentem, idem etiam dicimus in Manual. Confess. cap. 17. n. 209.
- 2 Tum denique quod simonia mentalis etiam secundæ speciei, illa videlicet, qua quis intentione praua, non tamen expressa, neque deducta in pactum quærit aliquod beneficium spirituale non tenetur illud relinquere, per cap. 1. de simon. & ea quæ nos ibi late tradimus. Cum igitur Petrus non emerit, nec vllò contractu oneroso quæserit ab Antonio renuntiationem prædicti beneficii, immo ipse suo motu proprio voluerit

ei re-

ei renuntiare; cumque nulla conuentio interuenerit inter ipsos, vt Petrus mutuaret pecnias, & Antonius renuntiaret, cumque post oblatum beneficium mutuauerit pecuniam ob amicitiam, & necessitatem, & gratitudinem, quam debebat ei propter amorem, & voluntatem beneficiē di, quam ei monstrabat. cumque liceat mutuare alteri ad conciliandum sibi eius amorem, & amicitiam, etiam sperando, quod ratione amicitiaē postea in eum est aliquid ille collaturus. cum denique non teneatur quis restituere beneficium quæsitum per simoniam mentalem, hoc est faciendo, vel dando aliquid temporale corrupta intentione, non tamen deducta in pactum, consequens est prædictum Petrum iuste posse retinere præ fatum beneficium, nulla super eo habita dispensatione, cum facile per adducta pro hac parte soluantur allegata pro contraria.

S V M M A R I V M.

- 1 *Pensio beneficalis constitui, emi, vel vendi sine Papa nequit.*
- 2 *Pensionis venditionem non excommunicat, nisi pro beneficio, vel ordine assequendo fiat, & seq.*
- 3 *Venditio in materia simoniæ omnem contractum non gratuitum comprehendit.*
- 4 *Simonia nisi ab vtraque parte completa peius non afficit.*
- 5 *Pensionem simoniace reseruatam, vt iuste quis tenere potest.*

C O N S I L I V M LII.

Vtrum Paulus incurrat simoniam in foro poli, vel foro fori, eo quod rogauit Andream, vt consentiret constitutioni pensionis cuiuspiā super beneficio suo soluendæ Petro, vt renuntiet alteri beneficio in ipsius Pauli fauorem, & Paulus non solum rogauit, sed etiam promisit instrumento publico ipsi Andrea, quod ipse solueret pensionem, & seruaret eum indemnem.

- 1 Respondetur primo, quod non licet emere pensionem, nec constitutionem pensionis super beneficio ecclesiastico aliquo, neque vendere illam, vel constitutionem eius, sine auctoritate Papæ, vt dicimus in nostro Manu. Confess. cap. 23. num. 111. & latius in consil. 51. de præb.
- 2 Secundo, quod emptio, vel venditio pensionis huiusmodi, vel constitutionis non inducit ipso iure vllam excommunicationem, quia sola simonia super beneficio, vel ordine commissâ inducit ipso iure illam, vt ibidē traditur, & pensio non est proprie beneficium ecclesiasticum spirituale, licet sit ius ei annexum, sicut & ius patronatus, vt ibidem dicitur.

Tertio quod fallit hoc, quando pensio, vel constitutio pensionis emittitur, vel venditur, tanquam gradus, seu medium acquirendi aliquod beneficium spirituale, vel aliquem ordinem: quia talis emptio, vel venditio in hunc finem facta censetur simonia commissa super beneficio, vel ordine, sicut traditio, vel promissio pecuniæ alicui, ut sit mediator ad dandum, vel renuntiandum beneficium censetur simonia secundum Innocen. in cap. tuam. de atat. & qualit. allega. in hoc a nobis in d. Manu. Confess. cap. 23. num. 106.

- 3 Quarto, quod in hac materia, & definitione simoniæ tradita à gloss. in summ. 1. q. 1. & a nobis declarata in d. cap. 23. num. 100. per venditionem, & emptionem includitur omnis contractus non gratuitus, in quo temporale datur pro spirituali, vel ei annexo: & ita est simonia.

Quinto, quod licet emptio, & venditio præfatæ constitutionis pensionis simpliciter facta non censeretur simonia facta super beneficio, quia tamen non est simpliciter facta, sed ad finem querendi ius spirituale beneficiale, censetur simonia facta super beneficio, ut traditio pecuniæ facta mediatori ad quærendum per suum fauorem beneficium censetur simonia facta super beneficio, cui consequens est factam fuisse in hoc casu simoniam super beneficio, & consequenter talem, quæ inducit ipso iure excommunicationem, & prouisionis nullitatem.

- 4 Sexto, quod præfatus Paulus resignatarius, licet non possit excusari a peccato mortifero simoniæ, potest tamen excusari ab incurso excommunicationis, & nullitate prouisionis, si nondum soluit, nec soluerit in futurum ratione præfatæ promissionis ullam pensionem, quia simonia conuentionalis, nisi compleatur ab utraque parte, non est simonia realis, quæ sola inducit ipso iure excommunicationem, per tradita a nobis ubi supra num. 104.

- 5 Septimo, quod si nondum Paulus soluit quidquam pro præfata pensione ad conseruandam amicitiam inter ipsum, & Andream, conueniret multum, ut Andreas renuntiaret libere sine ullo pacto promissioni factæ sibi a Paulo de soluenda pensione, & de seruando eum indemnem, & postea ex interuallo ipse Paulus rogaret alium amicum, qui promitteret Andream id quod antea promiserat Paulus, & ipse Paulus promitteret illi amico seruare eum indemnè a damno quod posset pati ex solutione promissæ, nec Andream videri debet durum renuntiare libere promissioni sibi factæ. Tum quia confidere potest virtuti Pauli. Tum quia promissio illa nihil valet, nec in foro conscientiæ, nec in foro fori. Dixi supra, si nondum quidquam soluit Paulus, quia si soluit quærendum est remedium a Papa tam super nullitate prouisionis, quam super absolutione.

DE IVREIURANDO.

S V M M A R I V M.

- 1 *Iuramento qui promisit aliquid non facturum, id faciendo, peccat.*
- 1 *Iurat nequaquam qui dicit, cum iuramento, vel per iuramentum promitto.*
- 2 *Transgressio iuramenti secreti inhabilitatem non inducit.*
- 2 *Intentio resignantis, vt resignatarius post adeptam possessionem hoc vel illud faciat, coram Deo non nocet.*
- 3 *Resignatarius gratitudinem erga resignantem caute exerceat.*

C O N S I L I V M I.

Quidam, accepto mandato de renunciando vnum beneficium infuorem suum misso à partibus, cum iuramento promisit, se non vsurū mandato illo, nisi reseruata certa pensione cuidam; licet postea vsus fuerit, & post quæsitam possessionem rogatus, vt se obliget ad soluendam pensionem, quam reseruari voluit resignans ad certa opera pia. Quæritur an id facere possit?

- 1 Respondeo primo D. consulentem male fecisse, peccasseque vtendo mandato prædicto ad resignandum contra suum iuramentum, quod poterat seruare sine interitu, & sine dispendio salutis æternæ. cap. si vero. de iureiur. cap. quamuis. de pact. lib. 6.

Secundo, quod per hoc peccatum non incurrit irregularitatem, vel inhabilitatem ad retinendum prædictum beneficium. Tum quia chirographum, quo id promisit, non continet, quod ipse iurauit, sed quod promittebat cum iuramento, vel per iuramentum, quod tunc non fecit; quæ sunt valde diuersa, iuxta verum intellectum ca. clericus. de iureiur. Tum quia transgressio eiusmodi iuramēti secreti non induceret ipso iure talem inhabilitatem, arg. notatorum in cap. querelā. & cap. tua. de iureiur. cap. fin. de temp. ordin. & notata per Fel. in cap. ex parte. de rescriptis.

Tertio, quod prædictus D. consulens licite, sancteque poterit quo ad forum interius soluere prædictam pensionem, posteaquam expediuerit, & acceperit possessionem beneficij. Tum quia intentio, & animus resignantis, vt resignatarius hoc, vel illud faciat post habitū beneficiū, nil nocet quo ad forū conscientiæ, nisi exprimat, & deducatur in pactum, ca. tua. de simonia. vt tradimus in Manua. cōf. cap. 23. nu. 107. post gloss. fin. gularlem in cap. ordinationes. 1. q. 1. & D. Antoninum ibi citatum.

Quarto, quod nō abs re dixi in tertio dicto, *quo ad forum interius*: quia quo ad forū exterius posset præsumi confidentia per bullam Pij V. quā referimus ad literam in d. ca. 23. nu. 110. ex qua paulo inferius colligimus vnā coniecturā admittæ cōfidentia esse, si renuncians beneficiū, acceperit aliquā partē fructuū à resignatario, etiam post habitam possessionē illius.

- 3 Quinto ex his sequitur, prædictum D. consulentem nullatenus debere obligationem prædictâ facere, nec vllibi dicere, vel confiteri, quod dedit, vel dat aliquid prædicto resignanti, nec alij de mandato eius: quamuis ipse debeat sæper esse illi gratus, & ita dare liberaliter ipsi, vel alicui alij paupertatis, vel subventionis intuitu ea, quæ videbuntur honeste danda, secreto tamen.

S U M M A R I V M.

- 1 Procuratorem post mortem mandantis non posse deferre iuramentum decisorium verius. & num. 3.
- 1 Mandatum regulariter re integra morte mandantis expirat, beneficiarij vero etiam lite contestata.
- 2 Procurator dominus litis cum fit, fit solum quo ad non requirentia speciale mandatum.
- 3 Iuramentum decisorium requirit specialiss. mandatum.

CONSILIVM II.

Procurator constitutus in causa ciuili, & factus dominus litis, an mortuo suo principali, re integra, subire, vel referre valeat iuramentum litis decisorium, ita vt si de facto illud, subeat, probet in præiudicium sui principalis?

- 1 Respondeo, quod multa possent in vtramque partem huius quæstionis adduci ab eo, cui id faciendi otium, & vires suppeterent. Dico tamen primo, inclinare me in opinionem eorum, qui tenent præfatum procuratorem per præfatum iuramentum nihil posse nocere defuncto, nec instantiæ, & causæ quam tractat. Tum quia mandatum procuratoris expirat morte mandantis, beneficiarij vero ecclesiastici etiâ post litem contestatam, & re non integra, clem. fin. de procurat. & causâ hæc fortassis est beneficiaria, licet ipse nesciam, cum qualis sit ex narratione facti nõ colligatur. Tum quia omne mādātum regulariter expirat re integra morte mandantis, cap. mandantis. de offic. deleg. cum ei late à Doctoribus adnotatis, l. inter causas. ff. mandati. cum alijs vulgatis, vt in proposito casu narratur, quod mandator re integra fuit mortuus. Tum quia nihil videtur ob stare, quod ipse procurator factus fuerit dominus litis; quia id verum est quo ad ipsam litem, & alia incidentia emergentia, quæ non requirunt speciale mandatum, non autem quo ad alia requirentia speciale mandatum, sine quo ipse non potest obligare principalem suum, arg. l. quæ de tota. ff. de rei vend. quandoquidem ea ratione, qua non potest tractare totam causam absque mandato saltem generali, ita non potest tractare partem causæ requirentem speciale mandatum sine illo: & ad præstan-

3 præstandum iuramentum decisorium litis, de quo agitur, requiritur specialissimum secundum omnes. Tum quod præfatus procurator non videtur posse virtute præfati mandati deferre iuramentum parti aduersæ, ergo nec iurare pro sua parte principali: quia iuramentum, quod dicitur per partitum, quod fundatur in l. manifestissima. ff. de iureiur. videtur includere iurationem, & declarationem, ita quod non potest iurare pro sua parte, nisi aduersarius iuramentum sibi delatum referat illi. Tum, quod mandatum fuit ad iurandum in animam mandantis: & præfatus procurator vult iurare in animam suam, quod est diuersum à mandato. c. impetratam. de iuram. calum. & cap. 2. eod. tit. lib. 6. & à diuersis non fit illatio. l. Papinianus. ff. de minor. Salua, &c.

S V M M A R I K M .

- 1 *Iuramentum de non ludendo, saltem ad ludos malos, seruandum, sed potest relaxari ex causa etiam ab Episcopo.*
- 2 *Iurans sub certa pœna ludo malo non ludere, ludendo, ad pœnam tenetur.*
- 3 *Absoluere potest confessarius à fractione iuramenti per cruciatam.*
- 4 *Iuramenti adeundi Ierusalem relaxatio non est reseruata.*
- 5 *Iuramentum, sed non votum adeundi Ierusalem, relaxatur per cruciatam.*
- 6 *Voti commutandi facultas ad iuramentum non extenditur.*
- 6 *Pœnitentaria facile dispensat super voto in peccati odium facto.*

C O N S I L I V M III.

TItius, cum non ad voluntatem ei ludus succederet, sponte prorupit in hæc verba, Iuro tibi, Semproni, per Deum me amplius in vita mea, non lusurum nec ad cartillam, seu cartetam, siue primeram, nec ad alium cartarum ludum, sub pœna adeundi Hierosolymam.

Dubitatur primo, an hoc sit iuramentum obligatorium.

Secundo, si iusit, an Hierosolymam adire teneatur.

Tertio, an à cōfessario electo virtute Iobelei, vel cruciatę absolui possit.

- 1 Ad propositas quæstiones respondetur primo, iuramentum de non ludendo ad cartillam, seu cartetam, siue primeram, & similes ludos vetitos, esse validum, & seruandum quo ad illos, qui sunt peccata genere suo præsertim mortalia; & relaxari posset iusta de causa, sicuti votum, tum à Papa, tum ab Episcopo: quia non est de reseruatis Papæ, iuxta ea, quæ tradimus in Manu. nostro conf. cap. 12. num. 75.
- 2 Secundo, quod qui iurauit non ludere præfato ludo malo, & illicito sub pœna adeundi Hierosolymam, tenetur adire illam, si fregerit illud, vt teneretur qui in genere, & absolute voueret non ludere sub simili pœna, & luderet illicite: quod quando contingat, dicitur in dicto Manual. cap. 20. in princ.
- 3 Tertio, quod certum est per Iobeleum, siue per Bullam cruciatę posse præ-

se prædictum absolui à peccatis, quæ fecit frangendo prædictum iuramentum: quia id nullo iure reseruat Papæ, & per Iobeleum, siue Bullâ cruciatę conceditur confessario legitime electo facultas absoluendi à peccatissimo & proprius cōfessarius potest absolvere ab ipsa trāsgressione.

4 Quarto, quod pulchrum dubium est, an alius, quam Papa, possit relaxare iuramentum de adeundo Hierosolymam, si ludo illicito luderet: arbitrator tamen esse probabile, quod relaxatio iuramenti prædicti, de adeundo Hierosolymam, & terram sanctam, non est reseruata Papæ, sicut est relaxatio voti id ipsum faciendi, per ea quæ de comparatione voti, & iuramenti diximus in præfato Man.c. 12, num. 32. & secundum Tab. verb. iurare. num. 21.

5 Quinto, quod certum est consequenter prædictum iuramentū potuisse relaxari iusta de causa à confessario electo legitime per cruciatam; quamvis credam non posse relaxari per eum, etiam iusta de causa, votum de adeundo Hierosolymam: quia illud est reseruatum Papæ; & vt puto, dispensatio eius nō cōceditur specialiter prædicto cōfessario electo per cruciatā.

6 Sexto, dubitari posse an hoc iuramentum possit relaxari per Iobeleum à S.D. N. nuper concessum, & in præsentia inclino in prædictam negantē; quia solum concedit facultatem dispensandi super votis, nulla facta mentione de iuramentis, quæ sunt diuersa ab illis, per dicta in præfato cap. 12, num. 32. & à diuersis non fit illatio, præsertim in dispensationibus, quæ sunt odiosæ, & exorbitantes, l. Papinianus. ff. de minoribus, & cap. quæ à iure. de reg. iur. lib. 6.

Septimo, quod, vt puto, facile absoluetur à sacra Pœnitentiaria à præfato iuramento facto non propter deuotionem, sed ob abominationem peccati iusta de causa; præsertim quod sine licentia Sedis Apostolicæ non potest consulens adire Hierosolymam causa deuotionis.

S V M M A R I V M.

- 1 Iuramentum absolute vi præcisa factum vix inueniri. Et nu. 2. quia voluntas hominis vi præcisa cogi non potest.
- 2 Violentum fit à principio extrinseco passo non opitulante.
- 3 Intellectus cap. sacris. de his quæ vi.
- 4 Iuramentum vi præcisa non obligat, conditionali sic, sed facile remittitur.

CONSILIVM IIII.

Quæsitum est an iuramentum absolute metu præciso, siue per vim præcisam extortum obliget iurantem.

5 Respondeo primo vix posse dari casum, in quo ullum iuramentum absoluto metu, siue vi præcisa factum inueniatur. Tum quia uoluntas hominis

stum beneficij non procurat rem ita immediate obnoxiam restitutioni. Ratio; quia simoniacus potuit omnes fructus conuertere in vtilitatem ecclesie, potuit etiam habere dispensationem, quæ alio tempore non erat tam difficilis & de hoc potuit rationabiliter cogitare procurans, & hanc responfionem iudico optime conuenire verbis D. Thom. quia, vt recte ait ibi Caiet. quod etiam Sotus repetit 4. de iustitia q. 7. art. 3. non sunt ea intelligenda de causa, sine qua non, & ita de causis remotis, sed de causa efficiente iniustæ acceptionem, & ita de causa proxima, & vt ex supradictis patet, ille procurans non debet dici causa immediata huius iniustæ acceptionis fructuum. Et ad argumentum de collatore, qui confert plane indigno longe aliam esse rationem, quia hic peccat in officio, & lædit ecclesiam, quam ex munere suo tenetur tueri, aliud vero est in laico, qui ad hoc non tenetur ex officio, & hæc responsio est de mente D. Thom. in eo ar. 7. Ad tertium loquentis de non manifestante latronem, vltimo priuatus præsertim laicus in similibus potest excusari ex probabili ignorantia, nesciens ex illis pactationibus nasci tantum malum, vt ille nullo modo dicitur facere fructus suos. quæ ignorantia, quum non sit crassa, nec supina, in laico excusat à restitutione, de qua post alios D. tua in Man. cap. 17. num. 82. & sequentibus. Et non dubito, quin nulli ex his, qui procurarunt huiusmodi beneficia suis consanguineis, si interrogarentur, Si sciisses illud, nunquam posse facere fructus suos, & si eos retineret furtum committere, procurasses ei hoc beneficium? Responderet, non procurassem, & nullo modo cogitauit de furto, aut rapina rei alienæ, vnde non videtur in homine, qui ex officio non tenetur tam accurate hæc scire, induci obligatio, restitutionis sine retentione rei alienæ, aut proxima operatione ad iniustam acceptionem.

Respondeo, quod præcedens responsum in eo potissimum fundatur, quod qui non dat causam immediatam damni, non videtur damnum dedisse, eo quod longe aliud est conferre beneficium nulliter, siue inualide; & procurare, vt nulliter conferatur, & quod qui non tenetur ex officio obuiare damno, licet peccet, non obuiando, non tenetur tamen ad restitutionem. Sed contra hæc facit, l. qui occidit ff. ad leg. Aquiliam, quæ habet, eum qui occidit seruum pignori datum, teneri ad restituendum vsque ad valorem serui, quod debetur creditori, si debitor non est soluendo, & tamen non videtur occisor fuisse causa immediata illius damni, sed valde mediata, & quod qui furatur sactoria cum, vel alteri operatori instrumentum, sine quo non potuit operari, & cum quo operatus fuisset, tenetur ad restitutionem, vt concludimus in Man. cap. 17. num. 3. Tum quod d. cap. fin. de iniur. generaliter habet, quod causam damni dat, dare damnum, nulla distinctione facta inter causam mediatam, & immediatam, quam nec Diuus Thom. facit secunda secundæ quæst. 63. articulo.

7. immo significat sufficere, vt sit causa sine qua non fuisset datum damnum.

S V M M A R I V M.

- 1 *Simonia iure canonico in omnibus actibus ad acquirendum beneficium, vel ordinem directis committi poterit.*
- 2 *Simonia commissa in dimissorijs in ordine commissa censetur, contra quen-
dam.*

C O N S I L I V M LVIII.

AN qui dat pecunias mediatori, vt sibi impetret dimissorias, siue reuerendas ad ordines suscipiendos, quas per pecunias mediator impetrauit, comprehendatur in dispositione extrauag. 2. de simonia?

Nam pro parte affirmatiua facit vulgata propositio, de qua post Aristotelem D. Thom. q. 18. art. 6. & 7. quod actus humani accipiunt speciem potius à fine, quàm ab obiecto: vnde qui furatur vt committat adulteriũ est per se loquendo magis aduler, quàm fur. Sed sic est quod D. C. dedit pecunias pro dimissorijs ad hoc, vt ordines sacros acciperet, ergo eas dedit potius pro ordinibus, quam pro dimissorijs. ergo est simoniace ordinatus. ergo comprehenditur & c. quod confirmatur per l. verum, ff. de furtis. vbi ait Iurisconf. qui rapuit, vel zelauit meretricem, vt fornicetur, non dicitur fur, nec vt talis punitur, vt ibi tenet Bart. Secundo facit argumento à simili textus in cap. 1. adiuncta glo. cap. ex parte, & ibi Innocen. in verb. minister. de simon. vbi sic habet. *Sicut episcopus manuum impositionem, ita neque examinator vocem, neque notarius calamum vendat, & subijcitur generaliter; Pro ordinatione igitur eum, qui ordinatur, aliquid dare prohibemus.* Ergo, sicut, qui notario scribenti, vel examinatori aliquid dat pro scriptura, & apptobatione idoneitatis pro ordinibus dare dicitur, sic etiam docendum erit de eo qui dat pecunias pro dimissorijs obtinendis. Tertio facit, quod qui dant pecuniam examineribus, vt eos tanquam idoneos præsentent Episcopo ordinanti, tentant emere gratiam Spiritus sancti id est ordinationem, vt ait textus in cap. quando, 24. distin. & sunt ipso iure suspensi, glossa ibidem per cap. reperiuntur. 1. q. 1. Quarto facit, quod qui dat aliquid examineribus occasione examinis ad beneficium, pœnas contra simoniacos statutas incurrere dicitur per Conciliũ Trident. sess. 24. cap. 18. de refor. Quinto facit eadem extrauag. 2. de simonia. quæ non solum punit simoniace beneficia & ordines recipientes, sed

tes, sed etiam annullat præsentationes &c. & sic reputat simoniacos eos, qui dant aliquid temporale pro præsentatione.

Pro negatiua vero facit primo opinio quorundam illustrium virorum, de quibus mihi verbo relatum fuit, eos consulisse non committere simoniam in ordine, quem, vt approbatus recipiatur qui dat pecuniam examinadoribus, vt ad illos idoneus renuntietur, & approbetur. ergo multominus erit talis, qui dat pecuniam pro dimissorijs. Secundo facit, quod hæc licentia, siue dimissoria ad assumendum ordines non concernunt substantiam illorum, cum sint quid separatum, & remotum ab ordinibus, & veluti quædam præparatiua ad ordines assumendos, vt palam est, & cum pœna apposita præparata regulariter non extendatur ad præparatoria, vt ait Decius in rub. de iudic. num. 1. vbi etiam Ripa num. 14. & 15. ergo nec pœna inflicta simoniace ordinato extendetur ad committentem simoniam in præparatorijs ad ordines suscipiendos, arg. cap. odia. de reg. iuris lib. 6. & glos. cap. final. de iure patronat. Tertio, quod qui ordinat, vel præsentat aliquem cum pacto, quod ipse nõ molestabit eos pro uictu, non censetur incurrere pœnas d. extrauag. sed solum suspensionem ad triennium per cap. fin. de simon. vbi post Abbatem antiquum hoc notant Ioan. André. & Card. cuius dicti rationem reddunt Panor. & Fel. in ca. de simoniac. num. 2. eod. tit. quia, scilicet, ibi simonia non erat commissæ in ordine, sed in consequentibus illum, ergo sicut simoniacus in consequentibus ordinem non est proprie simoniacus in ordine, nec subit pœnas contra tales decretas, ita nec simoniacus in antecedentibus ordinem erit iudicandus simoniacus in ipso ordine, arg. l. illud ff. ad l. Aquil.

Ad opposita videtur posse responderi. Ad primum quidem, primo, quod assumptum illud non potest applicari ad casum nostrum, quia procedit in illis actionibus, ex quibus quasi per partes integrales conficitur vnum illud, quo erat vltimo loco vtendum. vnde qui volens, fornicari rapit meretricem, non dicitur raptor, sed fornicator: quia hoc solum intendebat, vt ait Iureconsultus in d. l. verum? aliud esset, si furatus esset pecuniam, vel equum, collimando hæc omnia in hunc solum finem, vt fornicetur: nam cum hæc sint actiones separate, non faciunt simul collectæ vnum quid solum. Itaque iste talis fur erit simul & fornicator; duæque erunt actiones omnino separate, quarum prima erit pœnalis de iure ciuili, quo punitur fur actione furti; altera vero de iure canonico, quod punit fornicationem cum meretrice etiam habitam, & commissam: quæ colliguntur ex Diuo Thom. d. art. 6. & 7. prout clarius apud ipsum videri possunt, ergo in nostro casu, cum licentia ad ordines assumendos, & assumptio ordinum sint actiones diuersæ, & separate, de vna ad aliam non potest inferri l. Papinianus, ff. de minorib. ca. ad audientiam de decimis. Secundo responderi posset, actionem humanam, prout procedit ab operante, non ordinari nisi ad vnum finem proximum, & ab illo tantum specificari:

cificari: licet ad alios remotos etiam referatur, vt colligitur ex eodem D. Tho. 1. 2. q. 1. art. 3. ad 3. atque ita cum datio pecuniæ in casu nostro primo, & principaliter facta sit propter dimissorias habendas, secundario autem, & minus principaliter ad ordines assumendos, dici non poterit assumptio ordinum simoniaca, licet dimissoriæ ad illos assumendos fuerint per simoniam obtentæ.

Ad secundum responderetur, concedendo assumptum in eo; negando tamen, quod inde sequatur committere simoniam in ordine omnes, qui prohibentur aliquid accipere, siquid est in fine, concludendo prohibetur, ne quid detur pro ordinatione, nec pro vsu pallij, nec pro chartis, Vnde patet quod dare pro chartis, id est notario, non est dare pro ordinibus, & consequenter nec dare pro dimissorijs erit dare pro ordinibus. Nec obstat, quod dimissoriæ continent in se examen: quia hoc venit in consequentiam, & quæ in consequentiam veniunt attendi non debent.

Ad tertium responderetur, quod iura in illo citata debent intelligi de examinadoribus, qui rogant Episcopum, vt det ordines alicui, veluti faciunt Archidiaconi, qui si pro illo rogatu accipiant pecuniam videntur formaliter committere simoniam in ordine, quia perinde est ac si ordinatus illam accepisset, vt post alios tradit Dominatio tua in suo Manuali, cap. 23 o. 106. §. ad quintum, & alibi sæpe: non autem de simplicibus examinadoribus, & simplices dimissorias concedentibus, qui referunt accepta pecunia aliquos esse idoneos ad ordines, vel dare licentiam vt possint ordinari.

Ad quartum responderetur, Consilium loqui de examine ad beneficia per concursum, per quem acquiritur approbato ius ad beneficiũ: & ideo nihil mirum cum pecunia dari videatur pro illo iure spiritali, dicatur tam dans, quam accipiens committere simoniam in beneficio, quod etiã colligitur ex d. Extrauag. 2. Atque ita posset hæc inductio retorqueri sic, speciale est in examinadoribus & Consilium nouum ius statuit contra examinadores ad beneficia per concursum, vt scilicet accipiendo aliquid ab examinatis censeantur simoniaci in beneficio. ergo contrarium dicendum est de examinadoribus quo ad ordines aliquid accipiendo ab approbatis; quia qui de vno dicit &c. vulg. l. cum prætor. ff. de iudi. ca. nonne de præsumpt.

Ad quintum responderetur ex diuersis non bene inferri, & quod aliud sunt præsentatio, electio, collatio &c. de quibus in d. extrauag. per quæ acquiritur ius ad beneficia, & aliud examen, & dimissoriæ, per quæ nullum ius acquiritur ad ordines, vt palam est: nam restat in arbitrio ordinatoris vtrum velit approbatos huiusmodi, & habentes dimissorias ordinare nec ne; quod tamen secus dicendum est in prædictis actibus, in quibus collator non potest sine iusta causa respuere præsentatum, electum &c. vnde cum emptio dimissorialiũ non possit dici formaliter emptio

ptio ordinum, non plus se extendet, quam fuerit intentio principalis emptoris. l. non omnis. ff. si certum petatur; alioqui enim eminentes officia, & munera ecclesiastica magni valoris sperantes minus principaliter, vt quotidie fit in Curia, sciente, & consentiente Papa, quod occasione illorum promouebuntur ad dignitates ecclesiasticas, essent censendi simoniaci in beneficio. quod est absurdum dicere. l. nam quod absurdum. ff. de bonis libert. quia ex dicta officij emptione nullum ius acquirunt ad eandem, sicut nec ex d. examinis, vel dimissorias emptione acquiritur aliquod ius ad ordines.

Ad superiora mihi proposita respōdeo primo, fundamenta quæ adducuntur, & tanguntur ad alia multa dubia decidēda seruire posse: quamuis Panor. & Felinus non videntur dicere id, quod eis tribuitur in cap. de simoniac. de simonia.

Secundo, quod licet eo respectu & ratione, qua tua pietas desiderat hanc partem, quam tuetur, esse veram, ipse quoque idem desiderem: alia tamen ratione, scilicet, quod expedit arcere multos, ne ad ordines inordinate accedant contra Gregorii sententiam, Conuenit optare pœnas, quibus arceantur.

Tertio, quod fundamenta tuæ Dominationis, quibus hanc partem confirmas, & confutas alterius fulcra, videntur mihi plus satis sapere Metaphysicam, & rigorem Logicum: dum satagis defendere tum demum simoniam in ordine committi, cum pecunia detur vel promittitur pro ipsomet ordine, vel ordinatione.

Quarto, quod hoc satis defendi posse videtur, si loquamur de simonia in ordine iure solo naturali, vel diuino, attento contracta, vt etiam eadem ratione defendi posset, quod tum demum simonia in beneficio attento illo solo iure admittitur, quando pro ipso beneficio pecunia datur, vel promittitur, & non alias: sed quod sicut per prædictam extravag. 2. de simon, & alia multa, cogimur dicere simoniam in beneficio contrahi saltem iure Pontificio attento, etiam cum datur pecunia, vel aliud temporarium pro collatione, electione, præsentatione, nominatione, fauore, intercessione, siue mediatione, & alijs similibus actibus ad acquirendum directis, & in renuntiatione, & priuatione, alijs actibus ad perdendum directis, ita cogimur dicere quod simonia committitur in ordine iure Pontificio attento, non solum quando datur pecunia, vel aliud temporarium pro pretio ordinis, sed etiam cum datur pro alijs actibus directis ad eius acquisitionem, quales sunt examinatio, approbatio, & fauor, intercessio, siue mediatio, qua queritur consensus ordinatis ad ordine insigniendum; licet vere coram Deo ordinandus nolite mere ordinem, quem scit esse inuendibilem, & inæstimabilem.

Quinto, quod negari non potest literas dimissorias esse de huiusmodi actibus, eo quod formaliter, vel virtualiter continent fauorem vel inter-

cessio-

cessionem ad ordinem consequendum, vel examinationem, vel approbationem, vel conferunt ius quoddam petendi, & accipiendi ordines, à quo maluerit antistite: vel quod est quædã via directa in ordinem querendum magna cum deliberatione instituta ab Ecclesia per potestatem supernaturaliter à Deo acceptam: & ita ius, quod per eas datur, est quoddam valde spirituale directum ad consequendum ordinem, qui est magis spirituale, iuxta ea quæ nos tractamus in Manu. Confess. cap. 23. nu. 99. vnde possunt desumi aliquot fulcra pro quarto, & quinto dictis suprapositis.

- 2 Sexto, quòd per omnia supradicta videtur consulendum, simoniam, quæ cõmittitur dando pecuniam pro literis dimissorijs censendam esse simoniam commissam in ordine, attento iure Pontificio. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Mediator simoniæ quis sit, & quam pœnam incurrat.

CONSILIVM LIX.

Quis dicatur simoniæ mediator, & quæ pœna contra huiusmodi constitutæ sunt?

Respondetur primo, quòd ad hoc, vt quis dicatur mediator simoniæ, non requiritur, quod ipse ob eam aliquid percipiat, sed satis est, vt mediator fuerit, vt illa fiat, vt probat extrauag. 2. de simonia.

Secundo, quod simonia non est realis, vel si non est commissæ super ordine, vel beneficio, mediator non incidit in excommunicationem extrauag. prædictæ; quoniam nec ipsi principales incidunt in eam, per ea quæ nos diximus in Manua. cap. 23. num. 102. si autem est realis, & commissæ in ordine, vel beneficio sic, per dicta ibidem, num. 105.

Tertio, quòd per illam extrauag. mediator non incidit in aliam pœnã, quam excommunicationis, nec in præsentia videtur in alias pœnas statutas ante illam extrauag. contra committentes simoniam, nisi exprimerent mediatorem. Tum quia illi canones sunt personales, & non videntur extendi extra suum casum, siue terminos suos, qui sunt de committentibus simoniam, & simoniacis, quales non videntur proprie consentientes tantum, & consulentes, per gloss. sing. clem. 1. de consang. & affinit. & ea quæ nos scripsimus in d. Manu. cap. 27. num. 51. Tum quia extrauag. prædicta extendens illam ad mediatorem, significat, canones, qui expresse non puniunt mediatores, non extendi ad eos, arg. cap. præfenti 1. §. loca. de præbend. lib. 6.

Quarto,

Quarto, an autem incidat in pœnas extrauag. Cum primum, Pij V. pen-
det ab illa quæstione, an illa extrauag. leget in foro conscientia, quo ad
pœnas, quas induxit nouas, & aliquando visum est nobis, quod non,
nunc autem credimus, etiam si haberet locum in foro conscientia, non
tamen includeret mediatorem, vltra suum laborem nihil percepit per
fundamenta superius insinuata: & ita non indigeret dispensatione quo
ad obtenta, nec obtinenda, quia secundum propria verborum signifi-
cationem non loquitur de tali.

S V M M A R I V M.

- 1 Dispositio beneficalis per simoniam ignoranti facta an nulla. num. 3. & 5.
- 1 Verbum Penitus, nullitatem ipso iure significat.
- 2 Simoniam in beneficio sibi collato admissam renuntians ei satisfacit, & seq.
- 3 Collatio simoniace ignoranti facta reprobanda.
- 4 Collatio simoniaca in odium peccati simonia nulla decernitur.
- 4 Peccatum vbi non est, nec pœna esse debet.
- 5 Beneficium per alterius simoniam scienter capiens fructus restituat.

C O N S I L I V M LX.

1 **A**N collatio, præsentatio, vel electio facta per simoniam eam igno-
ranti sit ipso iure nulla. Panor. in c. penul. de elect. col. 1. tenet q̄
sic, pro quo facit primo c. nobis de simon. quatenus habet huiusmodi
simoniam esse penitus reprobendam, cum verbum Penitus, significet nul-
litate ipso iure per gloss. singul. in l. si quis aduocatorum, C. de postu-
2 land. commendatam a Corseto in sing. suis verbo Penitus. Secundo,
quod S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3. affirmat huiusmodi ignorantem
non solum teneri ad relinquendum beneficium, cum primum scienti-
simoniace sibi fuisse collatum, sed etiam ad restituendos fructus. Tertio,
quod iure diuino gratis accepta debent dari, iuxta euang. Matth. 10. re-
latum in cap. gratia 1. q. 1. & ideo spiritualia, quæ constant gratis dari
sunt inestimabilia, & inuendibilia, secundum communem omnium men-
tem. quod alias clarius expressimus in cõment. extrauag. ab ipso Greg.
XIII. not.

Quarto, quod idem tenet Cassad. in decis. 3. de sequest. poss. quem
refert Homel. 12. q. in req. de triennali poss. quibus non citatis idem tenet
Couar. auctoritate S. Thom. in reg. peccatum. de reg. iur. lib. 6. §.
8. a num. 7. 2. par.

Pro contraria tamen parte facit primo, quod huiusmodi recipiens be-
Pars ij. T neficium

- neficium per simoniam a se ignoratam non dicitur excommunicatus, nec
 3 vere simoniacus c. de simonia. Secundo, quod nullo textu exprimitur
 collationem factam per huiusmodi simoniam esse ipso iure nullam, sed
 reprobendam: nam præfatum cap. pen. de elect. quod cum primis ad
 hoc citatur, non habet electionem sic factam esse nullam, sed reprobandam,
 nec collationem esse nullam, sed eum cui facta est teneri ad renun-
 tiandum. per quod signans habere aliquid ius, cum priuatio præsuppo-
 nat habitum, cap. ad dissoluendum. de despons. impub. l. decem N. de
 verb. oblig. Tertio, quod c. ex insinuatione de simon. significat huius-
 modi simoniacum satisfacere suæ conscientię renuntiando libere benefi-
 cium per simoniam alterius ignoranter acceptum. Quarto, quod cap. de
 regularibus de simon. habet, vt huiusmodi simoniacus cogatur renuntia-
 re, nihil alio habito, signando collationem valuisse, eo quod requirit re-
 nuntiationem, & quod non est necessaria fructuum perceptorum resti-
 4 tutio, cum nihil de hoc disponatur. Quinto, quod secundum hominẽ
 mentem omnium pœna qua collatio beneficij simoniaca decernitur nul-
 la, & inualida est inducta in odium peccati simoniæ, & qui recipit benefi-
 cium ignorans alium commisisse simoniam, qua conferretur ei, nullum
 crimen admittit, ergo nec vlla pœna debet puniri, c. 2. de constit. & l.
 Gracchus. C. ad l. Iuliam de adul. & cõsequenter videtur sufficere, quod
 teneatur illud renuntiare: immo quadantenus videtur nimium, eo quod
 iubetur relinquere, quod sibi quæsitum est per dationem eius, qui poterat
 illud dare idoneo, qualis est ipse per illa omnia, quæ citantur a Gra-
 tiano r. q. 4. per totam, & præsertim in cap. cum itaque vbi refertur il-
 lud Ezechielis, *Anima quæ peccauerit ipsa morietur*. Sexto, quod nulla
 pœna censetur ipso iure imposita, nisi iure id caueatur, iuxta gloss. sing.
 & communiter receptam in cap. penul. de iure patron. at nullo iure ex-
 primitur, & huiusmodi collatio sit ipso iure nulla, nec vt ipse beneficia-
 rius restituat fructus bona fide perceptos, ergo nec id est dicendum, c. le-
 gatur 24. q. 1. & §. consideremus de trient. & sem. coll. 3.
- 5 Per quæ pars hæc videtur verior, & pro argumentorum solutione di-
 cimus primo, quod præfatum cap. nobis non ait electionem esse nullam,
 sed reprobendam, quod signant eam esse validam, cum non possit re-
 probari, quod nihil est, cap. ad dissoluendum. de dispens. impub. cum
 citatis a gloss. in verbo accusati, & quod verbum penitus refertur ad sub-
 lationem potestatis dispensandi pro illa vice, vt habet d. cap. pen. quã
 habet Episcopus in collationem simplicis beneficij, vt ibidem habet, &
 non ad nullitatem electionis. Secundo, quod Panor. quasi obiter dicit
 huiusmodi collationem esse nullam, nullo alio fundamento citato: Cas-
 sad. autem, & Homel. vbi sup. adhuc magis obiter. Et quod Couarr.
 affirmat frequentiore sententiam habere, quod huiusmodi collatio va-
 let in foro exteriori, donec a iudice rescindatur, quin etiam significat
 maluis-

maluisse contrariam opinionem tenere, nisi verba S. Thomæ sibi obtulissent, quæ tamen profecto non obstant, immo iuuant, vt mox dicetur. Tertio, quod auctoritas S. Thom. non obstat. immo facit pro hac parte, nam quatenus loquitur de restitutione fructuum facienda a recipiente beneficium per simoniam ab alio commissam, loquitur de recipiente, qui scit, & consensit, non autem de contradicente, immo expresse dicit contradicentem non teneri ad restitutionem beneficij, nec fructuum acceptorum, de recipiente autem ignorante ait eum teneri resignare beneficium, & restituere fructus extantes, non autem bona fide consumptos, & non consumptos, quod nulla ratione defendi possit si collatio esset omnino nulla, quia nulla ratione excusare potest a restitutione fructuum consumptorum, nisi illa simoniaca collatio, præstatio, vel electio valeret, donec inciperet sciri illius nullitatem. Quarto, quod licet regulariter gratis data, gratis debeant dari, ad hoc, vt iusta sit datio, tamen fallit quando ignorantia iusta a peccato excusat, donec superueniat scientia in id necessaria.

S U M M A R I U M .

- 1 Beneficium per simoniam ignoranter commissam adeptum renuntian dicitur.
- 1 Renuntiatio beneficij ignoranter per simoniam adepti in manibus eius facienda, qui iuste posset collatarium destituere.
- 2 Beneficiorum permutatio auctoritate inferiorum Episcopo fieri nequit.
- 3 Beneficium simoniace affectum postea renuntiatum quis conferet.
- 3 Instituire eius est, cuius & destituere, nisi & c.
- 4 Canonicus ob simoniam se ignorante admissam denuo creatus vltimum locum occupat.
- 5 Episcopus dispensat, vt beneficium per simoniam ignoranter adeptum collatario iterum conferatur.
- 6 Canonicatus, & beneficium simplex exequantur.
- 6 Beneficia omnia iure communi residentiam requirere.
- 7 Beneficium per simoniam ignoranter adeptus fructus an restituet.
- 8 Simoniacus in beneficio ad illud, sed non ad alia fit inhabilis.
- 9 Ordinatus scienter per simoniam est irregularis.
- 9 Obligari incipere, & statim moram contrahere nemo potest.
- 10 Excommunicatum, & irregularem vno eodem actu quem fieri.
- 11 Simoniacus in ordine excommunicatus, suspensus, & irregularis, in beneficio vero solum excommunicatus.
- 11 Dispensat Episcopus super irregularitate ex occulto crimine, etiam ipso sciente, & consentiente facto, incurfa.

- 12 *Episcopus coniugato beneficium scienter conferens illud ei auferre nequit.*
 13 *Absolutio, qua presbyter concubinam suam absoluit, valet.*
 14 *Dispensatio Episcopi cum simoniaci occulto in ordine, beneficio quid operetur.*
 15 *Fructus beneficij simoniace collati, qui restituendi.*

CONSILIUM LXI.

SI quaestionibus propositis pro earum dignitate, & difficultate respondendum esset, iusto profecto libro, magna cura, & studio elaborato esset opus, at quando sola tumultuaria responsio praecipitur, quam paucissimis potero respondebo.

- 1 **AD PRIMAM** quidem primo, quod certum est, eum, qui obtinuit beneficium per simoniam ab alio se ignorante admissam, teneri ad renuntiandum illud, cap. de regularib. ca. ex insinuatione de simonia, ca. ex multis 1. q. 3. & factum est in proximo praecedenti consilio. nu. 3. Secundo, quod est dubitatio an sufficiat renuntiare in manibus collatoris tantum, an oporteat renuntiare in manibus Episcopi. Et quicquid gloss. verbo, manibus, clem. 1. de renuntiat. censeat verius videtur, quod omnis renuntiatio beneficij facienda est in manibus superioris, c. admonet, & cap. quod in dubijs de renuntiat. & non qualis, qualis, sed talis, qui possit renuntiantem iusta de causa inuitum destituere secundum Innoc. in d. cap. quod in dubijs, quod praedicta gloss. supra per Cardinalem, Bonif. & alios, verbo, manibus, in fine approbat. de renunt. probatur communiter ibi, & gloss. Bernard. in c. cum ex iniuncto, de haeret. vbi idem tenet Panor. sub. finem, & in cap. si quis contra num. 2. §. 3. de foro comp. sicut & permutatio beneficij debet fieri auctoritate Episcopi, iuxta gloss. celeb. penult. clem. 1. de rerum permuta. & non sufficit auctoritas inferiorum collatorum secundum Holtiensem receptum in summ. de renunt. §. quis potest. & ita videtur intelligendum id, quod Rebuff. in praxi benef. 3. p. tit. de resignat. nu. 1. obscurius dixit. Tertio, quod ex his duobus sequitur eiusmodi beneficiarium, qui ob simoniam se ignorante admissam, tenetur renuntiare beneficium, debere illud renuntiare in manibus eius, quo posset eum iusta de causa inuitum destituere, & consequenter in manibus Episcopi, vel Archiepiscopi, si est eius Superior immediatus, & quod non sufficit renuntiare in manibus collatoris inferioris, qui huiusmodi potestate careat, nisi approbetur a superiori. Quarto, quod superior, in cuius manibus huiusmodi renuntiatio legitime fieret, non posset beneficium renuntiatum denuo conferre renuntianti, si eius collatio non pertineret ad eum, sed collatio fiet ab eo ad quem illa alias pertineret, quia licet regulariter, iure communi solo
 attento,

attento, ad quem pertinet potestas destituendi, pertineat potestas instituendi, & contra cap. cum ex iniuncto gloss. communiter recepta, de heret. Secus tamen est, cum institutio iure particulari privilegij, fundationis, præscriptionis, vel consuetudinis pertinet ad alium, quam ad destituere potentem, ut ubi, & alibi. sæpe communiter resoluatur.

4 AD SECUNDAM, scilicet an qui canonicatum sic simoniace affectum renuntiat in manib. superioris, & deinde de eodem provideatur, debeat habere vltimum locum, & omnia alia facere, ac si de illos alias non fuisset prouisus, respondeo affirmatiue, primo quidem quod beneficium per renuntiationem legitimam eius perinde vacat, ac per mortem, cap. quam periculosum. 7. q. 1. & cap. susceptum. cum eis adnot. de rescript. lib. 6. & eadem ratione idem iudicandum est regulariter de prouiso per renuntiationem, ac de prouiso per mortem: sed prouiso per mortem, siue obitum debet de nouo recipi, de nouo in possessionem mitti, de nouo facere residentiam, & sedere in vltimo loco. ergo, & prouisus per renuntiationem idem debet facere. Secundo, quod in cap. quoniam de simon. probatur, quod monialis electa ob simoniam, si recipiatur in eodem monasterio, eo quod in alio non est ei locus, debet recipi ad locum vltimum, & non ad eum, quem ante habebat. Tertio facit optime, cap. quamuis de rescrip. lib. 6. quatenus restitutus ad gratiam spectatiuam antea reuocatam, intelligendus est restitutus, sine præiudicio illorum, qui post reuocationem suæ gratiæ, ante restitutionem ad eam, impetrauerant alias gratias. Quarto, quod est casus formalis in dict. c. ex insinuatione, ubi quidam canonicus propter simoniam se ignorante commissam, renuntiavit suo canonicatui, & præbendæ, & decreuit ire ad bellum sacrum, sed quia postea fuit receptus ad suum canonicatum, voluit redire ad suum primum locum, super quo Clemens III. aditus, respondet debere ipsum postremo loco esse contentum. Non obstat inconuenientia, quæ timentur consecutura. Tum quia potest obuiari eis tacendo causam, cur fiat renuntiatio. Tum quia possunt etiam euitari renuntiando, & nolendo ad renuntiata postea redire. Tum denique, quod sūt inconuenientia iuri consona, & prodeuntia ex his quæ iura in odium simoniæ a tertio commissæ præstiterunt, & facta secundum leges humanas, quæ naturali, & diuinæ non repugnant pro rebus conuenientibus habentur, cap. qui peccat 23. q. 4. cap. quo iure 8. dist. & cap. fin. de consuetud.

5 AD TERTIAM respondeo, posse Episcopum dispensare. ut cōsulent, post renuntiationem prædicti canonicatus à se legitime factam, denuo conferatur. Tum quia episcopus potest dispensare, ut beneficiū sine ex post renuntiationem legitimam ei denuo conferatur, beneficiū tamen per simoniam ignorantem commissam; casus est omni exceptione maior in cap. penul. de elect. ubi gloss. communiter recepta

hoc tenet, & canonicatus est beneficium simplex secundum communē, quæ probatur in cap. statutum. de rescript. lib. 6. vbi dignitas, & canonicatus pro diuersis accipiuntur, licet quo ad illum casum exequentur, vnde colligit ibi Philipp. Franc. canonicatum, nec dignitatem esse, nec personatum; & idem dixit Felin. in cap. pastoralis. in princ. de offic. deleg. & secundum omnes canonicatus non comprehenditur sub beneficijs duplicibus contentis in cap. de multa. de præb. & in extrauag. execrabilis. Ioann. xxij. Nec obstat, quod canonicatus videtur secundum aliquos residentiam personalem requirere, quia hoc non sufficit ad hoc, vt beneficium desinat esse simplex; quandoquidem iure communi omnia beneficia requirunt residentiam personalem, cap. fin. & ibi Innoc. & alij de cleric. non resid. etiam si sint minima; cap. conquerente. eod. tit. Tum quia videtur casus in specie, in d. cap. ex insinuatione, quatenus agens de canonicatu, & præbenda per eiusmodi simoniam quæsitis, præsupponit posse illos iterum quæri renuntianti, cum dispensatione inferioris Papa, quod satis etiam adnotauit Panor. num. 4. & tradit late post alios idem Panor. in cap. extirpandæ. §. qui vero num. 3. in repetitione de præb. & tamen iure communi plurima sunt beneficia simplicia.

7 AD QVARTAM respōdeo primo, quod magnæ quæstionis est, an affectus beneficium per simoniam ab alio se ignorante admissam, teneatur restituere fructus, saltem extantes, quos percepit antequam haberet notitiam simoniæ: quia, qui tenent collationem per huiusmodi simoniam factam ipso iure nullam, videntur consequenter tenere partem affirmatiuam; qui vero tenent collationem ipso iure valere, & id esse causam, quare necessaria est renuntiatio, vt à peccato se liberet, consequenter videntur tenere partem negatiuam, quam nos semper tenuimus per multa, quæ supra eod. conf. 60. relata sunt, quæ hic non oportet referre. secundo, quod nemo dubitat de necessitate restituēdi fructus perceptos post habitam de simonia notitiam, & merito. Tum quia, vt dixi, qui tenent collationem esse ipso iure nullam, debent dicere, teneri eum ad restituendos etiam fructus, saltem extantes perceptos ante notitiam simoniæ, vt videtur sensisse D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3. Tum quia, cum etiam, secundum omnes, qui tenent collationem talem ipso iure valere, beneficiarius teneatur illico post notitiam simoniæ renuntiare, iuxta responsa ad primam quæstionem, & peccat male tenendo beneficium, licet habeat ius in eo; & ita non debet reportare ex illa retentione commodum, argum. l. itaque fullo. de furt. & cap. Sedes Apostolica, de rescript. & si non teneretur restituere fructus post notitiam simoniæ ante renuntiationem perceptos, reportaret magnum commodum ex suo peccato, vt palam est, & ita hoc tenuimus in Manu. cap. 25. a num. 12. Tum quia alioqui præberetur occasio magna delinquendi retinenti tale beneficium, quod iura iubent illico renuntiarī, contra cap. ex parte. de consuet.

confuet. & l. conueniri ff. de pact. dotal. Non obstat, quod graue sit restituere huiusmodi fructus, quia omnis restitutio videtur grauis ei, qui restituere debet; sed stat firma regula, quod non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si restitui potest, cap. si res aliena. 14. q. 6.

- 8 AD QUINTAM scilicet, an simoniacus in beneficio sit ad illud, & quæcunque alia obtinenda inhabilis, respondeo primo, quod illa referenda erat ad congregationem Illustrissimor. Card. ad interpretandum dubia Conc. Trid. deputatorum. Pro cuius tamen parte affirmatiua facit primo, quod simonia non solum est crimen, quod meretur depositione, c. tanta de simon., sed inducit ipso iure suspensionem, vt per locum a fortiori probat, cap. accusatum, de simon. & simoniam admittens in ordine, vel beneficio est excommunicatus, per extrauag. 2. de simon. Secundo, quod simoniacus in vno beneficio non potest habere illud, neque aliud, si per se committit simoniam, vel per alium se volente, vt visum est aliquibus resolueret Panor. in cap. de simoniace. de simon. num. 7.

Pars vero negatiua est tenenda. Tum, quia nulla poena est dicenda ipso iure incurri, nisi sit lex, quæ ipsam ipso iure infligat, glos. solemnus, & recept. cap. fin. de iure patr. Tum quia irregularitas non incurritur, nisi in casibus expressis a iure, cap. is qui, de sentent. excommunic. lib. 6. nulli exprimitur fieri quem irregularem ipso iure ob crimen simoniæ in beneficio commissum. De hac quæstione vide consil. 34. & 35. supra eod. vbi assatum illa resoluitur.

- 9 AD SEXTAM, quæ in præcedenti præsupponitur, scilicet an ordinatus scienter per simoniam fiat irregularis, respondeo, quod pro eius parte negatiua facit primo, quod simoniacus in beneficio non est irregularis, vt supra dictum est. Deinde quod nulla ratione, nec iure alio potest dici irregularis, quam quia existens excommunicatus, vel suspensus suscepit ordinem, sed hoc non videtur posse dici, quia sicut vno, & eodem momento non potest quis incipere obligari ad soluendum, & esse in mora soluendi, vt est doctrina Bart. recept. in l. ita stipulatus. num. 50. de verb. oblig. & tradit post alios Dec. conf. 2. num. 5. ita videtur, quod fieri non possit, vt quis vno, eodemque momento fiat excommunicatus, & quod existens excommunicatus faciat aliquid, & consequenter, quod qui sit excommunicatus, eo quod per simoniam ordinatur, non videtur posse fieri irregularis, eo quod existens excommunicatus ordinatur. Secundo, quia licet communicans excommunicato in crimine, propter quod est excommunicatus, incurrat excommunicationem eandem, cap. si concubinæ. de sentent. excommunic. non tamen incurrit illam, nisi communicet post incursum excommunicationem, & ita clericus, qui habet rem cum muliere, quæ antea non habuit rem cum clerico, non est excommunicatus, licet illa mulier, per illum actum incurreret excommunicationem latam contra mulieres habentes rem cum cleri-

cis, quia non habuit rem cum illa, postquam fuit excommunicata, vt resoluatur in dict. Man. c. 27. nu. 33. & 112.

10. Sed tenenda est pars affirmatiua per cap. 1. de eo qui furt. ordin. sus. Tum quia probat, quod qui furtim sine licentia, & approbatione Episcopi, vel examinantis suscipit ordinem, si præmissa erat excommunicatio latæ sententiæ, contra sic accipientes ordinem, est irregularis, vt expresse adnotauit Panor. ibi num. 4. & ante illum, Cardinalis num. 1. & ante illos glos. quæ non citatur ab eis in cap. vlt. eodem titu. ergo eodem modo assumens ordinem per simoniam erit irregularis, cum sub pœna excommunicationis, & suspensionis latæ sententiæ sit prohibita illa ordinatio per extrauag. 2. de simon. Tum quia probat, quod vno, & eodẽ momento per vnum, & eundem actum potest quis fieri excommunicatus, & irregularis ob excommunicationem; sicut eodem tempore, & per eundem actum sit contractus, & obligatio, quæ ex eo nascitur, & actio quæ ex obligatione nascitur, iuxta l. licet. §. ea obligatio. ff. de procurat. & not. in §. 1. Instit. de action. & probat stylus curiæ, quando concedit dispensationem, & non absoluit.

Nec obstant in contrarium citata, quæ scio mouisse in contrariam partem virum quendam eruditissimum: responderi enim potest ad primũ, quod diuersa est ratio inter obligationem soluendi, & moram in soluendo ex vna parte, & inter excommunicationem, & irregularitatem, quæ nascitur ex excommunicatione ex altera; quia mora non nascitur immediate ex obligatione, l. quod dicitur. ff. de solut. Irregularitas autem sic ex ordinatione prohibita sub excommunicatione latæ sententiæ, vt prædictum est. Ad secundum, quod non est etiam eadem ratio de excommunicatione, quæ incurritur communicando cum excommunicato in peccato, ob quod est excommunicatus, & in nostro casu; quia in illo requiritur, quod prius tempore sit excommunicatus is, cui communicatur; in nostro autem non requiritur illud, vt probat d. cap. de eo qui furt. ord. susc.

11. AD SEPTIMAM, cuius pars affirmatiua videtur præsupponi in supra scripta quæstione sexta, scilicet, an sit idem dicendum de simoniaco in ordine, & de simoniaco in beneficio; respondeo, quod non; quia simoniacus in ordine est irregularis, vt in præcedenti quæstione conclusimus; simoniacus autem in beneficio non, vt in tertia quæstione conclusum fuit. Item simoniacus in ordine non solum est excommunicatus, vt supra in responsione ad primam quæstionem insinuatum est, & traditur latius in dicto Man. cap. 27. num. 111. sed etiam suspensus; simoniacus autem in beneficio solum excommunicatus.
12. AD OCTAVAM, cuius partem affirmatiuam præsupponere videtur prædicta quæstio tertia, an sit differentia quo ad propositum, quod simonia sit commissæ sciente Episcopo, an ignorante. Pro parte af-
- firma-

firmatiua faciunt, cap. veniens. de fil. presbyt. cap. diuersis fallacijs, de cleric. coniug. quatenus probant, quod Episcopus conferens beneficium sciēter coniugato, vel filio eius, qui illud antea immediate obtinuit, non potest auferre illud ei; sed sic, si ignoranter id fecit.

Sed contrarium videtur tenendum. Tum quia contextus prædicti ca. 6. sess. 24. Conc. Trid. non distinguit inter Episcopum, quo sciēte crimen admissum est, & inter alium. Tum quia, licet in aliquot casibus speciale sit, quod superior nequeat retractare aliqua mala se consentiente facta; tamen regulariter id potest, cap. si quis presbyterorum, cum ei adnot. de rebus ecclesiæ non alienan. Tum quia nullibi efficaciter probatur, quod d. cap. 6. generaliter loquens debeat restringi ad Episcopum, quo ignorante factum fuit delictum, vnde irregularitas descendit. Tum quia potestas absoluedi, vel cognoscendi de aliquo delicto aduersus alium, non tollitur superiori; eo quod eo conscio sit factum; immo neque si eo consentiente esset perpetratum, si non agitur contra ipsummet, argum. l. qui iurisdictioni præst. cum ei late ad not. ff. de iurisd. omni. iudic. vnde & absolutio, qua presbyter suam concubinam absoluit, valet secundum Archid. in cap. omnes 3. q. 1. communiter recept. per quã, & l. si consul. ff. de officio procon. & alias. ll. concludit post alios Iason in d. l. qui iurisdictioni. non esse locum prædictæ legi in iurisdictione voluntaria, de qua videtur in nostro casu tractari. Quare videtur concludendum, quod Episcopus potest dispensare autoritate prædicti cap. 6. in irregularitate descendente ex delicto occulto, & ipso sciēte facto, immo etiam si de consensu, vel mandato eius esset perpetratum, quia in absoluendo perpetrantem non exercet iurisdictionem in se, nec iurisdictionem contentiosam, quæ reddatur in inuitum, & citatum.

14 AD NONAM, quam prædicta quæstio tertia expresse continet, scilicet, quid operetur prædicta dispensatio Episcopi? respondetur, quod operatur sublationem irregularitatis; ita quod illa nihil nocebit ei post dictam dispensationem; & consequenter, quod post eam, si nihil aliud obstat, poterit in ordine ministrare, & ad superiores ascendere, & beneficia postea canonice collata retinere: quia res extincta nihil operatur, l. qui rei s. aream. ff. de solut. cap. ferrum 50. dist.

AD DECIMAM, quæ insinuat in d. tertia videlicet, an prædicta dispensatio operetur facultatem iuste retinendi beneficia sibi collata, ante dispensationem post irregularitatem contractã, Respondeo primo, quod sola dispensatio siue noua collatione non facit facultatem retinendi collata post irregulariter contractam, & ante dictam dispensationem factam: quia illorum collatio fuit nulla: argum. ca. si celebrat. de cler. exc. min. & tradit Innoc. recept. in cap. cum nostris. de concess. præb. Et quod ab initio est nullum tractu temporis non conualescit, non superuenienti causa saltem conualescente reg. non firmatur. de reg. iuris lib. 6. cum ei con-

concord. Secundo, quod prædicta dispensatio non facit proprie facultatē retinendi beneficia collata ante irregularitatem contractam, nec dispensatus indiget illa; quia illa iuste retineri possunt, donec per sententiam priuentur eis, etiam antequam super eorum retentione dispensetur, quæ sententia est Innoc. in d. cap. cum nostris recept. per omnes, ibi, & per Felin. in cap. inquisitionis, de accusat. & alios alibi: quia irregularitas superueniens non annihilat collationem legitimam præcedentem, nec ius quæsitum per eam, licet superuenientes collationes omnino inualidet, ut prædictum est.

- 15 AD VLTIMAM, quæ in quæst. quarta ponitur expresse, videlicet, an fructus ex beneficio perceptos ante dispensationem teneatur restituere. Respondeo, quod aut quæstio intelligitur de fructibus perceptis ex beneficio quæsito per simoniam ignoranter contractam, antequam haberet de simonia notitiam, aut de fructibus quæsitis post illam habitam, & ante renuntiationem eius, vel postea ante dispensationem, & collationem nouam eiusdem beneficii renuntiati, an de perceptis post renuntiationem, dispensationem, & collationem nouam. Et est dicendum, quod primos non tenetur restituere per responsionem datā supra ad quartam. secundos vero sic, per responsionem datam ad eam quartam quæstionem. tertios vero non, quia ex titulo canonico eos percepit. aut intelligitur quæstio de fructibus perceptis ex beneficijs quæsitis post irregularitatem contractam, & ante dispensationem super eam obtentam; & dico eum tenei ad restituendos illos per responsum ad decimā, aut intelligitur de fructibus perceptis ad ex beneficijs collatis ante irregularitatem contractam, & non tenetur ad restitutionem eorum, siue obtineat dispensationem, siue non per responsum ad eandem quæstionem decimam. Salua in omnibus saniori sententia.

S V M M A R I V M.

- 1 *Fructus beneficiorum male percepti tribus modis restitui possunt.*

C O N S I L I V M L X I I .

LAicus vacante quodam beneficio procurauit ut illud conferretur cuidam clerico cum pacto ut ipse haberet dimidium fructuum tunc percipiendorum, quod fructum facit. Quæritur quid iuris.

Respondeo quod in hoc casu interuenit simonia realis; & consequenter vterque incurrit excommunicationem, & collatio fuit nulla, & conse-

confequenter nec beneficiarius quæfuit fructus fibi, nec potuit quærere nec dare annuam partem promiffam laico .

- 1 Secundo, quod præfatus laicus tenetur reftituere eam, quam accepit : & quod potest reftituere Camerae Apoftolicæ, componendo fe cum illa, vel ei qui primo loco fuffecit præfato beneficiario mortuo; vel etiam conuertere in vtilitatem ecclefiæ, de cuius fructibus fuerunt ea, quæ accepit à fimoniaco; per ea quæ profunde, & late fcripfimus in commen- de fpolijs cler. fuper cap. non liceat Papa. §. 4. num. 4. & clarius ac refolutius §. 12. num. 4. vbi confultitur poffe obligatum ad reftituendum deligere. id quod magis ei conuenit; & qua ratione magis conueniat reftituere ea, vel reftituere futuro fuffeciori, quam ipfi ecclefiæ . Salua &c.

S V M M A R I V M .

- 1 Pensionem redimere, & obligationem eam foluendi diuerfa, hoc fine auctoritate Papæ fieri poteft, illud non.
2 Pensionem fine auctoritate Papæ redimere fimonia, fed non excommunicat .

C O N S I L I V M L X I I I .

Q Væritur in effectu, an Petro, cui Papa referuauit pensionem cura obligatione foluendi poftea illam Ioanni, qui non erat capax illius pensionis ob leges regni, cuius erat beneficium, fuper quo illa ponebatur, liceat redimere illam pecunia, vel alia re abfq̃ue auctoritate Papæ.

- 1 Refpondeo primo, diftinguendo, quod aut per præfata redemptionem obligationis foluendi pensionem receptam Ioanni redimit etiam pensionem referuatam: ita vt beneficium, fuper quo pofita erat, liberum maneret: aut non, & priori cafu non licet: quia id effet redimere pensionem impofitam à Papa fuper beneficio, quod non licet, vt irrefragabiliter probamus in Man. cap. 23. num. 3. contra Caietan. pofteriori vero cafu licet: quia id non eft redimere pensionem, fed obligationem, qua pensionarius tenetur ad difponendum fic, vel fic de illa, fiue de receptis per illam, quod longe aliud eft, cum fit mere temporale feperatum à iure fpirituali; penfio vero eft ius fpirituale, vel faltem fpirituali annexum, vt latius diximus in confilio 12. de præb.
- 2 Refpondeo fecundo, quod licet malefaciat, & peccet peccatum fimonia, qui emit vel redimit pensionem abfq̃ue auctoritate Papæ, non tamẽ incurrit excommunicationem: quia vt nos vbi fupra diximus propter fimoniam.

moniam in alijs rebus quam ordine & beneficio admissam non incurritur excommunicatio: & pensio non est beneficium, vt tenet recep. sententia in cap. postulasti, & cap. ad audientiam in 2. de rescript. Tertio quod præfatus Ioannes tenetur quidem pœnitere eius quod fecit, si per illud extendebatur extinctio pensionis impositæ super beneficio, sed non tenetur quærere absolutionem excommunicationis, nec restituere recepta, si autem non intendebatur extinctio pensionis, sed solum obligationis, quæ tenebatur Petrus, ei soluere, neque peccauit, neque tenetur ad aliquid aliud. Salua, &c.

S V M M A R I V M .

1 *Litis beneficiarię compositio auctoritate Iudicis fieri potest .*

C O N S I L I V M L X I I I I .

Hieronymus, & Alexander presbyteri in Rota litigabant super quadam parochiali ecclesia. Domini vero auditores in principio huius causæ deciderunt tria, scilicet, dictam parochialem Hieronymo de iure competere, & Alexandrum, qui erat in possessione condemnandum esse in omnibus fructibus, ex d. parochiali ecclesia perceptis: & tandem possessionem, & fructus eiusdem parochialis sequestari debere. Post has decisiones R. P. D. proponens terminum seruauit ad ferendam sententiam, sed antequam cedulam subscriberet dictus Alexander, qui omnino causam amittebat, hanc conventionem, siue pactum Hieronymo proposuit, vt scilicet fructus, & expensas, in quibus condemnandus erat, sibi remitteret; ipsi vero liti cederet, & causæ. hoc pactum propter causas infra scriptas placuit Hieronymo; atque ita in actis huius causæ vna pars alteri cessit, & remisit. Huius rei postea certior factus est d. proponens, & deinde tota Rota; quæ quia partes inter se iam cõuenerant mandauit Domino ponenti, vt causam expediret: itaque subscripta est cedula sub termino prædicto, qui, antequam partes inter se conuenirent, seruatus fuerat, & in dicta cedula sententia promulgata est pro dicto Hieronymo, & in eadem sententia parochialis ei est collata, & tandem possessionem consequutus est.

Nunc dubitatur, an prædicti commiserint simoniam: quia pactum iniierunt inconsulto Papa. An vero excusetur Hieronymus. Primo, quia nullum ius censendus est emisse, cum ab aduersario in se nihil transmissum sit. Deinde quia censendum etiam est, habuisse ius in ipso beneficio per collationem, antequam pactum illud iniere: quia collata sibi fuit dicta paro-

parochialis in ipsa sententia: sententia autem Rotæ, & quæ in ea continetur, à termino seruato robur habent. Præterea, quia habito iure in parochiali, vt dictum est, fructus remisit ad redimendas suas vexationes, & innumeras molestias, & non principaliter propter acquirendam possessionem, sin & maximas molestias in hac re non experiretur, certe sequestratione possessionis, & fructuum contentus fuisset. Tandem quia remittere proprie non est dare tanquam pretium, sed donare.

1 Respondeo primo nullam in casu proposito esse coram Deo, & in foro conscientiaë admissam simoniam, præsertim realem per prædicta. Secundo, neque in foro exteriori videri incursum ullam talem simoniam, Tum per superius allegata, tum quia conuentio præfata fuit nota Prætorio Rotæ, & placita illis & decreta fuit illi possessionis traditio: tum quia satis videtur fuisse a Papa ratificata, cum Iudex ab eo datus illam ratam habuerit, tum quia auctoritate iudicis præsertim tanti Prætorij potestatis eiusmodi compositio iuste, & sancta fieri, arg. cap. nisi essent viri prouidi de præben. & denique quia etiam auctoritate ordinarij id fieri posse videtur, argum. cap. extirpanda, eod. tit. & per alia, quæ adduci possunt, quæ tamen non sunt necessaria. Salua &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Simonia in collatione per tertium commissâ non nocet parti eam ignorantî, nisi quod illam rescians statim debet renuntiare. nu. 2.*
- 3 *Simoniaca litis compositio non priuat iure suo eam ignorantem.*
- 4 *Verisimilia ad probationem præsumptam sufficiunt.*

C O N S I L I V M LXV.

DVolitigantes, Ioannes Romæ morans, & Petrus in patria degens fecerunt concordiam super beneficio litigioso, vt auctoritate Papæ dimidium fructuum cederet Ioanni, & alterum Petro, quæ concordia fuit auctoritate Papæ confirmata, & literis expeditis executâ: sed non fuit narratum Papæ id, quod ignorante Ioanne pater, & frater eius promiserunt Petro dare durante vita Ioannis ei donec assequeretur beneficium integrum certos modios tritici, & aliorum granorum, non factâ mentione de causa ob quam promiserunt, & præfatus Petrus accepit postea dum vixit omnes fructus integros prædicti beneficij, post cuius mortem obijcitur Ioanni simonia, vel confidentia illicita. Queritur quid debeat facere Ioannes.

2 Respondetur primo, Ioannem quidem ignorantem promissionem patris

tris, & fratris sui non incurrisse vllum peccatum, vel excommunicationem quæ ob prædictam promissionem incurrerunt ipsi, si eam fecerunt, vt Petrus consentiret concordie prædictæ, quia simonia per tertium, commissa in collatione, & prouisione non nocet parti ignorantem eam quoad peccatum, & excommunicationem, quia peccatum alienum non nocet quoad illam ignorantem, donec sciat, & consentiat 1. q. 4. per totam, præsertim cap. iam itaque, & tradit gloss. in summ. ead. cap. & q.

2 Secundo, quod præfatus Ioannes simul, ac sciuit, & credere debuit præfatos cognatos suos promississe præfatos modios ob dictam causam renuntiare debuit ius quod per illam concordiam acquisitum fuit ei per c. 1. 1. q. 5. quod in hoc citat prædict. gloss. recepta in summa 1. q. 4. Et traditur in cap. ex insinuatione. de simon. nisi Papa illud sibi attenda eius ignorantia, & bona fide confirmet, vel quatenus opus fuerit sibi denub conferat per notata in eisdem cap.

3 Tertio, quod præfatus Ioannes non perdit propter illam concordiam, simonia tertij se ignorante factam ius, quod antea habebat, immo debet illud ei restitui, vel sine alia restitutione potest ad illud redire per c. si beneficia de præb. lib. 6. cum ei adnotatis.

Quarto, quod præfatus Ioannes non dicitur sciuisse, neque approbat se præfata simoniam propter hoc solum, quod pater eius soluerit præfatos modios Petro, eo quod esset procurator filij, quoniam non fecit ipsum procuratorem ad soluendum ei modios præfatos, sed solum ad recipiendum fructus, qui pertinebant ad ipsum ratione concordie factæ se ignorante simoniam, quia diuersa sunt illa, & a diuersis non fit illatio. Papinianus. ff. de minor. & c. ad audiend. de decimis.

4 Quinto, quod cum ab aduersarijs probatum fuerit præfato Ioanni, quod pater, & fratres eius promiserunt præfatos modios Petro antequam concordia confirmaretur a Papa, par est credere simoniam præfata præcessisse, quoniam licet in instrumento promissionis non exprimat illam promissionem factam fuisse, vt Petrus consentiret concordie, tamen sunt in eo quedam verba, quæ significant illud, scilicet quod soluerent durante vita præfati Ioannis, aut donec præfatus assequeretur beneficiu integrum in ecclesia vbi erat, & idem significat qualitas personarum promittentium, & quod his erat super beneficio cuius fructus in concordia diuidebantur, & quod nulla alia causa exprimitur in instrumento, ob quam promissio illa suapte natura tendebat ad suadendum illam concordiam, & huiusmodi verisimilia sufficiunt ad probationem præsumptam, cap. quia non est. de præsumptio, & l. non est verisimile. ff. quod metus causa.

Sexto, quod vile consilium erit Ioanni, vt præueniat aduersarios in impetranda a Papa aliquod si neuter, vel si nulli, vel perinde valere, vel alia

alia gratia, quæ sibi videbitur conueniens, iuxta præcedentia dicta.
Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Degradatio actus spiritualis sicut promotio ad ordines, pretio iuste fieri nequit.
- 2 Consuetudo dandi quid pro sustentatione ministrantis sacramenta seruanda.

C O N S I L I V M LXVI.

AN ordinarius Episcopus pro mercede degradationis plurium possit iuste petere duo scuta aurea.

- 1 Respondeo, quod non potest iuste petere illos pro mercede actus degradandi. Tum quia sicut collatio ordinis est actus spiritualis potestatis, quæ pendet ab Episcopatus ordine, cap. 1. de simon. cum similib. etiam ablatio ordinis, vel usus eius est actus potestatis spiritualis eiusdem ordinis, cap. nouimus, de verb. signific. & cap. degradatio. de pœnit. lib. 6. & palam est eum committere simoniam, qui petit aliquid temporale pro re spirituali, per definitionem simoniæ quam gloss. recep. per Theologos, & Canonistas dedit r. q. 1. in summa, & declaratam a nobis præ alijs in
- 2 Manu. nostro Confess. cap. 23. num. 100. Tum quia licet possit quis cogi ad seruandam consuetudinem piam dandi temporale aliquid pro elemosyna, vel sustentatione pia ministrantis sacramenta, vt habet cap. ad Apostolicam. de simon. & cap. 14. de reform. sess. 24. Concil. Trident. non tamen potest peti pro pretio, vel mercede laboris illius actus, vt tradimus nos post alios vbi sup. nu. 101. & 102. & vt verbo additur, nulla consuetudo pia inuenitur, quæ dicat esse dandos duos aureos pro degradatione sacerdotis. Tum quia præfatum Concilium, vbi supra, damnauit omnem dationem rei temporalis, & consuetudinem faciendi eam pro re spirituali, & actu eius, nisi cum daretur ad pia, & non haberet speciem simoniæ, & præfatus ordinarius non petit illos aureos ad illos impendendos operi pio, & præterea habet quandam speciem simoniæ, propter quod etiam ante Concilium prædictum prohibebatur dari aliquid temporale pro spirituali, etiam ad opera pia, in cap. ex multis. r. q. 3. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

1 *Ius patronatus pretio concedens simoniacus, sed non excommunicatus.*

CONSILIVM LXVII.

AN Episcopus, qui concedit cuidam ius patronatus, & præsentandi ad quoddam beneficium ob augmentum reddituum, quod accipiens dabit, si acceperit ob id aliquas pecunias, sit excommunicatus, & si celebrarit postea, si factus irregularis?

- 1 Respondetur, quod non, quoniam non omnis simoniacus est ipso iure excommunicatus, sed tantum simoniacus in ordine, & beneficio, accipiendo illa, vel dando, ut post alios tradimus in *Manu. Confess. cap. 23. num. 103. vers.* Tum denique, & num. 111. in princ. & fine, & palam est, ius patronatus non esse beneficium, neque ordinem, cum etiam laicus sit eius capax, cap. quod autem, & cap. cum dilectus. cum eis adnot. de iure patron.

S V M M A R I V M.

1 *Vicariatum Episcopi pretio conducens simoniam admittit, sed non excommunicatur, num. 3.*

1 *Simoniacus est emens, vel vendens spirituale, vel ei annexum.*

2 *Conductio iurisdictionis spiritualis est ipso iure nulla.*

3 *Conductor officij spiritualis, nisi eo dimisso, non absolendus.*

CONSILIVM LXVIII.

AD quæsitum, de illo, qui conducit, vel emit pecunia Vicariatum temporalem Episcopi, vel Rectoris, an admittat simoniam?

- 1 Respondetur, quod sic; ut colligitur ex continuatione rubricæ ne præl. vic. suas, cum proxima de simon. & ex Panor. & alijs dicentibus in cap. 1. eod. tit. quod conducere iurisdictionem spirituales est simonia, non autem conducere temporalem. & probatur illa firma ratione, quod simoniam committit quisque rem spirituales, vel ei annexam vendit, vel emit, iuxta gl. solen. 1. q. 1. in summa, & recepta ab omnibus Canonistis, quam Theologis, & declaratam post alios à nobis in *Manual. Confess. cap. 23. num. 100.* & quod iurisdictionis spiritualis est annexa rebus spiritualibus secundum omnes.

2 *Secundo,*

2 Secundo, quòd præfatum cap. 1. quatenus habet conductorem iurisdictionis spirit. priuari officio, intelligendum est de officio clericali; & non de ipsa iurisdictione, vel officio, quod conduxit, vel emit. Tum quia contextus habet verbum futuri Priuetur, quòd non inducit priuationem ipso iure; sed per sententiam, iuxta glos. receptam in cap. in pœnis de reg. iuris lib. 6. Tum quia iurisdictione præfacta conductæ, vel ipsum officium emptum, vel conductum perditur ipso iure: quia contractus ille conductionis, vel emptionis est simoniacus, vt recte declarat Panor. ibidem, & faciunt c. quam pio 1. q. 2. & cap. fin. de pactis. quæ annihilant huiusmodi pacta, & conuentiones.

3 Tertio quòd huiusmodi conductor, vel emptor tenetur ad relinquendum statim iurisdictionem, vel officium huiusmodi emptum: quia nullo iusto titulo illud tenet: emptio enim vel conductione huiusmodi annexorū spiritualiū nihil valet, & est nulla, vt annotauit Panor. recep. in c. de iure, de iure patro. & ita confessarius non debet absolueret huiusmodi conductorem, vel emptorem; nisi dimittat illud, vel proponat efficaciter dimittere, argum. cap. si res aliena. 14. q. 6. & cap. peccatum, de regul. iuris lib. 6.

Quarto, quòd non incidit in excommunicationem ipso iure: quia illa non incurrit: nisi simoniacus in beneficio, & ordine per dicta in Manu. Confess. cap. 2 3. num. III. qualis non est conductor vel emptor prædictus: quia Vicaria spiritualis non est beneficium, per citata à Felin. in c. postulasti, de rescript.

S V M M A R I V M.

- 1 Concordia, vt vnus iuri suo renuntiet, & alter pecunias det, iure fori simoniaca iudicabitur.
- 2 Simoniacum iure fori quid iudicatur, quod iure poli non est tale.
- 3 Simoniaca pacta ab alio inita, qui non consensit, renuat.
- 4 Prothocolum simoniam continens partium consensu comburatur.

C O N S I L I V M L X I X.

Litigantibus N. & P. super beneficio, conuenit inter N. & quosdam amicos P. ipso non consentiente vt N. cedenti iuri suo, si quod habebat, P. quandam pecuniarum summam solueret. P. possessione adeptæ, prædictas pecunias soluere renuit. quas ipsi amici postea soluerunt. Quæritur quid iuris.

- 1 Respondeo primo, quod tota hæc concordia censetur in foro exteriori simoniaca, quoniam per eam altera pars obligatur ad tradendum alteri

alteri parti rem spiritualem pro re temporali, quod est simoniacum per definitionem simoniæ, quam tradit gloss. 1. q. 1. in sum. communiter recepta tam à Theologis, quam à Canonistis, & a nobis præ alijs declarata in nostro Man. Confess. cap. 23. num. 109. & consequenter iudicabitur in prædicto foro nulla, & nullius valoris. Et partes quæ illam concordiam fecerunt, censentur in eodem foro excommunicati, quia non solum fuit simonia mentalis, & conuentionalis, sed etiam realis ab utraque parte completa: ideoque perfecta, & omnia prædicta mala, & etiam irregularitatem, si celebratum est, inducens, iuxta ea quæ nos post alios dicimus vbi supra num. 109. & sequen. & pecunia recepta iubebitur restitui Ecclesiæ, cui facta est iniuria, iux. cap. de hoc. de simonia.

2 Secundo, quod probabiliter dici potest, quod si vere coram Deo N. non habuit voluntatem vendendi ius, quod prætendebat habere, sed solum recuperandi impensas, quas fecit, nec vere coram Deo beneficium erat suum, non incurrit pœnas prædictas in foro conscientiæ, neque indiget absolutione ab illa censura, nec obligatur ad restituendam pecuniam acceptam: sed satis est ei pœnitere peccati mente, & conuentione, & renuntiatione, quam gratuito licite facere poterat, admissi per eam, quæ nos vbi supra insinuauimus.

3 Tertio, quod prædictus P. recte agit renuendo approbare illam concordiam: & nõ potest cogi ad eam seruandam: & recte facit, volendo defendere suam possessionem, si putat coram Deo suum esse beneficium, & bona fide defendit illud: & nullam pœnam incurrit renuendo approbare illam: quia nemo tenetur approbare simoniaca pacta facta ab alio absque consensu, & obligatur ad renuendum eam, & execrandum, iuxta totam 1. q. 4. & cap. pridem, & fin. de pactis, & tradita a nobis vbi supra num. 110.

4 Quarto, quod præfatus N. indiget absolutione a prædicta simonia per Datariam Papæ, & non sufficit per Pœnitentiarium quoad forum exterius: quia illa non habet facultatem id faciendi quoad illud forum, sed tantum quoad forum interius. Neque præfatus N. indiget illa quoad illud forum interius, si non habuit aliam mentem, quam illam, de qua loquitur secundum responsum, sed satisfaciet conueniendo cum aduersa parte, & notario, qui etiam male fecit accipiendo concordiam illam simoniacam, vt comburatur protocollum, in quo est concordia prædicta scripta: ita quod nunquam amplius appareret, nec probari posset: quia de non existentibus, & non apparentibus non est iudicium l. duo sunt Titij, ff. de Rest. tut. & cap. si sacerdos de offic. ord. iuncta glossa.

S V M M A R I V M.

- 1 *Officium, quod beneficium est, renuntians cum pacto committit simoniam.*
- 2 *Simoniam non est dare aliquid post adeptam possessionem beneficij, ne iniuste vexetur.*
- 2 *Beneficium per simoniam adeptum iniuste retinetur.*
- 3 *Prælati regulares possunt ad nutum, & sine causa privare subditos officijs.*

C O N S I L I V M LXX

N. Presbyter regularis a suo Abbate de quodam officio in ecclesia sui monasterij fuit canonicè prouisus, & plusquam per sex annos illud pacificè possederat, cum a successore in dicta Abbazia coactus illud in eius manibus renuntiavit, cum pacto, quod dictus Abbas eum in alio dicti monasterij seu ecclesiæ officio teneretur remunerare prout cū effectu postmodum fecit, & de alio simili officio prouidit; & postquam illud etiam per quatuor annos possederat idem Abbas, seu eius successor, dictum N. inquietabat, & de dicto officio priuare volebat, & ne sine officio diffamatus remaneret dedit quandam pecuniarum summam dicto Abbati. Quæritur an dictus N. simoniam commiserit, & teneatur dictum officium dimittere.

- 1 Respondeo primo, quod ex narratis in facto, & aliquantula maiore inquisitione colligitur prædicta officia esse beneficia illius speciei, quæ comprehendit illa beneficia ecclesiastica, quæ appellantur officia in cap. de multa de præb. & in cap. 2. & cap. cum ad monasterium. §. prior de stat. monach. & in clem. 2. de simon. Secundo, quod orator admisit simoniam realem renuntians beneficium ecclesiasticum regulare, cum pacto de danda sibi compensa siue recompensa sufficienti quam postea accepit. Tertio, quod per largitionem pecuniæ, ne inquietaretur super officio secundo in recompensationem accepto, nulla simonia fuisset incurfa: quia post acceptam possessionem maxime multo tempore pacificè retentam potuit vexationem iniustam redimere, iuxta c. dilectus. 2. de simonia. Quarto, quod ex hoc sequitur, oratorem male tenere secundum officium non ea, ratione, quod dederit pecuniam pro retentione illius, & vitanda molestia iniusta; sed quia male accepit illud incompenationem prioris virtute pacti simoniaci, per quam acceptionem pactum fuit ex utraque parte completum, iuxta ea quæ tradimus in Manual. cap. 23. a num. 100. Quinto, quod miserendum videtur oratoris. Tum quia religiosus, tum quia coactus fuit a superiore suo renuntiare priori officio.

Tum quia iure communi superior Abbas potest priuare officijs, quæ suis monachis confert ad nutum etiam sine iusta causa. d. cap. cum ad monasterium. §. tales. tum quia forte non fuit tam pactum, quam spei oblatio, quam superiores solent inferioribus facere, dicendo, relinque hoc amore mei, & prouidebitur tibi de alia re &c. quales aliquando fiunt generaliter siue animo se obligandi, iuxta c. cum venissent de institut. & alia quæ in comment. extrauag. ab ipso Grego. XIII. super datis & promissis &c. tradimus num. 21.

S V M M A R I V M .

- 1 *Simonia est pro admissione ad religionis habitum quid accipere.*
- 2 *Ingressus religionis, & habitus datio quid spirituale.*
- 3 *Percutiens religiosum est excommunicatus.*
- 4 *Facta in foro fori prout probantur iudicantur.*

C O N S I L I V M LXX.

- N**Vllo iure aut titulo bono & probabili videtur posse defendi in proposito casu nõ fuisse incursum simoniã. Tũ quia certũ est simoniam incurri, quõies pro spirituali datur, vel accipitur aliquid temporale per definitionem eius datam a gloss. 1. q. 1. in summ. recep. ab omnibus nostris ibi, & in rubr. de simoni. Tum a S. Thom. & alijs Theologis in 4. lib. sent. dist. 25. & ab eodem S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 1. declarata, & dilatata etiam a nobis in Manu. Confess. c. 23. nu. 100. & constat 50. scuta esse quid temporale, & ingressum monasterij esse quid spirituale, cap. quoniam de regular. & cap. ex insinuatione, & multis alijs, de simonia. Tum quia non obstat dicere quod non fuit data nec recepta pecunia pro professione, sed solum pro receptione, datione, & susceptione habitus: quia etiam datio habitus est quiddã spirituale vel spirituali annexum, in quo potest committi simonia, vt probat d. cap. quoniam, & cap. tua de simo. & merito, quia datio & susceptio habitus facit quem de laico ecclesiasticum: adeo quod percutiens eum est excommunicatus, cap. religioso. §. 1. de sent. excomm. lib. 6. & ante illud tenuit Hostien. communiter recep. contra Innoc. in cap. statuimus. de regular. Tum quia non obstat dicere, quod talia ignorauit. Tum quia contrarium colligitur verisimiliter ex narratis in facto. Tum quia etiam si eo ignorante fuerit admissa simonia, tamen cum primum sciuerit tenetur relinquere habitum, licet dimisso habitu, & purgata simonia possit denuo recipi, si receptio non fuerit scãdalosa per d. cap. quoniam de regular. sub fin. Sed quid si Abbas tantum accepit

accepit illa 50. tanquam donum, & sponte oblata daturus, nihilominus habitum, etiam si illa non fuisset sibi oblata?

4 Quo huic replicationi satisfiat dico primo, quod illa nihil obstat quoad forum exterius, in quo per ea quæ sunt exterius, & probantur, est iudicandum, licet illa non fuisset sibi oblata. §. veritas. ff. de off. præsi. & ex his quæ exterius facta sunt, in hoc casu clare probantur promissio pro ingressu, & acceptatio promissionis, & solutio promissi, & (vt ita dicam) nolitio dandi habitum ante solutum promissum; & datio habitus statim post solutum promissum, per quæ omnia probatur præsumptiue simonia quoad forum exterius iuxta superius responsa.

Dico secundo, quod si vere coram Deo Abbas accepit illa scuta tanquam donum sponte oblatum, & tanquam eleemosynam principaliter propter Deum oblatam, licet minus principaliter habuisset etiam respectum ad habitus dationem; & quod promissio scutorum non fuit causa principalis dationis illius, licet fuisset aliquis causa, sine qua non fuisset datus, non esset vere coram Deo simonia. quod deduci potest ex his quæ nos scribimus in Manu. confess. cap. 23. a num. 100. & pro utroque dicto huius responsionis, est casus satis expressus in cap. tua. Quare D. Abbas consulere debet seruet ipsum quoad forum conscientiarum; Iudex autem facta exteriora quoad forum exterius. Salua &c.

S V M M A R I V M .

1 *Simoniam an sit Episcopo dicente Cõferam tibi tale beneficium, si tu mihi 25. impensa pro alendo præcessorem tuum captum soluas.*

C O N S I L I V M LXXII.

Q Vidam Episcopus coniecit in carcerem quendam monachum, & Archipresbyterum suæ diocesis propter monetam falsam, quam simul conficiebant, pro quorum victu expendit duodecim, vel plures forasse ducatos. Præterea cum iste monachus aufugisset, perfectus episcopus soluit 25. alios ducatos ijs, qui eum ceperunt: Nam ita promissio facta erat. Morte deinde ipsius Archipresbyteri Episcopus contulit Archipresbyteratui in quendam sacerdotem, sed ante collationem dixit huic sacerdoti. Ego feci tot expensas in capiendis his malefactoribus, dabo tibi hoc beneficium, & tu ex fructibus ipsius dabis mihi 25. ducatos, quos Archipresbyter postea dedit, qui tamen volebat tunc soluere 12. ducatos, sed cum Episcopus iterum dixisset ei, vt mitteret sibi 25. ducatos misit per fratrem, sciendum tamen est, quod iste Episcopus non contulit hu-

Pars ij.

V 3

iustmodi

iusmodi beneficium principaliter propter pecuniam. Nam etiam si sciisset illam sibi non posse solui, nihilominus dedisset ei beneficium quantum existimare potest. Quæritur modo, an talis Episcopus, & Archipresbyter factus commiserint simoniam: & si posset iterum conferre Episcopus Archipresbyteratum in eundem sacerdotem, in euentu quod beneficium vacaret. hoc factum sciunt plures fratres istius Archipresbyteri, ac tres, aut quatuor alij, & fortasse plures.

- I Respondeo primo, prædictum Reuerendissimum quisquis ille sit, iudicatum iri simoniacum, in foro exteriori; quia in eo præsumeretur prædictos 2 s. ducatos datos, & acceptos esse principaliter, & tamquam causa, sine qua non fuisset inductus ad conferendum beneficium argum. cap. 1. & multorum aliorum, de simon.

Secundo, quod in foro conscientiae non est iudicandus simoniacus: quia vere, & coram Deo, coram quo nil valet præsumptio contra stantem veritatem cap. humanæ aures. 22. q. 5. & cap. tua de sponsalib. cum notatis utrobique & in cap. 1 s. qui non fuerunt dati principaliter pro beneficio, sed pro impensis factis pro capiendo, & alendo beneficiario, cuius morte vacauit beneficium, immo neque tanquam causa sine qua non fieret collocatio, ut ex facto colligitur; & huiusmodi datio vel acceptio non est coram Deo simoniaca per illa multa, quæ nos in hoc citauimus in Marua. Confess. cap. 23. num. 100. vers. 5. & num. 101. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Beneficiarius retinere beneficium non valet habita scientia de simonia pro mediatore in impetratione commissa.
- 2 Valoris expressio iuxta taxam in cancellaria valida, non tamen compositio fructuum.
- 3 Componenti se inualide ob fructus male perceptos remedium.

CONSILIVM LXXIII.

CLericus qui bona fide ignarus de simonia per mediatorem commissa, beneficium impetrauerat & de simonia habita notitia illud per 10. annos retinuerat fructus quos ex eo perceperat, exponens se ex d. beneficio valoris 30. ducatorum male & contra conscientiam per 10. annos percepisse fructus a S. Pio V. petijt condonationem dictorum fructuum, quæ idem Sanctissimus soluta certa compositione, & nec ius auferendo nec concedendo in dicto beneficio concessit, sed qua valorem beneficij iuxta taxam in Cancellaria exposuit, cum plures percepisset fructus, dubitauit, utrum in conscientia esset tutus.

Respon-

- 1 Respondeo, quod D. Consulens præsupponit vt iuste potuisse detinere beneficium præfatum non obstante simonia contracta per tertium se ignorante; eo quod Pius respondisset se non auferre, neque conferre beneficium præfati ipsi: quod tamen non est verum, quia eguit noua collatione, cap. quicumque, & cap. præsertim. i. q. 5. & cap. de simonia ace, & ca. de regularib. de simon. Secundo respondetur, quod expressio valoris secundum taxam Cancellariæ sufficit, ad hoc vt prouisio valuisset; vt tradit Fel. in cap. ad aures. in conclus. i. i. & i. 6. de rescript. Tertio, quod non videtur satisfecisse compositioni per expressionem valoris taxati; quia ipse tenebatur restituere fructus perceptos vere coram Deo, qui erant maiores, quam taxati. Quarto, quod præfatus & Consulens tacito nomine deberet in prætorio Pœnitentiæ petere, vt Sanctissimus D. N. approbaret præfatum compositionem, attestato quod fuit petita per procuratorẽ putantem, quod sufficiens exprimere valorem per taxam, nulla facta mentione de noua prouisione habita, & petere remissionem partis, quæ forte fuisset addita compositioni, si verus valor fuisset expressus, & parere responsoni suæ Sanctitatis.

S V M M A R I V M.

- 1 *Simonia non omnis est conuentio circa beneficia, sed illa per quam pro pretio spirituale datur. nu. 1. & 7.*
- 2 *Simonia est si quid agere tanquam pretium promittitur, nu. 2. & fi.*
- 3 *Valorem maiorem exprimentes, vt beneficium resignetur profanum, & falsum dicunt, & non pretio æstimabile nu. 3. & fi.*
- 4 *Simonia quid, & quid pretio æstimabile.*
- 5 *Taciturnitas veri, & falsi expressio non est simonia, & gratiam facit subreptitiam, nu. 5. & 6.*
- 6 *Simonia requiritur super re spirituali contractum, seu uoluntatem contrahendi. ita vt quid in verum pretium detur.*

C O N S I L I V M LXXIV.

AN expressio valoris vero maioris facta a resignante & resignatario pensioni consentiente, efficiat eos simoniacos?

- 1 Pro parte affirmatiua facit primo quod conuentio circa beneficia ecclesiastica videtur simoniaca. ca. cum pridem, & cap. fin. de pact. At inter predictos conuenit, vt mentirentur ualorem beneficij Papæ circa beneficia, ergo &c. Secundo, quod ad hoc, vt aliqua conuentio sit simoniaca, non requiritur, quod alter det, vel promittat alteri aliquam pecuniã,

- vel rem ea æstimabilem, sed sufficit, quod faciat, vel promittat facere aliquid tanquàm quoddam pactum, & causam principalem promittendirem spiritualem, vt cum quis renuntiat suo beneficio in fauorem vnus, vel alterius, vt præ aliis declarauimus in Manua. cap. 23. num. 100, & in casu proposito uidetur facta conuentio mentiendi, vt Papa admitteret resignationem cum reseruatiõne pensionis: quod mendacium fuit causa principalis, cur Papa tantam pensionem admisit, & cur resignans resignauit, cum ipse non resignasset, nisi reseruata illa pensione, nec Papa eam reseruasset, nisi expresso valore vero maiori. Tertio quod qui exprimit valorem vero maiorem ad finem, vt fiat renuntiatio, videtur dare aliquid profanũ, & temporale pro renuntiatione beneficij: dat enim verba mendacia, quæ non solum sunt profana, sed etiam falsa, ergo admittit simoniam, & similiter qui renuntiat beneficio vt constituatur sibi certa pensio, & mentitur pretium beneficij, vt illa sibi constituatur, credēs eam alioqui sibi non constitutam iri, videtur renuntiare ob aliquod profanũ malum, & temporale prædictum scilicet mendacium.
- 4 Pro parte vero negante facit primo, quod simonia est voluntas studiosa emendi, vel vendendi spirituale, vel spirituali annexum, iuxta gloss. recept. 1. q. 1. in summa. & hoc casu nulla occurrit voluntas emendi, vel vendendi. Secundo, quod per temporale positum in illa definitione potest intelligi pecunia numerata, vel aliquid ea æstimabile, secundum vulgare intelligentiã; & in casu proposito neutra pars alteri promittat, vel det pecuniam numeratam, nec aliquid ea æstimabile. Tertio quod ad incurrendam simoniam, circa beneficium non sufficit volũtas tacendi aliquid verum, vel exprimendi aliquid falsum ad obtinendum beneficium, quo non tacito, vel non expresso Papa non concessisset illud, quia nulla iuraloquentia de taliter impetrantibus, qualia sunt cap. ad aures. c. si proponente, cap. super literis, cap. postulasti. de rescrip. lib. 6. cap. si Motu proprio, cap. non potest de præb. eo. lib. & alia similia, nulla inquam eorum exprimunt, nec insinuant eiusmodi impetrantes incurrere simoniam, sed solum perdere, vel non perdere gratiam. Quarto, quod omnis simonia requirit contractum, vel voluntatem contrahendi super re spirituali: ita quod alter dat aliquid alteri in verum pretium, vel similitudinem, aut in causam principalem pro re spirituali, vel illi annexa. At id non contingit: quia nullus contractus interuenit inter resignantem, & resignarium, quo alter alteri daret, vel pro altero faceret tanquam in quoddam pretium, vel causam principalem rei spiritualis, sed solum cõuenit inter eos, vt mentirentur Papæ pretiũ, per quod gratia fuit facta surreptitia, quod non sufficit ad inducendam simoniam per proximè dicta. Quinto deniq; quod conuentio, vt ambo resignaturus, & resignarius supplicent Papæ pro admissiõne signationis, vel pensionis, non est simoniaca, nec efficitur talis, eo quod aliqua qualitas beneficij, vel personæ taceatur, quæ esset ex primen-

primenda, vel exprimatur, quod esset tacendum licet taceatur, vel exprimatur maior, vel minor valor beneficij: quia de similibus idem est iudicium cap. dudum. 2. de elect.

- 7 Ob hæc posteriora fundamenta videtur verior pars negatiua; & ad primum oppositorum respondeo negando, quod omnis conuentio circa beneficialia sit simonia: locatio enim, & conductio fructuum beneficij, & constitutio Vicarij cum illo, vel illo salario, & conuentio prædicta, vt ambo supplicent pro resignatione, & reservatione pensionis; & id genus alie conuentiones non sunt simoniacæ, etiamsi alioqui essent iniquæ, & malæ, sed illa sola conuentio, quæ principaliter respicit dationes iuris spiritualis vnius in alterum pro aliquo temporali, vel simili pretio. quod non cõtingit in casu proposito: quia neutra pars dat, vel promittit alteri quidquam, ob pretium, vel quasi pretium iuris spiritualis; sed solum conueniunt ad impetrandum surreptitie ea, quæ volunt, nihil dando, vel promittendo alicui pro obtentione. Ad secundum respondeo, concedendo, quod admittitur simonia, non solum quando pecunia, vel aliquid ea æstimabile datur pro spirituali, sed etiam cum aliquid, quod non est æstimabile pecunia, sit, vel promittitur in quoddam pretium, & recompensam rei spiritualis, at negando quod in casu proposito contingat aliquid tale, vt in responsione ad primum est declaratum. Ad tertium respondeo concedendo, quod expressio illa maioris valoris est res profana, falsa, mala, & peccatum, sed negando quod sit simonia. Non enim est pecunia, nec ea æstimabile, nec est aliquid quod datur, aut promittitur in quoddam pretium Papæ, vel parti, vel alicui mediatori.

Aduerte, quia copia huius responsi non videtur integra, sed supplenda ex consilio sequenti in fine.

S Y M M A R I V M.

- 1 *Simonia non est vbi nil pro pretio datur, nec vbi definitio simoniæ non conuenit.*
- 2 *Ignorantia à peccato & eius pœna excusat.*
- 3 *Authoritas viri docti à culpa excusat.*
- 4 *Valorem maiorẽ exprimentes vt resignatio cum p̄sionis reservatione fiat, equipollenter simoniam committunt.*
- 5 *Simonia est omnis conuentio circa spiritualia sine Papæ consensu.*
- 6 *Mendacium de re graui præscriptum mortale, & est tale quando ecclesiæ onus imponitur graue.*
- 7 *Valoris dolosa expressio mendacium perniciosum & gratiam facit surreptitiam.*

- 8 *Actus ultra intentionem agentium non operantes, & secundum principalem eorum intentionem indicantes.*
- 9 *Subreptio non omnis est simonia.*
- 10 *Simonia non est datio seu factio, si causa minus principalis est obtinendi spirituale.*
- 11 *Valoris falsa expressio sine partium conventionione non est simonia.*

CONSILIVM LXXV.

Quæritur, an committant simoniam Resignâs & Resignatarius convenientes, ut exprimatür valor beneficij esse 160. ducatorû, cû non sit nisi 100. ut pensio 60. ducatorum constituatur a Papa consecuta resignatione, & constituta pensione 60. ducatorum, quæ expressa veritate non fuissent constituta: quia oportebat, ut resignanti manerent 100.

- 1 Quæstio profecto quotidiana & difficilis est. Nam pro parte negante facit, quod in casu proposito nihil spirituale videtur dari pro temporali, neque contra, ergo non committitur simonia: quia non convenit ei definitio eius, de qua 1. q. 1. in summa, & in locis citatis in Manu. confess.
- 2 cap. 33. num. 100. Secundo, quod ignorantia excusat a peccato, & a peccata peccati, c. 2. c. nam de constit. At prædicti ignorauerunt prædictum pactum fuisse simoniacum. Ergo &c. Tertio, quod auctoritas alicuius viri docti excusat quem à peccato, etiam si erat, ut tradit Panor. communiter receptus in cap. cappellanus, per illum textum, & gloss. eius de ferijs. Et præfati duo convenientes nullos habuerunt auctores doctos, & expertos, qui dixerint id esse peccatum saltem plusquam veniale. Ergo non admiserunt simoniam, quæ excommunicatione plecti mereretur, cum id quod est veniale tantum ea non plectatur cap. nemo. cap. nullus quæst. 3.
- 4 Pro parte vero affirmate facit primo, quod nihil refert, quod de æquipollentibus fiat, l. fin. ff. mandati cap. licet ex quadam. de test. At si duo ita convenirent, ut alter renunciaret beneficiorum 100. ducatorû in favorem alterius, & alter promitteret solvere ei 60. pro annua pensione sine consensu Papæ, committeretur simonia, ut palam est. At qui convenirent, ut valor beneficij valentis 100. exprimatür esse 100. & 60. ad hoc, ut constituatur pensio 60. à Papa, æquipollenter conveniunt ac duo supradicti, cû habeant propositum, ut resignatio fiat, & pensio male & inutiliter constituta solvatur. Secundo, quod omne pactum expressum, vel tacitum dandi spirituale pro temporali, vel e contra sine consensu Papæ, est simoniacum, cap. quam pio. 1. q. 2. & cap. fin. de pactis. At conventio hæc inter Resignantem, & Resignatarium facta, ut exprimatür maior valor beneficij ad constituendam maiorem pensionem, quam alias constitueretur, est pactum vel conventum dandi aliquid spirituale, scilicet beneficium pro tempo-

6 temporali, scilicet pensione male & inutiliter imposita sine consensu Papæ, quia id Papa minime nouit, ergo est simoniacum. Tertio, quod omne mendacium de re graui est peccatum mortale, iuxta illud psalmi, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*, & tradit Sanctus Thomas communiter receptus secunda secundæ q. 100. art. 4. & hoc mendacium non fuit officiosum tantum, immo fuit perniciosum, & de re graui, & perniciosum, qua imponebatur seruitus grauis rei spiritali, scilicet beneficio, & directum ad acquirendum spirituale: & ita videtur simonia.

7 Pro resolutione videtur dicendum primo, hoc præfatum mendacium fuisse peccatum mortale, ut probat 4. argumentum pro parte affirmante formatum. Secundo quod fuit mendacium, siue falsitatis expressio talis, quæ fecit gratiam nullam: fuit enim expressio dolosa falsitatis, quæ facit gratiam surreptitiam, & per consequens nullam, cap. super literis, de rescip. cap. & si legibus. 25. quæst. 2. desumptum ex l. etsi legibus. C. si contra ius. vel util. publ.

8 Tertio, quod ad dicendum, quod inducit simoniam vrgēt duo prima argumenta pro parte affirmante allata. Sed contra facit primo quod animus, & intentio præfatorum conuenientium non fuit uendere aliquid, uel emere, neque dare, uel recipere spirituale pro temporali uel contra. Et actus agentium non operantur ultra intentionem eorum, l. non omnis. ff. si certum petatur. Secundo, quod actus agentium sunt iudicandi secundum intentionem principalem eorum, l. si quis nec causam. ff. de rebus creditis, & intentio prædictorum principalis fuit, ut resignatio fieret, & pensio admitteretur; & non quod pensionis constitutio esset pretium renunciationis, sicut obsequia, uel munera præstita collatori, uel præfatorum beneficij ad quærdam amicitiam eius non censentur pretium collationis, quam postea ipse facit ex amicitia per illa obsequia & munera prius contracta, ut probamus in d. Manu. cap. 23. num. 100.

9 Tertio, quod alioqui sequeretur, quod omnis surreptio facta in impetratione beneficij esset simoniaca: quia est quiddam temporale, quod fit ut detur aliquid spirituale, quid sine illo non daretur, quod uidetur absurdum, & à nemine hæctenus assertum, & ita nõ dicendum, l. nam quod absurdum 10 ff. de bonis libertorum. Quarto, quod datio, uel factio alicuius rei temporalis quæ est causa minus principaliter uel mediata quærendi: aliquid spirituale, non est uera simonia, per multa quæ adduximus in d. nu. 100. & 101. Et præfatum mendacium non uidetur fuisse causa principalis, & immediata acquisitionis beneficij, sed quædam impellens & remota: causa uero principalis fuit, ne tantam iacturam resignans ex sua resignatione acciperet, & quædam sustentatio ei remaneret: quamuis expressio falsa tantorum fructuum mouisset Papam ad pensionem constituendam.

11 Per quæ quatuor fundamenta arbitraret, quod non fuit in hoc casu com-

commiffa fimonia, fi folum mendacium, & fola expreffio falſi valoris fine conuentione inter partes promiffa interueniffet. At quia vltra illam falſam expreffionem conuenit inter partes, vt ea fieret ad perficiendam reſignationem deſideratam, non auderem excuſare illam à fimoniæ labe, **12** ob argumenta pro parte affirmante formata. Quarto principaliter dico, conſulentem debere petere in ſacra Pœnitentiaria abſolutionem & diſpenſationem, ſi & quatenus oporteret ſine vlla nominis expreffione, narrato quam breuiſſime poterit toto factò, relictis tamen quæ non ſunt neceſſaria, & meam operam polliceor ad corrigendam petitionem ſi antequam offeratur in ea, mihi monſtrata fuerit, &c.

NE PRAELATI VICES SVAS.

S V M M A R I V M.

- 1 *Iuriſdictionem temporalem pretio emens mortaliter peccat.*
- 1 *Rex munus iudicandi vendens peccat, niſi ſic remiſſiue.*
- 2 *Iudicandi ſeculare munus cum modificatione vendibile.*
- 3 *Rex, & regalia habens iudicandi vendere poteſt, ſed non aliis, niſi de illius licentia, vel conſuetudine.*
- 4 *Iudicandi munus emendo peccans, donec priuetur, illud iuſte exerceat.*
num. 5.
- 6 *Reſtituenda non ſunt iuſte per iuriſdictionem temporalem emptam quaſita,*

C O N S I L I V M I.

Quidam quaſiuit mediante pecunia, vel fauore temporali officia quædam peculiaria iudicandi ab eis, qui poterant ea ipſi gratis cõferre, & exercuit illa multo tempore, & pro eorum exercitio plurima quaſiuit.

Quæritur primo, an peccauerit ea ſic quaerendo.

Secundo, an peccauerit ea exercendo.

Tertio, an teneatur relinquere illa.

Quarto, an teneatur reſtituere illa, quæ per illud exercitiũ acquiſiuit.

AD PRIMAM QVÆSTIONEM reſpondeo affirmatiue. Tũ quia videtur tranſgreſſus fuiſſe legem, quæ habetur in auth. vt Iudices ſine quo quo ſuffragio fiant. colla. 2. & in auth. de mandatis principum. §. illud colla. 3. l. 2. C. de murilegulis. lib. 11. Tum quia conſenſit, & fuit cauſa, vt peccaret collator eorum, accipiendo pecuniam contra prædicta

dicta iura : nam & nos in Manu. Confess. cap. 25. num. 7. diximus etiam Reges illa vendendo peccare, nisi certo modo id faciant, illud enim lucrum esset turpe, vt Panor. definiuit in cap. 1. & 2. ne prælati vices suas. relatus a nobis, vb supr.

- AD SECUNDAM, respondeo, illam esse profecto difficilem. Pro parte namque affirmante facit primo, quod iniuste quæsitum tenetur quis relinquere, & non eo vt, arg. cap. si res aliena. 14. q. 6. & cap. peccatum de reg. iur. lib. 6. Secundo, quod non potest quis habere iustum titulum possidendi rem sacram, nec aliam, quæ extra suum sit commercium, l. inter stipulationem. §. sacram. ff. de verb. oblig. & §. sacro. inst. de rerum diuis. & in casu proponitur officium huiusmodi esse sua natura inuendibile. Tertio, quod Fabianus a Monte in Tractar. de empt. q. 6. per multa definit iustitiam, & iurisdictionem esse res inuendibiles.
- 2 Pro parte autem negante facit, quod huiusmodi officia non sunt spiritualia, sed secularia, nec habent iurisdictionem spirituale, & ita in emptio ne, vel venditione illorum non admittitur simon. quicquid aliqui duxerint, vt recte concludit Panor. vbi supra. Secundo, quod non videtur verum id, quod in casu proponitur, munus iudicandi esse sua natura inuendibile, quoniam S. Thomas in opus. 21. determinat contrarium, dicens licere vendere illud cum certa modificatione, per eum ibi addita. Tertio, quod etiam præfatus Fabianus ait, consuetudinem dictare, quod
- 3 sit vendibile. Quarto, quod per totam Franciam solebant cum in ea degerem vendi a Rege, & in Hispania passim dantur loco cuiusdam dotis iuris peritis doctis, vt ducant in vxores aliquas aulicas, & aulicis propinquas pauperes. Vnde in d. cap. 25. num. 7. dicimus ea vendi posse, & quidem iuste a non recognoscente superiorem, & etiam a recognoscente talem de licentia illius, immo & sine licentia, si consuetudo præscripta haberet vendendi ea honesto pretio personis idoneis, quod affirmat Caietanus in summ. verb. officiorum, & data efficaci ratione concludit Domin. Sotus de iust. & iur. q. 6. art. 4. col. 4. vers. 1. Conclusio, post Caietanum yitio impressoris male citatum in verbo Officiorum. Per quæ posteriora pro parte negante adducta videtur cõcludendum quod officia prædicta suapte natura non sunt inuendibilia, quia Rex, vel habens regalia, vel alius, cui ipse vendendi facultatem faceret, posset illa iuste vendere: quamuis non posset id facere priuatus homo, cuius esset officium etiã iuste a Rege gratis, vel gratia qualitum, nisi facultate ab eo per id facta: quia non habet potestatem eligendi ministrum illius officij, nec dandi ei titulum: quia illa penes ipsum Regem, Proregem, vel alium ministrum superiorem est. Immo neque vllus minister inferior Rege, vel non habente regalia posset iuste illa vendere, nisi haberet facultatem id faciendi a Rege, vel ab eo, qui haberet regalia.
- 4 Quæ omnia casui proposito applicando resoluendum videtur, quod

D. Consulens non emit vere hæc officia, sed habuit ea mediante pecunia, & non habuit ea ab homine aliquo priuato, cuius essent illa, tanquam merces empras ab eo, sed a superiore, vel Republica habente potestatem illa sibi conferendi: & ita, quia hæc officia sunt secularia, in quorum adeptione non potest committi simonia, collatio eorum facta a superiore potente illa conferre, valuit, & non fuit ipso iure nulla: quamuis potuisset Rex, vel alius legitimus superior illam annihilare, seu annullare, & tam conferentem, quam acceptentem castigare, sed donec id fieret Cõsulens poterat exercere illa, quorum tituli ipso iure valuerūt, quoad vsque cassarentur. Quibus est consequens, quod licet Consulens peccasset quærendo illa per pecuniam, non tamen peccauit exercendo ea alias iuste.

5 AD TERTIAM respondeo, quod ex solutione quæstionis præcedentis sequitur, quod non tenetur ei relinquere, donec eius tituli per superiorem cassentur, sicut, & beneficiarius Ecclesiasticus per homicidiū, vel aliud delictum incurrens irregularitatem: propter quam suo beneficio priuari potest; sed non est ipso iure priuatus, potest illud retinere, & fructibus eius uti, donec per sententiam superioris priuaretur, per illam singularem doctrinam Innoc. in c. cum nostris. de concess. præbend. receptam communiter ab omnibus, & in his a Felin. in cap. Inquisitores. de accusat. & sicut admittendo delicta, ob quæ suis possunt priuari bonis, quorum magnus est numerus in orbe Christiano, possunt retinere, & administrare illa, & eis sancte, uti donec per sententiam Iudicis priuentur, iuxta gloss. solen. ab omnibus fere receptam in cap. fraternitas. 12. quæst. 2.

6 AD QUARTAM respondeo, quod ex solutione secundæ, & tertiæ quæstionis colligitur solutio, videlicet, quod D. Consulens non tenetur restituere quæsitæ per exercitium præfatorum officiorum, plusquam teneretur si ea sibi iuste quæsiuisset. An autem illi, quibus iniuste dedit pecunias pro illis quærendis teneatur restituere illas, determinandum est per ea quæ nos scripsimus in Manu. Confess. c. 17. a numero 3. quod prædictis est parergon. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Vicariatus Episcopi, vel alius prælati pretio comparari nequit.
- 2 Capitulum sede vac. vicariatu paciscens simoniam committit, licet non excommunicantem. nu. 2.

C O N S I L I V M II.

CAnonici sede vacante electuri Vicarium suum Generalem conueniunt, & pacti fuerunt, vt quicumque eorum eligeretur Vicarius, tam salarium ei soluendum ratione Vicariatus, quam omne aliud emolumentum solitum solui Vicario Episcopi, teneretur diuidere inter se, & alios Canonicos, ita vt singuli eorum tantum caperent de illis, quantum ipse Vicarius, & non plus, nec minus, & singuli eorum iurauerunt seruare singula capita, si quis eorum eligeretur Vicarius; & postea ille qui fuit electus, post electionem iurauit iterum ea seruare, & seruauit, & Canonici ceperunt suas singulas partes. Quæritur, an simoniam admiserint, & an sint ipso iure excommunicati, & a quo absoluentur.

- 1 Respondetur primo, quod omnes admiserunt simoniam contra fere totum titulum, hoc tit. suas, quia Vicariatus Generalis Episcopi, & cuiuslibet alterius Prælati, est res spiritualis, vt probatur per cap. 1. & 2. eo. tit. & ob hoc constitutum est, ne quis det quidquam temporale pro illa re spirituali, & quod qui dederit, vel acceperit ob id aliquod temporale puniatur grauiter. & in casu proposito qui erat eligendus Vicarius promisit soluere multa temporalia electuris, casu quo eligeretur, & postea electus soluit, & electores acceperunt vnusquisque suam partem, & consequenter admiserunt omnes simoniam grauem, conueniendo, paciscendo, iurando, eligendo, acceptando electionem, tradendo possessionem, & diuidendo emolumenta, per definitionem simoniæ datam a gloss. in summa 1. q. 1. receptam ibi, & in rubr. de simon. ab omnibus canonum peritis, & a S. Thom. & alijs Theologis in 4. libr. sent. dist. 25. quam nos post alios profunde declarauimus in Manu. nostro Confess. cap. 23. num. 100.
- 2 Secundo, quod omnes fuissent excommunicati, & celebrando effecti irregulares si præfatus Vicariatus fuisset beneficium spirituale, vel ordo, aut ordinis sacramentum, per extrauag. 2. de simon. Tertio, quod non sunt excommunicati, eo quod pœna præfatæ extrauagantis non habet locum, nisi cum admittitur simonia in tali beneficio, vel ordine, secundum receptam sententiam, quam latius, quam alijs, declarauimus nos vbi supra num. 111.

D E M A G I S T R I S.

S V M M A R I V M.

1 *Tampilonensi in ecclesia, vt de Lectore sacre Scripture providendum.*

1 Intel-

- 1 *Intellectus cap. 1. de refor. sess. 5. Concilij Trid. de Lectore.*
- 2 *Lector sacrae Scripturae etiam in cathedralib. regularibus ponendus.*
- 3 *Iure duplici vna, & eadem res censi non debet.*
- 4 *Lectori sacrae Scripturae, vbi praebendae non sunt, stipendio prouidendum.*
- 5 *Indigena extraneo ceteris paribus in beneficijs praefendus.*
- 6 *Regularis de Praelati licentia peculium habere potest.*

C O N S I L I V M I.

AD inquirendam veram intelligentiam, & statuendum quod iustum est circa prouisionem Lectoris sacrae Scripturae in Ecclesia Cathedrali Pampilonen. iuxta cap. 1. de reform. sess. 5. Concil Trident. videntur affirmanda sequentia.

- 1 Primum, quod in ea Ecclesia debet esse aliquis Lector sacrae Scripturae, quia est Ecclesia Cathedralis, & posita in ciuitate, vbi est numerosus Clerus, & populus, & ita non solum mens, & intentio Concilij, sed etiam verba primae partis sui Canonis coniuncta cum verbis vers. & quatenus. conuenient huic dicto. Nec obstat dicere quod praefata prima pars loquitur de solis saecularibus Ecclesijs, & quod pronomen illud, iplis, positum in vers. & quatenus restringitur ad Ecclesias tantum saeculares.
- 2 Quia prima pars loquitur generaliter de Ecclesijs Cathedralibus, & clarum est Ecclesiam Cathedralem regularem proprie dici Ecclesiam Cathedralem, quia species proprie includitur sub genere, vt ait Bald. receptus in l. 2. C. de iure. aure annull. nec etiam obstat dicere, quod prima pars non potest habere locum in Ecclesia Cathedrali regulari, quia immo potest habere locum in ea, si est certus numerus canonicorum regularium habentium praebendas, vel portiones priuilegiatas quae habentur pro praebendis, de quibus Innocentius, & alij loquuntur cap. dilectus 1. de praebend. qualis ante aliquos annos fuerunt in Ecclesia Oxome si, & vt puto sunt etiam hodie in Caesaraugustana. Nec obstat Concil. Tridentinum cap. 1. & 2. de regularibus sess. 25. quia non prohibet religionis habere peculia rerum mobilium de licentia Papae, vel Praelati, vel statuti a Papa confirmati, vt ex dict. cap. constat, & late probamus in c. non dicatis. 12. q. 1. num. 9. & 47.
- 3 Secundo, quod non est intentionis, nec verborum praedicti Concilij, quod duo Lectores habeantur in Ecclesia Pampilonensi, vnus qua parte est Ecclesiae Cathedralis, & alter qua parte est regularis: quia vna tantum est Ecclesia, & vno iure debet censi, cap. cognouimus. 12. q. 2. l. eum qui ades. ff. de vsucap. nec vsquam vlla theorica, vel praxis contrarium recepit.

Tertio, quod certum est in Ecclesia Pampilonen. non esse certum numerum Canonicorum, neque praebendarum, neque portionum priuilegiatarum:

giatarum, & ita non esse locum in illa Ecclesia, primæ parti prædicti Canonis; quia ubi non est certus numerus prædictorum, nihil vacare potest, cap. dilecto. de præbend.

- 4 Quartum, quod ex prædictis consequitur, Episcopum, & Capitulum debere providere de stipendio ipsi Lectori per aliquem modum in prædicto §. & quatenus expressum. si enim, ut prædicitur, debet esse in ea huiusmodi Lector, & non potest provideri ipsi de præbenda vacante, ut habetur in prima parte prædicti Canonis, oportet, ut provideatur ei alio modo in parte 2. expresso.

- Quinto, quod longe decentius esset stipendium prædictum conferre alicui Canonico Ecclesiæ, qui ad legendum esset idoneus, quam alij extero seculari. Nam quia magis assiduus erit in Ecclesia ad legendum, & respondendum concurrentibus ad audiendam lectionem, quam exterus secularis. Tum quia cæteris paribus in beneficijs indigena præferendus est extraneo, l. in Ecclesijs C. de Episcopis, & Cler. per rationes redditas à Cælestino Papa in cap. nullus. 61. dist. & licet in hoc casu non agatur de beneficio, agitur tamen de stipendio, quod propter defectum beneficij datur: & surrogatum sapit naturam eius cui surrogatur, l. eum qui, §. qui iniuriarum, ff. si quis cautio, & c. ecclesia, ut lit. pend. Tum quia nisi aliud necessitas, vel magna utilitas persuadeat, diuersæ professionis, & habitus ordines non sunt in eadem congregatione coniugendi, ut per pulchras rationes, & auctoritates probat Concil. Hispalen. in ca. in nona. 16. q. 7. & Concilium Viennense in clem. 1. de elect. Nec obstat, quod Canonicus Regularis non potest habere proprium per dict. cap. non dicatis 12. q. 1. & cap. 2. de reg. Concil. Trid. sess. 25. quia illud intelligi debet de proprio simpliciter, & non de proprio, accipiendo proprium pro peculio de licentia superioris concessio, ut late, & irrefragabiliter ubi supra probamus per omnia iura antiqua, nec novum statutum in cap. 2. de regular. Concil. Trident. obstat. Tum quia loquitur de peculio rerum stabiliū, siue immobiliū, & non mobiliū, & in proposito de stipendio, quod in rebus mobilibus consistit, loquimur. Tum quia Canonicus Regularis est capax beneficiorum regularium, & stipendium prædictum surrogatur in locum beneficij, & ideo merito erit capax eius, præsertim in Ecclesia Pampilonen. in qua certæ singulæ quantitates singulis Canonicis in peculium protectionis separatim dantur, & aliæ singulæ certæ quantitates panis, & vini, quo sibi, hospitibusq. ad se venientibus provideant. Tum quia etiam hodie posse dari, ex iusta causa religioso administrationem peculij rerum immobiliū probamus, ubi sup. num. 14. & specialius num. 18.

D E I V D A E I S .

S V M M A R I V M .

- 1 *Filij hæreticorum , & Iudæorum bulla Pauli IIII. non ordinandi .*
- 1 *Infidelitas baptisma præcedens non nocet , nisi fuerit hæresis , vel conuersio recens .*
- 2 *Hæresis omnium infidelitatum pessima .*
- 2 *Pœna secundum delicti mensuram temperanda .*
- 3 *Intellectus bullæ Pauli IIII. ne Iudæorum filij ordinentur .*
- 4 *Filios Iudæorum , & Maurorum sponte conuersorum ordinare æquius .*
- 4 *Iudæi Burgenses post conuersionem nunquam deuierunt .*
- 5 *Filij Maurorum , sicut Iudæorum ab ordinibus arcentur .*
- 6 *Eligendus semiplena defectus probatione repellitur , electus plena .*
- 7 *Descendens a Iudæis , vel hæreticis ad prædicandum non admittendus .*

C O N S I L I V M I .

AD primam multarum quæstionum, quæ habet, an prohibitio fel. re. Pauli IIII. confirmata per Gregorium XIII. qua prohibentur descendentes hæreticorum, & Iudæorum ad sacros ordines promoueri, vsque ad quartam generationem, includat non solum descendentes hæreticorum damnatorum, & c. sed etiam descendentes a Iudæis, vsque ad præfatam quartam generationem, etiam si præfati Iudæi, primo conuersi, & filij, & nepotes eorum inuiolabiliter fidem orthodoxam serauerint. Respondetur primo, quod pro parte negante facit primo, quod iure communi infidelitas præcedens baptismum minime nocet, c. eam te, de rescript. ibi, *Pro eo vero quod Iudæus extiterit eum dedignari non debet*. Vnde Fel. ibi colligit pro regula, quod infidelitas præcedens non nocet, nisi fuerit hæresis, vel conuersio recens: & ita præfata prohibitio Pauli IIII. exorbitat a iure communi, & consequenter est restringenda, cap. quæ a iure. de reg. lib. 6. Secundo, quod cum lex apte recipit duos intellectus, benignior, & mitior est acceptandus, l. benignius, ff. de legibus. At præfata prohibitio potest duobus modis apte intelligi. priori quidem modo, vt relatiuum, quorum sequens verbum, Iudæi, seu Hæretici, referat vtrunque; posteriori vero, vt solum referat verbum, Hæretici, tantum, & intelligendo priori modo, restringit verbum, Iudæi, sicut verbum Hæretici; intelligendo autem secundo modo, solum restringit verbum Hæretici. Ergo accipiendus est prior intellectus, qui est benignior.

nignior, & secundum illum non includuntur descendentes a Iudæis, nisi parentes eorum deliquerint. Tertio, quod omnium infidelitatum pessima est hæresis, vt docet S. Thom. recept. 2. 2. q. 10. art. 6. & secundum mensuram delicti debet esse plagarū modus, Deuteron. 6. & cap. non affe ramus 24. q. 1. ergo non debet puniri magis Iudaismus quam Hæresis. Cum ergo Hæreticorum filij non inhabilitentur ad ordinem præfatum vsque ad quartam generationem, nisi parentes eorum fuerint damnati, & ipsi, vel statuæ, vel ossa eorum combusta, a fortiori filij Iudæorum, qui minus deliquerunt, non videntur inhabiles, nisi parentes eorum simili modo damnentur. Quarto, quod descendentes ex antiquis Christianis, licet fuerint Hæretici, non includuntur in præfatis extrauagantibus, nisi ipsi, vel ossa, vel statuæ ipsorum crementur. Ergo a fortiori descendentes ex Iudæis, qui nihil deliquerunt, debent haberi pro inhabilibus, cum, vt prædiximus, hæresis etiam non punita sit peior Iudaismo.

3 Secundo respondetur, quod pro parte affirmante facit primo neruossissime, quod in præfata extrauag. Pauli valde serio fit mentio de Iudæis, & de descendentes a Iudæis, & quod si præfatum relatiuum, quorum, intelligeretur priori modo, ita, vt referret tam verbum Iudæi, quam verbum Hæretici, nihil operaretur præfatum verbum Iudæi, quandoquidem nec ipsi primum conuersi, nec vlli descendentes ab ipsis inhabilitarentur, nisi essent Hæretici, vel descendentes ab Hæreticis, quoniam Iudei conuersi, & filij eorum, si relabantur, ita vt ipsi, vel ossa, & statuæ ipsorum crementur, magni Hæretici sunt. Secundo, facit quod præfata breuia magnam intendunt ponere differentiam inter Iudæos noue conuersos, & descendentes ex eis, & inter Christianos antiquos, & descendentes ex eis. At secundum intellectum priorem nullam ponerent differentiam, quia secundum illum, sicuti nulli Christiani antiqui nec vlli descendentes ex eis sunt inhabiles, nisi aliqui, ex quibus descendunt, declarentur Hæretici, & ipsi, vel ossa, & statuæ ipsorum comburantur: & omnes qui descendunt ex talibus sunt inhabiles, ita, & nulli qui descendunt ex Iudæis conuersi, vel eorum filijs, non factis prædicto modo Hæreticis, sunt inhabiles, & omnes qui descendunt ex Iudæis primo conuersis, vel filijs eorum factis prædicto modo Hæreticis sunt inhabiles. Tertio, quod idem verbum frequenter repetitum in aliqua dispositione significat aliquod ministerium iuris, iuxta gloss. singularem, & recept. in clem. 2. de iur. pat. verb. diocesani. Ergo verbum, Iudæi, toties repetitum in præfatis extrauag. significat aliquod ministerium iuris, quale tamen non significaret, nisi relatiuum illud, quorum, referret tantum verbum Hæretici, iuxta secundum intellectum. Ergo ille est accipiendus. Quarto viget quod Gregorius XIII. in bulla addit, quod idem seruetur in descendentes ex Mauris; & credo suam Sanctitatem ad id motam fuisse, eo quod rari eorum vsque ad quartam generationem inuenian-

tur firmi Christiani, & quod fortassis acceperit idem inuentum esse alicubi in descendantibus ex Iudæis.

4 Tertio principaliter dico, hanc partem affirmantem videri iuris rigore veriorcm, partem vero priorem negantem posse de æquitate seruari in descendantibus illorum Iudæorum, vel Maurorum, qui sua omnino sponte, nullo metu, vel vi coacti susceperunt, vel suscipiunt baptismum, quales fuerunt omnes fere Iudæi Burgenses in Hispania, qui ad prædicationem Episcopi Burgensis ex Iudæo facti Christiani sponte omnino sua baptismum susceperunt; quorum nullum descendantem adhuc audiui deuiasse à fide Catholica: quales item sunt multi, qui Romæ sola verbi Dei efficacia sine vlllo motu illato conuersi sunt, & passim conuertuntur: quorum pauci, vt audio ad vomitum redierunt: quales item sunt quidam, quos audiui ex Africa venisse ad Lusitaniam, & etiam ad Castellam, ad suscipiendum baptismum.

5 AD SECVNDAM, scilicet, an præfata extrauagans habeat locum in descendantibus Maurorum, sicut in descendantibus Iudæorum, respondeo idem, quod respondi ad primam per præfatum extrauag. Gregorij XIII. quæ extrauag. præfati Pauli magna prouidentia extendit ad descendentes Maurorum, quos, vt arbitror, accepit contumacius hære in Hispania suo saracismo, quam Iudæi suo Iudaismo. quod verum profecto est de his, qui aliqua vi, vel metu conuertuntur, non autem de his, qui sua omnino sponte baptismum suscipiunt, quorum tamen numerus paruus, vt audio, est in Hispania,

AD TERTIAM, scilicet, an præfata prohibitio includat omnes, quos vulgus lusitanum, & etiam aliqua pars vulgi reliquæ Hispaniæ appellat Christianos nouos, etiam si ante quintam generationem maiores eorum fuerint conuersi, respondeo, quod non procul dubio, quoniam ipsamet se restringit ad descendentes, vsque ad quartam generationem tantum, & in claris non est locus coniectaris, l. continuus. §. cum ita. ff. de verb. oblig.

6 AD QVARTAM, scilicet, quanta probatio sit necessaria ad impediendam electionem alicuius fratris in Guardianum, vel Prouincialem, vel ad eijciendum iam electum, vel confirmatum propter originem Iudaicam, Maurorum, vel Hæreticam? respondeo quod ad impediendam electionem videtur sufficere semiplena probatio, argum. text. sing. in cap. præterea. il. 2. de sponsal. quæ probat propter dictum vnus testis, & semiplenam probationem impediendi affinitatis impediendum esse matrimonium nondum cōtractum, ne contrahatur; si autem est iam electus, & confirmatus, requiritur plena probatio ad rejciendum, & exauctorandum, arg. c. super his de accusatio. & pro vtroque dicto facit, c. quemadmodum d. iureiur. quatenus probat, quod turpius eijcitur, quam non admittitur hospes.

AD

7 AD QVARTAM, scilicet, an præfata prohibitio Pauli III. sit seruanda quoad eam partem, qua prohibetur præfatos descendentes a Iudæis, vel Hæreticis in prædicatores eligi, vel iam electos ad prædicandum admitti, respondetur quod sic: quia licet non videatur recepta quoad hoc in aliquot partibus, fuit tamen postea anno 1573. innouata, & extensa quoad Mauros per Gregorium XIII. & ita nondum sunt transacti decem anni, qui satis videntur requiri ad euacuandam viribus legem canonicam, arg. multorum, quæ in hac re dicit Fel. in cap. 1. de treg. & pace num. 6. & multis seq. quamuis etiam contrarium disputando iustentari possit de rigore iuris per eadem, quæ ibidem traduntur, maxime illud singulare dictum Dominici in §. leges. 4. dist. scilicet, quod omnis lex uideatur ferri a superiore sub illa conditione, si recipiatur a subditis, & quidem quoad descendentes a Iudæis, vel Mauris, qui sua omnino sponte conuersi fuerunt, nec ad uomitum redierunt, æque uidentur posse dissimulari. Salua, &c.

S Y M M A R I V M .

- 1 Peccat omnis qui alterius peccato consensit, occasionem propinquam peccandi dans, peccat etiam intentione virtuali num. 3.
- 2 Occasionem propinquam peccandi dans peccat etiam intentione virtuali num. 3.
- 4 Panes azimos Iudæorum comedere laicis & clericis prohibitum.
- 4 Consuetudo in ijs de quibus lex non est, habet vim legis.
- 5 Communio cum infidelibus in non prohibitis licita.
- 6 Ecclesia permittit Iudæis exercere ritus suos bonos & malos.
- 7 Iudæi possunt suas usuras certo modo exercere.
- 7 Iudæis permissum est necessaria emere pro victu corporali.
- 8 Occasionem peccandi qui dant & non peccant, recipientes ab usurario pecunias.
- 8 Lupanaria deputantes, seu meretricibus domos locantes, qui non peccant.
- 9 Opus de per se bonum ut ex fine efficitur malum.
- 10 Vendere Iudæis ramos myrti ad finem celebrandi scenophagia non licet.
- 11 Synagogas suas Iudæis impunere rescire licet.
- 12 Paruitas rei subreptio, & ignorantia excusant a mortali.
- 13 Actiones veniales & non mortales possunt in foro conscientie tolerari.

CONSILIVM II.

IN agro Bononiensi in collibus quibusdam nascuntur plantæ myrti & veniunt Hebræi etiam ex longinquis regionibus ad emendum ramusculos illarum à Dominis prædiorum, vt sua festa scenophegiæ. quod sciunt ipsi venditores.

Quæritur primo, An licitæ sint tales venditiones.

Secundo, An possint tolerari in foro conscientia?

- AD PRIMAM QVAESTIONEM**, scilicet, an liceat prædicta venditio, Respondeo quod pro parte negante facit primo, quod omnis, qui consensit peccato mortali alterius, qui peccat mortaliter, iuxta illud Pauli ad Rom. 1. *non solum qui faciunt* &c. relatum cap. 1. de offic. deleg. vbi glos. & omnes cap. notum. 2. q. 1. consentit inquam aliquo no-
1 uem modorum contentorum in illis duobus senarijs, quos post S. Thom. secunda secundæ quæst. 62. art. 7. in cor. q. posuimus in nostro Manu. confess. cap. 11. num. 15. scilicet, *Iussio, consilium, consensus, palma, recursus, Participans, motus, non obstans, non manifestans*: quos eisdem senarios paulo latius declaramus in eodem Manu. cap. 17. num. 17. & num. 130. At prædicti venditores ramusculorum myrti consentiunt prædictis Hebræis, non solum simpliciter, vt placendo eis, vt celebrent scenophegiam, quæ licet ante passum Christum licuisset eis celebrare, non tamen hodie licet, vt tradit S. Thom. recep. secunda secundæ quæst. 10. art. 11. sed etiam ad nutriendum, colendum, & quærendum illos, ergo peccant secundo quod perinde peccant Hebræi hodie celebrantes suam scenophegiam, & alias similes cærimonias, ac Idololatræ peccant idolatrando, vt ait gloss. ad Gala. 5. quam in hoc citat vbi supra Sanctus Thom. & qui Christiani ad-
2 iuuarent idololatræ ad exercere Idolatriam peccarent. Tertio, quod qui occasionem propinquam peccandi præbet alicui, peccat, argu. cap. fin. de iureiur. & tradimus nos in præscripto Manu. cap. 14. à num. 33. & quod omnis iuuans ad peccandum mortaliter peccat simili modo, quo ille, qui iuuat. At non videtur posse negare, præscriptos venditores dare occasionem propinquam peccandi præscriptis Hebræis, quia iuuant eos ad peccandum grauissime, & opem ferens ad peccandum peccat, c. sicut dignum. §. illi, & §. hi quoque de homic. Quarto, quod nos in specie tradimus in d. c. 14. num. 33. per ibi adnotata, quod edificantes, vel reficientes Synagogas, & Meczhitas Iudæorum, & Maurorum, peccant: quia dant occasionem propinquam peccandi: & præfati venditores ramusculorum Myrti videntur præbere causam tam propinquam præfatis
3 Hebræis, quam illi edificantes, & reficientes Synagogas. Quinto, quod non solum peccat mortaliter is, qui præbet occasionem sic peccandi, ea intentione expressa vt alius peccet: sed etiam is, qui id facit intentione-

- rentione interpretatiua, siue equipollenti & virtuali, vt diximus vbi supra, inferendo ex hoc num. 36. *peccare mortaliter eos, qui etiam sine praua intentione faciunt, aut reficiunt Idola. apud Indos, aut synagogas apud Iudæos; aut Mezchitas apud Mabumetanos; aut pagana templa apud paganos; aut Hæretica apud Hæreticos; aut facit aliquid aliud, cuius principalis vsus est peccatum mortale; quia occasionem ad illud dat cum auxilio.* Sexto, quòd pro hac parte faciunt illa, quæ adducimus in præfato Manu. c. 17. à num. 195. & præsertim illud, quod nunquam licet dare occasionem peccandi
- 4 adiuuando, nec participando in lucro obtinente ex peccato. Septimo, quod in c. nullus. 28. q. 1. præcipitur sub pœnâ depositiois clericis, & sub pœna excommunicationis laicis, ne quis eorum azima seu panes azimos Iudæorū comedat, & leuior culpa videtur comedere huiusmodi azimos panes, quam præscriptos ramusculos ad celebranda scenophegia vendere, eo quod prædictæ venditiones videtur esse per prædicta peccata mortalia: & talia peccata non debet tolerare ordinarius præsertim ecclesiasticus, c. 1. de off. ord. & argumento. l. congruit. ff. de offic. præsid. per quæ statuitur, vt ordinarij non solum castigent huiusmodi peccata, quæ patēt; sed etiam vt inquirant quæ latent, si quæ sunt alia, quæ puniri debeant.
- 5 Pro contraria parte affirmante scilicet quod præscripta venditio ramusculorum, & cultura arborum myrri, vt ramos conuenientes emittant, sint licita, facit primo, quod consuetudo habet vim legis in actibus, de quibus lex non est c. consuetudo. 1. dist. & l. 2. C. quæ sit longa consuetu. Secundo, quod licet Christiano dare, vendere, & permutare merces suas Hebræo, Saraceno, & alijs infidelibus, cum quibus licet ei conuersari; nisi expressè id ei prohibeatur, l. Iudæis. C. de Iudæis, & cap. Iudæi, & c. ad hæc eodem titulo. Tertio, quod ecclesia Christiana permittit Hebræos viuere in suis terris, & habere synagogas, & in eis exercere suos ritus, non solum bonos, sed etiam eos qui hodie vere sunt peccata, vt præscriptum est, & tradit S. Thom. recep. vbi supra, ergo etiam permittit eis facere festum suæ scenophegiæ siue Scenoplegiæ, vt tradit S. Tho. 1. 2. q. 102. art. 4. ad 10. siue Scenoplegiorum, vt traditur in Lexico bibliorum. Quarto, quòd qui permittit vnum, videtur permittere aliud, sine quo illud consistere nequit, l. 2. ff. de iurisd. omnium iud. & cap. præterea, de offic. deleg. At Iudæi nequeant viuere in terris Christianorū vtendo cæremonijs scenophegiorum sine mirto, vel ramusculis eius, cum quibus celebrāda sunt, iux. c. 8. Esdræ. 2. ergo etiam permittitur eis emere myrtum ad celebrandū prædictum festum; & consequenter permitti videtur Christianis illum eis vendere. Quinto, quòd Papa permittit Iudæis exercere vsuras certo modo temperatas: ita quod accipientes eas ab eis non peccant, licet ipsi eas dando peccent, vt palam est Romæ; & eadem ratione videntur Christiani in terris suis vendere posse prædictos ramusculos eis sine peccato, licet ipsi eis vtendo grauiter peccent, arg. l. illud. ff. ad legem Aquil.

Sexto, quod Ecclesia Christiana permittit pro licito Iudæis emere omnia quæ sunt necessaria pro victu corporali: & cum victus animæ sit magis necessarius, quam victus corporis iux. c. inter cætera de offic. ordinarij & Iudæi credunt celebrationem suorum festorum esse necessariam ad victum animarum suarum; à fortiori videtur permittere emptionem omnium, quæ ad illa sunt necessaria & consequenter Christianis videtur facere facultatem vendendi eis illa, per prædicta iura. Septimo, quod tantam, vel maiorem occasionem peccandi videtur dare, qui accipit pecuniam ab usurario, qui dando ad usuram peccat; attamen qui pro sua necessitate, vel utilitate accipit, non peccat, vt tradit & defendit S. Thom. communiter recep. in theorica & praxi 2. 2. q. 78. ar. 4. ergo neque prædicti venditores peccabunt. Octauo, quod Reges, & Principes, & Gubernatores reip. deputantes lupanaria, in quibus meretricentur meretrices, & alij multi locantes domos meretricibus non videntur peccare, vt tradimus in d. Manu. c. 17. num. 195. & praxis etiã Romana videtur seruare. At tantã, vel maiorem occasionem videntur dare peccandi, quã prædicti venditores.

9 Ergo ipsi peccant. Quibus pro vtraque parte præmissis, dicendum primo, quod emptio vel venditio præfatorum per se considerata non est peccatum, nec habet admixtum illud in separabiliter, sed efficitur peccatum, etiam mortale, propter circumstantiam malam finis mortaliter mali, iuxta doctrinam S. Thom. ab omnibus recep. in 1. 2. q. 18. ar. 4. & 7. & pari ratione si fieret ad bonum finem efficeretur bonæ: sicut & ædificatio lupanaris, vel locatio domus facta meretrici per se considerata non sunt malæ, neque bonæ; sed ex fine malo efficiuntur malæ, & ex bono bonæ. & ideò defendimus in d. Manu. c. 17. num. 195. eas esse licitas, si bono fine fiant, & illicitas si malo. Sic etiam de prædictis venditione, & emptione ramusculorum dicendum est: nec obstat quod refectio Synagogæ, Mezchitæ, & idolorum sit peccatum, etiam si non fiat malo fine; nam refectio ipsa est peccatum, & ita habet illud intrinsecè inseparabiliter; quia, vt subtiliter dicit Caiet. à nobis vbi supra relatus, Ecclesia permittit quidem infidelibus reficere impunè templa sua; non tamen approbat illam refectionem, tanquam bonam, iuxta gloss. & denique. 4. dist. sed tantum relinquit impunem, ita etiam dicendum est, quod nullatenus licet habentibus prædictos Myrtos vendere illos Hebræis ad finem, vt ipsi vtantur eis ad celebranda scenopegia. Tum per argum. priora pro parte negante facta, tum per id quod dicimus in prædicto Manu. vbi supra de locante domum meretrici, scilicet quod quamuis liceat domino locare domum suam ei, quem credit aliquo modo in ea peccaturum, ad alium finem, quam peccandi, & ad exercendam artem, cuius exercitium non habet inseparabiliter peccatum admixtum; sic licet venditores prædicti iure possint vendere ramos suos Myrti, cui voluerint licitè, non tamen possunt vendere illos ad finem, vt emptor, vel alius quispiam peccet morali-

taliter. vtendo eis in scenopegiis, vel aliis modis peccandi; quia id nulla potestate humana potest fieri licitum; cum sit contra legem naturalem, & diuinam, sicut locare domum ad meretricandum, arg. cap. sunt quidam.

25. quæst. 1.

II Secundo, quod nec etiam obstat dicere, quòd liceat Iudæis reficere Synagogas, quas permittuntur habere in terris Christianorum, c. Iudæis. & c. consuluit. de Iudæis, quia id non est verum, vt proximè dictum est. solum enim permittitur eis reficere illas permissione impunitiua, sed non approbatiua: & ita non licet eis emere prædictos ramos ad celebranda scenopegia, licet excusentur, & impunè, sine timore pænæ temporalis, id possint facere.

Tertio, quod prædicti venditores possunt facere præfatam venditionem, ad aliquem finem bonum, puta ad quærendam sibi pecuniam, quæ se sustentent, vel alias ea honestè vtantur, sicut vbi supra diximus quod domini domorum possunt eas locare meretricibus, vel alijs peccatoribus, non quidem ad meretricandum, aut alijs modis peccandum, sed ad alios fines bonos, scilicet vt ipsæ suam vitam seruent, & domini domorum lucrentur iustas pensiones, cum displicentia vera coram Deo peccati, & artis peccãdi per meretricia, vel alium modum. negari. n. non potest, quod ædificare lupanaria, & permittere, vt in aliqua parte Ciuitatis viuant meretrices, & locare illis lupanaria, vel domos in illa parte, est tam malum, aut peius quàm uendere prædictos ramos sine bono cum displicentia cuiusque mali vsus ex ipso per emptorem exercendi.

Per quæ tria dicta colligitur quales venditiones prædictorum ramorum sunt peccata mortalia, & quales non; immo & quales sunt peccata **12** venialia. Sicut. n. in omni materia peccatorum mortalium excusat à culpa mortali paruitas rei, siue subreptio, siue indeliberatio, & ignorantia, vt diximus post S. Thom. in d. Manu. præl. 9. num. 10. ita etiam venditiones prædictorum ramorum, quæ ex genere finium suorum essent mortiferæ, possent ob aliquam paruitatem, indeliberationem, vel ignorantiam esse veniales: & ita remanet absoluta prima quæstio, scilicet, an liceat prædictis venditoribus vendere.

13 **AD SECVNDAM** respondetur primo, quod nullæ venditiones mortiferæ sunt tolerandæ in foro cõscientiæ: cum per eas pereat gratia gratum faciens, & amicitia Dei, & incurratur mors æterna. Secundo, quòd venditiones, quæ solum sunt veniales, tolerari possunt etiam in foro conscientiæ; cum per eas non pereat prædicta gratia, nec incurratur mors æterna, secundum S. Thom. 1. 2. q. 88. ar. 5. & melius 2. 2. q. 24. ar. 10. Tertio, quòd uenditiones, quæ non sunt peccata, tolerari debent, & laudari; sicut quotidie locatio domorum, quæ fit meretricibus ad bonum finem, et petitio mutui, & acceptio usurarum pro necessitate ab eo qui paratus est eas dare, tolerantur, & laudantur, per ea quæ adducta sunt

sunt

sunt pro parte affirmante. Quarto, quòd uenditiones ob malum finem factæ possent castigari, extra ordinem in foro exteriori, si probarentur esse illicitæ, quod non est facile facere, cum eorum malitia pèdeat ex fine malo, qui concipitur in mente; & peccata solum mentalia iudicio Dei relinquuntur, c. erubescant. 3. 2. dist. & diximus nuper in Commen. cap. humanæ aures. 2. 2. q. 5. Quinto, quòd optimi pastoris episcopi, proepiscopi, parrochi, & Vicarij eius esset docere priuatim, vel publicè uerbo, uel edicto, ex pulpito, uel exhortando populum suum, quæ harum uenditionū sunt peccata, & quæ non, & quæ mentalia, & venialia, & monere obnixe illū, ut caueat à mortiferis, quæ animas occidunt, & utantur bonis, quæ gratia diuina ornata animas uiuificant. Salua &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Princeps supremus Iudæos in terris suis fenerari, ut permittere valeat. num. 1. & 8.
- 2 Peccata mortifera reges in suis terris ex causa permittunt.
- 3 Usuras Rex sicut Papa in terris suis tolerare potest.
- 4 Reges in terris suis exercere usuras quare Iudæos non tolerant.
- 5 Reges sicut Iudæos in terris suis habitare possunt permittere, ita & fenerari.
- 6 Usuras Iudæis permittere nequit potestas superiorem habens, nec suprema deberet sine Papæ assensu. & nu. ultimo.
- 7 Usuras qui iuste cum conuenientibus capitulis Iudæis permittit, ad eas soluendum compellere potest.
- 7 Superior illicitum nil ob lucrum permittere potest.

CONSILIVM III.

Quæritur, an Iudæis iustitia administrari possit, & debeat de eorum usuris; ita ut per Principes cogi possint, & debeant Christiani, qui ab eis pecunias acciperunt ad usuram, ad soluendum talem usuram ultra formam principalem.

Respondetur primo, hanc quæstionem esse magnam. Tum quia continet in se alteram se maiorem. Tum quia proponitur generaliter, non specificando qualis est huiusmodi Princeps; & quales Iudæi de quibus quæritur; & cuius auctoritate, uel licentia habitant inter Christianos; & an sint aliqua pacta inter Principem, in cuius territorio habitant; & an cuiuspiam Ecclesiastici Præfulis auctoritate sint confirmata.

- 1 Secundo respondetur, quòd altera quæstio contenta sub hac est, utrum
Imperator,

Imperator, aut ullus alius Rex, aut Princeps Christianus non recognoscens superiorem in temporalibus possit absque licentia Papæ permittere Iudæis, ut in terris suis exercent usuras. Ad quam Respondeo primo, illam esse quotidianam, grandem, & à nemine, quod sciam, pro dignitate sua tractatam, nec nobis esse otium, nec ualetudinem sic tractandi eam. sed quia iubemur responderi priori quæstioni ab eo, qui iure suo id facere potest, dicam hæc pauca infra scripta, quæ forsan iubenti satisfacient.

Primo quidem, quod Petrus ab Ancharano conf. 243. incipiēte, Christiane, & Illustrissime Princeps, tenet quod nō, & eum refert Alex. Imol. conf. 1. uolum. 2. & latissi. sequitur Ioannes ab Anania in cap. post miserabilem. de usuris. nu. 5. pro quibus est fundamentum neruosum in d. cap. post miserabilem, quo præcipitur, ut Principes Christiani cogant Iudæos ad restituendas usuras. Quod uidetur facere non posse, si Reges haberent potestatem permittendi eis illarum exercitium.

Secundo, quod quamuis præfati grauissimi auctores dicant se non auctere tenere contrarium; ipse tamen non possum mihi persuadere hanc sententiam. Tum quia Reges possunt permittere in suis Regnis, & de facto permittunt ex aliquibus causis iustis, exercitia nonnullorum peccatorum mortiferorum etiam notiorum, puta fornicationes, quæ sunt in lupanaribus, arg. cap. meretrices. 2. q. 4. cap. inter opera. de sponsalibus. & Reges Francorum permittunt in suis Regnis publicas detractiones, & infamias, quas Carniualia uocant; quod benè fieri ait Io. Faber in §. in Summa. Instit. de iniurijs. permittunt etiam comœdias, quibus publicè tradunt insignia errata uirorum insignium, ut alij à similibus abstineant. Quod rarò fit absque peccato mortifero, ut à similibus alij arceantur. Fertur etiam Auinioni Notarios certo die, & loco publicare impunè errata, quæ ipsis fuerint per circulum anni nuntiata. quod etiam rarò fit absque detractione mortifera; & non est maior ratio, qua plus possint permittere illorum exercitium impunè aliqua iusta de causa, quam exercitium usurarum Iudæorum, immò nec tanta, quoniam de fide necessarium est fornicationes esse peccata mortifera, clement. ad nostrum. de heret. & quod tam fornicarius, quàm fornicaria credunt illas esse peccata, cum tamen Iudæus exercens usuram non credat id esse peccatum; & Christianus accipiens saltem cum necessitate sub ea, & eam soluens nullatenus peccat, iux. cap. debitores. de iur. iur. & cap. super eo. de usuris. Tum quia
 3 Papa notoriè permittit illas in suis terris exerceri à Iudæis etiam in urbe, ut constat ex bulla quadam S. D. N. Greg. XIII. confirmatoria capitulorū reformationis bancheriorum Hebræorum, quæ traducta fuit ad rationē. 18. pro quolibet centenarij, quæ data fuit in Camera Apostolica die prima Februarij 1577. & non uidetur posse reddi ulla ratio firma, quare non possint permittere Reges idem in suis: non enim potest Papa plus facere,

cere, quod usura sit licita, quam Rex, quia iure naturali, & diuino utriusque testamenti est prohibita ut post alios tradimus in cap. 1. 14. q. 3. notab. 5. & in tract. de usuris nu. 41. & 49. tantum immò magis obligatur Papa ad resistendum peccatis, & exercitio illorum, quam Reges temporales, arg. cap. sunt quidam. 25. q. 1. quod habet, summos Pontifices teneri usque ad sanguinem seruare doctrinam Euangelicam. Tum quia prædictum cap. post miserabilem, solum probat, quod attestato solo iure communi Iudæi tenentur quidem restituere usuras extortas Christianis, quod concedimus, sed non probat, quod iure particulari non possit contrarium statui; immò contrarium statutum est, & seruatur in toto statu Ecclesiastico, & Romæ, in quo minus deberent tolerari, vt prædictum est, in quo videmus Christianos compelli ad soluendas vsuras Iudæis, & Iudæos non compelli ad soluendas eas Christianis; & quidem miror neminem aduertisse, quod hoc modo responderetur aptissime illi cap. post miserabilem. Tum quia ratio quare communiter Reges Christiani non permittunt Iudæis exercere usuras, videtur esse illa, quod non permittunt illos habitare in Regnis suis: in nullo. n. Regnorum Hispaniæ permittuntur, nec ullo subiecto Regi Franciæ, & contra in Urbibus Imperij, vbi permittuntur habitare Iudæi, etiam permittuntur exercere vsuras, & certum est, quod si potest id permittere Imperator, poterunt etiam permittere Reges liberi, & non recognoscentes superiorem. Quin etiam audio in quibusdam terris Serenissimi Ducis Sabaudiæ non recognoscentis superiores, quod quidam Iudæi licet paucissimi de permissione eiusdem in eis habitantes, exercent vsuras. Cum ergo negari non possit posse Reges Christianos permittere Iudæis vt morentur in suis Regnis, poterunt etiã permittere, vt exercent vsuras. Tum quia audio Carolum V. Imperatorum Christianissimum, & filium eius Philippum II. catholicissimum permittere aliquot Iudæis, immò quod est peius aliquot Christianos habere publicum officium fenerandi in Flandriæ statu. Arbitror tamen nullã communitatem sæcularem, nec vllam Ecclesiasticam potestatem, quæ recognoscit superiorem, posse permittere iuste, vt Iudæus aliquis in suo territorio exercent impune vsuras. Secundo quod potestas suprema Ecclesiastica siue solus Papa potest permittere Iudæis exercere vsuras sine vllò alio consensu. Tertio, quod consulendum esset Principi, vel communitati sæculari volenti compromittere, vt de consensu Papæ id facerent. Quarto, quod ipse non auderem asserere Principem, vel communitatem non recognoscentem superiorem peccare mortifere, aut vllas censuras incurere ob id solum, quod huiusmodi permissiones iusta de causa faceret, cum capitulis conuenientibus Christianis, qualis fuit vna, super qua ante aliquot annos fuimus consulti facta cum capitulis conuenientibus Christianis, in quibus erat vnum, vt Iudæus teneretur fenerari ad rationem quinque pro centum: dummodo talis Princeps nihil de lucro participet; quoniam

quoniam in ea sum opinione, quod nullus Princeps nec Ecclesiasticus potest iuste permittere aliquot peccantes, vel crimina committentes, percipiendo aliquod lucrum ob illam permissionē, per ea quæ post Caietanum dixi in Man. cap. 17. nu. 195.

- 7 Ex prædictis, quæ responsa sunt ad prædictam quæstionem contentâ tacite sub quæstione nobis nunc proposita, colligitur primum, quod si prædictus Princeps cum authoritate, & licentia propria iusta de causa, & sine participatione lucri usurarum permittit exercitiū earum in terris suis cum capitulis, & conditionibus honestis, poterit iuste absque peccato compellere Christianos ad obseruanda pacta, & conuenta inter Principem, & Iudæos, & consequenter ad soluendas usuras permissas, & promissas per illas Iudæis. Secundo, quod si prædictus Princeps recognoscit superiorem non potest iuste permittere exercitium usurarium in terris suis sine authoritate Papæ, uel alicuius Regis non recognoscentis superiorem, in cuius territorio uiuit, nec consequenter cogere Christianos
- 8 ad soluendas usuras illis promissas. Tertio, quod quicquid Petrus ab Ancharano & Alex. Imoleñ. & Ioannes ab Anania, & alij, qui sequuti sunt illos, dixerint, credo firmiter, quod prædictus Princeps, siue sit Imperator, siue Rex, siue alius qui non recognoscit superiorem, potest iusta dicta in suis terris permittere auctoritate sua, sine alia Ecclesiastica, usurarium exercitium Iudæis, factis capitulis honestis cum eis, & non accipiendo lucrum sibi de illo exercitio, quamuis modestius & Christianius faceret si permitteret illud consulto summo Pontifice cum capitulis ab eius Sanctitate probatis. Salua Sanctissimi D. N. censura, & cuiusuis alius melius sentientis, in gloriam Dei qui nos omnes saluet.

S V M M A R I V M.

- 1 *Mutuans pecunias pro suo interesse lucrum recipere potest.*
- 2 *Usuras exercendi licentia cōcessa à Papa non se extendit extra terras ecclesiæ intemporalibus subiectas.*
- 3 *Princeps superiorem non recognoscens in suis terris licentiam exercendi cum certa limitatione vsuras concedere ualet.*

C O N S I L I V M IIII.

AN Iudæi habentes licentiam à Papa in terris Ecclesiæ vsuras exercendi, possint absque alia licentia, eas extra territorium ecclesiæ exercere, vel saltem pecunias pro suo interesse mutuare.

Secundo, vtrum Princeps superiorem non habens possit sub honesti
capi-

capitulis prædictam licentiam in suis terris concedere, seu Iudæis permittere.

AD PRIMAM quæstionem respondeo, primo non videri eam factis clare propositam, quoniam loquitur de interesse, & videtur voluisse proponere de usura; quod si intelligatur de interesse vero, de quo loquitur l. 3. §. de eo quod certo loco, & l. 1. C. de sent. quæ pro eo quod interest profer. videtur esse superflua quoniam licitum est mutuare ad interesse, verum tam lucri cessantis, quàm damni emergentis seruatis seruandis, vt late post alios nos tradimus in *Manu. Confess. cap. 17. num. 211.* & latius in comment. de usuris notab. 15. num. 40. & sequen. & ita sine alia permissione speciali Principis spiritualis, & temporalis iure communi, licet tam Iudæo, quam Christiano mutuare ad interesse, verum seruatis seruandis.

2 Tertio, quod si intelligatur de usura vera, respondendum est negative, quod summus Princeps Ecclesiasticus non censetur permittere Iudæis exercere usuram in regnis, & dominijs non subiectis ei quoad temporalem iurisdictionem, eo solo quod id permittat in terris subiectis sibi quoad vtramque iurisdictionem spiritualem, & temporalem: Tum quod priuilegia sunt restringenda, cap. porro, & cap. sane cum innumeris alijs de priuil. Tum quia præsupposito quod sine licentia Papæ non possunt Iudæi exercere usuras, & cum ipsius sic, extendere licentiam exercendi usuram in Regno ad exercitium usuræ in alio esset contrauenire innumeris iuribus, quæ vetant extensionem legum, & dispositionem exorbitantium, corrigentium, & alterius iuri præiudicantium ad ea quæ sub verbis earum non includuntur. Tum quia, præsupposito, quod sine Papæ licentia cum summi Principis secularis facultate Iudæi possint exercere usuras in Regnis, quæ inhabitant, possent quidem exercere sine Papæ licentia speciali, non extendendo ad illa licentiam Papæ datam quoad suum regnum temporale; & ita quæstio etiam hoc casu esset superflua.

3 AD SECUNDAM respōdeo, meminisse me respondere ante aliquot annos cuidam magno Principi nō recognoscenti superiorem, ad quandam quæstionem ex cuius decisione facile potest colligi harum determinatio, & ideo me remitto ad illam, cuius tenor habetur in præcedente consilio, ex quo palam colligitur, Regem Catholicum in Dominio, Mediolani, a quo appellatur, posse nō iuste Iudæis in eo morantibus facere facultatem mutuandi sub usuris mediocribus sine vlla licentia Principis Ecclesiastici summi, neque inferioris; & consequenter non debere se retrahere, vel abstinere à danda præfata licentia, esto quod nullam Papa etiam in suis terris quoad iurisdictionem temporalem subiectis daret, nec dedisset illam. quia tamen extra casus propositionem monstratur consilium cuiusdam viri eruditissimi impressum, in quo affirmat multas facultates huiusmodi fuisse datas ante hac, quæ etiam nunc durant, à Principibus ecclesiasticis, indubie tenendum est, quod nunc respondemus, &c.

DE

DE HAERETICIS.

S V M M A R I V M.

- 1 Inquisitor hæresis super incestu procedere non tenetur .
- 2 Incestus etiam spiritualis non est hæresis , nec ei annexus .
- 2 Hæresis fidei Catholicæ , incestus pudicitie aduersatur .
- 3 Inquisitor de superstitionibus , vel alio crimine , nisi sapiat manifeste hæresim , non cognoscit , & seq.
- 3 Hæreticus non est faciens iure diuino prohibita , nisi credat illa licere .
- 5 Hæresis Inquisitor de incestu iure communi cognoscere nequit .
- 6 Confessor incestum cum filia spirituali admittens deponendus , & seq.
- 7 Inquisitores hæresis de nefarijs Monachi , vel Sacrati , vel etiam Laici geminatis nuptijs cognoscunt .
- 8 Iudicia leuia ad inquirendum contra aliquem de hæresi non sufficiunt .
- 8 Suspicio vna in vnum alicuius momenti , in alium nullius .
- 9 Iudicium ex sacrilegis confessorum testimonijs fundari nequit .
- 9 Confessionis reuelator deponendus , ne inde mala sequantur .

CONSILIVM I.

Vtrum Inquisitores Hæreticę prauitatis possint , & debeant cognoscere de crimine incestus , qui dicitur admissus à quodam Religioso cum duabus filijs suis spiritualibus , quas in confessione sacramentali audiuit .

Secundo , an possit fundari iudicium super depositione confessarij afferentis id audiuisse in sacra confessione .

- 1 **AD PRIMAM QVÆSTIONEM** respondeo primo , quod attempto solo iure communi non tenentur sub pœna peccati mortalis præfati Inquisitores cognoscere de eiusmodi prætenso incestu . Tum quia non possunt ipsi cognoscere , nisi de crimine hæreseos , & aliquibus alijs illi accessorijs , vt probatur per cap. accusatus . §. de quæstionibus . de Hæretic. lib. 6. & tradit Directorio Inquisitorum in 3. p. q. 45. cap. excommunicamus §. credentes , & §. adijcimus . de hæret. & cap. vt officium , eod. tit. lib. 6. & incestus prætenus non est crimen hæreseos , nec de accessorijs ei , quæ a Directorio exprimuntur . Tum quia crimen hæreseos est crimen contra virtutem fidei Catholicę Theologalem , per definitionem eius relatam a nobis post alios in Manual. nostro Confess. cap. 1 r. num.

- nu. 22. scilicet, quod est crimen fidei Catholicæ contrarium, cap. arrecta & cap. hæc est fides. 2. 3. q. 1. Crimen autem incestus est contrarium virtuti castitatis, & pudicitia, vt tradit Sanctus Thom. recep. 2. 2. q. 154. art. 9. Tum quia, si id, quod magis videtur inesse non inest, id quod minus videtur inesse non inerat, & contra, ca. cum in cunctis, de electio. & vt multo magis C. de sacros. Eccles. & tradit Bal. in l. conuenticula. C. de sacros. eccl. At peccatum superstitionis, & diuinationis proximius est peccato hereseos, quam incestus: quoniam est contra virtutem religionis, quæ est longe propior fidei catholice, quam castitas, vt colligitur ex Sancto Thom. 2. 2. q. 81. ar. 5. in quo definit eam non esse quidem virtutem Theologalem, esse tamen illi proximam, & art. 6. vbi definit eam esse moralium
- 3 maximam. Attamen de superstitionibus, & diuinationibus non possunt cognoscere predicti D. Inquisitores, nisi manifeste sapiant heresim, d. ca. accusatus. §. sane. ergo minus in predicto incestu, cum manifeste non sapiat heresim. Tum quia non sufficit ad hoc, vt Inquisitores cognoscant de si aliquo crimine, vt illud sit prohibitum iure naturali, vel diuino: quia etiam vsura est prohibita utroque illorum. Attamen de questionibus eius non cognoscunt Inquisitores, d. cap. accusatus. §. de incestu. nisi contra illos, qui dicant illam esse licitam; quia vsuram exercere non est heresim
- 4 admittere, licet credere vsuram licere sit tale, clem. 1. de vsuris. Tū quia etiam de blasphemia, quæ non sapit manifeste heresim, non possunt cognoscere, vt tradit idem Direct. recep. ab omnibus in 2. p. q. 41. nisi cum implicat contradictionem alicuius articuli fidei. Et constat blasphemiam, & iniuriam Deo, & Diuis factam esse proximior heresi, quam eiusmodi peccatum incestus. Tum quia conclusio receptissima est de nullo crimine, quod non sit heresis vel manifeste, non sapiat heresim, non posse cognoscere Inquisitorem, vt tradit Old. conf. 210. adeo quidem, vt gloss. recep. per Ioann. Andr. Domin. Franc. & alios, habet in predicto §. sane; quod ad hoc vt inquisitores cognoscant de tali crimine non sufficit, vt dubitetur an sapiat heresim, sed requiritur, vt manifeste sapiat; ita quod licet regulariter Iudex cognoscat an sua sit iurisdictio, cum dubitatur de illo; Inquisitor tamen non potest cognoscere, an pertineat ad ipsum iurisdictio, cum solum dubitatur; sed oportet quod manifeste sapiat heresim.
- 4 Secundo, respondeo, quod attento solo iure communi peccarunt mortaliter mea sententia assumendo illam; quia vsurpant alienam iurisditionem, quod mortale peccatum est, iuxta l. fin. ff. iurisdict. omnium iudicum, & tradit S. Thom. recep. in 2. 2. q. 60. ar. 6.

Tertio, quod ideo dixi supra, attento solo iure communi; quoniam attento aliquo priuilegio, vel consuetudine aliqua legitime approbata, possent cognoscere; quia summus Pontifex pro sua summa potestate potest eis addere iurisditionem quam non habent, & imminuere habitam, cap. cuncta,

cuncta. per mundum. 9. q. 3. & cap. proposuit. de concess. preben.

6 Quarto, quòd non obstat id quod innuit Episcopus Pacensis in lib. de Cathol. Instit. tit. 40. de matrim. nu. 15. Inquisitores posse cognoscere de incestu, quem admittit sacerdos confessarius cum pœnitente sibi confessa: quia non est verum quod ille hoc ait; sed tantum incidenter ait huiusmodi sacerdotem debere deponi; & magna pœna puniri per cap. omnis. & cap. si sacerdos. 30. q. 1. quod est intelligendum per ordinarium, & non per Inquisitores. Tum quia prædicta cap. quæ allegat non loquuntur de Inquisitoribus; sed de ordinario. Tum quia illud parergon induxit ad disputationem latissimè, alterum parergo de nullitate matr. inter Christianum & Hæreticum contracti; vbi tenuit contra communem sententiam omnium, sed nullibi hætenus est receptus.

7 Quinto, quòd etiam non obstat quod ipsemet Pacensis tenuit in Enchiridio violatæ Religionis titu. de nefariis nuptiis. dum ait Inquisitores cognoscere posse de nefariis nuptiis monachi, & clerici sacro ordine insigniti; quia loquitur de crimine incestus matrimonij contracti per monachum, vel aliquem sacro ordine insignitum, & non de monacho, vel sacerdote committente solum incestum, sine matrimonio, quod longe maius & scandalizantius crimen est, quàm simplex incestus, admissus sine matrimonio, & proximius ad implicandam manifestam hæresim propter irreuerentiam, quæ fit Sacramento Ordinis, & sacro Monachatu, & Sacramento Matrimonij, quæ interuenit in eiusmodi nuptijs, quam illa quæ interuenit in incestu simplici absque matrimonio admissio.

8 Sexto, quòd non obstat etiam id quod Domini, post lapsum asserit in d. cap. accusatus. §. sanè. & Francus. in princ. eiusdem. cap. scilicet contra eum, qui ducit uxorem secundum uiuente priore posse procedere Inquisitores, quod etiam asserit Io. Lupus in repet. cap. per nostras. §. 18. de donatio. ut vir, & vxor. & Couarru. 2. p. cap. 7. §. 3. nu. 6. quia loquuntur de contrahente bis matrimonium, vtraque uiuente, per quod præsumitur male sentire de Sacramento sacri matrimonij de quo, tanquam de præsumpta hæresi contra Sacramentum admissa cognoscunt Inquisitores per cap. ad abolendum. de hæret. quod non contingit in crimine simplicis incestus sine matrimonio admissi. Vnde eruditissimus, idemque Christianissimus Episcopus Bernar. Diez in Praxi criminali can. cap. 76. asseruit, quod sacerdos, qui cum filia spiritali fornicatur, debet deponi, & alias pœnas subire per cap. omnes. & cap. si quis sacerdos. 30. q. 1. non tamen ait Inquisitores posse cognoscere de illo crimine, sed punishmentem relinquat ordinarijs, de quibus sunt intelligenda iura per eum citata.

8 Septimo, quòd DD. Inquisitores ponderare debebant, id quod in Hispania uidimus ponderatum, & est relatum à prædicto Pacensi in prædicto Enchir. tit. de suspicio. non esse audiendos Iurisperitos, qui docent ex leuibus indicijs, & signis plenè probatis posse quemcunque iustè uocari

ab Inquisitoribus ad interrogandum eum super hæresi, de qua est suspicio, quia ex tali uocatione magnum, & acerbum præiudicium fit uiro graui sic vocato: sed quod circumstantiæ personæ, qualitatis, finis, & aliarum sunt multum ponderandæ; cum frequenter contingat unam suspensionem quæ contra unum alicuius momenti esset, contra alium esse nullius &c. Quare cum persona, cuius nomine (vt suspicor) tacite interrogor, sit tam primaria nobilitate generis, & religionis, & tanta prudentia, modestia, iustitia, & bono vitæ odore, ac exemplo, vt audio, insignis, non solum essent flocci pendendæ eiusmodi leues suspensiones, si non essent satis probatæ, sed etiam minuendæ, & leniendæ: quamuis aliquantulum dici possent probatæ. Salua prædictorum DD. meorum, qui totius orbis Christi sunt censores, sententia. Cui me omniaque mea libenter subijcio.

- 9 AD SECVNDAM, Respondeo id quod alias interrogatus respondi, non posse iuste vllos iudices fundare suum iudicium principaliter, nec incidenter in sacrilegis, & scandalosissimis testimonijs sacerdotum confessoriorum præstitis super eis, quæ solum norunt per confessiones sacramentales, & tanto minus, quanto maiores sunt iudices id fundaturi, sed potius debere illos sacrilegos deponere, & acerbissimè punire; ne populus incipiat sibi persuaderi, quod maleuolorum machinationibus, & superiorum dispensationibus, uel relaxationibus, aperiatur aliqua uia, qua confessa secreta contra diuinum, & indispensablem Domini Nostri Iesu Christi præceptum reuelentur, & sibi dissuadeat necessitatem consistendi, quam maledictus Lutherus suis miseris discipulis dissuasit. Quem ad eò alicubi vt audio pertinaciter sequuntur noue ad fidem conuersi, vt pauci sint, qui graua crimina sacerdoti confiteantur; ita, ut aliquot parochi eruditi dixerint nullos in suis parochijs peccare graua mortaliter, quia nulli parochiani eis confitebantur talia: quod ne infinita Dei bonitate contingat, supplicissimè omnes oremus. Amen.

S V M M A R I V M.

- 1 *Abiuratio hæresis propria, & impropria, & earum diuersi effectus.*
- 2 *Fautor hæreticorum duplex, vnus est hæreticus, & alter de hæresi suspectus.*
- 3 *Sententia declarans honoribus, & gradibus priuatum, habet duplicem sensum. Priuans & priuatum declarans.*
- 3 *Renuntiatio beneficij ante priuationem facta est valida. Secus, si ante declarationem.*
- 4 *Bulla Pij V. lata in fautores hæreticorum, an extendatur ad adiuantem, an vero ad credentes.*

CON-

CONSILIVM II.

A. Inquisitus beneficium suum in fauorem certæ personæ renuntiavit, & postea tanquam fautor hæreticorum per sententiam condemnatus abiurauit, & Inquisitores eum declararunt priuatum honoribus, dignitatibus, & beneficiis, & de illis insuper eum priuarunt. Quæritur, an renuntiatio beneficij sit valida?

1. Quæ sit in hac re mea sententia, dico primo, quod abiuratio propriè dicta, per quam quis recedit ab hæresi, & accedit ad Sanctam fidem Catholicam, à qua recesserat, probat abiurantem verum fuisse hæreticum, & est maioris virtutis, quam abiuratio impropriè dicta, qua negat quis se fuisse hæreticum, sed purgat se præsumptione qua laborauit, de qua in c. accusatus in princ. de hæret. lib. 6.

2. Secundo, quod magna differentia est inter fautorem credendo, & inter fautorem alio modo cibando, potando, & aliis modis, qui fieri possunt & quotidie fiunt ab hæreticis nunc in Gallijs, Flådria, & alibi. Ille. n. est uerè hæreticus, hic autem regulariter solum suspectus; ita ut purgatione mundetur; licet alius sit leuiter suspectus, & alius vehementer suspectus: quamuis enim sit vehementer, & vehementissimè suspectus, non tamen est iudicandus hæreticus, iuxta cap. literas de præsumptione, & d. c. accusatus.

3. Tertio, quod nunc ostenditur sententia iudicum, qua fuit prædictus A. condemnatus cum abiuratione quam fecit ipse, quæ dant magnam lucem decisioni huius causæ, siquidem constat per eas non fuisse declaratum hæreticum, neque credentem hæreticis, neque fautorem eorum credendi: adeo quod in forma suæ purgationis acceptatæ ab Inquisitoribus negat se vnquam credidisse contraria fidei catholicæ, neque credere, & promittit nunquam se crediturum. Tenor autem sententiæ habet, quod per eam declarauerunt Inquisitores prædictum Alexandrum esse priuatum honoribus, gradibus, dignitatibus, officijs, & beneficijs, insuper & de illis eum priuant. quæ clausula potest habere duos intellectus. Alter est, quod declaratur, ob prædicta, per quæ in uehementem suspicionem hæreseos incidit, fuisse priuatum ipso iure ante sententiã; quia declaratio nihil noui inducit, sed solum palam facit quod erat obscurum l. heredes palam. post prin. ff. de testam. & secundum hunc intellectum prædicta sententia multum læderet prædictum A. nisi opponatur exceptio rei inter alios actæ. Alter intellectus est, quod per illam sententiã priuatur beneficijs, & declaratur priuatus, & secundum hunc intellectum parum nocet ei: quia renuntiatio beneficij præcessit illam sententiã, à qua incepit prædicta priuatio. sed quia non satis noui stylum suspiciendissimum Inquisitionis vniuersalis, eiusdemque Illustrissimorum Cardinalium

nalium, & præfectorum eorum Dominationibus interpretationem remitto, iuxta illud l. fin. C. de legibus, eius est interpretari, cuius est condere, admoneo tamen quod bulla Pij V. de re hac edita videtur extendere iura punientia fautores, credendo ad aliquos fautores expressos in ea impediētes directè, vel indirectè officium Inquisitionis, vel eius executionis prædictæ Illustrissimorum Cardinalium non uidetur exprimi saltem clare aliquis modus in illa bulla contentorum, & ita sententia prædicta, licet aliquibus uideri possit extendi ad aliquot fautores aliter quam credendo alijs tamen uideri posset non extendi. Quare interpretationem illorum sententiæ remitto etiam quoad hoc, ut antea remisi, quo ad aliorum eorum emunctissimæ & canissimæ intelligentiæ, eo quod non sim in eorum stylo discernendo satis versatus.

S V M M A R I V M.

1. *Libros damnatos sine licentia tenens, & legens Bulla Curæ excommunicatur.*
2. *Hæreticum se publice simulans in utroque foro fit irregularis. & 3.*

C O N S I L I V M III.

Quæritur primo, an Scholares, alijsque Catholici in uniuersitatibus, aut alijs in locis in Anglia cū hæreticis degentes, qui propter hæresim grassantem per multos annos ibidem hæreticorum profana Sacramenta frequentarunt, libros damnatos legerunt, conciones blasphemias audierunt, &c. Ac insuper cum essent ad aliquam dignitatem, aut artium gradus promouendi publice in uniuersitate coram Vicecancellario, alijsque de more facultatis artium magistris, semel, atque iterum, licet non ex animo, falso tamen, & simulatorie iurarunt Reginam illam esse illius Regni, & omnium ditionum sibi subiectorum summum caput, & gubernatricem in omni causa, & iurisdictione non tantum ciuili, sed etiam Ecclesiastica, per quod graue peritium assertorium admiserunt.

An inquam tales iuuenes, vel quicumque alij per hunc publicum actum, vel hæc publica, & notoria crimina redderentur irregulares, aut quouismodo inhabiles ad ordines sine dispensatione suscipiendos, etiam post pœnitentiam?

Secundo quæritur de iisdem corde Catholicis, qui propter mandatū impij cuiusdam pseudoepiscopi Commissarij Regij, aut hæretici cum tyrannica authoritate constituti frangunt calices, patenas, cruces, aliaque uasa, & ornamenta sacra, quæ in ecclesijs suis habuerunt, sed tamē absque

animo

animo hæresi deprauato, sed partim timore, partim ignorantia criminis, & rerum, ac exemplo ætate prouectiorum inducti. Hoc autem faciunt coram multis publice, & satis notorie, cum uerbis forte quasi contestantibus se illud ex animo facere, quod ritus, & usus uasorum ornamentorum que existimarent, vel superstitiosos, vel alios malos, & contra Dei honorem, uel sine talibus uerbis? Ratio istorum dubiorum est, quia Dominatio tua in Manuali confes. cap. 25. num. 73. & 77. & 148. dicit eum esse irregularem, qui notorio aliquo crimine enormi, & depositione digno, notatur. Cuius generis videntur esse suprædicta crimina, nisi fortè à tam graui censura, atque pœna aliquouſque excusare posset metus legum, iuuenilis ætas, & quod talia eo loco, & in illis regionibus non habeantur pro criminibus infamibus, ubi constringuntur per magistratus, pseudoEpiscopos, Commissarios, vel visitatores, qui uolunt ipsos coram se talia facere, ut de ipsis aliquam coniecturam faciant, quales futuri sunt, aut etiam nunc sint, suæ ne partis, an catholicorum. Ideoque nec multum ibi notantur, aut diffamantur, qui hæc faciunt: quia commune iugum seruitutis est adigi per ipsos tyrannos ad aliquod inconueniens extrinsecus committendum.

1 Responſurus ad primam quæſtionem admoneo primum, quòd aliqui horum de quibus illa quærit, sunt uere & quo ad utrumque forum excommunicati; illi nempe qui libros damnatos legerunt, & tenuerunt sine facultate Pape, quia §. 1. Bullæ Cœnæ excommunicat eos, qui tales libros legunt, & tenent, & aliqui de quibus quæritur uerè coram Deo, & hominibus legerunt, & tenuerunt eos; & ita hi in utroque foro indigent absolutione.

2 Secundo respondeo, quod alij, qui fictè, & non ex animo dixerunt, uel fecerunt aliqua, ut haberentur pro hæreticis, licet uere non essent, indigent absolutione, & dispensatione, & facultate retinendi beneficia, quo ad forum exterius, & contentiosum: quia quo ad illud iudicandi sunt hæretici, excommunicati, irregulares, & ad beneficia inhabiles eo modo, quo alias, ad aliam quæſtionem nobis propositam respondimus.

Tertio, quod alij, qui prædicto ficto animo prædicta grauia fecerunt, proculdubio indigent quo ad forum exterius prædictis absolutione, & dispensatione, & facultate, ac si uero animo illa egiſſent: Quia quo ad illud forum pro talibus habebuntur.

Quarto, quod etiam indigent dispensatione ab irregularitate, quæ ex notorio crimine nascitur eo modo, quo dicam ad secundam quæſtionem.

3 AD SECUNDAM, respondeo primo, prædictos corde Catholicos, sed uerbis, & operibus prædictis se simulantes notorios hæreticos, uel Schismaticos incurere illam irregularitatem, quæ nascitur ex crimine notorio depositione digno quo ad forum contentiosum: quia quo ad illud diiudicandi sunt hæretici notorij ar. l. Labeo. §. id tulero. ff. de sup. leg.

c. humanę aures. 22. q. 5. Secūdo, quod etiam quo ad forum interius incurrunt prædictam irregularitatem; quia licet vere, & quo ad illud forū non fuerint heretici, admiserunt tamen grauissima peccata notoria, p̄offendo se hereticos, cum tenerentur confiteri se Catholicos, etiam si oportuisset eos ob id mori, iuxta tradit. per utrumque Thomam 2. 2. q. 3. art. 2. Salua quę iustior fuerit sententia.

S V M M A R I V M.

- 1 *Sepeliens scienter hæreticum excommunicationem non reseruatam incurrit. & 5.*
- 1 *Scientia ex fama sufficit, vt quis abstineat a prohibitis.*
- 2 *Scire est veritatem aliquo sensu perceptam mente retinere.*
- 3 *Denuntiare non tenetur quis, quod probare nequit.*
- 4 *Fama non ex quolibet rumore, sed ex eo quod maior pars populi scit producitur.*
- 5 *Præsumptio dolum, & malitiam præsupponit.*
- 5 *Lex excommunicans facientes regulariter consulentes non includit.*

C O N S I L I V M IIII.

AN sepeliens aliquem suspectum de hæresi per famam in loco sacro, sit excommunicatus.

1 Respondeo primo, quòd ad hoc, vt sepeliens hæreticum sit excommunicatus, oportet quod sciat illum esse hæreticum, c. quicumque de hæret. lib. 6. facit clem. 1. de sepult.

Secundo, quod decisio huius quæstionis pendet à decisione illius, an fama sufficiat ad hoc, vt quis dicatur scire id, de quo est fama? & videtur textus pro parte affirmatiua singulariss. c. illud de cler. excommuni. minist. quatenus habet, debere se pro excommunicato reputare, qui per famam nouit illud; & pro eadem parte est textus in c. cum desideres, de sententia excom. quatenus habet, debere quem abstinere a communicatione illius, quem fama publicat esse. excommunicatum faciunt & quædam alia, quæ allegat quædam additio Panor. in c. cum contingat. de rescript. ad probandū, sufficere famam ad hoc, vt quis teneatur abstinere ab aliqua re prohibita.

2 Pro parte autem negante facit primo, quod proprie non dicitur quis scire, quod per solam famam nouit: quia scire est veritatem visu perceptam in mente retinere, gloss. mihi sing. in l. 2. §. ante penul. ff. de aqua pluuiæ arcend. per visum autem in hoc proposito intelligendus omnis sensus.

fus, quod sensit Bart. allegando illam glos. in l. 2. col. 2. ff. de interro. action. ab omnib. recep. & tradimus nos latius in c. si quis autem num. 14. de pœnitent. dist. 7.

- 3 Secundo, quod non dicitur quis scire, quod nō potest probare ad hoc, quod teneatur denuntiare illud propter edictum superioris iubentis denuntiare, neque testificari de illo, quod non audiuit a persona, quæ diceret se scire: sed solum audiuit dici illud leuiter, vel a leuibus personis, & paucis, vt nos latius tradimus in repetitione c. inter verba conclusio. 6. nu. 290. & seq. & præfatus D. Consulens forte audiuit leuiter, vel a leuibus, & non certo scientibus præfatum esse hæreticum.
- 4 Tertio, quod non quilibet rumor suspiciantū, vel dicentium aliquem esse hæreticum, producit famam: sed requiritur, quod maior pars populi, vel vniuersitatis, vbi dicitur esse fama, sciat illud, vt docet Bart. communiter recep. in l. de minore. §. tormenta. ff. de quæstio. q. 3. & ex propositione huius quæstionis non colligitur, quod erat fama sufficiens ad credendum illum esse hæreticum: sed solum ad concipiendā aliquam suspicionem, propter quam non posset quis dici scire illum esse hæreticum ad negandum illi sepulturam.
- 5 Quarto etiam ponderari potest, quod c. præfa. quicumque excommunicans sepelientem non excommunicat simpliciter illud facientem, sed præsumentem sepelire: & ita præsupponit dolum, & malitiam per dictū singul. Car. communiter recep. in Clem. 1. q. 39. de priuileg. & præfatus Dominus D. Consulens non videtur fecisse hoc dolo, sed propter aliam causam: quia non erat certus, quod esset hæreticus. Adde quod præd. c. loquitur de sepeliere, & quod consulens non sepeliuit, sed solum permisit, id est nō obuiauit: & ita nō videtur incurrisse excoicationem, eo quod constitutio excommunicans, facientem non videtur excommunicare consulentem, nec mandantem, iuxta gloss. clem. 1. de consang. & dicimus nos post Caiet. in Manu. Confess. c. 27. n. 51. Per quæ omnia multum inclino in opinionem, quod præfatus D. Consulens non est excommunicatus. & veritas colligi potest ex his, quæ dicta sunt, & ex alijs circumstantiis facti, quæ in quæstione non exprimuntur.

Quinto dico, quod excommunicatio hæc non est reseruata Papæ per Bullam Cænæ, neque per alia iura: sicut excommunicatio incurfa propter hæresim: quia præfa. c. quicumque nec aliud ius reseruatur.

S V M M A R I V M .

1 Abiurare est recedere ab aliqua re cum iuramento de non redeundo ad illam.

- 2 *Confessus, vel conuictus de hæresi sit inhabilis, & perdit omnia sua.*
- 3 *Purgatio canonica est de obiecto crimine innocentia ostenso.*
- 3 *Abiuratio etiam de vehementi est quadam purgatio canonica.*
- 4 *Absolutus de hæresi per abiurationem habetur pro innocente.*
- 5 *Absolutus per abiurationem etiam de vehementi non manet inhabilis.*
- 6 *Abiuratio duplex, altera qua quis pœnitet hæreseos incurse, altera qua se purgat.*

C O N S I L I U M V.

TItius religiosus vixit per multos annos in sua religione, & fuit semper habitus apud omnes vir probatissimæ vitæ, vnde fuit multoties Abbas, & Visitator, & tandem Generalis suæ religionis. Annis elapsis fuit denunciatus apud Sanctum Officium, quod in iuuentute sua legerit quendam librum suspectum. Post multa obiuravit de leui suspitione. Nunc quæratur, an de iure communi hæc abiuratio de leui reddat eum inhabilem ad gradus, & dignitates suæ religionis?

- 1 Pro parte negante huius quæstionis, nempe quod non possit eligi, facit primo, quod quidquid dicat turba scribentium de abiuratione, veritas est, quod proprie abiurare, secundum significationem, qua canones ea vtuntur, est recedere ab aliqua re cum iuramento de non redeundo ad illam, & sic sumitur in cap. accepta, & in cap. audita. de rest. spoliator. & cap. super hoc. de renun. & in cap. ad abolendam. de hæretic. & in c. inter. de purgat. canon. Nec arbitror esse vllum textum in volumine Decretalium, in quo verbum hoc aliter accipiatur: quamuis in cap. accusatus. de hæretic. lib. 6. videatur accipi pro negante cum iuramento, & detestante hæresim. & consequenter abiuratio hæresim proprie est recessio ab hæresi cum iuramento de non redeundo ad illam. Nec obstat cap. litteras. de præsumpt. quia ibi non fuit iustum, vt is, contra quem habebatur vehemens suspicio de hæresi, abiuraret hæresim, sed tantum, vt se purgaret de illa. Neque etiam obstat dict. cap. inter. de purgat. canonic. in cuius casu videtur præceptum fuisse illi, qui erat tantum suspectus de hæresi, & non confessus, neque conuictus abiurare illam, quia non fuit iussus abiurare hæresim, sed conuersionem hæreticorum, quam prius habuerat, & ob quam erat suspectus. At D. Consulens abiuravit hæresim: ergo confessus fuit illam, vel conuictus de illa. Igitur non potest obtinere vllum beneficium, nec publicum officium, ca. 2. §. hæretici. de hæretic. lib. 6. neque habere aliqua bona, inmo perdit ipso iure omnia iura, & bona, cap. vergentis. de hæretic. & cap. cum secundum. eod. tit. per quæ id affirmat Fel. in cap. cum non liceat. Secundo, quod non prodest dicere D. Consulenti, quod abiuravit: quoniam licet per abiurationem excusetur, ne tradetur potestati sæculari puniendus, non tamen
- 2

tamen mundatur ab inhabilitate, qua factus fuit inhabilis ad beneficia, & officia per hæresim abiuratum: quia illa non tollitur per pœnitentiam per iura supra citata. & scribit latius Fel. in cap. eam te. de rescript. nu. 1. vers. infidelitas. Vbi regulam illam, quod infidelitas præcedens non nocet conuerso ad obtinenda beneficia, limitat non procedere in hæresi, seu hæretico conuerso. Tertio, quod etiam abiurans de leui dicitur abiurare hæresim, cap. accusatus in principio de hæretic. lib. 6. ergo etiam abiuratio de leui præsupponit incursum fuisse hæresim. Quarto, quod abiuranti hæresim solet frequenter imponi pœna suspensionis, vt probat præfatum, cap. inter. de purgat. canonic. Et fieri potest, vt præfato D. Consulenti fuerit imposita pœna suspensionis, cum abiurauit de leui.

- 3 His tamen non obstantibus, quæ vere non obstant contrarium est dicendum. Primo quidem quod purgatio canonica, per quam quis de hæresi, vel alio crimine se purgat, est secundum Raymond. & Gofredum, & alios communiter de obiecto crimine innocentiam ostensio, & probatur ex cap. ex tuarum. & cap. inter. de purgat. cano. & cap. ad abolendam §. qui vero. de hæretic. Itaque purgare se de crimine est per iuramentum, vel per aliquid a iudice decretum ostendere innocentem. Et qui se canonicè purgauit, iuxta formam sibi præscriptam absoluitur, & habetur pro innocente, & pro tali, qui non commisit crimen, cuius fuit accusatus.

Secundo, quod abiuratio de leui, immo & de vehementi, est quædam purgatio canonica, vt colligitur ex cap. accusatus, in principio de hæretic. lib. 6. Et per consequens absolutus per abiurationem de leui est habendus pro tali, qui non commisit crimen, cuius fuit accusatus, & consequenter pro tali, cui non nocet crimen sibi impositum, nec per consequens vlla inhabilitas, quæ ex eo nasci possit.

- 4 Tertio, quod purgati se per abiurationem, etiam ob tam grandem suspicionem, propter quam fuit indicta ei purgatio cum decima quarta manu sui ordinis debet restitui beneficium, & est casus singularis in præcitato cap. inter de purgat. cano. & non alia ratione, quam quia absolutus de crimine sibi obiecto, & per abiurationem habetur pro innocente, & digno beneficio, quo erat dignus antequam accusaretur.

- 5 Quarto, quod nullus est textus, neque glossa, neque doctor, qui dicat, quod absolutus per abiurationem de leui, immo neque per abiurationem de vehementi, maneat inhabilis ad aliquid, ad quod ante accusationem fuit habilis, nisi iudex, qui indixit abiurationem, vel purgationem, impositus illi aliquam pœnam pœnitentialem propter ea, quæ fecit, vel dixit, ex quibus orta fuit contra illum suspicio, quod sola illa ratione dicere omiserunt, quia contrarium erat clarum, cum absolutus a crimine habeatur pro innocente, argu. cap. in his. de accusationib. cum ei adnotatis. At. D. Consulenti non fuit adiecta vna pœnitentia pœnalis, per quæ remaneret inhabilis. Ergo potest eligi, perinde, ac si nunquam fuisset accusatus.

6 Quinto, quod duplex est abiuratio, secundum omnes. Altera, quam cogitur facere hæreticus pœnitens hæreses a se admiffę iam confessę, vel probatę, vt misericordiam consequatur, & ne ad mortem tradatur, iuxta cap. prim. 1. quęst. 7. & cap. Ego Berengarius. de consecrat. dist. 2. & cap. ad abolendam. §. præfenti. de heret. Altera, qua suspectus de heresi se purgat, & monstrat innocentem, iuxta formam a iudice decretam, de qua in dict. c. ad abolendã. §. qui vero, & c. accusatus, in prin. eod. tit. lib. 6. Per quam non receditur ab heresi incurfa, nec ponitur vlla pœnitentia de heresi, quę non fuit confessã, neque probata: sed solum fit ostensio innocentię contra suspicionem aliquo modo ortam. Etsi qua pœna pœnitentialis imponitur, & non infligitur ob heresim, quę non fuit probata, neque confessã, sed ob ea, quę minus bene fecit, vel dixit, ex quibus illa suspicio processit. Et, vt certum est, quod priore modo abiurans remanet inhabilis ad beneficia, & officia, donec fiat habilis, per adducta in oppositum, quia constat fuisse hereticum: ita certissimum est, quod per hunc posteriorem nulla talis inhabilitas incurritur, cum nulla heresis sit confessã, vel probata, immo per abiurationem est omnis suspicio sublata, & declaratur esse fidelis, & catholicus.

Non obstant supra in oppositum adducta: quia solum sibi vindicant locum in hæretico confessio, vel conuicto de heresi, qui abiurat, vt pœnitens recedendo ab heresi iam incurfa confessã, vel probata; nostra vero responsio habet locum in eo, qui abiurat purgando se a suspicionem hæreses contra eum aliquo modo suborta; qui nullatenus confitetur illam incurrisse, nec de ea conuincitur: immo id omnino negat, & ad innocentiam suam probandam præstat purgationem canonicam per abiurationem, iuxta formam a iudice decretam. Salua, quę iustior fuerit, sententia.

S V M M A R I V M.

- I *Abiuratio hæresis quid propria, & quid impropria, illa inhabilitat, hæc non.*
- I *Bulla Pij V. beneficiorum ob heresim vacantium resignationes annullans.*

C O N S I L I V M VI.

AN bulla Pij V. quę annullat resignationes beneficiorum vacantium ob heresim, habeat locum in beneficio eius, qui abiurauit heresim.

- I Respondeo primo, quod nimis generaliter quęritur ad hoc, vt hypothetice possit ei responderi. abiuratio enim, vt in proxime præcedenti re-

ti responfo dicimus, quicquid turba Doctorum inuoluat, propria, de qua iura omnia loquuntur in Decreto, & Decretalib. est recessio ab heresi cum iuramento de non redeundo ad eam. per quam qui abiurat confitetur se in eam incidisse: quamuis in cap. accusatus, de heret. lib. 6. in principio. ponatur pro negatione, qua inquisitus cum iuramento se purgat, negando se in illam incidisse, & detestatur eam, & promittit se nunquam illam incursum: & ita per hanc abiurationem non probatur inquisitum vnquam fuisse hereticum, nec fautorem eorundem credentem: per priorem autem propriam sic.

Secundo, quod qui abiurauit secundum posteriorem acceptionem, non desinit esse idoneus beneficio, & potest eligi, vt nos vbi supra respondimus. qui autem abiurauit priore modo, quia confitetur se fuisse hereticum, est inhabilis beneficio habendo, & priuatus ipso iure habito, per cap. 2. de heret. lib. & cap. cum secundum eod. tit.

Tertio, credere me præfatam bullam fel. recor. Pij V. non esse intelligendam, ita vt comprehendat beneficia eius, qui abiurauit hæresim per viam purgationis, de quo loquitur præfatum ca. accusatus. quin etiã puto, eum, qui possidet beneficium, posse allegare se non teneri ad standum confessioni, & abiurationi, nec sententiæ contra eum latæ, quia res inter alios acta, &c. tit. C. res inter alios &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Hereticus ante baptismum nemo esse potest, nec excommunicari.*
- 2 *Iudei, & Pagani in quibus Ecclesiæ subijciuntur. & 4.*
- 3 *Iudeus, qui cum conuersis conuersatur, publice cadendus.*
- 4 *Iudex ad vnum contra impediendum processum eius procedit.*
- 5 *Iudex ecclesiasticus quando infidelem punire potest, & quando laicus.*
- 6 *Inquisitor hæreseos punire potest Iudeos conuersorum peruersionem procurantes.*
- 7 *Iudei non vt hereticorum complices, sed vt eorum fautores puniri possunt.*

CONSILIVM VII.

Quidam hæreticus rediens ad cor petijt absolutionem ab excommunicatione Bullæ Cœnæ. Quæritur an debeat absolui non manifestatis Iudeis, qui ei Iudaismum peruaferunt.

I Pro parte affirmante facit primo, quod Iudei non possunt esse complices hæreseos, quia non sunt baptizati, & nemo ante baptismum potest esse hæreticus, vt post alios tradimus in Manuali nostro Confess. c.

27. nu. 13. Secundo, q̄ Iudēi, Mahometani, & Pagani non subijciuntur Ecclesiæ, iuxta illud Apostoli, *De his qui foris sunt nihil ad nos*, relatum in cap. gaudemus. de diuort. & consequenter videntur non posse puniri ab Ecclesia. Tertio, quod Decretales, quibus statuitur punitio Iudæorum non excommunicant eos directe, sed solum indirecte, prohibendo Christianis communicare illis, cap. post miserabilem. de vsur. & cap. ad hęc cap. postulasti. & cap. et si Iudæos. de Iudę.

- 2 Pro parte vero affirmante facit primo cap. s̄ape. 28. q. 1. quo iubetur publice cędi Iudæus, qui cum conuersis ex eis, & baptizatis conuersatur. Secundo, quod qui Iudex est ad vnum potest procedere contra impedientem processum eius quoad illud, cap. 1. de offic. delegat. ergo Ecclesia, quæ habet iurisdictionem ad defendendam fidem, poterit procedere contra turbantes illam. Tertio, quod quæstio illa, an Iudex ecclesiasticus possit punire Iudæum, & infidelem? solet sic resolui, quod solum potest in criminibus mere ecclesiasticis, in mere vero laicis non. in criminibus autem misti fori potest per præuentionem, vt resoluitur in c. cum sit generale, de foro compet. & per Fel. in cap. postulasti de Iudæ. Quarto, quod Oldrad. conf. 36. infra scripti articuli, respondit, quod Inquisitor hæreticæ prauitatis potest castigare Iudæos procurantes peruersionem conuersorum ad fidem, pro quo est casus in cap. contra Christianos de hæreticis, lib. 6. quod habet, Inquisitorem non solum posse procedere contra Christianos, qui cum essent infantes, vel pueri baptizati fuerunt, & postea redeunt ad infidelitatem parentum, sed etiam contra fautores, & receptores eorum. Per quæ pars hęc posterior videatur verior, & consequenter manifestationem Iudæorum, qui peruerterunt præfatum, videri necessariam quo absoluantur, quia puniri possunt ab Inquisitore.
- 4 Non obstant opposita: ad primum enim responderetur, concedendo quidem non posse Iudęos esse complices hæreticos, ad hoc, vt dicantur hæretici, sed sic quoad hoc, vt dicantur fautores hæreticorum contra leges ecclesię Christianæ. quod sufficit ad hoc, vt puniri possint ab ea per prædicta. Ad secundum concedendo quidem Iudęos, & Paganos non subijci ecclesię quoad obseruantiam legum eius contrariarum suę legis veteris, negando tamen quod non sint subiecti ei, quoad alias leges, e quibus vna est, ne retrahant hanc Christianos ab obseruãtia legũ suarum per prædicta. Ad tertium, concedendo quidem ecclesiam non posse excommunicare Iudæos directe: negando tamen quod non possit eos alij pœnis punire, cum peccant peccata fori ecclesiastici, vel misti, præueniendo iudicium seculare per eadem prædicta. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Libros hæreticorum tenens , & legens excommunicatus , non vt hæreticus.*
- 2 *Confessio , & absolutio excommunicati se talem ignorantis valent .*
- 3 *Prodere se ipsum , etiam in causa hæresis , nemo tenetur .*
- 3 *Denuntiare hæreticum seipsum prodendo obligatur nemo .*
- 4 *Inquisitorum edicta ad omnes denuntiandum obligant .*
- 4 *Confiteri crimen proprium tenetur interrogatus legitime a suo iudice .*
- 4 *Denuntiare hæreticos se non prodendo sic potest , qui ab eis libros emit .*
- 5 *Denuntiatio , quam nullus sequeretur effectus , non est expectanda .*

C O N S I L I V M V I I I .

E St pœnitens , qui ab anno Domini 1548. vsque ad annum 1554. à sua discedens patria multas Italiæ Prouincias (iustorum tamen occasione negotiorum) lustrauit , & accidit sæpius cum hæreticis conuersari , & verba blasphemiasque hæreticales audire ; perseuerans tamen in perfecta fide , sed eorum libros quadam ductus curiositate , & sciendi auuiditate libenter legit . Primo ab vno librum Considerationũ Valdesij emit , & non longi temporis intervallo ipse vendens ab Inquisitore illius ciuitatis detentus publice abiurare est coactus , sed post condemnationem in sua falsa perseuerabat opinione : non enim reuelauit , quibus vendiderat libros , & pœnitebat eum abiurasse : Ab alio autem , qui & cum hoc condemnatus fuerat , (erant enim ij socij erroris) & deinde etiam relapsus emit postea librum Prædicationum sub nomine fratris Thomæ de Senis , dicebatur autem esse Occhini . Insuper ab alijs in alia prouincia vltro offerente aliũ Occhini librũ mutuo accepit , legit , restituitque . Deinde aliàs discessurus quidam ab vna ciuitate ad aliquot dies dimisit eidem exponenti librum fratris Iulij de Mediolano conseruandum , & alius simili de causa alias dimisit postillas Martini Lutheri , conseruauit , legit , demum requirẽtibus restituit , nihil inde mali hauriens , sed potius eorum doctrinam derestãs ; non enim tanti facienda esse , quanti ab illis prædicabatur , iudicauit . Anno deinde 1554. vel circa , propriam domum reuersus negotijs expletis vera pœnitentia ductus libros , quos emerat , igni tradidit comburendos , & cuiusdam tubilæi , atque Bullarum diuersarum Summi Pontificis auctoritate sæpius generalem suorum peccatorum confessionem faciens ab solutionis beneficium est consequutus , & licet eisdem litteris contineretur expresse , ne absoluerentur legentes & tenentes libros prohibitos , ipse absoluebatur , quia confessarijs persuadebat debere absolui , ex eo , quia

non

non legebat, neque detinebat, licet legerit, & detinuerit. Et quia eius in patria excōmunicatio singulis fere annis innouatur contra hæreticos nõ-reuelantes, iugi conscientie stimulo premebatur, cogitans, forte illas absolutiones fuisse inefficaces, si ad reuelandum teneretur, & certe reuelasset nisi animaduerneret se non posse plene, quæ sciebat, reuelare, nisi semet ipsum reum constitueret, & in foro iudiciali diffamaret, quod non debet. Demum occasione Sanctissimi Iubilei Romam venit, & à Pœnitentiario absolutionem consecutus ecclesias uisitauit. At quia audiuit Pœnitentiariorum in huiusmodi plenissimam autoritatem non habere, pro suæ conscientie securitate accessit ad summum Pœnitentiarium, humiliter obsecrans Illustrissimam Dominationem suam, ut, causa cognita, absolueret, & secum dispensandi tantum facultatem alicui minori Pœnitentiarario faceret in foro conscientie. Primo, quia alios plene reuelare non potest, nisi semetipsum in foro exteriori diffamet (ad quod nullus de iure tenetur) non enim potest assignare causam, qua scit hos detinuisse libros, & illos vendidisse, nisi quia ab his ipse emit, & ab illis conseruandos mutuo accepit. Secundo, quia in his viginti, & vno annis, quibus post librorum combustionem in Dei & Sanctæ Ecclesie obedientia ab hæreticis segregatus sine querela, & suspicione iuxit, illorum quidam vita functi migrarunt a sæculo, & qui libros custodiendos reliquerunt, & ipsi ad eorum reuersi patriam ab alijs denuntiati, si de his, aut similibus, aut diuersis alijs articulis ignorat, ab Inquisitoribus tamen condemnati modo impositam sustinent pœnam. De relapsis autem, a quibus libros emit a currente anno. 1554. ad præsens usque etiam interrogans, nec verbum quidem amplius audire potuit, & an mortui, an viui sint, an conuersi, vel obstinati, & relapsi perseuerent, quoue modo degant, ignorat, immo vnus nec nomen reminiscitur, alterius nomen sed non cognomen, & amborum patriam & artes, & si reuelare cogeretur non posset nisi circumloquendo significare, scilicet, qui tunc temporis condemnati fuerunt talis artis, & patriæ, sed nescit an inter tot illo spectaculo condemnatos (fuerunt enim plurimi) alij extiterint eiusdem patriæ & artis. Vnus, a quo verba contra Deum & Ecclesiam alias audiuit, fuit in illa ciuitate prosequutus, sed fugam arripuit, quo autem iuerit, aut vbi modo maneat, penitus nescit, & huius tantum fictum nomen agnoscit, & personam, apud quam tunc morabatur, quæ si modo uiuat, etiam ignorat, dixit enim ipsi exponenti quidam quod iste fuerat religiosus, & e Sicilia inquisitorum metu fugiens dimisso habitu, ut secularis sub ficto nomine perditæ uiuebat. Qua propter non posset nisi circumloquutiue, & satis imperfecte, huiusmodi hæreticos inquisitoribus significare: Vnde ipsi inquisitores ex eius reuelatione parum aut nihil proficerent: iple autem tam fide in tali foro seipsum diffamando macularet, cum nemo sit, qui de eo talia suspicetur. His sic stantibus quæritur quid iuris.

- 1 Respondeo primum, oratorem non incidisse in excommunicationem illam bullæ Cænæ Domini, quatenus excommunicat hæreticos; quia nec est, nec fuit vere & coram Deo hæreticus, licet in foro exteriori, & corā hominibus iudicetur talis, iuxta ea quæ diximus in Manu. Confessorum cap. 27. num. 56. & melius cap. 11. num. 24. & 25. incidisse tamen in eam, quatenus excommunicat tenentes & legentes libros hæreticorum sine licentia Sedis Apostolicæ.
- 2 Secundo, quod confessiones eius sacramentales, & absolutiones, quas domum reuerfus egit, & accepit, fuerunt validæ; licet confessarij non haberent potestatem eum absolvendi ab excommunicatione; quia confessio & absolutio excommunicati valent, nisi cum pœnitens sciens se excōmunicatū, & aduertens quod excommunicatus peccat accipiendo absolutionem, eam accipit, non confitendo illud peccatum, quod tūc peccat: non quidem ea ratione, quod excommunicatus absoluitur: sed quia non confitetur omnia peccata, quæ nouit, iuxta ea quæ diximus in d. Manua. Confess. c. 9. num. 3. & is non aduertebat se peccare absolutiones illas accipiendo, immo persuadebat confessarijs posse eum absolueri, eo quod iam destitit a peccato detinendi, & legendi libros, cum iam omnes combussisset, vel suis Dominis restituisset.
- 3 Tertio, quòd magnæ difficultatis est, an inciderit in excommunicationem latam per edicta Inquisitorum contra eos, qui moniti non denuntiant hæreticos intra tempus præstitutum; pro parte enim negante facit, quod nemo tenetur prodere se Iudici saltem exteriori, c. quis aliquando. §. his autoritatibus: ibi, non tibi dico, vt te prodas. de pœnit. distinct. 1. quod procedit etiam in casu hæreseos: cum nullibi excipiat ille ab hac regula, & standum est regulæ, donec probetur exceptio, gloss. recepta in l. omnis definitio. de regul. iuris. & in rubrica eod. titulo lib. 6. At orator ait se non potuisse denuntiare illos, quos sciebat esse hæreticos, & vt in libris hæreticorum, non prodendo se: præsupponit enim, quod Inquisitores interrogant de causa, & ratione scientiæ, & non poterat ille vllam rationabilem reddere, nisi quod ab eis emississet, vel commo dato accepisset libros vetitos, & consequenter seipsum prodidisset, ad quod non videbatur teneri.
- 4 Pro parte vero affirmante facit. Primo, quòd omnes, ad quos diriguntur prædicta inquisitorum edicta, tenentur denuntiare omnes, & amicos, & cognatos & fratres, immo & patres, & filios, quos nouerint in eam incidisse, vt nos late concludimus in repetitione cap. inter verba. §. 1. quæst. 3. conclusionem 6. coroll. 62. num. 826. Secundo, quod quilibet teneretur confiteri de se crimen, super quo a competente Iudice interrogatur; & Inquisitores, de quibus in argumento, erant competentes Iudices, & competenter interrogabant. argum. l. cognouit. ff. de officio præsidis, cap. 1. de offic. ordin. & cap. excommunicatus, §. fin. de hæreticis.

Tertio quod poterat orator eos, quos sciebat, denuntiare sufficienter; nō prodendo seipsum, dicendo quod audiuit eos asserentes aliquas hæreses, & videntes libris aliquo: hæreticorum; tacendo quod emisset, vel commodato accepisset ab eis; & si interrogatus fuisset de modo, quo illi utebantur eis, potuisset respondere, quod utebantur legendo, laudando, vel alias approbando; & si pressius fuisset interrogatus, unde illos habuissent aut quibus vendidissent, vel commodassent, potuisset respondere se nescire subintelligendo intra se coram Deo eo modo, quo teneretur pro palare, iuxta posita in Manu. cap. 18. num. 59. & latius in prædicta repetitione c. Inter verba. 11. q. 3. per quod tollitur oppositum pro parte negante formatum.

- 5 Quarto, quod licet orator obligatus fuisset tempore prædictorum edictorum denuntiare, quos sciebat hæreticos, & ob id incurrisset excommunicationem, nec debuisset absolui antequam denuntiaret, nunc tamē arbitror, quod non sit obligatus ad id faciendum, & quod potest absolui absque prædicta denuntiatione, quia frustra expectatur euentus, cuius sequitur effectus. c. cum contingat. de officio deleg. & l. ad probationem, C. de probation. At nullus, aut certe minime notabilis effectus eius denuntiationem sequeretur, vt ex facto colligitur. Quinto, quod Illustrissimus Dominus petitis annuere debet, adeo humiliter & sancte oratus, & gaudere, quod tanta sit oratori de suę animæ salute cura, in gloriam D. N. Iesu Christi, qui nos omnes seruet, Amen.

S V M M A R I V M.

- 1 Denuntiari an debeat, qui dubitatur hæreticus, sed probari nequit.
- 2 Denuntiare hæreticos alibi, quam in Italia, vel Hispania non tenemur.

C O N S I L I V M IX.

DVbito aliquem hic Romæ, vbi viget Inquisitio, esse hæreticum, vel signis credo eum talem; sed non possum probare, an teneat denuntiare quoquomodo officio inquisitionis; & quid faciet confessarius cum pœnitente, qui facit sibi scrupulum, quod sit conuersatus cum hærético, sed non facit sibi scrupulum, quod non denuntiet; & de quo pœnitente credit confessarius, quod admonitus potius omittet confiteri, quam denuntiare, cum vltromontanus sit, qui ignorat obligationem denuntiandi, & abhorret ab hac actione?

- 1 Respondeo primo, quod huius quæstionis decisio colligi potest ex his, quæ nos diximus in repet. cap. inter verba. 11. q. 3. concl. 6. vbi dicitur, quod

quod edicta, quibus iubemur denunciare aliqua quæ scimus, non ligant eos, qui quoquo modo audierunt, vel suspicantur; sed tantum eos, qui sciunt illud per visum, vel alium sensum corporeum; vel per confessionem eius, qui fecit illud; vel quod habetur pro indubitato, secundum Innoc. in cap. cum causa. nu. 1. de iuramen. cal. vel saltem audiuit ab aliquo fide digno, qui sciebat illud, iuxta gloss. singul. in l. Titio fundus. ff. de conditio. & demonstra. Quare non puto recte facturum, qui ob leuem suspicionem, & ob signa, quæ facile fallere possunt, denuntiaret aliquem tanti criminis reum.

- 2 Secundo, quod vltromontanus, si solum est conuersatus cum hereticis vltra montes, non tenetur denunciare illos; Si autem est conuersatus cum hereticis in Italia, vel Hispania, tenetur denunciare illos, neque debet absolui nisi denuntiet, vel saltem omnino proponat denunciare; quia non videtur conuictus, & hoc obseruat sacra Penitentiaria, per multa quæ possent allegari.

S V M M A R I V M.

- 1 *Iudicium ad aliquid deputatio iurisdictionem presupponit.*
- 2 *Praelati regulares iurisdictionem habent in subditos quoad regulam spectantia, quo ad alia consuetudine, vel privilegio.*
- 3 *Inquisitores tantum cum diœcesanis de hæresi cognoscunt, nec vni sine alio procedere licet.*
- 4 *Inquisitionem in hæreticos quoquo modo impedire prohibitum.*
- 5 *Congregatio Lateranensis de hæresi cognoscere non potest.*
- 6 *Pœna potest augeri ab eo, qui de crimine cognoscere potest.*
- 6 *Laica potestas potest addere pœnam à canonibus statutam.*
- 7 *Constitutio, ne ignorantia hæresis excuset, iuri contraria.*

C O N S I L I V M X.

AD determinandum quæstionem à Reuerendissimis Dominis meis propositam super quibusdam capitulis constitutis à sua Congregatione Lateranensi ad seruandum suum ordinem liberum ad hæresibus, videtur præmittenda illa quæstio, An sua congregatio habeat iurisdictionem ad cognoscendum de hæresi, & super illa statuendum. Et quidem pro parte affirmatiua facit primo, quod prædicta capitula presupponunt illam, quatenus designant Iudices ad cognoscendum de illa, & ad puniendum pro ea, quod absque iurisdictione fieri nequit, argum. l. 1. 2. & l. de qua re. ff. de iudic. & cap. 1. cap. præterea, cap. ex literis. & toto tit. de of-

- 2 sic deleg. Facit secundo, quod iure communi prælati habent iurisdictionem in suos subditos quoad ea, quæ pertinent ad regulam, iux. l. fin. C. de iuris. omn. iud. & gloss. c. cum ab ecclesiarum, de offic. ordin. immo & consuetudine, vel privilegio quoad alia crimina, vt tradidimus nuper in Comment. 2. de regul. super cap. non dicatis. 12. q. 1. à num. 63. etiam ad imponendam pœnam trecentium, vt vbi sup. comment. 3. traditur in cap. nullam. 18. q. 2. à num. 52.
- 3 Pro negatiua vero facit, primo, quod soli Inquisitores hæreticæ prauitatis, & Diœcesani videntur habere potestatem cognoscendi de hæresi, & puniendi pro ea, cap. vt officium, & cap. vt Inquisitionis, & cap. per hoc, de hæret. lib. 6. & clem. 1. & 2. eod. titu. Facit secundo, quod etiam Diœcesani episcopi non possunt procedere ad tradendum hæreticum duro carceris; neque ad torquendum eum, neque ad sententiã definitiuã ferendam, nisi communicata re cum Inquisitoribus; neque contra Inquisitores nisi communicata re cum Diœcesanis, d. cap. per hoc. de hæreti. lib. 6. & d. clem. 1. §. verum, eo. tit. Ergo à fortiori non poterunt ad hæc procedere Iudices à prædicta congregatione designati. Tertio, q̄ neque Inquisitores possunt examinare testes, nisi duobus viris religiosis præsentibus; cuius contrarium fieri posse à prædictis Iudicibus designatis satis videntur significare capitula prædictæ congregationis. Quarto, quod
- 4 iure prohibetur, ne quis Inquisitioni contra hæreticos faciendæ impedimentum directe, vel indirecte, apponat, cap. statutum, & cap. vt Inquisitionis. §. prohibemus, de hæret. lib. 6. At per cognitionem datam Iudicibus designatis à prædicta congregatione, & obseruantiam constitutionum ab ea latarum, videtur directe vel indirecte impediri officium Inquisitorũ. Tum quia indirecte impeditur denuntiatio hæresum religiosorum prædicti ordinis faciendã Inquisitoribus. Tum quia datur occasio non parendi eorum edictis, quibus præcipiunt aliquibus temporibus, vt eis denuntientur hæreses. Tum denique, quod impediunt etiam iustam punitiõnem ab illis faciendam, argum. cap. de ijs. de accusat. & eo quod si à prædictis Iudicibus designatis absoluerentur, iniuste manerent impuniti, & statuta Ecclesię vniuersalis suo effectu fraudari possent; quod fieri nõ debet, cap. commissã, de elect. lib. 6. & l. fin. C. commun. delegat. Per quæ, &
- 5 alia, quæ in hoc adduci possent, arbitror prædictam congregationem non habere iure communi iurisdictionem cognoscendi de causis hæresum canonicorum sui ordinis, & eas definiendi, nec consequenter ea de re statuendi absque consensu, vel privilegio S. Sedis Aposto. Non obstant opposita. Non primum: quod per prædicta negari potest valor capitulorũ in eo citatorum. Nõ etiam secundum: tum quia iure communi antiquo prælati Religiosorum non habent tantam iurisdictionem super criminibus suorum subditorum, vt vbi supra, scilicet in prædicto cap. non dicatis. nu. 63. & in d. cap. nullam nu. 52. probamus. Tum quia nulla consuetudine, nec

nec vlllo priuilegio videtur eis addita cognitio, & potestas prædicta cognoscendi de hæresi, & pro ea puniendi. Tum quia per prædictum cap. per hoc, & clem. 1. de hæret. & per consuetudinem longissimi temporis videtur reseruata episcopis, & Inquisitoribus prædicta potestas. Quare arbitror, vt prædixi, prædictam congregationem non posse cognoscere & definire de hæresi: nisi priuilegium ad id à Sancta Sede Apostolica habeat.

6 Ad quæstionem vero propositam, scilicet an prædicta congregatio augere possit pœnam appositam pro illis criminibus, de quibus ipsa cognoscere potest, & pro quibus primum potest: respondeo quod sic: non tamen pro hæresi, si de illa cognoscere nequit, iuxta prædictam præsuppositæ quæstionis determinationem: sed debet esse contenta pœnis ab Inquisitoribus, & Episcopis imponen. nisi eo modo quod laica potestas dicitur posse addere pœnam pœnis statutis à canonibus circa spiritualia, vt apud Hispanos l. 49. Tauri. contra filios contrahentes clandestina materia, vt possint à patribus exheredari, iuxta tradita à Panor. & Fel. in ca. 1. de sponsal. & à Fel. & citatis ab eo in cap. Ecclesia. col. 20. de constit. & a Ioanne sup. in repet. cap. per vestras. de donat. fol. mihi 137. nu. 9.

7 Ad do his, quod constitutio quæ habet non posse quem per ignorantiam excusari, videtur contraria iuri, quod probabiliter ignorantem excusat, cap. Apostolica, de cler. excom. ministr. cum suis concord. & ratio illa, qua id fundatur, scilicet quod dogmata Lutherana omnibus sunt nota, non est apta: tum quia constitutio loquitur de omni hæresi, & non solum de Lutherana: tum quia multa sunt dogmata Lutherana, quæ etiam multi eruditi nesciunt esse dogmata eiusmodi, præsertim quod multa sunt sibi mutuo contraria, vt Doctores, qui in ea scripserūt, late demonstrant, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Excommunicationem non reseruata incurrit Iudex, qui requisitus suspectum de hæresi capere, & tradere differt.
- 2 Hæretici fautor censetur Iudex, qui illum aufugere permittit.
- 3 Excommunicatus non est, qui alia de causa quam fauendi hæreticum aufugere permittit.

C O N S I L I V M X I.

Quidam Gubernator, requisitus ab Episcopo, vt caperet quendam, qui mansit excommunicatus per annum, tanquam suspectum de hæresi, distulit eum capere, ne præiudicium iurisdictioni Regiæ fa-

Z 2 ceret:

ceret:& postea captum distulit illum tradere episcopo eadem de causa, donec a Iurisconsulto consilium acciperet:& rursus consilio accepto declarauit extra iudicialiter se paratum ad tradendum, sed nō tradidit, nec illum animum Curiæ episcopali notificauit. Qui captus postea sine alia culpa eius de consensu tamen Carcerarij aufugit. Quaritur an Gubernator & Carcerarius præfati sint excommunicati, & casu quo sint, quali excommunicatione.

Quia illa propter quæ maneo inclusus domi & quasi aqua & igni interdictus, non permittunt in alia vagari, nihil profecto ad hoc quæsitum respondiſsem: nisi me tanta iubentis auctoritas coegisset, cuius in id ad-

1 ctus paucis & breuibus, Respondeo. Primo, præfatos ambo imperio Gubernatorem & Carcerariū censendos esse in foro exteriori excommunicatos per cap. vt inquisitionis. §. prohibemus. de hæreti. lib. 6. Gubernatorem quidem: quia iudicandus est non fuisse vsus officio suo diligenter ac proptere, vt debuit: Carcerarius autem quia fugæ ipsius contra officij sui debitum consensit. Secundo, quod excommunicatio præfati cap. vt Inquisitionis, non est reseruata Papam; & ideo ratione illius non essent ipsi

2 pro absolutione remittendi ad Papam. Tertio, quod etiam ambo videntur iudicandi in eodem foro exteriori excommunicati per cap. 1. Bullæ Censuræ Domini; quia præsumendum de iure in illo foro videtur præfata omiſſiſſe, & feciſſe vt fauerent præfato capto suspecto de hæresi, ne ob eam puniretur: & constat per præfatum ca. 1. prædictæ Bullæ Censuræ fautores hæreticorum excommunicari, quæ excommunicatio reseruata est Papæ, vt aliæ illius Bullæ: & consequenter remittendi sunt in illo foro quoad

3 eam, Papæ. Quarto, quod si vere coram Deo præfatus Gubernator omisit implere mandata tam diligenter, & prompte, ac debuit, propter causas, quas exprimit, & non animo faciendi præfato capto, quatenus erat de hæresi suspectus; & si nec carcerarius eius fugæ consensit, ne puniretur de hæresi; sed ob aliam causam miserationis, paupertatis, cognationis, vel amicitia, neuter eorum videtur in foro conscientia incurrisse excommunicationem præfatæ Bullæ, per ea quæ nos post Caiet. adnotauimus in Manua. Confess. cap. 27. num. 55. super cap. 7. præfatæ Bullæ. Salua, &c.

S V M M A R I V M .

- 1 Bona hæreticorum, nisi prius declarentur, apprehendi nequeunt.
- 1 Iuris ordo in notorijs non seruatur.
- 2 Notorius, fornicarius, vel excommunicatus, & declaratus æquantur.

3 Cita-

3 Citatio, & sententia etiam in notorijs requiruntur.
 4 Hæreticorum declaratorum bona cui cedant.

CONSILIUM XII.

Vtrum bona hæreticorum possint apprehendi, & occupari stante confiscatione ipso iure propter hæresim incurfa sine alia declaratione.

1 Respondeo, quod sententia declaratoria debet præcedere apprehensionem, & occupationem secundum omnes saltem extra casus notorios per cap. cum secundum, de hæreticis lib. 6. quod id expressit & tenetur ab omnibus.

2 An autem sufficiat crimen esse notorium ad hoc, vt sine alia sententia, & declaratione super illo lata bona eorum occupari possint, Respondetur primo, quod pro parte affirmante facit, quod in notorijs ordo iuris non est seruandus, cap. ad nostram. il. 3. de iure iuran. & quod euidentia patrat sceleris non indiget clamore accusatoris, cap. euidentia, de accusat. & quod perinde est abstinendum ab audiendo Missam Sacerdotis fornicarij notorij, ac declarati per sententiam pro tali, cap. fin. de cohabita clerico. & mulie. & quod in confesso nullæ sunt partes iudicis l. pro inde, ff. ad l. Aquil. quia per confessionem res fit notoria dict. c. fin. & cap. vlt. de tempor. ordinan. & quod extrauag. ad euitanda. Martini V. & postea sæpe renouata per Concilium Lateranense sessio. 11. & in statutis Gallicanis, & concordatis inter Leonem X. & Regem Franciscum de excommu. non vitandis æquiparatur notorium excommunicatum non declaratum, excommunicato declarato: & denique quod Fel. in cap. Rodulphus num. 37. de rescript. dicit in specie, declarationem, quam requirit, cap. cum secundum. non esse necessariam in notorijs, allegando in id duo pulchra dicta Panor. vltra quod allegari potest conclusio communis, quæ habet non esse necessariam citationem quando constat nullam defensionem competere citando, iuxta cap. cum olim. de re iudic. & alia citata ibi per Panor. & Fel. & in cap. cum causam. de rescriptis.

3 Secundo dico, quod pro parte negante facit primo, quod etiam in notorijs requiritur citatio, iuxta gloss. in cap. ad nostram il. 3. de iureiurand. quæ ad id allegat, cap. Deus omnipotens 2. q. 1. citatio enim pertinet ad defensionem, & defensio debetur iure naturali, quæ a nullo Principe tolli potest, vt habet expresse clem. pastoralis §. cæterum. de re iudic. quæ annihilauit quandam sententiam Federici Imperatoris propter defectum citationis, & concessionis facultatis ad se defendendum, dicens eam iure naturali fuisse debitam, nec potuisse per Imperatorem suppleri: Quin etiam & gloss. Ioan. Monachi singulariter, & copiose probat non posse Papam procedere sine citatione in extrauag. 1. de dolo, & contum.

Paris ij.

Z 3

Secundo

Secundo, quod etiam in notorijs requiritur sententia, secundum eandem gloss. & gloss. in cap. euidencia. de accusa. & est melior in dict. extrauag. quæ habet necessariam esse sententiam Iudicis, vel præceptum, quod illi æquipolleat, & in casu proposito nulla sententia est data, nec præceptum quod illi æquipolleat. Tertio, quod est casus irrefragabiliter probans hanc partem in dict. cap. cum secundum. de hæretic. libr. 6. quatenus vniuersaliter statuit, ne fiat apprehensio bonorum, donec per iudicem ecclesiasticum declaretur hæreticus. per quod omnes dicunt declarationem esse necessariam. Per quæ pars hæc negans videtur verior.

- 4 Cui vero cedant bona huiusmodi hæreticorum confiscata, habetur expresse in cap. vergentis de hæretic. & dict. cap. cum secundum eodem tit. lib. 6. scilicet quod cedunt Fisco Ecclesiæ, si bona sunt in territorio ecclesiæ sita, aut Fisco temporali, si in territorio seculari sita sunt: nam cap. præfa. habet non posse capi a potestate seculari, donec eorum domini declarentur esse hæretici per sententiam potestatis Ecclesiæ, significans a contrario sensu illa pertinere ad eam post declarationem, & hoc tenet gloss. in clem. 2. de hæreticis in verbo ecclesiæ, & Panor. Anania & communis in dict. cap. vergentis, vbi Fel. respondet Mariano contrarium significanti; præsertim cum is cuius bona confiscantur est laicus, argum. cap. nouit. de iudi. & cap. quum ad verum 96. dist.

S V M M A R I V M.

- 1 Testis mendacium per hyperbolem dicens non peccat.
2 Testis ad penam ignis se obligans, non est ea puniendus.

CONSILIVM XIII.

Vtrum testis, qui iuratus, & interrogatus de coniecto in carcerem pro heresi, ab Inquisitore, quid sentiebat de ipsius fidelitate? Respondit, adeo credo eum esse fidelem, quod sum contentus comburi, si ipse inueniatur hæreticus, quod dicit per modum exaggerationis, vtrum inquam peccauerit, & possit puniri ab inquisitore, si coniectus in carcerem probetur hæreticus.

- 1 Respondeo primo, quod dici potest Consulente nullatenus peccasse, quia dicere aliquod falsum per hyperbolem, vel aliam figuratiuam locutionem, non est mendacium, nec peccatum, vt tradit S. Thom. post D. August. in 22. q. 111. art. 1. & probatur per illud Davidis 2. reg. c. 10. *Ionathas, & Saul Aquilis velociore, & Leonibus fortiores*, & per alia multa sacre scripturæ loca. Secundo, quod esto peccasset, non tamen peccasset

castet peccatum hæreseos, quia non est contra Sacram Scripturam, nec contra determinationem Ecclesiæ Sanctæ Romanæ, vt palam est. Tertio, quod non posset puniri ab Inquisitore, propterea quod se obligauit ad pœnam ignis, casu quo ille vincetus probaretur hæreticus. Tum quia non se obligauit ex animo vero, sed hyperbolico, & figuratiuo. Tum quia nemo potest se obligare ad pœnam ignis, & combustionis, vel mortis, nec mutilationis membri, iuxta gloss. in cap. cum homo. in verbo supplicium 23. q. 5. quia non est dominus membrorum suorum l. liber homo. ff. ad legem Aquil. cap. contingit de sentet. excommunic.

S V M M A R I V M.

- 1 *Excommunicatio ob solum exteriorem hæresis actum non incurritur.*
- 2 *Excommunicatos non denuntiatos, licet hæretici notorij sint, & presbyteri, euitare non tenemur.*
- 3 *Excommunicatus in omnibus hoc versu contentis vitandus.*
- 3 *Communicare excommunicato in diuinis mortale, in alijs veniale.*
- 4 *Ecclesia, per infidelis, vel excommunicati sepulturam profanata, orationem publicam non admittit, priuatam sic.*
- 5 *Fides catholica non solum tenenda, sed etiam quandoque confitenda.*
- 6 *Catholicus sic in hæreticorum terris habitare potest.*

CONSILIVM XV.

Sacerdotes sunt plures in Anglia, & Hibernia rite ordinati, qui publice peruerfa dogmata docent, & notorij Lutherani, seu Calvinistæ sunt, & cogunt alios ad confitendum, Angliæ Reginam, caput esse Ecclesiæ.

Queritur primo, An transeuntes ad hæreticos timore inducti exterius Reginam Ecclesiæ caput confitentes, cum interius sint Catholici, censentur excommunicati?

Secundo, An à parochis, & episcopis hæreticis liceat Sacramenta recipere?

Tertio, An liceat hæretico missanti interesse, & ante, vel post prandiū gratias agenti respondere?

Quarto, missas audire, vel orare, an liceat in templo, in quo hæretici notorij sepulti sunt?

Quinto, An Catholicis liceat etiam cum iuramento negare Iudici hæretico, vel ab hæreticis constituto interroganti, si sacrum fecerint, vel eidem interfuerint? intendendo intra se quod non sita vt dicere teneantur.

Sexto, An Catholicus inter hæreticos habitare valeat, cum periculo si se Catholicum confiteatur amittendi uitam, vel peccandi, fidem non confitendo, seu negando?

- 1 AD PRIMAM respondeo, quod huiusmodi Catholici non incidunt in censurâs ob illos actus exteriores, quia non sunt vere Schismatici, nec uere hæretici, & excommunicatio non contrahitur propter solum actum exteriorem hæreseos, vel schismatis, vt tradimus in Man. cap. 27. num. 55. & c. 111. num. 22.
- 2 AD SECUNDAM respondeo, quod hæc quæstio videtur pendere ab illa generali, an teneamur vitare hæreticos, & schismaticos notorios? qui per consequentiam notorij iuris censentur excommunicati notorie? ad quam respondeo primo eam esse grandem quæstionem, & à nemine, quod sciam, ante nos tractatam: Secundo, quod illam trepide tetigi olim in Man. cap. 27. Et nuper paulo firmitus cum illud latinitate donauimus in eod. cap. num. 35. & firmiter decidimus hoc anno in lib. de oratione, & horis canonicis, cap. 71. vbi tenemus non esse uitandos per rationem, quam in dicto num. 35. reddimus. Tertio, quod qua ratione non tenemur vitare laicos hæreticos notorios, eadem non tenebimur vitare presbyteros, & alijs ordinibus initiatos; & consequenter iisdem casibus, & modis possumus communicare in sacris cum ordinatis, de quibus est quæstio, in quibus cum Catholicis, quos scimus esse excommunicatos, si non sunt denunciati.
- 3 AD TERTIAM respondeo primo; quod non licet facere contenta in quæstione, quia vetatur communicare excommunicatis non solum in diuinis officijs, sed in alijs omnibus humanis, quæ continentur in illo uersiculo, *Os, orare, uale, communico, mensa negatur*. Cuius partes de claramus post alios in Man. cap. 27. num. 26. Secundo, quod qui prædicta facit, peccat quidem: quia facit, quod ei non licet, & incurrit minorem excommunicationem, cap. nuper. de sent. excom. Sed non peccat mortaliter. quia regulariter communicans cum excommunicato, uenialiter tantum peccat, vt post alios tradimus in d. cap. 27. num. 28. Quamuis communicans in diuinis cum excommunicato audiendo missam, & celebrando coram eo, uel orando cum eo oratione publica, siue officio diuino publico, peccaret mortaliter, vt tradimus ibidem num. 36.
- 4 AD QUARTAM respondeo primo, quod Sacris canonibus non statuitur expresse, ne oretur in Ecclesia, in qua sepelitur excommunicatus, sed ne talis Ecclesia consecretur, vel ne in ea missa dicatur, & corpus extimuletur, si à corporibus fidelium separari possit, vt in cap. Ecclesiam. 1. cap. Ecclesiam 2. de consec. dist. 1. & cap. Sacris. de sepultur. & cap. consultuisti. de consecra. Ecclesie, & cap. ad hæc de priuil. & clem. 1. de sepul. tu. per quæ iura probatur execrari Ecclesiam per illationem in eam, siue sepulturam pagani, infidelis, uel excommunicati mortui, & ita non posse iuste

inſte in ea dici miſſa : quia illa non eſt dicenda in locis profanis , neque factis execratis , ſive profanatis , ſed nullis talibus canonibus vetatur oratio priuata in tali Eccleſia faciendæ. Secundo, quod ex hoc ſequitur reſponſio ad illam partem quæſtionis, quæ quæritur de oratione priuata, ſi delictet, quod fieri poteſt in huiusmodi Eccleſia. Tertio, quod maioris difficultatis eſt illa pars eiſdem quæſtionis, quæ habet, An profanetur, vel execretur Eccleſia per ſepulturam hæretici, qui eſt excommunicatus, ſicut per ſepulturam Chriſtiani excommunicati ; ad quam tamen videtur negatiuè reſpondendum, tenendo quod ſupra dictum eſt, ſcilicet, hæreticum notorium non eſſe vitandum, donec denuntietur excommunicatus. Ratio enim quare per excommunicati ſepulturam Eccleſia execretur, & miſſa, ac alia officia diuina publica ibi non debeant fieri, eſt illa, quod cui non communicamus viuo, non debemus communicare mortuo, vt habet prædictum cap. Sacris. & d. cap. ad hæc. quæ ratio cum non habeat locum hodie per extrauagatē. Ad uitandam Martini V. miſi in excommunicatis denuntiatas, vel notorio percuffore clerici, vt tradimus in prædicto Man. cap. 27. num. 35. non habebit etiam locum in ſepultura hæretici non denuntiatas pro excommunicato.

AD QVINTAM reſpondeo primo, quod interrogatus, vt in quæſtione dicitur, ſi reſpondet ſimpliciter ſe neſcire, peccat; quia peierat, & mendacium iuratum præfert. Secundo, quod qui non iurat ſimpliciter, ſed cum additione mentali interiori, quam tangit quæſtio, non peccat; immo bene meretur, per ea, quæ latius tradimus in d. Man. c. 18. num. 60. & 61. & in cap. 25. num. 43. & nuper in cap. humanæ aures. 22. q. 5.

AD SEXTAM reſpondeo primo, illam eſſe magnam in Theorica, & maximam in praxi. Secundo, quod eius reſolutio videtur colligenda ex his, quæ vterque Thom. dixit in 2.2. q. 3. ar. 2. vbi definiunt non ſolum fidem Catholicam eſſe ad ſalutem neceſſariam; ſed etiam confeſſionem illius, ita quod nunquam licet alicui negare ſe eſſe Chriſtianum, & aliquando eſſe de neceſſitate ſalutis confiteri ſe Chriſtianum per illud Pauli ad Rom. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*; quando ſcilicet pro loco, & tempore illa confeſſio eſt neceſſaria ad gloriam, & honorem Dei, vel ad utilitatem proximi. Tertio, quod licet ipſi non dicant expreſſe, ex eorum tamen dictis eadem ratione videtur inferri, quod nunquam licet Catholico negare ſe Catholicum. Et quod neceſſe eſt ei aliquando confiteri ſe Catholicum, puta cum interrogatur, an ſit Catholicus, vel Lutheranus, aut Caluiniſta? Vel cum eius confeſſio eſt neceſſaria ad confirmandos alios Catholicos, ne putantes illum defeciſſe à fide Catholica, ipſi quoque deficiant ab eâ. Quarto, quod qui degit inter hæreticos, tenetur habere propositum nunquam negandi ſe eſſe Catholicum, & confitendi aliquando, puta cum id eſt neceſſarium ad gloriam Dei, vel ad utilitatem proximi, confiteri ſe eſſe Catholicum.

Ex qua

Ex quo videtur colligi responsio ad questionem propositam, nēpe, quod, qui degens in terra hæreticorum habet propositum seruandi tantam constantiam, vt ope diuina nunquam negabit se esse Catholicum, nec desinet confiteri se talem, quoties id fuerit necesse ad gloriam Dei, & vilitatem proximi, non tenebitur inde exire, & alias sic. Quinto, quod arbitror non teneri ad credendum firmiter, quod nunquam negabit, & quod semper cum fuerit necessarium confitebitur, sed sufficit, quod habeat propositū, quod ope diuina nunquam negabit, & semper confitebitur, cum necesse fuerit; sicut qui confitetur peccata sua, non tenetur ad credendum, quod nunquam amplius peccabit mortaliter, sed sufficit, quod habeat propositum nunquam amplius ope diuina ita peccandi, vt dicit Innocē. receptus in cap. omnis. de pœnit. & remiss. quem in hoc citamus in Manuali, cap. 1. num. 9. & 13. Salua &c.

S Y M M A R I V M.

- 1 Hæreticorum funus ducere vbi liceat Catholico.
- 1 Communicare proximis omni iure licet, si alias iuste non sit vetitum.
- 2 Communio Catholicorum cum hæreticis in Germania, & Gallia licita.
- 3 Homo vt homo, licet peccator extreme egens quando iuuandus. & numero 10.
- 4 Communicare excommunicatis prohibitum, nisi &c. nu. 11.
- 4 Excommunicatis communicare metus etiam iustus non excusat.
- 5 Sepeliens scienter hæreticum, vel excommunicatum est excommunicatus.
- 5 Hæresim admittere, vel committenti fauere in hoc paria.
- 6 Catholicus inuitatus vbi vigeat hæreses comitando hæreticum ad sepulturam profanam non peccat, sed sic ad sacram. nu. 8.
- 7 Hæretico vt tali fauere, non autem alio respectu prohibitum. nu. 11.
- 9 Metus displicendi hæreticis imperantibus, an Catholicos excuset à peccato.
- 9 Metus etiam iustus licet excusare possit à legis humanę violatione, non tamen à naturæ, vel diuinæ. nu. 11.
- 10 Excommunicatis non denunciatis communicare vbique licitum.
- 12 Catholici superiori infideli indifferentia iubenti iuste parent.

C O N S I L I V M X V I.

Quæsitum est primo, An liceat Catholicis in partibus, vbi palam vident hæreses, si à propinquis defunctorum hæreticorū rogati sint, eorum

eorum funus comitari, quando ipsi hæretici defuncti ad sepulturam hæreticorum more deducuntur?

Secundo, An parere possint magistratibus hæreticis iubentibus, vt certis diebus, quos ipsi obseruant, nec tamen sunt festi, ipsi Catholici claudant suas officinas, seu tabernas?

- 1 AD PRIOREM QVÆSTIONEM respondeo, quod pro eius parte affirmantem facit primo, quod lege naturali, diuina, & humana licet hominibus communicare cum suis proximis propter cognationem, quam natura inter omnes homines induxit. l. vt vim. coniuncta gloss. ff. de iust. & iure, & iuxta illud Matthæi 22. *Dilige proximum tuum sicut te ipsum.* cap. qualitas. el. 2. §. proximus. de pœnit. dist. 2. & iuxta illud principij Hæretici. *Quod tibi nõ vis fieri, ne feceris alij.* & contra, *Quod tibi vis fieri, facito alij.* & quilibet homo vult, & videtur debere velle, vt proximi adiuuent eum ad sepeliendum mortuos sibi cognatos, & amicos: ergo quilibet debet adiuuare alios id ipsum volentes sibi fieri. Secundo, quod pro re licita, & honesta reputatur communiter in Germania, & Gallia etiam à viris pijs, & eruditis, vt Catholici communicent hæreticis, contrahendo, & conuersando; licet sciant eos esse excommunicatos, vt nos tetigimus in Man. confess. c. 27. num. 3 §. & latius in Miscel. 47. de oratione. non obstante, quod multis canonibus vetetur nobis communicare excommunicatis; & certum est, hæreticos excommunicatos esse. cap. excommunicamus. de hæret. Tertio facit cap. duo ista nomina 23. q. 4. quatenus habet, omnem hominem peccatorem esse iuuandum ab homine, quatenus est homo: licet castigandus sit, quatenus est peccator; & quod licet hæreticum extremæ agentem pascere, secundum omnes. c. pascere, morientem si non pausti, occidisti. 86. dist.
- 4 Pro parte autem negatiua facit primo, quod non licet communicare cum excommunicatis. c. excommunicato 2. q. 3. cum multis alijs, nisi in certis casibus, cap. quoniam. eadem caus. & q. at omnes hæretici sunt excommunicati. cap. excommunicamus. de hæret. etiam per c. 1. Bullæ Cœnæ Domini. Secundo facit, quod etiam metus etiam iustus non uideatur excusare à peccato saltem ueniali communicantem cum excommunicato, c. sacris de ijs, quæ vi. Tertio facit, quod sepeliens hæreticum est excommunicatus cap. 2. 1. resp. de hæret. lib. 6. & etiam sepeliens excommunicatum scienter, clem. 1. de sepult. & hæretici sunt excommunicati, vt prædictum est. Quarto, quod non solum est peccatum hæresim admittente, sed etiam eam admittenti fauere, cap. excommunicamus. §. credentes. de hæret. & præfat. c. 1. Bullæ Cœnæ: & quod non solum hæretici sunt excommunicati, sed etiam fauentes eis per præfata iura. At qui iuuant sepelire, vel comitantur sepelientes, uel deducentes funus, ad sepeliendum hæreticum, videntur eis fauere. Ergo id facientes non solum peccant, sed etiam sunt excommunicati.

His

- 6 His pro utraque parte consideratis, videtur dicendum primo; quod Catholici deducentes funus hæretici ad sepulturam, triplici ratione, possunt videri alicui peccare, & incurrere excoicationē, scilicet quod communicant hæreticis excoicatis, & quia videntur sepelire hæreticū, & quia videtur hæreticis fauere: sed prima ratio non videtur concludere, nisi quando hæretici essent denunciati, excommunicati, etiam si essent manifesti, & notorij hæretici, per ea, quæ nos tangimus vbi supra in Man. Conf. c. 27. nu. 45. & latius quam alij in dicto Miscel. 47. & cum nulli hæretici denuntientur in Germania excommunicati, non videntur hac ratione peccare Catholici deducentes in ea funus hæretici ad sepeliendum. Neque secunda ratio concludit, quia deducentes, non dicuntur vere sepelire, si alias ipsimet non sepeliant, iuxta doctrinam Card. in clem. 1. q. 25. de sepul. licet gloss. & Ioā. Imol. uideantur contradicere, quæ Card. opinio efficaciter probatur per regulam, quam nos probamus in dicto Man. confel. c. 27. nu. 51. scilicet quod excommunicatio contrafacientem aliquid simpliciter, non includit mandantem, neque consulentem, uel alias fictè facientem. & ita clem. 1. supradicta, & alia iura lata contra sepelientes, non includunt solum deducentes, uti pœnalia, & restringenda. c. pœnæ. de pœnit. dist. 1. Tertia uero ratio concludit, quod non solum iure humano, sed etiam naturali, & diuino, prohibemur fauere hæreticis: quia illud est fauere peccato, & consentire in eo, contra. cap. 1. ad Rom. & alia innumera iura.
- 7 Secundo dicendum, quod ille solus dicitur contrauenire canonibus vetantibus fauere hæreticis, qui fauet eis eo respectu, & ratione quod sūt hæretici, & non alij, qui fauent eis, alijs respectibus, per ea quæ nos adducimus in dicto Man. c. 27. num. 52.

Tertio, quod ex his infertur non videri peccare deducentes funus hæretici non denunciati pro excommunicato ad sepulturam profanam solo affectu humanitatis, sine intentione fauendi hæreticis, quatenus sunt hæretici. Tum quia non communicant excommunicato denunciato, neque sepeliunt eum in loco sacro; sed faciunt actum per se licitum, qui potest licitè fieri alio respectu humanitatis, naturalis, vel cognationis, uel locationis opere: & ita non censentur fautores hæreseos, vel hæreticorum per prædicta. Tum quia sicut licite possunt eum comitari, vel deducere uinum ad alia opera per se licita, & communicare ipsi edendo, bibendo, & contrahendo sine intentione fauendi ei ob hæresim, sic possent etiam communicare illi mortuo, deducendo eum ad sepulturam profanam, quod est per se licitum.

- 8 Quarto, quod etiam infertur ex prædictis, Catholicos deducentes, & comitantes funus hæretici ad sepeliendum eum in loco sacro peccare: non quidem eo quod communicant excommunicatis, neque quia sepeliunt hæreticum: sed quia consentiunt peccato hæreticorum, quod peccant eum sepeliendo, & uolendo sepelire in loco sacro, iuxta cap. Ecclesiam

fiam. de consecr. dist. 1. & c. 2. primo respon. de hærel. lib. 6. & qui consentit peccato, peccat. cap. 1. ad Rom. & cap. 1. de officio deleg. præsertim, cum consentit cooperando iuxta glos. & communem opinionem recept. in eodē cap. 1. quamvis non videtur incurrere excommunicationem si ipse non sepeliunt, iuxta opinionem suprædictam Card. q. 25.

Quinto inferri ex eisdem, quod etiam peccant prædicti Catholici deducentes funus prædictum, etsi deducant illud in sepulturam profanam animo fauendi hæreticis, quatenus sunt hæretici: non quidem eo, quod communicent excommunicatis, neque eo quod comitentur ad sepeliendum in loco sacro: peccant tamen, & incurrunt excommunicationem, eo quod fauent hæreticis, quatenus sunt hæretici, contra canones excommunicantes eorum fautores, de quibus est cap. excommunicamus. §. credentes. de hæret.

9 Sexto, quod solus timor displicendi hæreticis, alioquin cognatis, vel amicis, vel vicinis, vel dominis, vel subditis, non excusat a peccato mortali, si deducant, vel comitentur animo fauendi hæreticis viuis, vel mortuis. Tum per cap. sacris. de his quæ vi. Tum quia propter nullum timorem, etiam iustum, licet violare legem naturalem, vel diuinam, cap. quo iure. 8. dist. & cap. ita ne, & cap. tolerabilius est. 32. q. 5. quæ probant toleranda esse potius omnia mala, quam peccato consentire. Tum quia timor si non est iustus non excusat. l. metum, ff. quod met. caus. & si est iustus, licet quandoque excuset a peccato violationis legis humanæ, nunquam tamen excusat a violatione legis naturalis, & diuinæ, per præfata iura, & per cap. fin. cum ei adnot. de consuet. & fauere hæreticis, quatenus sunt tales, omni iure vetitum est, vt prædiximus: & ita quamvis timor iustus excusare posset a peccato communicandi excommunicatis, & etiam comitandi deducentes ad sepeliendum etiam denuntiatum hæreticum, & forte in loco sacro: quia iure tantum humano prohiberi videtur; non tamen potest excusare a peccato, quod incurritur fauendo hæreticis, quatenus tales sunt, quia id iure naturali, & diuino est peccatū.

10 Septimo, quod ad opposita pro vtraque parte, quatenus contra prædicta faciunt, responderi potest, ad primum quidem pro parte affirmante formatum, concedendo, quod quilibet catholicus potest regulariter communicare proximo suo, immo & frequenter obligatur id facere: sed fallit hoc, quando iusta lege id ei prohibetur, quale est excommunicato denunciato communicare, & hæreticum sepelire in loco sacro, & fauere verbis, vel factis hæretico, quatenus est hæreticus per supra citata. Ad secundum etiam pro eadem parte adductum respondetur, concedendo, quod licitum est non solum in Germania, & Gallia, sed etiam vbique gentium communicare excommunicatis non denunciatis pro excommunicatis post extrauag. ad euitanda, fideliter relatam a nobis in præfato Manu. Confess. cap. 57. num. 35. & quia fere nulli hæretici denunciantur excō-

municati

municati in Germania, & Gallia, ideo licet eis communicare, vt nouissime monstrauius in dicto Misc. 47. de orat. Ad tertium vero respondetur, cōcedendo omnem hominem iuuandum esse ab homine regulariter; sed id fallere, quando iusta lege vetatur, vt cum iussu iusti Iudicis trahitur ad supplicium, arg. cap. non est crudelis. 23. q. 5.

11 Ad primum autem pro parte negante adductum conceditur non licere communicare excommunicato iure antiquo, sed sic nouo extrauag. præfata, si non dum est denunciatus. Ad secundum pro eadem parte adductum respondetur, concedendo timorem vanum non excusare à peccato, neque iustum regulariter a peccato contraueniendi legi naturali, vel diuinæ, sed sic communiter a peccato contraueniendi legi humanæ, vt dicitur in 6. dicto. Ad tertium respondetur, negando, deducentes funus hæretici ad sepeliendum dic i sepultores, nisi sepeliant ipsimet, vt probatur in primo dicto. Ad quartum autem pro eadem parte adductum respondetur, concedendo non licere fauere hæretico, quatenus est talis, sed sic alio respectu, quatenus est ægrotus morti proximus, vel indiget extreme cibo, aut vestitu, vt dictum est in primo dicto, & nos in nostro responso negamus quidem licere deducere funus hæretici animo fauendi ei quatenus est hæreticus; sed confitemur licere fauere ipsi alio respectu; & ita nihil obstat argumentum.

12 AD POSTERIOREM QVÆSTIONEM respondeo affirmative, scilicet, quod catholici terrarum, in quibus hæretici, & alij perfidi imperant, & iurisdictionem exercent, possunt claudere officinas suas, in quibus operantur, iubente id Principe, vel Magistratu hæretico, vel alio infidele, qui eam exercet diebus festis ab hæreticis, vel infidelibus, institutis; modo id non faciant animo fauendi hæreticis, vel alijs infidelium ritibus ab Ecclesia Christiana damnatis. Tum quia claudere præfatas officinas per se nõ est illicitum, sed opus indifferens, quod sine bono bene fieri potest, & sine malo male, iuxta late notata per S. Thom. 12. q. 18. Tum quia iuste parere possunt catholici Præpositis, & Magistratibus infidelibus huiusmodi opera indifferentia iubentibus, ca. ad Rom. & cap. non semper, & cap. qui resistit. 11. q. 3. Tum quia in toto orbe a nato Christo ad hunc vsque diem hoc fecerunt catholici, etiã eruditissimi, & pientissimi, iux. d. cap. 13. ad Rom. Tum quia vetitum est Christianis ne præbeant scandala, quando ea possunt absque peccato vitare, iuxta cap. 18. Matt. & cap. nihil de præscript. & cap. 2. de operis noui nuntiat. & tradit S. Thom. recep. 2. 2. quæst. 43. & constat posse Catholicos vitare scādala, quæ orirentur ex resistentia, & inobediētia, non claudendo officinas sine incurfione peccati, modo eas claudant hoc bono fine non consentiendi ritibus infidelium damnatis, sine animo eius fauendi, & fauendi erroribus eorum qui ea iubent, vt in casa proposito præsupponitur eas claudere.

S V M M A R I V M.

1. *Laicus disputans de fide excommunicandus, si scit non licere. 3.*
1. *Verba futuri temporis sententiam ipso iure non inducunt.*
2. *Gallicum vulgus literatos omnes appellat clericos.*
3. *Clericis proprius est spiritualia tractare.*

C O N S I L I V M XVII.

Questum est, an laici studio theologiæ dediti peccent mortaliter disputando de fide, & an sint ipso iure excommunicati ?

1. Respondeo primo, quod non sunt ipso iure excommunicati, quia cap. quicumque §. inhibemus. de hæret. lib. 6. non excommunicat eos, sed per verbum futuri temporis statuit, vt excommunicentur, & constat ex gloss. recep. in cap. In pœnis de reg. iur. lib. 6. per verba futuri temporis non induci sententiam ipso iure, nisi aliquid aliud eis ad datur, quod etiam adnotavit gloss. eius cap. quicumque.

Secundo, quod non demiror sententiam illam nostram, scilicet laicū disputantem de fide peccare mortaliter, positam in Manua. nostro Confess. c. no. 27. subduram videri aliquibus. Tum quia subdura quoque visa fuit glossæ narratio eiusdem cap. Tum quia, vt illa ait, videbatur potius facienda facultas disputandi theologo docto, laico, quam clerico rurali, & indocto: & quod verba sunt intelligenda secundum vulgarem modum loquendi, cap. ex literis. de sponsal. & l. Labeo. ff. de supel. leg. & vulgus Gallicum omnes literatos, & doctos appellat clericos, quod etiam ipsamet gloss. monuit.

Tertio dico, determinationem prædictam, licet dura sit, esse tamen tenendam, iuxta l. prospexit ff. qui, & a quibus manumiss. & cap. in memoriam. 29. dist. Tum quia vt docet Aug. relatus in cap. in istis 4. dist. leges, cum instituuntur debere iudicare, postquam autem sunt institutæ, iudicandum esse secundum eas. Tum quia gloss. Archidi. Dom. & Francif. qui eandem senserunt duritiem, renuerunt eam. Tum quia proprie ecclesiastica, & laica persona differunt, cap. duo sunt. 12. q. 1. & laicus quamlibet doctus proprie non dicitur clericus, nec licet ei prædicare, c. ficut. de hæret. Tum quia non est recedendum a propria significatione verborum, l. non aliter. ff. de leg. 3. Tum denique, quod cõstitutio illa facta fuit ab Alexandro III. in Italia, in qua nec in Hispania laici, quamuis sint docti, vocantur clerici: & ita verba illius dicuntur interpretari magis secundū morē loquendi terræ, vbi facta fuit, & eorum qui eam tulerunt.

runt, quam secundum morem Galliae, vel alicuius alius provinciae.

- 3 Quarto respondeo, quod noue ultra omnes ego molliui illam sententiam, restringendo eam ad eum, qui scit id esse prohibitum, sub poena excommunicationis, & quod possunt addi aliquae rationes, quibus iustius laici etiam docti prohibentur a disputando de fide catholica, quam clerici, cum his proprius conueniat tractare spiritualia quam laicis, cap. bene quidem 96. dist. & cap. ecclesia de constit.

S V M M A R I V M.

- 1 Scriptura priuata manu aliena etiam Religiosi, alij non nocet.
- 1 Scriptura manu Notarij scripta, & non subscripta non probat.
- 3 Scriptori, donec scripta sua ediderit, ea licet corrigere.
- 4 Scripta in memorialibus sicut in rationibus non probant.
- 5 Scripta indigesta in chartulis, & alijs reperta ad inquirendum non sufficiunt.
- 6 Oratio dubia ab proferentis sensum, & utilitatem interpretanda.
- 7 Verba in dubio ita accipienda, ut vitio careant.
- 8 Statuta omnia iurans non videtur illicita iurare.
- 8 Testis vnus dictum in dubio cum alio ad concordiam reducendum.
- 9 Orationis dubiae sensum praecedentia, & sequentia aperiunt.
- 10 Scripturae vna pars per aliam, etiam separatam, interpretanda. & seq.
- 12 Verba ex fine, ad quem proferuntur, intelligi debent.
- 13 Doctorem non omnia, quae priuatim scripsit, publice docuisse sequitur.
- 14 Protestatio submittentis scripta sua Ecclesiae iudicio excusat.
- 15 Protestatio animi declaratoria, etiam facto contraria viuat.

C O N S I L I V M X V I I I .

Hypotheses, & suppositiones decem pro defensione quorundam scriptorum N. magni, & excellenti Theologi, qui aliquot annis Consultoris S. Inquisitionis officio functus, in plerisque regionibus publicum munus habuit examinandi dogmata; & dicta scripta adhuc in chartulis, commentariolis, & alijs memorialibus imperfectis, indigestis, & inemendatis inueniuntur, quibusque manus extrema nondum apposita fuit, & partim propria, partim aliena manu scripta reperiuntur: In quibus quaedam sunt minime intelligibilia, ambigua quaedam, diuersoque ordine, & stylo tradita, & quaedam protestatione illa munita, Omnia Sacrosanctae Ecclesiae Catholicae iudicio, & censurae submitto.

- 1 PRIMA igitur Hypothesis, & suppositio fuerit, nemini nocere scripturam

pturā priuatam aliena manu scriptam, nisi testibus fuerit munita, vel propria manu ei se subscripserit, cap. 1. & 2. cum gloss. & Innoc. & alijs præsertim Felino, de fide instrum. etiam si fuerit scripta a presbytero, Dec. consil. 120. vel ab aliquo religioso, etiam priore alicuius conuentus, idē conf. 612. C. de conueniendis fisci debito. etiam si tota fuerit ipsius manu scripta, Paulus, Alexand. etiam Ias. in l. cum antiquitas. C. de testa. necnon consilium Sapientis eius propria manu scriptum sine sua subscriptione prodest, secundum Paulum sub si. d. l. cum antiquitas, nec nuda ratio facit quem debitorem, l. nuda ff. de donation. Quo fit, vt nil eorū, quæ aliena manu scripta inueniuntur in scriptis prædicti N. illi nocere possit quia illius manu non est subscriptum.

2. SECUNDA HYPOTHESIS, quod nemo est accusandus, nec arguendus, eo, quod hoc, vel illud scripserit etiam sua manu in chartulis, commentariolis, & alijs memorialibus imperfectis, indigentis, & inemendatis, quibus manus extrema non sit adhibita, neque sunt adeo edita. Primum quidem, quia illa pro non scriptis habentur, iuxta illud Iustini in l. ad Sillanianum, C. de his, quibus, vt indignis, *Nihil videtur actum, donec aliquid restat addendum*. vnde nec scriptura, quæ parabatur ad testamentum, prodest, aut nocet, nisi perfecta fuerit, l. ex ea scriptura. ff. de testam. & nec Imperator capit aliquid ex testamento imperfecto, l. ex imperfecto, C. de testam. & l. ex imperfectis, ff. de legat. 3. nec instrumentum imperfectum probat, c. 2. cum gloss. & eis annotatis, & gloss. in l. generali. C. de tabul. lib. 10.

3. Secundo facit, quod licet scriptori scripta sua corrigere, & negare se ita sensisse, ac in eis continetur, donec ediderit perfecta. Quod nuper cum omnium Iudicum, & Doctorum laude fecit in Hispania vir pius iuxta, ac doctus frater Dominicus Sotus in calce suorum commentariorum in 4. lib. sentent. in hæc verba: *Multa quidem alia in Matthæum, & alias scripsi, quæ a quibusdam circumferuntur, quibus postremam manum non adhibui, & ideo, si quis ea euulgauerit, protestor non fore mea: quoniam nec colimata sunt, nec polita, & multis scaturiunt mendis, multa que continent, examine, censura, & castigatione digna.*

Tertio, quia multa scribimus omnes, non quod ita penitus sententiamus, ac in eis continetur, sed ne fugiant memoriam, vel vt postea otium nacti trutinemus, & minuamus, augeamus, vel omnino deleamus, si alius considerata in totum, vel ex parte displiceant. quod se fecisse etiam grauiissimus, idemque Sanctiss. author Augustinus in principio quæstionum super Genesim testatus est in hæc verba, *Placuit eas quæstiones, quæ in mentem venirent, stylo alligare, ne de memoria fugerent, non vt ea satis explicarem, sed cum opus esset, possemus inspicere, & admoneremur, quid adhuc esset requirendum, & essemus ad cogitandum instructi, & ad respondendum parati.*

Quarto, quod ea est fragilitas humana, quod nemo, etiam si maxime velit, & conetur, potest prima vice adeo circumspecte scribere aliqua, quæ nulla lima, & censura egeant. quod satis testatur prologus, cap. 15. lib. 2. retractationum eiusdem B. Augustini, & experientia, quæ verissima rerum magistra est, cap. quam sit. de electio, lib. 6. palam constat, omnes graues scriptores adeo nonnunquam illa, quæ in prima scriptione composuerunt, mutare, antequam vltimam manum apponant, vt longe alia videantur esse post illam adhibitam; immo & post eam adhibitam frequenter cū iam sub prælio est opus, multa etiā in contrariā sententiā cōmutare. Hinc illud Horatij consilium in arte poetica. *Nihil edatur antequam nonum prematur in annum.* Hinc illud Iustini in l. 1. C. de veteri iur. enucl. *Qui subtiliter factum emendat, laudabilior est eo, qui primus inuenit.* Et illud Ouidij lib. 1. de Pont. *Nec tamen emendo: labor hic quam scribere maior.* Hieronymus item in apologia contra Rufinum pagina 2. sentit ea, quæ nondum sunt edita emendari ab auctore posse, neque antea ob illa reprehendi debere auctorem, per illa verba: *Cum editi fuerint, & de tenebris in lucem processerint.* & in epistola ad Pammachium pro libris suis contra Iouinianum. sed longe clarissime expressit in epistola ad eundem Pammachium, quæ incipit Paulus Apostolus. dum plurimum conquestus de quibusdam carpentibus versionē cuiusdam epistolæ Græcæ a se factam, nondum tamen editam, quam furtim ei subripuerant, subdit hæc verba. *Volo in chartulis meis quaslibet ineptias scribere, cōmentari de scriptura, remordere ledentes, digerere stomachum, in locis me exercere omnibus, & quasi armatus ad expugnandum sagittas reponere; quandiu non profero, nec edo, cogitata non sunt crimina, nec maledicta quedam, quæ aures publice nesciant.* Adde quod scripta in memorialibus non probant perinde, ac scripta in rationibus, secundum Bald. cui nemo contradicit in Rubr. de constit. pecuni. ad finem. Cum igitur nihil eorum, quæ in scriptis prædicti N. carpuntur, sit politum, & collimatum, aut extrema manu donatum, vt verbis prædicti Soti vtatur, neque sit editum, vt D. Hieronymus loquitur, consequitur profecto nihil eorum illi opponi posse adempta facultate emendandi, declarandi, augendi, minuendi, vel mutandi. & ita contra ea omnia, & singula, quæ illi objici possent, defensio sit, ea nondum fuisse correctæ, non extrema manu donata, non edita, non alio quopiam modo, ita ante approbata, vt teneatur ea defendere in ea forma, qua exhibentur, sed solum in ea, qua ille editurus erat, & vulgaturus, si id facere contigisset.

5 TERTIA HYPOTHESIS, quod ea quæ sic scripta sunt, vt intelligi nequeant, pro non scriptis habentur, l. 2. ff. de his quæ pro non script. hab. cuius verba sunt. *Quæ in testamentis scripta essent, & non intelligerentur, quid significarent, ea perinde sunt, ac si scripta non essent.* ex qua lege Bart. & alij colligunt paria esse aliquid non esse scriptum, & ita scriptum, vt

tum, vt intelligi non possit. Quod ipsum est dicendum de illo, quod æque bene multipliciter intelligi potest, vt Bart. Cumanus, & Aretinus notant in d. l. 2. cui consentaneum est illud Bald. in l. scire ff. de legib. *Eius, quod multipliciter intelligitur, veritas ignoratur.* & illud Bar. in d. l. 2. *Inutilis est, quæ plures intellectus æque patitur.*

6 **QUARTA HYPOTHESIS**, quod oratio dubia, & ambigua intelligenda est in eo sensu, quam ei dat, qui eam protulit, l. in ambiguis. 2. ff. de reg. iur. Cuius verba sunt, *In ambiguis orationibus maxime sententia eius spectanda est, qui eas protulisset.* Quod maxime habet locum in his, quæ pendent a solius proferentis voluntate, quales sunt leges, quas interpretantur, qui eas condidit, l. fin. C. de leg. cum notatis ibidem: qualia priuilegia, l. ex facto ff. de vulgari. & cap. cum venisset, cum ei adnotatis de iudic. Qualia testamenta, l. in ambiguis. ff. de reb. dubijs. Qualia item eadem ratione, alia omnia, quæ pendent ab vnus proferentis voluntate, & accipi debent in eo sensu, qui magis prodest proferenti, vt Vlpianus docet in l. si quis ff. de iudic. per illa verba, *Si quis intentione, vel oratione ambigua usus sit, id quod ei vtilius fuerit accipiendum est.* Nec obstat l. veteribus, ff. de pactis cum ei similibus, quoniam loquuntur in contractibus, qui a duorum consensu pendent. Quare ea quæ in prædictis scriptis inveniuntur dubia, aut ambigua in eo sensu, qui præfato N. vtilior sit, sunt intelligenda: cum ea omnia ab vnus illius proferentis voluntate pendeant.

7 **QUINTA HYPOTHESIS**, quod verba, quæ in vno sensu denotant delictum, & in alio non, intelligenda sunt in eo sensu, per quæ non dicatur proferens deliquisse; quoniam dubia interpretanda sunt in meliorem partem, cap. 2. de reg. iur. l. merito. ff. pro socio, & semper in dubijs benigniora præferenda sunt, quæ sunt verba l. semper ff. de reg. iur. & Marcellus in l. proxime ff. de his, quæ in testa. delen. sic ait. *In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus iustum, quam tutum est.* Quod etiam in legibus fit, l. benignius leges interpretandæ sunt. ff. de leg. & in ambigua voce potius est accipienda significatio, quæ vitio caret, l. in ambiguis. ff. de legib. quam legem ait ibi gloss. recepta habere locum, tam cum est vox obscura, vel ambigua, quam cum æquiuoca siue multiplicis significationis, tam cum aliqua pars orationis est obscura, vel ambigua, quam cum ipsa tota oratio. & in mandato generali non censetur mandatum delictum, etiam si verba mandati sint generalia, & apta

8 comprehendere delictum, l. si procurator. ff. de cond. indeb. per quod ibi quampluræ recentiores deciderunt. Et qui iurat omnia statuta, non videtur iurare illicita, c. 1. de iureiur. lib. 6. Et generaliter prolatum in sensu, qui vtilior est proferenti, accipiendum est, d. l. si quis intentione. Nec verba sunt intelligenda captiose contra proferentem, l. insula. ff. de præscript. verb. l. Proculus ff. de usufruct. Bald. consil. 28. & 254. neq;

ita, vt proferens sibi contradicere videatur, & incidat in pœnam, argum. cap. cum tu. de testib. per quod ibi Anton. & Panor. aiunt etiam testis vnus dictum reducendum esse ad concordiam cum altero a se ipso dicto, non solum ad hoc, vt non incidat in pœnam, & periurium, sed etiam ad hoc vt probet, quod eleganter ibi Aret. & Fel. docent, & tradit Hieronymus Gratus consil. 37. num. 19. lib. 2. Quamobrem scripta prædicti N. quatenus in parte, vel in totum sunt dubia, vel ambigua æquiuoca, vel multipliciter intelligibilia, vel generalia, aliquem sanum, & catholicum sensum, & proferenti vtilem habere possunt, vel in eo, quo ea alibi ab ipso N. clare prolata sunt, ita debent accipi, ne ipse videatur deliquisse, nec in pœnam incidisse, nec illi contradixisse.

- 9 SEXTA HYPOTHESIS, quod cum aliqua oratio est ambigua, & dubia, & multipliciter intelligibilis, ille sensus est probandus, cui antecedentia, & consequentia verba magis consonant: quoniam superior, & inferior scriptura efficiunt perspicuum. quod alioquin esset dubium, vt ait Cicero lib. 2. de inuentione, vbi tractat de controuersia, quæ in scripto versatur. Et quia vt ipsemet ibidem ait, si ipsa separatim ex se verba considerentur, omnia, aut pleraque videbuntur ambigua, cui consentit grauissimus auctor Augustinus lib. 3. cap. 2. de doctrina Christiana in hæc verba. *Cum ambiguitas occurrit, contextus ipse sermonis a præcedentibus, & consequentibus partibus, quæ ambiguitatem illam in medio posuerunt, esse consulendum, vt videamus cuius sententiæ de pluribus, quæ se ostendunt, ferat suffragium.* Nam etiam Vlpianus alteram partem alteratiuæ per alteram interpretatur in l. 1. ff. de reb. dubijs. sed & Iulianus in l. si seruus post limin. §. final. ait ad summam nummorum legatorum coniiciendam eorū, quæ præcedunt, vel quæ sequuntur scripta esse attendenda, & Vlpianus in l. verum ff. de petit. hæred. agens de interpretanda prima clausula inserta senatusconsulto posito in l. item veniunt. §. præter. ff. eod. titu. quod multas clausulas continet, eam interpretatur per tertiam clausulam in eodem Senatusconsulto satis longe positam. Et idem Vlpianus in l. qui filiabus. in principio. ff. de legat. 1. sic ait, *Qui filiabus legauit, si mentionem in aliqua parte testamenti posthumæ fecit, videtur in filiarum legato de posthumæ sensisse:* per dictum textum ibi adnotauit Bartholus, quem ibi, & vbique sequuntur alij, vnam partem testamenti per aliam declarati, per quam adnotationem multa pulchra, vt alios omitam, determinat Decius conf. 15. num. 3. & consilio 270. num. 2. & 416. num. 4. & conf. 480. num. 2. & 495. nu. 10. & conf. 515. nu. 6. & alijs duobus consilijs. Vnde recte dixit Io. Groperus Archidiaconus Colonienfis in libro de veritate corporis, & sanguinis Christi. pag. 103. in hæc verba. *Nulla alia ratione ad eorum, quæ a quopiam obscure dicta sunt certiore, magisque propriam, & germanam potest intelligentiam, & notitiam præueniri, quam, vt ea, quæ antecedunt, & sequuntur verba expendantur.*

Et vt

Et vt omittamus alia, Celestius in c. secundo requiritis. de appellatione. dixit, vtriusque iuris argumenta nos docere ea, quæ in principio ad mediũ, & ad finem, illa vero quæ in medio ad finem, & principium referuntur. id quod ijs verbis sic summat Bald. ibidẽ, *Per media declarantur extrema, & per vnum extremum declaratur alterum.* Cum igitur bona pars eorum quæ ipsi N. opponi possunt in prædictis suis scriptis per antecedentia, vel consequentia declarentur, habere sensum catholicum, non debent opponi ei, vt sapiant hæresim.

11 SEPTIMA HYPOTHESIS: quod non solum pars vnius scripturæ per aliam partem eiusdem declaratur, vt prædictum est: sed etiam per alias omnino ab ea separatas; quod grauissimus author Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana c. 26. in hæc verba docet, *Cum docet, Cum verba scripturæ in vno loco appetitus ponuntur, ibi discendum est, quomodo in locis intelligantur obscuris.* & super primo Genesis ad literam c. vlt. ait, *Cum scripturas legimus. id eligamus, quod certum apparuerit cum sensisse, quæ legimus: si autem dubitatur, id certe, quod circumstantiã scripturæ non impedit, & cum sana fide concordat.* Et Vlpianus in l. Heredes palam. §. si quid ff. de testam. sub finem ait. *Interpretationem verborum, quæ in testamentis reperuntur obscura, fieri posse, ex vicinis scripturis, ex verbis enim prælatis in vna scriptura sumitur interpretatio, quid senserit quis in alia.* quod sæcuola sent. in l. vxori. §. si. ff. de leg. 3. quatenus significat, per verba testamẽti alicuius declarari posse, quod ipse in instrumento donationis sensisset. quod ibidem adnotauit Bartheo. quem sequitur Alexan. conf. 69. vol. 6. col. 1. idem significat Papinianus, in l. 3. ff. de fundo instru. quatenus habet, verba codicilli testatoris declarari per verba testamenti. per quem Curtius senior consil. 49. col. 21. dixit, quod voluntas declaratur non tantum ex eadem, sed etiam ex alia scriptura. Cum igitur quidquid dubij, & ambigui esse potest in scriptis præfati N. ex alijs illius scriptis declarari possit, consequens est, ita declarandum.

12 OCTAVA HYPOTHESIS, quod verba intelligi debet secundum id, ad quod principaliter proferuntur, & scribuntur, §. 1. §. nõ autem, ff. de flumi. vbi Vlpianus ait, illa verba prætoris in principio legis posita, *Ne quid in flumine, ipave fiat, quo statio, iterue nauigio deterius fiat,* de flumine nauigabili esse intelligenda, quoniam ad id principaliter proferuntur: & verbum positum ad vnum finem secundum illum est interpretandum, c. fin. de verborum signifi. & intelligentia verborum ex causis est assumenda dicendi, Hilarius in cap. intelligentia, eod. titu. & actus agentium non operantur vltra intentionem eorum l. non omnis. ff. de reb. cred. l. in agris. ff. de reb. cred. l. in agris. ff. de acquiren. rerum domini. vnde qui aliqua dicit, aut scribit recitando, vel adnotando tamquam ab alio dicta, non videtur ea approbare, c. literas. de restitu. spoli. c. super literis. de re script. & gloss in l. Gallus. §. ideo credendum, verbo pro nepos. ff. de liber.

& post hu. recepta ibi, & ad multa applicata per omnes recentiores, per quam Bald. in §. quidam recte eiusdem l. dixit, eum qui recitat, non ponere id, quod pro libellis notandum esse censuit. Et in hanc ipsam materiam hæreses pulchre asserit D. doctor Iacob. Septimanticensis in lib. Insti. cathol. tit. de exceptio. num. 12. Et merito, quoniam non ad hoc, vt approbet ea dicit, aut scribit: sed vt examinet, vel referat. Qui idem in eod. libro cap. 34. num. 1. æquissime de more suo definit, quod cū libri hæreticorum inueniuntur apud eos, qui illos examinare debent, vel apud alios, qui licentiam habent, vt illos legere possint, tunc omnis sinistra suspicio cessat: quia nihil mali faciunt: immo cum reperiuntur apud virum doctū, sincerum, ac minime suspectum, quiduis potius quam hæresim præsumendā putat: licet interrogari possit, quo sine libros illos prohibitos habeat. Quod satis confirmant S. Ambro. in cap. legimus. 37. dist. & Hieronym. in c. qui de mensa, eadē distinct. & August. in c. fin. 24. q. 3. Cum igitur præfatus. N. sæpissime iussus fuerit examinare libros nondum probatos, cum licentiam habuerit legendi, & tenendi libros improbatos a Sancta Sede Apostolica, cum adeo longe a suspicione hæresis fuerit, ita vt multis in locis munus publicum habuerit examinandi dogmata, & vt super eis approbandis, aut reprobandis diceret sententiam, cum ubique cum omnium publica laude eam tulerit: cum libros integros hæreticorum tenere potuerit: quid obsecro præsumendum est aduersum illum, eo quod in aliquod schedulis, chartis, cariosis, & memorialibus, & scriptis imperfectis inuentæ fuerint in libris illius aliquot propositiones hinc inde excerptæ, vt examinaret eas: quod & fecit bis, & sperabat se idem tertio facturum, si quando id tertio contingeret. Quod autem multæ in præfatis scriptis recitativæ, ac materialiter fuerint posita, vt postea disputarentur, & examinarentur, clare patebit consideranti circumstantias loci, temporis, materię, finis, personę, consuetudinis, & necessitatis scriptionis eorum. Qui enim has circumstantias considerauerit, & animaduernerit, quod verba scripta, immo & facta interpretationem recipiunt ex prædictis circumstantiis, c. quisquis. 41. dist. vbi de loco, tempore, & persona, l. si vno. ff. locati, vbi de materia. §. pauonum. Inst. de rerum diuis. vbi de consuetudine, c. discipulos. de consecrat. dist. 5. vbi de necessitate c. 1. §. q. 6. vbi de fine & animo, c. aut facta, de pœnit. dist. 1. vbi de omnibus, & apud Ciceronem ad Herennium lib. 2. & de Inventionem lib. 2. Qui inquam hæc considerauerit, & animaduernerit, facile iudicabit aliqua de prædictis capitalis recitativæ, & pro materia examinandi, disputandi, & consulendi scripta fuisse, & nullatenus animo probandi.

- 13 **NONA HYPOTHESIS**, quod eadē, quæ prædicta est experientia, palam est, complures gymnastas, prælectores, & concionatores longe alia, & alio ordine suis scholasticis, & auditoribus tradere e cathedra, vel suggestio, quam paulo ante etiam eodem ipso die in suis cameris & mu-

stris

facis cogitarunt, & in memorialibus scripserunt, adeo quidem, vt paucissima sint, quæ ita omnino pronuntiantur, ac scripta sunt: & ita non bene sequitur, hæc aut illa Titius scripsit ad prælegendum scholasticis, vel concionandum concioni: ergo eadem prælegit, aut concionatus est: quia non probatur hoc esse, id quod ab hoc contingit abesse; l. neque natalis. C. de probat. C. in pœnitentia, eodem tit. cui consequens est non probari præfatum N. docuisse, aut cõcionatum fuisse aliqua, quæ in prædictis scriptis continentur, eo quod illa scripserit pro silua, & materia prælectionis, aut concionis. Adiuuantur hæc, eo quod nulli procuratores, oratores, & alij quam multi faciunt commentarios, quas vulgus vocat memorias, vel memorialia earum rerum, quæ in curia, iudicio, cõcione, vel prælectione dicendæ sunt, vel faciendæ, quæ postea longe aliter dicuntur, aut fiunt, vt colligere est ex multis, quæ Budæus congerit in annot. ad Pandectas l. ab esse, ff. de minorib.

- 14 DECIMA HYPOTHESIS, quòd excusandus est cuiuslibet operis scriptor, si in eius editione protestatus est, se illud sacrosanctæ Ecclesiæ iudicio, & censuræ, submittere, etiam si opus sit editum, & manu extrema donatum. casus clarissimus, singularissimusque in c. damnamus. §. in nullo tamen. de summa trinit. quatenus loquitur de Abbate Ioachimo, & eius libro iam edito. Quod ipsum antea sensit D. Hieronymus relatus in c. Hæc est fides. 23. q. 1. ibi, *Siquid minus perite, aut parum caute positum est, emendari cupimus*, quem constat loqui de suis libris iam editis. cui satis consensit Augustinus in c. dixit Apostolus. 24. q. 2. cuius ratio ea est, quòd in his, quæ pendent a voluntate vnius protestatio animi declaratoria, etiam si sit contrariâ factò, iuuat, iuxta resolutionem Panor. communiter recepti in c. cum ita de constit. num. 19. qui ponit exemplum in eo, qui protestatur se non intendere dicere hæresim, quam tamen postea dicit. cui consequens est præfatum N. excusatum iri ab his, quæ illi opponi possent ex suo libro, si esset munitus prædicta protestatione. At quamuis expresse forsan non sit munitus, tacite tamen munitus esse præsumi debet, eo quòd alia opera quæ edidit omnia expresse illa munivit, & quòd verisimile est, istum si edidisset eadem illum muniturum; quoniam ex præteritis præsumitur circa futura, quæ sunt eiusdem generis, c. mandata, & c. scribam, de præsumpt. At tacita, & expressa regulariter idem operantur, c. 2. de rescriptis. l. cum quid. ff. de rebus cred. Et ita decima defensio sit, ea omnia quæ scripta inveniuntur in prædictis scriptis, scripta esse sub protestatione, saltem tacita, quòd ea submittebat debite censuræ Ecclesiæ.

Hoc autem limitandum vt procedat iuxta regulas positas in directorio Inquisitorum part. prima quæst. 1. 2. vbi copiosissime per Reuerendissimum D. Franciscum Pegnam Sacræ Theologiæ & Iuris vtriusque Doctorem, & nunc sacra Rotæ Auditorem.

D E A P O S T A S I A .

S V M M A R I V M .

- 1 *Propositioni generali vix cathogorice responderi potest.*
- 2 *Sermones generales morales particularib. minus vtilis.*
- 3 *Apostasia triplex à fide, obedientia, & ordine.*
- 4 *Apostasia generaliter desertionem muneris significat.*
- 4 *Apostata à religione quis proprie dicatur. & 14.*
- 5 *Apostata non est sine licentia ab una religione recedens, & aliam etiam laxiorem intrans.*
- 6 *Habitum religionis deserens cito resumpturus non est apostata, licet sic excommunicatus.*
- 6 *Mendicantes ad non mendicantes transeuntes excommunicantur.*
- 7 *Apostata non est fugitiuus, & vagus animum redeundi habens.*
- 7 *Delatio habitus desertorem religionis ab apostasia non excusat.*
- 8 *Apostata est, qui professus religionem animo non redeundi eam deserit, nec aliam intrat: non autem cum dispensatione translatus, vel petita licentia strictiorem intrans, vel cum licentia foris manens.*
- 9 *Intellectus Bullæ Pauli IIII. & Pij V. contra apostatas.*
- 10 *Lex aliam interpretans iuxta terminos interpretat. & intelligenda.*
- 11 *Legis vna pars dubia per aliam declaratur.*
- 12 *Intellectus, ex quo sequitur absurdum, evitandus.*
- 13 *Reductio alicuius constitutionis ad viam iuris quid operetur.*

C O N S I L I V M I .

AN dici possint apostatæ omnes infra scripti indifferenter, scilicet. Primo, qui ex quavis causa exierunt è Congregatione eorum, & steterunt foris cum habitu, vel sine habitu, & an in hoc sit differentia inter eos, qui diu extra commorati sunt, & qui breui temporis spatio?

Secundo, an qui vigore Breuium Pœnitentiariæ, seu alias à summis Pôtificibus impetratorum foris steterunt?

Tertio, an qui ex licentia suorum superiorum, seu alias quouismodo extra claustra vixerunt?

Quarto, an comprehendantur etiam illi, qui professionem emisserunt in monasteriis obseruantiaæ congregationis, postea obtinuerunt beneficia

cia ordinis in titulum, seu ad vitam? & postmodum vigore Bullarum fel. re. Pauli III. & Pij V. ad claustra reuocati fuerunt.

Quinto, si aliqui prædictorum ante publicationem dictarum Bullarū ad claustra redierint, an nihilominus censeantur in eisdem Bullis, & earum determinationibus comprehensī?

- 1 Respondeo primum, has quæstiones esse nimis generaliter propositas, quam vt specialiter, & cathgorice ad eas ita responderi possit, vt casibus sub eis contentis plene satisfiat, nisi iusto in id libello composito, & non studio tumultuario, sed serio, & maturo adhibito, cuius adhibendi otium nobis adeo deest, tum quia quod certè ægro animo, tam grandi quæstioni, tam leuiter propositæ etiam breuem, & leuem responsonem
- 2 præbeamus, S. Thom. in prin. 2. 2. dixit sermones morales, uniuersales minus esse vtilēs, eo quod actiones in particularibus sunt; ante quem Iuriscōsultus dixit, omnem definitionem generalem esse in iure periculosam, l. omnis definitio. ff. de reg. iur. adeo quod, vix vlla regula absque aliqua exceptione inueniatur, iuxta l. 1. ff. de regulis iuris. etiam si verbis vniuersalibus affirmatiuis, vel negatiuis concipiuntur, excepta illa, de qua in cap. licet. sub fine, de regularib. vna enim circumstantiola addita, vel adempta factæ frequenter variat ius, quod oritur ex eo, l. si ex plagis. §. in clino. ff. ad legem Aquiliam, & ob id Imperator Valerianus, & Galienus cuidam petenti nimis generale responsum responderunt, in l. vt responsum. C. de transact. vt responsum congruum accipere possis, in se relati exemplum; vnde necesse est prius dicere, quis sit apostata à Religione, quam respondeatur, an infra scripti sint apostatæ ab ea. Tum quia cū triplex sit apostasia iuxta glos. solemnem, & receptam cap. 1. de apost. scilicet à fide, ab obedientia, & ordine, vel religione, cuius dictum tertium declarat S. Thom. in 2. 2. q. 12. art. 1. & omnes nostri in ea commentantes: in prædicta tamen quæstione petitur, an infra scripti sint apostatæ, per inde ac si sola vna species apostasiæ inueniretur, cum tamen etiam tertia diuidatur in apostasiam ab ordine clericali, & in apostasiam à Religione, vt prædicta glos. insinuat, & probant sex cap. posita in dicto tit. de apostatis, quorum aliqua de apostatis ab ordine clericali, & aliqua de apostatis à regula monachali agunt.

Secundo, quod ex consulentium personis, & quæstionum sequentium materia, uideretur intelligenda prima, tantum de apostata à religione, & regula Monachali, ideoque necessum est de illa tantum loqui.

- 4 Tertio, quod licet omnis apostata, ab obedientia, seu præceptis obediendi dicatur apostasia sumpta generaliter illa voce, vt prædicta glos. 1. S. Thom. & communis declarant: quia generaliter, vel retrosumpta significat omnem retrocessionem, & retractationem, siue desertionem muneris vt Goffredo in summa num. 1. Latinus videtur dictum, per l. desertorem ff. de re milit. non tamen dicitur apostasia à religione, accipiendo verbū hoc

hoc strictè in ea significatione, in qua accipitur in titulo de apostatis, & in alijs iuribus punientibus apostatas. Requiritur enim primo, quod sit criminosa, & mortifere mala, vt erudite dixit Caietan. in d. art. 1. inferens ex hoc, quod retrocessio à clericatu, & minoribus ordinibus non est apostasia ab ordine, de qua in prædicto tit. agitur: immo nec sufficit, quod sit criminosa, & mortifere mala, qualis est inobedientia, quam monachus intra monasterium existens continue renuit obedire iustis prælati præceptis, etiam si uiolaret votum substantiale castitatis: licet enim tanquam inobediens, & impudicus possit castigari, non tamen tanquam apostata, secundum omnium mentem, quam vbi supra Caietan. declarat. Immo nec sufficit, quod exeat monasterium sine licentia prælati, absque tamen animo deserendi religionem. Vnde recessio ab aliquo monasterio alicuius religionis sine licentia prælati, cum animo tamen intrandi aliam religionem, etiam laxiorem, si intret illam, non dicitur apostasia, quia licet sit recessio ab illo, aut illo monasterio, & ab illo ordine, non tamen est recessio à religione, & ita non incidit in pœnas apostatarum, iuxta determinationem Innoc. in cap. fin. de renuntiat. in cap. intelleximus. de ætat. & qualit. vbi clarius loquitur, & communiter recipitur, & etiam à præd. Caieta. declaratur. Immo nec omnis retrocessio, per quam nõ solum peccatur mortaliter, sed etiam incurritur excommunicatio maior, sufficit ad constituendam illam apostasiam, de qua loquimur. per desertionem enim temerariam habitus religionis fit retrocessio mortifera, & excommunicatione ipso iure punita, cap. 2. ne cler. vel monach. lib. 6. non tamen est apostasia omnis illa, de qua loquimur: quia non illa, quæ fit cum animo eum cito resumendi, sine animo religionem deserendi, nec vnquam id vllus eruditus dixit: etiam si dimissio habitus fieret ad liberius fornicandum, cum animo tamen statim resumendi eum, pro quo facit extrauagans Nicolai V. per quam, ubi supra, dixit Caietan. quod mendicantes transeuntes ad non mendicantes sunt excommunicati ob transitum, non tamen dicuntur apostate. Cuius extrauagantis initium est, Viam. & ponitur in titulo de regular. inter communes. Addo, quod non sufficit exitus à monasterio inconsulto prælato, etiam causa vagandi, & sine intentione intrandi aliam religionem: modo non habeat intentionem deserendi eam, vt prædictus Caietan. singulariter determinat in hæc uerba. *Religiosum cum habitu sine licentia, & alterius obedientia manere dupliciter contingit eo animo, & intentione, vt religiosus amplius non sit, & talis est verus apostata, nec excusatur ab apostasia, & censuris annexis ex hoc, quod defert habitum, sed tenetur ad omnia, ad quæ tenentur apostata siue habitu. Secundo contingit, quod non recedat, nec vagetur extra animo retrocedendi à religione, sed propter prælatorum forte rigorem, aut propter libidinem vagandi, aut aliquid huiusmodi; & talis non est apostata, sed fugitiuus, & vagus. Et quod hoc sit verum, patet ex hoc, quod apostata consistit in retrocessione à religione: ac per hoc*

hoc, qui retrocessioni à religione nunquam consensit, nunquam apostasiam incurrit, quamvis incurrat peccatū inobedientiae, & rebellionis contra preceptum praelati ex cōdo: sicut etiam stans in claustro, & nolens pertinaciter obedire praelato aliquid iuste precipienti, rebellis est, non apostata. Hæc ille.

Quarto principaliter dico, ex prædictis colligi, quod apostata à religione dicitur religiosus expresse, uel tacite professus, qui deserit religionem, quam professus est, sine transitu ad aliam, cum animo non reuertendi ad suam. cui consequens est, non omnem religiosum fugitiuum esse apostatam: omnis enim, qui exit monasterium sine licentia superioris, & si uel omisso, siue retento habitu vagatur, uel se celat, ne inueniatur, est fugitiuus, ut Ioannes And. quem Panor. & communis sequitur in cap. si. de regular. determinat, & probatur per l. quis sit fugitiuus. ff. de ædil. edict. at tamen non omnis talis est apostata per prædicta. Consequens est, nullum religiosum, qui transit ad artiore religionem, petita, licet non obtenta licentia superioris, esse apostatam: quia eius transitio non est retrocessio criminalis, siue mortifera per d. cap. licet. de regular. Consequitur item eadem ratione, nullum translatum ad aliam religionem, uel alium locū, mediante dispensatione legitima, esse apostatam, ut prædicta extrauagans uiam, de regula. sub finem probat. nec consequenter, qui est translatus ad episcopatum, iuxta clem. 1. de elect. & cap. statutum. 18. q. 1. & cap. cum olim 2. de priuileg. cap. ne pro cuius. 16. q. 1. & cap. si quis iam translatus, 21. q. 2. nec institutus perpetuo in aliqua Ecclesia, qui desinit esse claustralis, iuxta gloss. singu. & memorab. clem. 1. §. ad hæc. de statu monachor. neque qui auctoritate sui generalis, uel prouincialis exijt, & degit extra monasterium, subueniendo necessitati parentum, in quam post eius professionem inciderunt, iuxta doctrinam D. Thom. 2. 2. q. 101 art. 4. relatam à nobis in commen. 3. de regul. super cap. nullam. 18. q. 2. num. 48. & in Manua. confess. cap. 14. num. 14. & minus si ante professionem eius erant tanta necessitate oppressi, quia tunc etiam nolente superiore tenetur exire, & subuenire, si potest, secundum eundem S. Doctorem, ut ibidem diximus. Neque illum, qui per aliquot paucos passus sine licentia praelati egreditur monasterium statim reuersurus: quia non uidetur egressus ille mortifer, cum exiguitas in omni materia excuset à mortali culpa, iuxta S. Thom. in 2. 2. q. 59. art. 4. & alijs locis, quem nos citamus in Manua. confess. c. 11. nu. 4.

9 Quinto, quod ex prædictis præsuppositis inferitur solutio primæ questionis adeo generaliter propositæ, & etiam (salua saniori sententia) intellectus iuridicus Bullæ Pauli III. & Pij V. Inferitur enim, quod nullus sit apostata per aliquem actum, qui non sit peccatum mortiferum, neque per omnem, qui sit mortifer, sed solum per illum, per quem fit apostata à religione, & consequenter, quod pœnæ bullarum non fuerunt incurstæ, saltem quo ad Deum, & forum conscientiæ, nisi per eos, qui exierunt monasteria,

naasteria, & religiones per exitū mortiferū, neque per omnes, qui per omnem, qui sit mortifer, sed solū per illum, per quē fit apostata a religione, & consequenter, quod pœne bullarum non fuerunt incurse, saltem quo ad Deum, & forum conscientię, nisi per eos, qui exierunt monasteria, & religiones per exitum mortiferum, neque per omnes, qui per talem exitum mortiferum exierunt: quia prædictę bullę non induxerunt pœnas, nisi contra apostatas a religione, vt colligitur ex earum procemijis, & verbis, apostata, & apostasia, decies repetitis in Bulla Pauli, & aliquoties in Bulla Pij. V. quę solum est intelligenda de his, quos comprehendit Bulla Pauli, quippe quę interpretatur illam, & lex interpretans aliam, intelligenda est de comprehensis in ea, Auth. hæc constitutio. §. vnde collat. 3. & glos. sing. secundum Cardinalem ibi opp. 3. in clem. statutum, verb. consuet. de elect.

Non obstat, quod Paulus includit in sua bulla omnes, & singulos, qui post professionem per eos in aetate legitima constitutos in aliquo approbato, etiam militari ordine, pure, & libere emiserunt, qui temeritate propria, aut quouis prætextu, aut causa, extra claustra suorum regularium locorum degunt, aut in posterum degent. Tum quia debet intelligi de prætextu, & causa illicitis, quoniam vna pars copulatiue dubia declaratur per alteram partem, l. 1. ff. de reb. dubijs, & ita cum verbum, prætextu, & uerbum, causa, sint generalia, & dubia ad licita, & illicita, debent intelligi per illam aliam partem copulatiuam, temeritate propria, de iniustis, & temerarijs: Tum quia per verba illa, apostasia, & apostata: decies repetita, intelligenda sunt prædicta verba de illis, qui per apostasiam debebant extra claustra: repetitio enim eiusdem verbi in eadem lege, uel canone grande mysterium indicat, iuxta glossam, solemnem, clem. 1. de iure patr. Tum quia nisi illa verba restringerentur ad apostatas, dicenda esset illius bulla iniqua. quod non est dicendum de lege a Papa illo Paulo I I I I. Sanctissimo lata, cum vti theologus doctissimus nosset, de legis essentiali qualitate esse iustitiam, & honestatem, iuxta illud Isidori in c. erit autē lex iusta, honesta, & c. 4. dist. & pulchre declaratū a S. Tho. recept. 1. 2. q. 95. 12 art. 3. Tum quia alioqui comprehenderet omnes religiosos de licentia superiorum visitantes infirmos in scholis, & sepelientes mortuos extra ciuitates suorum claustrorum, & de mandato eorum venientes ad Sedem apostolicam, euntes, & proficiscentes pro negotijs suorum monasteriorū ad reges, & Principes, & ad prætoria suprema, & alia multa loca, vbi degere aliquo tempore oportet. quæ omnia sunt absurda, & ita non dicenda. l. nam quodd absurdum, ff. de bonis libertor. cap. dudum, de præben. lib. 6. sequeretur item, quod omnes, qui per dispensationes legitimas Sedis Apostolicę, & per statuta sacrorū canonum iuste ad Episcopatus, & ad alia munera perpetua vel temporalia missi sunt, essent apostata.

13 Non obstat etiam, quod prædictus Pius voluit illam reducere ad formam

mam iuris. tum quia illud intelligitur, quo ad formam procedendi, & priuati aliquos, vel declarandi eos esse priuatos, quod sine citatione fieri non debet, iuxta gloss. sollempnem, & receptam clem. 1. de censib. & clem. pastoralis. §. cæterum, de re iudi. Non autem voluit significare, quod Paulus voluit reprobare translationes, & mansiones iuste factas, quas Sedes Apostolica semper in hunc diem approbavit, & approbat.

Nō obstat etiam, quod Pius iussit, vt omnes extra claustra degentes intra certum tempus coram Iudicibus à se nominatis, ostenderent iustas causas manendi extra illa, quia id non fuit reprobare vllam iustam translationem, vel mansionem extra claustra, saltem quo ad forum conscientia, sed prouidere, ne male translati maleque degentes extra claustra suum malum statum continuarent.

Non obstat etiam declaratio Cardinalis Alexandrini, qua declarauit, etiam Monachos ordinis Camaldulen. includi sub prædicta Bulla Pauli III. quia non exprimit quod includuntur iuste, & sancte translati: & ita etiam eius declaratio intelligenda est de iniuste translatis, sicut & Bulla Pauli per eum declarata; quoniam, vt prædictum est, lex declarans intelligenda est iuxta terminos legis declaratae.

14 Ex præmissis potest facile deduci responsio ad quæstiones propositas, ad primam quidem, quod illi soli de contentis in quæstionibus dicuntur apostatae a religione, quibus definitio apostatae posita supra in quarto dicto conuenit, & non alij. Ad secundam, quod qui foris steterunt vigore Breuium Papæ, vel Pœnitentiariæ, qui sciebant, vel scire debebant ea inuolida esse, & subreptitia, fuerunt apostatae, non autem, qui sciebant, vel iuste credebant ea esse legitima. quod quidem est dicendum de degentibus foris vigore licentiarum aliorum superiorum, quod dictum est de breuiibus Papæ, & Pœnitentiariæ. Ad quartam, quod non sunt apostatae, qui cū dispensatione legitima obtinuerunt beneficia. Ad quintam, quod non, quia iam deserant essent apostatae per suas reuersiones legitimas. Quæ omnes responsiones intelligendæ sunt quo ad Deum, & conscientia forum, in quo sola veritas attenditur, cap. tua de sponsalib. In foro enim exteriori, quod sæpe præsumptione veritati contraria deducitur, cap. is qui fidem, eo. l. titulo, multi vere apostatae iudicabuntur non esse tales, & contra multi, qui nullatenus sunt apostatae, iudicabuntur tales: quoniam Deus nunquam fallit, nec fallitur, Ecclesia vero sæpe & fallitur, & fallit, cap. a nobis, l. 2. de sent. excommunic. Salua &c.

DE HOMICIDIO.

SUMMARIUM.

- 1 *Dispensandi facultas super irregularitate generaliter concessa ad bigamiã, & homicidium voluntarium non extenditur.*
- 2 *Verisimilia, quæ non sunt, credi non debent.*
- 3 *Insolita in generali concessione non veniunt.*
- 3 *Insolita diligentia fraudis suspicionem inducit.*
- 4 *Clausulæ apponi solitæ pro appositis habentur.*
- 5 *Præiulia, seu rescripta contra Stylum possunt de falsitate argui.*
- 5 *Bulla contra Stylum Curie expedita ad Cancellariam remittenda.*
- 6 *Facta ad vnum finem contrarium operari non debent.*

CONSILIUM I.

AN per Bullam Pauli III. fiat facultas superioribus ordinis Præmonstraten. dispensandi cum suis subditis super homicidio voluntario.

- 1 Respondeo primo, negari non posse, quod verba præfatæ Bullæ multum virgeant ad dicendum præfatos Reuerendissimos Patres prædicti ordinis Illustrissimi Præmonstratenensis posse dispensare super irregularitate ex homicidio voluntario contracto, & ideo disputando satis posse id defendi.
- 2 Secundo, quodd non auderem ego consulendo id affirmare. Tum quia non sunt credenda, quæ non sunt verisimilia, cap. quia non est verisimile, cum similibus, de præsumptio. & non est verisimile fel. recor. Paulum III. virum prudentis, voluisse concedere ordini prædicto facultatem prædictam, quæ maxima est, quamque nulli alij ordini concessit, neque Illustrissimo summo Pœnitentiario Cardinali, neque toti sacre Pœnitentiariæ Prætorio concedit; & ita non dispensat eius D. Illustrissima, nisi consulto prius Sæctissimo D.N. & de mandato ipsius speciali. Tum quia per eadem verba præfatæ Bullæ probaretur posse præfatos Reuerendissimos prælatos dispensare super irregularitate bigamiæ. quod tamen non est dicendum; quia nec ipse Papa solet dispensare in ea; nisi ob aliquam maximam causam. Tum quia insolita non veniunt in concessione generali, cap. fin. de off. Vica. lib. 6. Tum quia insolita diligentia fraudis suspicionem
- 3

nem inducit, l. si quis sub condicione. adiuncta glos. quam Bal. ad hoc ibi notat, deest tit. quem cum alijs refert Decius consilio 448. num. 23. & Felin. in cap. 2. de rescrip. Et ita insolita negligentia excipiendi irregularitatem ex homicidio voluntario, & bigamia videtur arguere voluntatē fraudandi legem. Tum quia clausulæ solitæ apponi habentur pro appositis, l. fin. C. fideiussor. cap. cum M. de constitu. cap. 2. de rescrip. & ita exceptio irregularitatis, ex homicidio voluntario, & bigamia solita interferi facultatibus ad dispensandum super irregularitatibus concessis, censenda videtur tacite inserta præfato priuilegio. Tum quia rescripta, & priuilegia contra stylum Curie scripta possunt argui falsitatis per innumera, quæ congestit Felin. in d. cap. 2. de rescrip. à num. 16. Tum quia bulla contra stylum Curie expedita remitti potest ad instanciam eorum, quorum interest, ad Cancellariam, vt in ea suppleatur, vel restringatur secundum eius stylum, iuxta regulam 25. Cancel. Tum quod præfatus Paulus III. excipiendo irregularitatem prouenientē ex iniusta fructuum perceptione à potestate dispensandi, visus fuit habuisse animum restringendi potestatem dispensandi concessam alijs religionibus, illa non excepta. Ergo non videtur habuisse animum ampliandi eam, cum facta ad restringendum non operentur ampliationem, neque è contrario, cap. fin. de verb. sig. & l. rem legatam. ff. de adimen. leg. Tum denique, quod videtur absurdum dicere, Papam, qui voluit negare potestatem dispensandi super irregularitate nata ex iniusta fructuum perceptione, voluisse ampliare concessiones eiusmodi solitas dari ad irregularitatem, ex homicidio, & bigamia natam. Cum fuerint qui dixerunt Papam non posse dispensare super eis, iuxta cap. miror. 50. dist. & notat. in cap. debitum de bigam. Cumque non concedat Papa eam suis nūtijs, & legatis etiam à latere, vt palam est his, qui videntur facultates eis concessas: & ita nullatenus videtur consulendum, l. nam quod absurdum. ff. de bonis liber. Quamuis profecto in gratiam præfatorum Patrum Reuerendissimorum, quos ego multiplici ratione colo, contrarium libenter respondissem, si per conscientiam licuisset. Salua &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Beneficium post irregularitatem obtentum, vt suum retinere nemo potest.
- 1 Præcepta negativa obligant semper, & ad semper.
- 2 Præceptum de restituendo aliqua ex parte affirmatiuum obligat semper, sed non ad semper.

CON-

CONSILIVM I I.

Vtrum homicida, vel alius irregularis retinere sine peccato possit beneficium quæsitum post irregularitatem ante dispensationem obtentam; & quid interea debet facere.

- Respondeo, quod non potest retinere vlllo tempore ante dispensationem illud beneficium tanquam suum, argu. c. 1. de reg. iuris libr. 6. sicut, nec fur potest vlllo tempore retinere rem furto subtractam tanquam suâ,
- 1 cap. sape. de resti. spol. quia præcepta negatiua obligant semper, secundum Archid. c. si peccauerit. 2. quæst. 1. & in summa. de pœnit. distin. 5. & præceptum de non furando quatenus continet præceptum de non retinendo alienum pro suo est negatiuum: & ita obligat semper, & ad semper seruandum. Possit autem retinere prædictum beneficium aliquo tempore boni viri arbitrio moderando, tanquam non suum, cum voluntate
 - 2 relinquendi quam cito commode, & honeste potest: quia præceptum de restituendo, & relinquendo rem alienam est saltem ex aliqua parte præceptum affirmatiuum; & quatenus est tale, obligat quidem semper, sed non ad semper, per prædictum dictum Archidia. vbi supra desumptum ex S. Tho. 2. 2. q. 43. art. 2. qui pulchram diuersitatis rationem inter præceptum negatiuum & affirmatiuum reddit & c.

S V M M A R I V M.

- 1 Beneficium per superuenientem irregularitatem non vacat.
- 2 Gratia ad beneficia victui necessaria tacito quæsito non vitatur.
- 3 Expressio eius quod faciliorem principem ad concedendum reddit vitiat gratiam.
- 4 Irregularis in choro canere, & alia officia facere, que laicus, potest.

CONSILIVM III.

Quidam homicida iam diaconatu legitime insignitus habens, & possidens vnâ canonicam ecclesiæ cuiusdam Collegiæ impetrauit à Papa dispensationem obtinendi beneficia simplicia non requirentia ordinem, quæ suo victui sufficerent, quæque sine altaris ministerio posset tenere, non facta mentione quod haberet prædictam canonicam. Quæritur primo, an prædicta dispensatio valuerit.

Secundo, an esto valuerit, vel non ualuerit, possit deseruire prædictæ Canonicæ.

Pro

F Pro parte affirmatiua primæ quæstionis facit primo, quod præfatus consulens non perdidit ipso iure illum Canoniatum, quem ante homicidium legitime quæsiuit, cap. clericis. verbo priuatur. ne cler. vel monac. Innocen. & communis cap. cum nostris, de concess. præbend. Felin. c. Inquisitioni. de accusa. & alij alibi sæpe, & ita non indigebat dispensatione ad retinendum, sed tantum sublatione irregularitatis ad se ordinandum, & ad alia beneficia obunēda. Secundo, quod nõ obstat, quod in impetratione beneficij quærendiuit faciēda mentio de beneficio in quæsito, c. si proponente. de rescrip. c. si motu. de præben. lib. 6. quia in casu proposito non loquimur de impetratione beneficij, sed de rehabilitatione ad illud, vt palam est. Tertio, quod etiam non obstat, quod in impetranda dispensatione ad beneficia debet fieri mentio de beneficio quæsito, c. non potest. de præb. li. 6. q. a illud c. non agit de impetratione habitatis, vel rehabilitationis ad beneficia; sed de impetranda dispensatione ad secundam pluralitatem beneficiorum: & ita de alio genere dispensationis, ex quo non potest inferri ad aliud, l. Papinianus. ff. de mino. Quarto, quod non obstat dicere, quod Papa difficiliter concessisset prædictam dispensationem, si expressisset, quod habebat canoniam. Tum quia non videtur id esse verum: quoniã verisimilius est, quod potius concessisset retentionem illius quã obtentionem nouam aliorum, arg. c. quemadmodum, de iureiurando. Nec obstat quod non concessisset habitatem ad noui quærenda: quia denegari potest, eo quod solum concessit ad quærenda vnum, vel plura simplicia, quæ sufficerent ei ad honestè viuendum; quod concessisset etiam si expressisset, quod habebat canoniam: quia si illa ei sufficiebat, nihil concedebat; & si illa non sufficiebat, tantominus concedebat quantominus egebat habendo illam canoniam. Tum quia licet omnis expressio, quæ mouet Principem ad facilius concedendam gratiam, efficiat eam ipso iure nullam l. & si legibus. C. si contra ius, vel c. super literis. de rescrip. non tamen omnis taciturnitas veris, de quo iure cautum est, vt non expresso illo gratia sit nulla, vt resoluit Rosa in nouis. decis. 31. de rescrip. & Felinus cap. postulasti. colum. 4. eodem titu. quos sequitur in Manua. confess. numero 86.

A D S E C V N D A M responderetur, quod, vt prædictum est, per homicidium, & irregularitatem superuenientem non vacauit canoniam; & quod irregularitas per se sola separata ab excommunicatione interdicto, & suspensione, non videtur impedire actum canendi, & psallēdi, nec per alios qui non sunt peculiāres, & appropriari actui ordinum, secundum mentem Innoc. c. fin. de excess. præla. nullo enim iure videtur probari, quod irregulari non liceat cauere, & psallere in choro, & pronuntiare per se, & cum aliis officia diuina; modo absteineat se ab actibus propriis ipsorum ordinum. tum per definitionem eius à nobis traditā in d. Manu. confess. cap. 27. num. 191. constat, irregularitatem esse idem impedimē-

tum ad accipiendum ordines, & ad utendum vsu acceptorum quatenus sunt ordines; non tamen ab ulu eorum officiorum, quo laici vti possunt: at laici licite possunt canere, & psalere in choro, & extra illu officia diuina. Ergo & irregularis idem facere possit. Tum quod nemo dicet illegitimum caecum, monoculum, manu, pede, aut aliquo alio membro mutillarum, peccare canendo, vel psallendo in choro, vel extra illum: nec vsus communis vrbis, & orbis contrarium seruat &c.

S V M M A R I V M.

I *Dispensatio presbytericidæ dicentis simpliciter se hominem occidisse, est nulla.*

C O N S I L I V M III.

QVI occidit voluntarie vnum presbyterum, absolutus postea à peccato per Iubileum, impetrauit dispensationem super irregularitate, dicens se occidisse quendam hominem, non facta mentione) quod occisus esset presbyter. Quæritur, an dispensatio sit valida?

I Respondeo, quod non, quia tacuit non exprimendo, quod de iure exprimendum erat, quod expressum retraxisset Principem à concedenda dispensatione, quod facit gratiam subreptitiam, cap. postulasti, & cap. super literis, de rescript. Tacuit enim verum, non exprimendo satis specialiter Papæ delictum, quod commiserat, quia expressit, quod occidit hominẽ, & ipse occidit hominem presbyterum, quod est longe grauius. Non obstat, quod ipse dixi super extrauag. de dat. & recept. num. 48. & in Man. cap. 22. numero 86. quod non omnis taciturnitas veri, quod expressum difficiliorem redderet Principem ad concedendum, reddit gratiam subreptitiam, sed solum taciturnitas veri, quod iure mandatur exprimi, non inquam hoc obstat, quia iura iubent exprimi delictum, ex quo nascitur irregularitas. Super qua petitur dispensatio, quod non fuit factum hoc casu, cum solum fuerit expressum homicidium in genere, quod verificari potest etiam in homicidio laici, & in casu erat presbytericidium, & ita homicidium specialiter, & grauisimè qualificatiuum, & consequenter fuit admissa taciturnitas veri, quod iure debebat exprimi, & ita non solum non est contra hoc, quod ipse, vt supra dixi, immo pro eo. Salua &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Irregularis est, qui dicit, vel facit aliquid, quo quis occiditur.*
- 2 *Dispensatus generaliter, eo quod interfuit bello iusto, si aliquem scienter occidit, non dicitur dispensatus.*

C O N S I L I V M V.

VNus Lutheranus mortifere percussus venit ad exercitum Catholicum, dicens se esse Catholicum. Vnus ex Catholicis dixit compatiens ei, melius esset, vt omnino occideretur, cum sanari nequeat, & cum dixisset, abiit, & quidam ex iisdem, qui i audierant, occiderunt eum.

Dubitatur primo, si sit irregularis, qui dixit illa verba ex compassione.

Secundo, An dispensatus generaliter à Papa, eo quod interfuit illi bello iusto, in quo multi fuerunt occisi, se iuuante occisores, censeatur dispensatus etiam in hac irregularitate, si quæ est?

- 1 **AD PRIMVM**, respondetur, videri esse irregularem, si ob eius dictum fuit in causa, q̄ fuit occisus, saltè prius quam alias occideretur: quia licet nemo fiat irregularis, eo quod in bello iusto interueniat, generaliter adhortando socios, cap. igitur. cum glossa cap. hortatu. 23. q. 8. cap. penult. de homic. qui tamen specialiter adhortatur aliquem ad occidendum, tunc incurrit irregularitatem, vt diximus in Manuali cap. 27. n. 215. cum sequentibus.
- 2 **AD SECVNDVM** respondetur, quòd non videtur sufficere prædicta dispensatio; quia in narratione petitionis non expressit aliquid, ex quo dici possit irregularis, vt ex prædictis colligitur: quia solum dicitur interfuisse armis, & iuuisse, non tamen iuuisse ad occidendum hunc, vel illum specialiter.

S V M M A R I V M.

- 1 *Irregularis an sit alium generaliter ad vindictam hortans, si sequatur homicidium.*
- 2 *Irregularis non est hortans alium ad vindictam, alias erat omnino occisus.*
- 3 *Privilegium dispensandi super homicidio voluntarium non includit.*

AN Regularis, qui intellectis quibusdam facinorosis delictis a bannitis in patriam, & amicum perpetratis litteras, ad eundem amicū consolatorias, & ad vindictam hortatorias scripsit, ignorat tamen, an ad eundem peruenerint, si deinde dicti banniti ab illo amico occisi fuerint, debeat ipse regularis reputare se irregularem, ita ut per extensionem priuilegij Eugenij III. possit a suis superioribus secum dispensari.

- 1 Respondetur primo, quod D. Consulens non incurrit ullam irregularitatem si prædictæ literæ consolatoriæ, & hortatoriæ ob vindictam non comprehendebant specialiter vindictam iniuriosam auctoritate priuata faciendam, qualem præfata literæ non includebant, si generaliter tantum ad ultionem hortabantur: quia mandatum generale, vel alia dispositio generalis, quæ de natura verborum potest intelligi de re bona, & licita, & de mala & illicita, seu delicto, debet intelligi de re bona, & licita, l. si procurator. de conditio indebiti. ff. & cap. 1. de iure iur. lib. 6. cum similib. & verbum ultio, siue vindicta intelligi potest de ultione iusta, & ultione iniusta, intelligendum est in dubio de iusta, & qui hortatur alium ad ultionem, vel vindictam, intelligendus est hortatus ad ultionem iustam iuridice faciendam.
- 2 Secundo, quod etiam non incurrit D. Consulens irregularitatem, si literæ illæ non peruenerunt in manus eius, ad quem scribebantur, vel ipse, aut illi qui fecerunt eam iniuriose occidendo raptores, animo deliberato ad faciendam vindictam iniustam, essent ita, quod fecissent eam, etiâ si literæ ad eos non peruenissent, de iuxta gloss. sing. receptam in ca. felicis §. illud pœnis lib. 6.
- 3 Tertio, quod D. Consulens potest credere, id quod notatur fecisse Eugenium ad extendendum priuilegium supradictum dispensandi exterius, prout in nota continetur, sed quod in effectu extensio illa non extenditur ad irregularitatem, quæ nascitur ex homicidio voluntario. tum quia verba ipsius extētionis significant, nō extendi illud ad homicidas voluntarios. Tum quia etiam Legatis a latere, nec Summo Pœnitentiario Romæ datur potestas absoluendi ab illa. Tum quia in priuilegijs religioforum, quibus post Eugenium data sunt huiusmodi priuilegia, restringuntur, ut non comprehendant irregularitatem ex homicidio voluntario contractam: & cum negari non potest homicidia præfata fuisse iniusta, & voluntaria, notumque sit æqualem irregularitatem contrahere consulentem, & mandantem, atque occidentem, non posset D. Consulens absolui a præfata irregularitate virtute sui priuilegij, si contraxit illam propter illas literas; quia consilium tulit per illas ad homicidium voluntarium faciendum.

Quarto,

Quarto, arbitrari me non teneri D. Consulentem ad credendum in casu proposito contraxisse talē irregularitatem propter duo priora dicta, & ideo debere deponere scrupulum, donec sciat literas peruenisse ad eū, cui describebantur, & fuisse causam, vt committerentur homicidia, quę non fuissent commissa si occisorum animos nō auxissent illę literę ad ea faciendā, & quod si noluerit deponere illud debere petere dispensationem secretam a Papa, vel sua sacra Pœnitentiaria & c.

S V M M A R I V M.

- 1 Homicidium casuale ex ludo licito secutum non facit irregularem.
- 2 Iudex condemnans, & miles in bello iusto occidens fiunt irregulares.
- 3 Delictum ex ludo secutum in eo foro, in quo non est illicitum, punitur.

C O N S I L I V M VII.

Certabant aliquot pueri ludo lapidum, in quo alter alterum occidit. Quæsitum fuit, an sic occidens sit irregularis?

- 1 Dicendum videtur, quod huiusmodi puer non sit irregularis, si ludus, quo ludebat, erat licitus, vt est hastiludium, & aliqua progymnasinata, vel præexercitamenta militaria; quia homicidium casuale non parit irregularitatem, quando prouenit ex ludo licito, cap. Ioannes, de homici. & tradimus late in Manu. cap. 27. num. 211. Nec obstat, quod Iudex condemnans alium, & miles in bello iusto occidens manibus suis, est irregularis: quia id habet locum in homicidio ex proposito, nos loquimur de casuali, quod si ludus, quo ludebat puer, erat illicitus, quoad ecclesiam puer est irregularis; quia homicidium etiam casuale ex opere illicito parit irregularitatem, c. continebatur. & cap. presbyterum, de homicid.
- 2 Non obstat doctrina Ananiani in conf. 283. & in cap. cum venerabilis. de consuetud. quem sequuntur plures, quod refert Hippolytus, in l. 1. nu. 101. ff. ad l. Cor. de sic. quod occidens aliquem in ludo consueto non tenetur pœna legis Cornelię de sicar. quia illa procedit quoad pœnam temporalem impositam a lege temporali: nos autem loquimur de pœna ecclesiastica imposita a lege ecclesiastica, volo dicere, quod pœna imposita a lege temporali, excusat a pœna imposita per legem, in cuius foro consuetudo ludendi est licita, non tamen excusat a pœna legis, in cuius foro illa consuetudo ludendi non est licita, & ita licet ludus lapidum a pueris consuetus fuisset licitus secundum leges sæculares, & puer non incideret in pœnas legum sæcularium: incideret tamen in pœnas ecclesiasticas in foro ecclesiastico, in quo ludus ille esset illicitus, & per con-

sequens licet occidens casualiter in hastiludio, quod est licitum secundum leges ecclesiasticas, non fieret irregularis, occidens tamen in torneamentis, quæ sunt illicita secundum leges Ecclesiæ, licet sint secundum leges sæculi, incidere in irregularitatem inflictam per leges ecclesiasticas. Puto tamen, quod si ludus ille puerorum, quod certant lapidibus, fieret tanta cautela scutorum, clypeorum, vel peltarum, quo raro contingerent homicidia, vel vulnera, esset ludus licitus; etiam secundum leges ecclesiasticas, sicut hastiludia, per extrauag. 1. de torneament. Salua, quæ iustior, &c.

S V M M A R I V M.

I *Occidens citra modum inculpata tutela irregularis, sed non ex homicidio voluntario.*

C O N S I L I V M V I I I.

AN occidens alium pro sua defensione, sed nõ ob inuitabilem necessitatem, & ob id incurrens irregularitatem, cenfeatur irregularis ex homicidio voluntario indispensabili?

Respondetur, quod non, per cap. 7. sessione 14. Conc. Trident. quatenus habet, quod cum homicida voluntario, qui occidit ex proposito, nullatenus est dispensandum; cum eo vero, qui non ex proposito, sed pro defensione occidit, potest dispensari etiam ad ministrandum in factis ordinibus. per quod apparet, quod Concilium agit de eo homicida, qui eget dispensatione: & per consequens de eo qui non occidit ob inuitabilem defendendi vitam necessitatem, quia talis nullatenus est irregularis, clem. 1. de homicid. & ita qui occidit hominem non ex proposito, sed pro defensione, excedendo moderamen inculpatae tutelæ, fit quidem irregularis, sed non ea irregularitate, quæ descendit ex homicida voluntario indispensabili. pro quo faciunt illa, quæ dicit Abb. in cap. olim il 1. de restitu. spoliat. num. 15. & seq. & optime in ca. significauit. de pœnit. & remission. quatenus probat pœnam ordinariam non esse imponendam ei, qui se defendendo iustum defendendi modum excedit, sicut nec ille qui iusto dolore motus occidit, iuxta tradita in l. si adulerium. §. Imperatores, ff. ad L. Iuliam de adulterijs. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Irregularis non est, membrum pro corporis sanitate licite scindens.
- 2 Clericus non potest licite agere chirurgum, sed sic iuuare.
- 3 Clerici cum protestatione possunt in malefactores suos agere.
- 4 Clericus etiam protestando non potest ante sententiam agere ad capturam in furem rerum suarum, nisi sit fugitiuus. num 5.

C O N S I L I V M IX.

Quæritur primo, vtrum monachus adiuuans chirurgum volentem abscindere brachium putridum alterius monachi tenendo manum eius, absciso brachio fiat irregularis.

Secundo vtrum sit irregularis Prælatus monasterij, qui conquestus coram Iudice laico de fure cum protestatione, de qua in cap. prælati. de hom. lib. 6. postea indicauit locum, vbi comprehendi posset fur qui fuit ibi comprehensus, & postea fuit suspensus.

- 1 **AD PRIOREM** quæstionē respondeo primo, quod non est irregularis ille qui licite tale brachium ad salutem totius corporis absciderit, vt determinat Panor. in cap. sententiam num. 23. cleric. vel monachi secular. negot. & ideo laicus exercens illam artem non incurrit irregularitatem
- 2 ob alicuius membri obruncationem iustam. Secundo, quod chirurgus exercens illicite illam artem incurrit irregularitatem, obruncando tale brachium secundum eundem ibidem, inferens ex hoc quod clericus cui vetita est illa ars, iuxta notata in cap. tua de homic. incurrit irregularitatem per talem obruncationem. Tertio, quod nemo (quod sciam) ante nos tangit in specie quid sit dicendum de adiuuante chirurgum in abscissione talis membri in Manual. Confess. cap. 27. num. 217. vbi noue resoluimus huiusmodi adiuuantem non fieri irregularem. quod etiã infra eod. conf. 18. deciditur.
- 3 **AD SECVNDAM** respondeo primo, facile videri posse alicui partem negatiuam esse veram. Tum quia videtur casus expressus pro illa in dict. cap. prælati de homicid. lib. 6. quatenus habet, prælatos, & omnes alios clericos posse conqueri de malefactoribus suis coram Iudicibus secularibus, sine metu irregularitatis incurrendæ, propterea quod illi eos occidant, vel membris mutilent, modo expressè protestentur nolle se vt aliqua pœna sanguinis eos puniant, sed tantum cogant ad reitituumdam damnum illatum, & faciendum iniuriarum emendam. Tum quia prædictis prælati, & clericis non solum licet conqueri, & petere prædi-

ta, sed etiam conquestionem prosequi, præsentare testes, & facere omnia illa quæ pertinent ad obtinendam victoriam super sua conquestione, & petitione, secundum omnium mentem. At indicare locum ubi malefactor est, & captura eius, pertinere videntur ad prædictam victoriam obtinendam, propter positiones quæ ipsi fieri possunt, & responsiones quas cogitur facere si capiatur. Tum quia secundum Petrum ab Anchar. quem satis sequitur Francus in dict. cap. prælatis, possent prædicti prælati post sententiam latam petere executionem eius, & ut malefactores condemnati capiantur, qui licet resistendo familiæ iudicis occidantur, non ob id prædicti prælati erunt irregulares.

4 Pro parte autem affirmante, scilicet, quod prædictus prælatus sit factus irregularis, vrget fortiter, primo quod cap. prædictum prælatis probat quidem quod ecclesiastici possunt agere contra suos malefactores ciuilitè cum protestatione prædicta sine metu irregularitatis, & consequenter ut argumentum primum pro parte negante factum probat, possunt prosequi litem, & facere articulos, positiones, probationes, & alia ad victoriam ciuilem necessaria. At captura malefactoris non est necessaria ad obtinendam ciuilem victoriam, iuxta notata in l. consentaneum, & authent. qui semel C. quomodo, & quand. Iudex & cap. fin. vt lit. non contest. Secundo, quod non videtur licere clerico sine metu irregularitatis, etiam præmissa protestatione, petere a Iudice seculari, vt capiat malefactorem suum, ad hoc vt cogat eum soluere sibi damnum, quod fecit, saltem antequam condemnetur, ergo nec iuuare eum ad capiendum, nec consequenter indicare locum, vbi capi posset, arg. authen. multo magis C. de sacrosanct. Eccl.

5 Per quæ omnia coniuncta videtur hæc quæstio difficilioris resolutionis esse quam a principio apparebat, & videtur in præsentia resoluenda cum hac distinctione, quod, si fur erat fugitiua persona, ita quod probabiliter crederetur, quod sententia contra eum lata parum profuisset, nisi persona detineretur, licuisset prælato indicare locum, vbi erat, sicut capere, & petere, vt caperetur, alioquin non, ea ratione diuersitatis quod priore casu esset necessaria captura ad effectum sententiæ etiam ciuilitè latæ, in posteriore vero non. Pro qua distinctione facit quod debitor fugitiuus capi potest auctoritate priuata l. ait prætor §. si debitorem ff. quæ fraudem creditorum, non autem qui non est fugitiuus. &c.

S V M M A R I V M.

I Irregularis non est percussus percussorem detegens, licet ipse postea occidatur. num. 3.

I Homi

- 1 *Homici dij causa propinqua, & non remota parit irregularitatem.*
- 3 *Damna ndus non est, qui nocentem etiam extra iudicium infamat.*
- 4 *Dictum satis directum in alicuius mortem, ea secuta facit irregularem.*
- 4 *Argumenta remotione generis ad remotione in speciei validum.*
- 5 *Irregularem facit mors non intenta ex opere illicito in illam directo.*

CONSILIUM X.

Sacerdos quidam reperit in sua possessio ne latronem quendam banni tum, a quo fuit minis, terrore, & gladio gutturi applicato pessime affectus, & ob id cum in domum esset reuersus minutus sanguine, & à multis interrogatus noluit dicere causam donec elapsis septem vel octo horis cuidam compatri suo id eum flagitanti dixit nomen eius, a quo passus fuit: addens, quasi per iocum, & tamquam non verisimile, ite, & eius causam apprehendite, significans eum iam non inuentum iri: quippe cui tanto temporis fuisset aufugiendi, cuius compatriis indicio fuit inuentus latro a iudice, & occisus ab vno comite ipsius. Quæritur, an prædictus sacerdos sit irregularis.

1 Responderetur, non esse, primo quidem quia ipse non occidit, non iussit, nec consuluit, immo multo tempore tacuit, cum conqueri posset apud Iudicem iuste protestatione facta ne procederetur ad sanguinis effusionem, iuxta cap. prælatis, de homicid. lib. 6.

2 Secundo, quod etiam nullatenus fuit causa propinqua illius homicidij, quia esto eius dictum fuisset causa sine qua non fuisset secuta tam cito illa mors, non tamē fuit causa propinqua, sed longe remota: & ad irregularitatem incurrendam non sufficit, quod quis sit causa homicidij remota, sed oportet, quod sit propinqua, cap. de occidendis. 23. q. 5. & iuxta glos. sing. & recept. in cap. de cætero. de homic. causa vero propinqua homicidij illiciti definitur a nobis in Manua. confess. cap. 27. num. 220. esse dictum aut factum illicitum sufficienter in deformationem id est homicidium, uel mutilationem directum, quale non fuit dictum D. Consulenti. Tum quod non fuit illicitum: nullo enim iure tenebatur illud quod dixit tacere: cum tam naturali, diuino, quam humano, liceret ei ob illam in curiosam affectionem illum accusare, & etiam extra iudicium prode, iuxta illud Pauli Iuriscons. in l. eum qui. ff. de iniurijs. *Eum qui nocentem infamat, non esse condemnandum: peccata enim nocentium in multa non esse, & oportere, & ea expedire.* Vbi glossa recep. in verbo infami addit esse verum id, siue faciat id in iudicio, siue extra, per multa iura, quæ ibi allegantur, & traduntur in Man. conf. cap. 18. n. 31. & is cuius violentiam amico detexit sacerdos, erat vir iniquus, & similibus, & maioribus violentijs infamatus, & damnatus, & exbannitus, vt ponitur in facto. Tum quod illud dictum non erat sufficienter ordinatum ad mortem: quia illud dictum dicitur

dicitur sufficienter directum in mortem alicuius, quod suapte natura, vel intentione dicentis dirigitur in illam, vt in d. cap. 27. nu. 2 I I. definitur: & prædictum dictum sacerdotis, nec suapte natura, nec intentione proferentis, dirigebatur in mortem: alioquin quodcumq; dictū alteri crimen alterius morte dignū propalaret, diceretur esse dictū sufficiēter directū in illam, quod valde absurdum est, & ita non dicendum, l. nam quod absurdum, ff. de bonis liber. Nec potest dici directum in mortem citius inferendam, arg. a remotione generis ad remotionem speciei, quod est validum, iuxta gloss. iunct. & textum in l. si causa cognita. ff. C. de transact. & Bal. in l. conuentiuncula. C. de episc. & cleri. vt, si non est animal, non est homo.

- 5 Tertio facit, quod tunc demum mors non intenta secuta ex opere facit quem irregularem, quando opus illud illicitum eo respectu est tale, quod dirigitur in illam, vt in d. num. 220. dicitur, qui mittit aliquem aliqua intentione mala, puta furandi aliquid, & illo in via ictu fulminis occiso non est irregularis: quia licet missio illa in se esset illicita, & ex ea sit secuta mors, quatenus tamen erat illicita, non dirigebatur sufficienter in illam, & ita esto dictum prædicti sacerdotis esset illicitum quatenus illum distamabat, quod tamen non est verum, vt dictum est, non tamē erat illicitum per directionem in mortem latronis, sed alio respectu, videlicet publicati secreti. Cum igitur eius dictum non fuerit illicitū, nec causa propinqua, licet forte fuerit causa remota sine qua non, consequens est eum qui dicit illud non esse irregularem. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Iudici, seu eius ministris resistens iuste occiditur.*
- 2 *Irregularitas etiam ex homicidio iusto contrahitur.*
- 3 *Irregularis nemo in foro fori, nisi probetur, iudicandus.*
- 4 *Pugnans in bello iusto, licet multi ab alijs occidantur, non fit irregularis.*
- 5 *Occidens ne occidatur non est irregularis.*
- 6 *Occidens se defendendo, cui fuga fuisset dedecori, non peccat.*
- 7 *Irregularis non est, qui tute nequens fugere inuasorem occidit.*

CONSILIVM XI.

Præfectus vigilum misit tres ex suis satellitibus ad detinendum, & cōprehendendum fures quosdam fructuum hortorum, & vinearum; & obuiauerunt quinque armatis bombardis, qualibus etiam erant armati illi tres, & pugnaverunt omnes: appropinquante tamen præfecto cum alijs

alijs suis fugerunt latrones, vno tamen eorum manente mortuo. *Quæritur*, an N. qui erat vnus ex tribus præfatis, sit irregularis.

Respondetur primo, tria posse allegari ad excusandum præfatum N. ab irregularitate. Primum, quod iuste fuit occisus ille, qui fuit inuentus mortuus, quoniam iussu Iudicis Præfectus Vigilum pugnavit contra iniuste resistentem, quem damnaret, C. vt uim & l. vt patriæ. ff. de iust. & iure. Secundum, quod non potest probari occisum fuisse iuste N. Tertium, occisum fuisse illum ad defensionem necessariam præfati N. & aliorum trium.

2 Secundo, respondeo horum primum non sufficere ad excusandum ab irregularitate: quia etiam ex homicidio iusto nascitur irregularitas, per cap. sententiam ne cle. vel monach. per quod probatur iudicem iuste occidentem, vel iubentem occidere, esse irregularem vna cum omnibus, qui adiuuant eum ad ferendam sententiam, inde etiam in bello iusto occidit suis manibus aliquem, etiam infidelem, sit irregularis, cap. penul. de homicid. a contrario sensu, quod ad hoc allegauimus in rubr. de iudicijs num. 107.

3 Tertio, quod per secundum prædictorum posset excusari quoad foris exterius ab irregularitate prædictus N. Tum quia nemo debet iudicari esse irregularis, nisi probeatur c. ad audientiam, & ibi Innoc. communiter de homic. Tum quia qui pugnat in bello iusto pro iusto bellante, & non occidit, nec mutilat manibus suis, non sit irregularis; etiam si multi occidantur ab vtraque parte, & etiam si percutias aliquos, modo non occidat, nec mutilet, vt est casus sing. in d. c. penul. & quod ad hoc dixit esse singulare Panor. in cap. 2. de immuni. Ecclesiarum num. 17. & nos retulimus in dict. rub. de iudicijs num. prædicto.

4 Quarto, quod tertium prædictorum excusaret præfatum N. ab irregularitate, si ipse etiam suis manibus occidisset aduersarium ad euitandam mortem, quæ aliter quam per occisionem non posset euitari, per clem. 1. de homicid. sed dubium est an præfatus N. occidisset ad se liberandum à morte alias inuitabili: quoniam videtur potuisse euitari illa per fugam.

5 Quinto, quod ad excusandum occidentem à peccato sufficeret quod non teneretur fugere propter iniuriam, & dedecus quæ inde sibi resularent; non autem ad liberandum ab irregularitate: quia irregularitas sine peccato potest contrahi, & contrahitur quotidie, vt prædictum est, quam resolutionem tradit Panor. in c. olim. 1. de restit. spoliat. quem nos citamus, & sequimur in Manua. nostro confess. cap. 27. num. 211. & cap. 15. num. 4.

6 Sexto, quod licet potentia fugiendi mortem per fugam excuset à peccato eum qui non potest fugere sine iniuria & dedecore, non tamen ab irregularitate vt prædictum est: videtur tamen hoc limitandum de fuga, per

per quam sine periculo mortis posset fugere: quia si fuga esset periculosa ob casum, vel velocitatem insequentis hostis, vel ob viarum, & alia impedimenta, tunc excusabitur etiam ab irregularitate: quia celeretur mors inuitabilis, cum sine periculo probabilis mortis non possit vitari, vt ait pulchre Zenzelinus, quem sequitur Bonifacius in d. clem. 1. num. 75, de homicidio, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Pugnans in bello iusto si per se non occidit, licet viuerit, non est irregul.*
- 2 *Irregularis in dubio foro fori nemo iudicandus, secus in foro poli.*
- 3 *Occidens alium alias occidendus quando nec peccat, nec fit irregularis.*

CONSILIVM XII.

TRes missi à Iudice ad quærendum latrones obuiauerunt quinque latronibus & bannitis, vtrisque erant arma sclopetica, & vtrinque pugnatum est, superuenientibus iudice & alijs fauentibus ei, fugerunt latrones, ex quibus vnus inuentus fuit mortuus. Quæritur, an N. qui fuit vnus de tribus primis, qui fauerunt Iudici, sit irregularis.

- 1 Præsupponendo primo, quod qui pugnat in iusto bello non efficitur irregularis, si non occidit suis manibus, quamuis iuuet alios socios occidentes per tex. in cap. penul. de homicid. quem ad hoc putat sing. Panor. cap. 2. de immu. eccle. n. 7. & nos eum ad hoc citauimus in rubr. de iudi. nu. ex quo sequitur quod N. non esset irregularis, si sciretur quod ille mortuus non fuit occisus ictu N. quia pugnas erat iusta ex parte Iudicis, & suorum sociorum: & consequenter non esset iudicandus in foro exteriori irregularis; quia non probatur quod eius ictu fuit mortuus; & nemo debet iudicari irregularis in dubio à Iudice, secundum Innoc. recep. in c. ad audientiam, de homicidio.

Secundo, præsuppono, quod licet Iudex non debeat iudicare quem irregularem in dubio quoad forum exterius: ipse tamen, de quo quæritur an sit irregularis, debet in dubio iudicare seipsum irregularem, argu. cap. iuuenis de spontal. & etiam prædicti cap. audientiam.

- 3 Tertio, quod qui occidit alium pro defensione sua, & ad euitandam mortem alias inuitabilem, non est irregularis, clem. 1. de homic. ex quo sequitur quod si præd. N. & alij socij eius pugnauerunt ad defendendas vitas suas, quas aliter probabiliter non potuerunt defendere, non essent irregulares. An autem qui euitare potest mortem fuga, dicatur occidere ad euitandam inuitabilem mortem, quæstionis est, quam tractat Panor. & ad-

& additio eius in cap. olim 1. de restitut. spolia. & Panor. quidem videtur tenere quod non peccat, sed est irregularis: additio autem eius videtur tenere, quod peccat, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Causa remota homicidij non facit quem irregularem.*
- 2 *Causa homicidij propinqua est dictum, vel factum illud sufficienter directum, & quod sit tale.*

C O N S I L I V M XIII.

Quidam religiosus dixit quibusdam colloquentibus de quadam muliere interfecta sine vlla mala intentione, Est ne forte illa mulier vna, quam ego vidi nudius tertius euntem cum suo marito extra urbem? per quod dictum Auditores deferunt ad Iudicem, qui per illud inquisiuit contra interfectorem. Queritur, præfatus Religiosus an sit irregularis.

Respondeo primo, quod opportunum fuisset declarare an præfatus interfecto fuit Prætoris iussu occisus, nec ne: quoniam certum est præfatum Religiosum non fuisse factum irregularem, nisi post mortem seu mutilationem membri consequutam, vt & nos post alios tradidimus in Manu. confess. cap. 27. num. 219.

Secundo, quod non videtur præfatus Religiosus factus irregularis, etiam si Prætoris iussu fuerit occisus interfecto. Tum quia non occidit eum, neque dedit consilium, nec auxilium, nec fauorem interfectori. Tum quod non obstat, quod dederit causam mortis per suum dictum, eo quod dixit illud sine intentione mouendi Auditores, vel Præto rem ad inquirendum contra interfectorem: & illud dictum, nec suapte natura, neque intentione proferentis dirigebatur ad præfatam interfectionem; & non omnis causa, sine qua non sequeretur mors, nec mutilatio, sufficit ad irregularitatem incurrendam: quia oportet vt sit propinqua, iuxta gloss. sing. & communiter recep. cap. de cætero de homicid. causa vero propinqua, vt satis diligenter nos definiuimus in dicto Manu. cap. 27. num. 210. & nu. 219. est dictum, vel factum sufficienter directum in mortem, vel mutilationem: dicitur autem sufficienter directum, quando ad illum finem dirigitur intentione dicentis, vel facientis, vel suapte natura. at præfatum dictum nec suapte natura, vt palam est, nec intentione dicentis ad mortem interfectoris directum fuit. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

1 *Irregulares sunt omnes rixa iniuste astantes secuto homicidio.*

CONSILIVM XIII.

DVo Sacerdotes cum alijs laicis, & cum armis adierunt carcerem ad liberandum Philippum in eum coniectum: & cum extraxissent eum superuenerunt apparitores Iudicis, qui eum conabantur reducere in carcerem: in qua rixa occisus fuit vnus ex parte apparitorum. Quæritur an prædicti sacerdotes effecti fuerint irregulares, etiam si non occiderint, nec percusserint.

1 Respondetur primo, quod prædicti sacerdotes effecti sunt irregulares; quoniam ex parte volentium liberare Philippum fuit rixa seu bellum iniustum: Et quoties aliquis in bello iniusto occiditur, vel mutilatur, omnes, qui stant à parte iniuste bellante, fiunt irregulares, per ea quæ nos tradimus in Manua. nostro Confess. cap. 27. nu. 220. 221. & 222.

Secundo, quod non sufficit eis dispensatio, quæ à sacra Pœnitentiaria posset haberi: quia illa non prodest, nisi quoad forum interius: & prædicti Sacerdotes indigent dispensatione etiam quoad exterius, & ideo oportet eam obtinere per officium Datarie quoad vtrumque forum, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Occidentes etiam iuste adiunans est irregularis.*
- 2 *Irregulares sunt comitantes executorem mortis sententiæ.*
- 3 *Irregulares iuste occidentes, vel ad id adiunantes.*

CONSILIVM XV.

Quæritur, an sit irregularis Horatius, qui ex facinoribus bannitorum commotus, cum armis comitatus est eos iuste insequentes, ut eorum fugam impediret, si postmodum ab eisdem occisi fuerint, licet ipse nullum percusserit, nec occiderit.

1 Videtur dicendum primo, præfatum Horatium oratorem esse: laude dignum ob multa, quæ dixit, & fecit, & procurauit. Secundo, quod occasio prædicta potest dici iusta, saltem quoad forum exterius; præsertim sæcula.

seculare: quia occisus erat ita bannitus, vt liceret alijs impune occidere illum: ita quod non incurrerent pœnam aliquam occidentis aliquem, a qua iudex banniens posset occidentem liberare. Tertio, quod prædictus orator Horatius incidit in irregularitatē. Tū quia licet nō occiderit, nec voluerit occidere, nec consuluerit, nec mandauerit, nec rogauerit occisionem; non potest tamen negare, quod non fuit cooperatus alijs tribus, qui voluerunt occidere illum & occiderunt. Tum exeundo è domo cum illis ad occidendum eum: Tum ferendo arma cum illis ad id faciendum: Tum ad impediendam fugam banniti occisi: Tum quod omnes qui comitantur Iudicem docentem aliquem ad exequendam sententiam mortis; etiam si nihil aliud agant, efficiuntur irregulares secundū omnes. Ergo fortiori erit orator talis comitando, & associando priuatos homines sententiam banni exequentes, & cooperantes mortem, & adiuuando eo modo, quo dicendum est. Tum quia Non obstat dicere, quod mors fuit iusta: quia omnis qui mortem infert etiam iuste, fit irregularis, non quidem irregularitate tam malignantis naturæ, quam est illa, quæ nascitur ex homicidio iniusto, sed alia alterius speciei non tam malæ, nec tam difficilis dispensationis: & ita Sanctissimus D. N. de natura & more pius, & ad miserandum facilis benigne dispensabit super ea cum oratore adeo pio, & pro iusta, qua esse debemus in huiusmodi pios bannitos animaduersione. Ad gloriam Dei misericordiosissimi, eiusdemque iustissimi, qui nos tandem ad cælestia regna perducatur. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Irregularis non est clericus bellans in bello iusto, in quo multi periere.
- 2 Bellum iniustum non facit iniustitia generalis, sed specialis.

CONSILIVM. XVI.

AN clericus pugnans in bello alioqui iusto incurrat irregularitatē, si socij eius occidant aliquos, licet ipse non occiderit, esto percussit.

Respondeo negatiue per cap. penul. de homic. quod expresse loquitur de Clerico. Nec obstat, quod licet clerico pugnare etiam in bello iusto, cap. ex multa. §. fin. de voto. cap. conuenior. 23, q. 8. & quod consulens forte erat clericus ordine sacro insignitus: & consequēter ex parte ipsius iniustum bellum erat. Tum quia prædictum cap. penul. de homicid. loquitur de Clericis, quibus nō licebat pugnare, vt expresse adnotat ibi Pano. in 1. not. quos tamen non incurrere irregularitatem ex sola percussione: nisi

ne; nisi occidissent, declaratur ibi. Tum quia non sufficit bellum esse iniustum in iustitia generali eo quod sit contra leges charitatis, vel aliarum virtutum: qualia sunt bella iniusta malo animo, vel alia circumstantia personæ bellantis, ad hoc ut incurratur huiusmodi irregularitas sed oportet ut sit iniustum iniustitia contraria iustitiæ speciali, quæ consistit in his, quæ sunt ad alterum, & ponit æqualitatem in rebus exterioribus, iuxta Arist. 5. Eth. & S. Thom. 2. 2. q. 58. art. 2. 7. & 8. Vnde nec miles, qui malo animo militando capit spolia hostis, non tenetur ad restitutionem, si bellum legibus iustitiæ specialis alioqui est iustum: neque licetor malo animo occidens damnatum à Iudice tenetur restituere vestes illius, quas lucratur occidendo, ut post Caiet. secunda secunda q. 40. ar. 1. tradimus in repet. c. inter verba. 1. 1. q. 3. conclus. 6. coroll. 70. num. 874. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Irregularis ex homicidio voluntario fit, qui sine mandato Iudicis banniti occisores inuat.
- 2 Irregularis beneficia quærere nequit sed quæsita retinere sic.
- 3 Episcopus super irregularitate ex homicidio voluntario non dispensat.

C O N S I L I V M XVIII.

Quidam Clericus in sacris constitutus scienter, & appostato modo associatus est quendam occidere volentem bannitum, eo quod iste clericus vna cum cæteris alijs armatis cum scloppis contulit se in locum vbi iste bannitus existeret, cum eum vidisset, hi, verbis exclamavit, qua, qua, qua: ecce ego inueni eum, propter quod vna cum cæteris iste principalis intendens bannitum occidere contulit se ibi, & omnes simul cum eorum scloppis eum interfecerunt, inter quos clericus prædictus existeret eundem eodem modo feriendo. Mortuo bannito amputarunt eius caput, & abierunt.

Quæritur primo, nunc an iste Clericus sit irregularis.

Secundo, an possit habere beneficia Ecclesiastica.

Tertio, an habita saltem simplicia licite possit retinere.

Quarto, an possit ad ceteros ordines promoueri sine dispensatione.

Quinto, an episcopus possit dispensare cum eo in beneficio simplici.

AD PRIMAM QUÆSTIONEM respondeo quod is clericus proculdubio est irregularis, & non qualis qualis, sed ex homicidio voluntario; præsupposito quod absque auctoritate publica ipse & alij illum occide-

occiderunt, tamquam priuati non facti executores iustitiæ particulariter, vel generaliter: quia inuasio iniusta fuit ex parte illorum: & adeo quidem, quod licet non fuisset occisus per ictum prædicti clerici, ipse tamen esset irregularis, tamquam cooperator & auxiliator, iuxta cap. sicut dignum. §. si. de homicid. & tradia à nobis in Manual. cap. 27. num. 224.

2 AD SECVNDAM, quod ante dispensationem non potest noue acquirere beneficia ecclesiastica, iuxta dictum Panor. in c. cum nostris. de concess. præb.

AD TERTIAM respondeo, quod beneficia iam quæsitata non vacant per irregularitatem, & potest ea retinere, donec illis per iudicem priuetur, iuxta Innoc. ibidem communiter recep. cuius dictum non arbitror corrigi per Concilium Trident. infra allegandum.

AD QVARTAM, quod nullatenus potest iuste promoueri ad superiores ordines, iuxta diffinitionem irregularitatis positam à nobis in Manual. cap. 27. & ei addita num. 191. & per Concilium Trident. infra citandum.

3 AD QVINTAM, quod non potest episcopus dispensare cum eo, etiã ad hoc, vt beneficium simplex obtineat: quia hoc homicidium fuit voluntarium, in quo non potest dispensare episcopus ad vllum ordinem, nec ad vllum beneficium etiam simplex, vt statuitur in c. 7. de refor. sess. 14. Concil. Trident. transcripto à nobis in d. Manual. c. 27. & num. 240. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

1 Irregularis non fit clericus iuuans chirurgum scindentem membrum.

C O N S I L I V M. XVIII.

AN clericus iuuans chirurgum ad scindentum aliquod membrum, quod arte chirurga scindi debet, fiat irregularis?

1 Respondetur, quod non. tum quia nullo canone id exprimitur: & irregularitas non contrahitur, nisi in casibus expressis à iure, c. is cui. §. fin. de sententia excommunicationis lib. 6. Tum quia per mutilationem membri sanitatis causa factam non incurritur irregularitas, c. si quis à medicis §. dist. etiam si à semetipso, si esset chirurgus, sibi amputasset membrum putridum, non incurreret irregularitatem per prædictum c. à contrario sensu, quatenus habet eum, qui cum sanus esset se se absciderit irregularè fieri. Tum per alia multa, quæ ad hoc propositum noue adduximus in Manua. Confes. cap. 27. num. 217.

S V M M A R I V M.

- 1 *Irregularis non fit percutiens, nisi occidat, vel mutilet.*
- 2 *Irregularis non est, qui non impedit, cum posset, homicidium.*
- 3 *Percussionem clerici alieno nomine factam ratificans non excommunicatur.*

CONSILIVM. XIX.

N. dixit aliquas iniurias contra L. & prosequeretur eas: & quidam presbyter frater L. impediēbat fratris suo exitū à domo, ne mala consequerentur, monēdo N. vt cessaret ab iniurijs, & inde recederet; ille vero noluit recedere, nec cessare ab iniuriando: immo retaliando vnam iniuriam, quam ei L. dixit clamando addidit illa verba apud homines valore iniuriosa, mentiris, mentiris, multis etiā nobilibus præsentibus; cum tñ N. esset abiectus, & origine saracenus, prædictus presbyter turbatus magnitudine iniuriæ in fratrem suum illatæ, non detinuit fratrem, nec impediuit ei exitum: & ita exiuit, & N. ense euaginato confodit. Quæritur an dictus presbyter fit irregularis?

- 1 *Respondetur primo, quod si ex illa percussione non fuit secuta mors, non est irregularis: quia percussio, per quam nō fit mutilatio, nec occisio,*
- 2 *non efficit quem irregularem. Secundo, quod magnæ quæstionis est an sit factus irregularis, si ex præfata percussione secuta fuit mors, vel mutilatio membri: & mihi videtur quod nō, si prædictus presbyter nō iuuit fratrem aliquo modo cooperando, sed solum se habuit negatiue non impediendo: sicut nec furti tenetur, qui videt aliū furari, vel velle furari, sed non iuuat illum, nec admonet dominum rei, vt caueat sibi, argumēto eorum, quæ dixit Hadrianus in 4. sentent. in titulo de restitutione. q. 1. col. 7. fol. 100. quem nos fuimus secuti in Manu. confessariorum in cap. 24. num. 7. quamuis etiam forte consentiendo in peccato, non tamen incurrerit pœnam excommunicationis, & irregularitatis, sicut nec onus restitutionis damni dati: pro quo est argumentum optimum in cap. cum quis, de sent. excomm. lib. 6. quatenus probat eum, cui placet, vel consensit simpliciter, vt alius percutiat iniuste clericum suo proprio nomine, & sine mandato ipsius, etiam si postea ratificet, non est excommunicatus; quia nemo potest ratificare quod suo nomine non est gestum. Salua &c.*
- 3

S V M M A R I V M .

- 1 Irregularis non fit percussus alium in facie ; etsi perpetuo macula maneat .
- 2 Irregularis non omnis alium fauens irregularem .
- 2 Irregularitas non contrahitur ex eo , quod percussio est publica , & percussus clericus .

CONSILIVM XX.

Quidam percussit alium vulnere graui , & deformi , quo totam faciē eius adeo deformauit , vt ob hoc adiuerit Iudices , idque publice fecit . Quæsitum est an sit irregularis , ita vt beneficia non possit habere absque dispensatione Papæ .

- 1 Respondeo, q̄ non. Tū quia nullo iure id cauetur : & nulla irregularitas contrahitur in aliquo casu , in quo id iure non exprimitur , cap. is qui cum gloss. recept. de sententia excommunicationis lib. 6. Tum quia licet mutilans alium membro fiat irregularis , debilitans tamen alterius membrum , etiam adeo , vt eo uti non possit , non est irregularis , vt nos contra quosdam alios probamus in nostro Manu. confess. ca. 27. num. 207. Tum quia non est uerum id , quod aliqui , quos ibidem referimus , dixerunt , eum , qui alium efficit irregularem , fieri irregularem , quia id nullo iure cauetur : & qui generat filium extra matrimonium , qui est irregularis , non propterea ipse fit talis : & Iudex damnans aliquem furti , facit eum irregularem , non tamen ob id ipse fit talis , & ob alia quæ ibidem tradimus . Tum quia quoad hoc nō refert , quod percussio fuerit facta publice , an occulte , & an percussus , & percussus sint clerici vel laici ; quia differentia illa quoad hoc nullo iure traditur . Tum denique , quod non obstat , id quod supra diximus , eum , qui deformat alium , esse irregularem : quia , vt ibidem admonuimus , per uerbum deformare intelleximus occidere , vel aliquo membro principali mutilare gratia breuitatis , ne frequenter cogeremur dicere occidere , vel mutilare , quæ sunt uerba clem. 1. de homicid. quæ non habet , vt quidam imponunt ei , mutilare , & truncare , sed tantum mutilare , quod multum facit ad dicendum , quod non quæcumque deformatio , etiam grauis , facit quem irregularem , sed solum illa , quæ tollit formā rationalem , qua tollitur uita humana , vel tollit formam accidentalem , qua inducitur dedecus humanæ uitæ , quod efficit membri principalis defectus , qualis non fuit factus per prædictam percussionem , &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Dubitans partem tutiorem eligere tenetur, non qui ignorat.*
 2 *Filius non tenetur credere matri asserenti eum ex adulterio natum.*

CONSILIVM. XXI.

Quæsitum est, an indigeant dispensatione ab irregularitate illi, qui interfuerunt bello iusto, in quo fuerunt occisi, & mutilati ex parte occidentium mittendo tela, & exonerando bombardulas.

- 1 Respondeo, quod non: quia pugnantes in bello iusto non incurrunt irregularitatem propterea solum, quod hortantur, vel animant socios iuste bellantes ad vincendum, & ad habendum victoriam, nec etiam si adiuuent eos, & percutiant inimicos, nisi manibus suis occidant, per citata in consil. sup. eod. Non obstat, quod qui dubitat, an occiderit aliquem, nec ne, tenetur eligere partem tutiorem, vt post alios tradimus in *Manu. Confess. cap. 27. num. 193.* quoniam illud non est verum de omni eo, qui nescit, sed tantum de illo qui vere dubitat, vel iusta ratione tenetur dubitare, qualis est ille cui mater affirmat non esse genitum à patre putatiuo, sed ab aduktero, & nescit vtrum sit verius, & non dubitat, sed credit quod est filius patris putatiui, nam non tenetur credere matri, eo quod tutius sit suæ conscientia id credere, quam contrarium, ne lædat iu succedendo alios fratres filios legitimos, vt ait Bart. communiter recep. in l. filius. ff. de his, qui sunt. quia licet ipse nesciat vtrum illorum sit verum, tamen non tenetur dubitare de illo, quia sufficit ei sequi ius commune, quod præsumit eum esse filium genitum à marito coniuge legitimo suæ matris: sic etiam ei, qui in bello iusto partes iustitiæ fouet, sufficit quod nesciat, nec scire possit, an quempiam occiderit, vel mutilauerit per se, & quod credat, quod adiuuans occidentes ad iustam victoriam consequendam non est irregularis, & quod ipse non iuuit ad occidendum illum, aut illum specialiter, sed generaliter ad occidendum, vel mutilandum eos, quos victoria exigebat. Quod si hortatus est, & iuuit ad occidendum illum, aut illum specialiter, magis est videri eum esse irregularem, si ob eius dictum fuit occisus, saltem prius quam alius occideretur. Tum quia dictum ipsius videtur fuisse illicitum, cum non liceat occidere in bello iam captum, si alias potest seruari, & detineri post prælium finitum; quia id non esset occidere in bello, sed post illud finitum quoad illum articulum. Tum quia licet nemo fiat irregularis ex eo quod in bello iusto adhortetur socios, & iuuet ad vincendum, cap. igitur. cum gl. off. & cap. hortatu. 23. q. 8. & cap. penult. de homicid. qui tamen adhortatur

hortatur specialiter aliquem ad occidendum, præsertim specialiter hunc, aut illum, incurrit illam per ea, quæ nos resoluimus in Manua. Confess. cap. 27. num 215. cum sequ. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Abortum desiderans, seu consulens peccat mortaliter.*
- 1 *Abortus procuratus, nisi fœtus sit animatus, non facit irregularem, & quãdo sit animatus. nu. 2.*
- 2 *Irregularis iudicari debet quis in dubio iure poli, non iure fori.*
- 3 *Irregularis ob abortum procuratum vt sibi consulat.*

CONSILIVM XXII.

Quidam sacerdos, postquam subolfecit quandam mulierem ex se cõcepisse, eidem multoties consuluit, vt daret operam abortiendi, qui licet certo nesciat an d. mulier eius consilio abortierit, dubitat tamen, cū secutus ille fuerit, an sit irregularis.

- 1 Respondetur primo, quod plus d. Consulens presbyter peccauit mortifere toties, quoties desiderauit, & rogauit prædictam mulierem, vt abortiret, & quoties placuit ei abortus iam factus, & magis quoties consuluit ei, vt abortiret. Secundo, quod si fœtus nondum erat animatus anima rationali, quando fuit factus abortus, non incurrit irregularitatem. Tercio, quod communis opinio, quam sequitur sacra Pœnitentiaria, tenet, id quod gl. dixit in prin. 5. dist. scilicet fœtum masculum informari anima rationali lapsis 40. diebus, fœtum autem fœmineum 80. Et si dubitatur an sit masculus, an fœmineus, præsumendum esse animatum post 40. dies; quia pars securior est eligenda, iuxta cap. iuuenis. de sponsal. & sentit prædicta gl. pro quo videtur casus in c. ad audientiam. de homic. vbi communis resolutio habet eum, qui dubitat an contraxerit irregularitatem, debere iudicare se irregularem: licet Iudex, coram quo accusaretur, debeat in dubio eum absolueret, iuxta cap. cum sunt iura partium obscura. de reg. iur. lib. 6. Quarto, quod ex prædictis sequitur id, quod dolenter respondeo, prædictum d. Consulentem debere iudicare se irregularem. Tum quia certum est, eum qui facit, vel iubet, vel mandat, vel rogat, vel consulit abortum, si sequatur ille, esse irregularem secundum omnes. Et prædictus Consulens est certus, quod consuluit abortum; & satis certum quod fuit consequutus ille; & licet non sit certus omnino, quod ille fuit sequutus, neque quod prædicta mulier abortiuit propter consilium eius, neque an fœtus esset animatus, quia nescit an esset masculus, vel fœmineus,

neus, probabiliter tamen dubitat, an prædicta mulier abortierit ob consilium eius, an non, & an foetus fuerit animatus an non. Ergo iudicare se debet irregularem. Quinto, quod etiam ex prædictis sequitur, d. Consulentem consulere sibi debere per dispensationem Papæ, ad quem solum pertinet huiusmodi irregularitatis dispensatio, & petere illam in sacra Pœnitentiaria. Sexto, quod non videtur obstare, quod dicitur responsum esse pœnitentem non indigere illa absolutione; quia videtur intelligendum de absolutione sacramentali à peccatis illis grauissimis, quæ fuerunt commissâ desiderando, consulendo, siue rogando abortû, & congaudendo eo iam factò; cum absolutio illa, & dispensatio super irregularitate sint diuersæ, & passim fiat altera sine altera; & à diuersis nõ fit illatio, l. Papinianus. ff. de minor. Salua. &c.

S V M M A R I V M.

1 *Abortum consulens ei, quam dubitat esse prægnantem, an sit irregularis.*

C O N S I L I V M XXIII.

AN qui consuluit ei, cum qua rem habuit, & quæ dixit post quadraginta dies putare se prægnantem factam, vt minueret se sanguine, quo abortiret, quam sciuit se minuisse sanguine, sed nihil penitus de effectu talis minutionis, nec de abortu sciuit, & post multos annos ordines suscepit, an inquam irregularitatem contraxerit.

1 Respondetur, quod D. Consulens potest probabiliter credere se non incurrisse irregularitatem; attento quod nesciuit an prædicta N. fuisset prægnans; sed tantû suspicatus fuit, eo quod illa se suspicari dixit. Tum quia licet periculosum sit grauidas minuere sanguine, non tñ est certum eas minutas sanguine abortire, nec mori. Tum quod, quando aliquis huiusmodi effectus sequitur, solet amico sic consulenti aliquo modo significari; & nullus rumor de his ad se in tanto tempore aduenit. Tum quod filius natus in adulterio potest credere probabiliter se non esse filium adulteri, sed mariti; licet mater dixerit ei illum fuisse ex adultero conceptum, secundum etiam omnes, vt diximus in proximo præcedenti consil. & sic D. Consulens, salua quæ iustior fuerit sententia, potest scriptulum suum deponere, & credere se non fuisse irregularem. &c.

S V M M A R I V M.

1 Irregularis an dicendus saltans cum pregnante, abortu secuto.

CONSILIVM XXIV.

CLericus primæ tonsuræ in choreis cum muliere quadam pregnante saltavit, quæ postea etiam cum alijs hominibus saltavit, quam audiuit postea abortum fecisse. Præterea cum ipse quadam die nescioquid in manibus haberet, vxor sui fratris, quæ paucis antea diebus marito erat tradita, voluit illud è manibus eius surripere, quod v. faceret, mensam quandam illius cubiculi, eum insequendo, circuiuit aliquoties, ex quo motu, vt credit, defessa facta abortiuit; licet non sit ita certum, cum paulo ante esset matrimonio coniuncta. dubitat an ex prædictis sit irregularis?

1 Respondeo primo, quod prædictus, qui saltavit cum prædicta muliere prægnante, non debet se iudicare irregularem propter prædictum abortum, si nescit nec obligatur credere, quod abortiuit, eo quod à quouis dicatur, iuxta illud eccles. 19. *Qui cito credit, leuis est corde.* & cap. non solum. il primo. 11. q. 3. nec etiam si nondum fœtus erat animatus anima rationali, hoc est, si abortiuit ante quadraginta dies à conceptione, argum. cap. ad eius. 5. distin. neque si adeo modeste saltavit, quod non est verisimile, quod saltatio fecerit abortire, argum. cap. quia non est verisimile. de præsumpt. Neque si saltatio fuit licita, & honesta, per ea quæ in nostro Manuali tradimus c. 27. num. 210. & 220. Secundo respondeo, quod si credit, vel debet credere eam abortisse post quadraginta dies à conceptione, & quod saltatio illa non fuit ita leuis, quod non potuerit esse causa illius abortionis, vel saltatio fuit illicita, debet se iudicare irregularem, per ea quæ tradimus in duobus locis supra citatis, concludendo, quod omnis, qui facit aliquod actum illicitum ordinatum, & directum suapte natura, vel intentione agentis ad mortem, sit irregularis consequuta illa; & saltatio prædicta cum muliere prægnante est actus suapte natura ordinatus, & directus aliquo modo ad abortum, & mortem, vt palam est. Idemque dicendum arbitror de secundo abortu.

S V M M A R I V M.

- I *Irregularis an sit, secuto homicidio, suadens rumpere tractatum concordie.*

CONSILIVM XXV.

IN Regno, in quo consueverunt homines vnus cognationis suum honorem, & bona vindicare, seu recuperare auctoritate propria, quidam presbyter consuluit suæ cognationis viris, ne susciperent satisfactionem alterius cognationis, quam offerebat, dicens, non conuenit cognationi vestræ talem satisfactionem acceptare. Quare potius rumpite tractatum, quæ habetis amicitiae, quam vos sitis tali satisfactione contenti: & hoc dixit frequenter: postea cognati sui in scio presbytero inuaserunt aduersarios, in quo conflictu mortui fuerunt aliqui. Queritur an præfatus presbyter sit irregularis?

- I Respondeo, quod pro vtraque parte quæstionis facit gloss. singularis cap. de cætero. de homicid. communiter recepta, quatenus habet irregularitatem non contrahere illum, qui solum causam remotam homicidio iniusto præstat, sed sic eum, qui dat causam propinquam: & quod cuiuspiam videbitur præfatus D. Consulens dedisse causam propinquam, & cuiuspiam non, nisi tantum remotam: nobis autem videtur, quod, si præfatus Consulens per verbum, rumpite, potius intellexit de ruptione, vel fractione pacis per viam armorum, & violentiæ, censendus sit consuluisse causam propinquam homicidiorum: si autem intellexit ruptionem, & fractionem per arma iustitiæ mouendo litem, & petendo iustitiam coram competenti Iudice, censendus sit dedisse causam remotam, & quod non est irregularis. & c.

S V M M A R I V M.

- I *Irregularis fit, qui est causa rixæ, ex qua sequitur homicidium.*

CONSILIVM XXVI.

Titius audiuit Sempronium dixisse quædam verba significantia odiū graue in ipsum Titium, qui mox iuit ad querendum Sempronium, & di-

& dicendum ei non esse odium simile sibi in ipsum Sempronium, sed quia dicit illa verba, respondebat, quod si uolebat odium suum exequi, acciperet unum ensem sui familiaris, & ipse acciperet alium, cum quibus se possent occidere. Et cum N. amicus Sempronij, segregasset paululum Titium, S. rinxit cum amico T. & illum manu impulit, & seruus impulsus percussit S. ense vaginato in capite, qui mortuus est intra 28. dies. Quæritur an Titius sit irregularis; & si absoluat in foro exteriori, possit in interiori absolui secreta?

Respondetur primo, quod est distinguendum, an rixa secunda fuerit dependens, & accessoria rixæ priori, an non. Si enim fuit accessoria, videtur primo Titium in foro interiori esse irregularem: quia culpa tam Titij, quam Sempronij, etiam illicita, orta fuit rixa accessoria inter ipsos S. & socium T. qui rixabantur, ex qua secuta est mors: & consequenter ex illicito facto T. fuit secuta mors, & durante rixa priori: cui consequens videtur, eum factum esse irregularem, per ea, quæ diximus in Manu. confess. c. 27. nu. 219. & sequenti. Si autem rixa secunda non fuit accessoria rixæ priori, sed separata, non est censendus irregularis per ibidem dicta.

Secundo, irregularitatem prædictam non esse ortam ex homicidio uoluntario indispensabili, sed ex casuali dispensabili, & mixto, quod si T. absoluat in foro exteriori, dispensabitur cum illo in interiori secreto à sacra Pœnitentiaria, ut sæpe vidimus factum in ea. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Mandans aliquem percuti baculo citra mortem, illa secuta, fit irregularis, sed dispensabilis.*

C O N S I L I V M XXVII.

- 1 **Q** VI mandauit alicui, ut percutiat aliquem baculo citra mortem, ea secuta est quidem irregularis ex homicidio, non tamen illa irregularitate indispensabili, de qua loquitur cap. 7. cum etiam in principio, de re format. Concil. Trident. sess. 14. & probatur in nostro Man. confess. cap. 27. num. 240.

S V M M A R I V M.

- 1 *Percutiens ense in capite etiam citra intentionem occidendi, secuta morte, fit irregularis indispensabilis.*

CON-

CONSILIVM XXVIII.

L Accessit leui iniuria ab amico, illum quæsivit animo leuiter percutiendi, & inuentum eum ense in capite absque intentione occidendi percussit: & altera die amicus mortuus est. Queritur an sit irregularis? Mihi videretur prædictum homicidium iudicandum esse uoluntarium quo ad forum exterius, & quod vix posset iudicari non esse uoluntarium etiam quo ad forum interius per dicta a nobis in Man. cap. 27. num. 240.

S V M M A R I V M.

- 1 Irregularis est qui ad occidendum quouis modo adiuuat, causa, vel testis est.
- 2 Peccat non solum qui falsum crimen imponit, sed etiam qui occultum detegit.
- 3 Irregularis est qui illicita, vnde mors sequitur, agit contra legem naturæ, vel consuetudinem.
- 4 Causa non omnis sufficit, vt eam danti imputetur delictum.
- 5 Denuntiare delictum, & dicere hunc solitum cum tali ex delicto damnato incedere, diuersa.
- 6 Irregularis est, qui cum peccato mortali aliquid dicit, vnde præter intentionem sequitur mors.
- 6 Irregularis in foro exteriori censetur, qui dixit N. cum reis ex delicto damnatis solitum incedere.

CONSILIVM XXVIII.

Quidam clericus ordinibus sacris insignitus existens in quodam castro coram militibus custodibus eius dixit suis socijs, quod vnus trium fratrum, qui intrauerant illud, erat de societate quorundam, qui ob peccatum nefandum fuerunt combusti; & cum id peruenisset ad præfectum, interrogatus ab eo, an verum esset quod dixerat, respondit quod sic. Queritur, an fiat irregularis, si ille captus condemnetur ad mortem, & occidatur?

- 1 Respondeo, quod pro parte affirmante facit primo, quod non solum qui occidit, vel mutilat, sed etiam qui aliquo modo adiuuat ad occidendum, est irregularis, cap. sicut dignum. §. 1. cum seq. de homicid. Secundo, quod etiam est irregularis, qui dat causam, vnde sequatur homicidium, c. tua. de homicid. At Consulens videbitur causam dedisse mortis

mortis, si ille occidatur, quia captus est propter illa verba, quibus ipse significauit illius fratris malitiam, & peccatum, ob quod est captus. Tertio, quod testis, qui testificatur in causa, sanguinis, si mors inde sequatur, vt Panor. post alios definit in cap. sententiam sanguinis. ne cler. vel monac. incurrit irregularitatem. Quarto, quod D. Consulens illicite videtur publicasse peccatum illius, infamando eum, etiam si verum fuisset: quia non solum peccat contra octauum præceptum Decalogi, qui falsum crimen imponit proximo, sed etiam qui publicat peccatum eius secretum, vt nos late probamus in Manu. Confess. cap. 18. nu. 31. Quinto faciunt vt nos late probamus in Manu. Confess. cap. 18. nu. 31. Quinto faciunt cap. presbyterum. de homicid. & alia iura, per quæ nos in præfato Manu. cap. 27. num. 219. concludimus, quod qui agit rem illicitam, vnde sequatur mors, si res illa illicita intentione agentis, vel natura sua, vel lege, aut consuetudine terræ, in qua id fit actualiter, vel virtute dirigitur in illam mortem, sit irregularis, illa secuta. At consulens videtur illicite publicasse illud delictum, & illa publicatio intentione infamantis, vel suapte natura, vel lege consueta obseruari, dirigitur in mortem accusati, vel accusandi. Ergo.

4 Pro contraria tamen parte facit primo, quod non est irregularis. Tum quia non dicitur ille à consulente occisus, nec iussus occidi. Tum quia causa remota homicidij non est sufficiens ad inducendam irregularitatem, iuxta gloss. singul. in cap. de cætero de homic. saltem si non daretur dando operam rei illicitæ, quæ actu, siue actualiter, vel virtute, seu virtualiter dirigeretur in illud homicidium: & præfatus Consulens non dixit præfata verba in finem, vt ille frater caperetur, & occideretur, & licite potuit ea dicere ad monendum socios, vt cauerent ab eo, l. eum, qui nocentem. ff. de iniur. & l. sic non conuitij. C. eod. quas ad hoc citamus in Manu. Confess. cap. 18. num. 31. pro qua est tex. in cap. exhibita. eod. tit. Secundo, quod non omnis datio causæ mortis est sufficiens, vt danti eam imputentur delicta, quæ sequuntur ex ea, ca. de occidendis. 23. q. 5. Tertio, quod præfatus Consulens non dixit præfatum fratrem peccasse peccatum nefandum, sed tantum consueuisse ambulare, cum his, qui ob tale fuerunt combusti, quod longe aliud est: & à separatis non fit illatio, l. Papinianus. ff. de minoribus.

6 Quibus pro vtraque parte pensatis, videtur resoluendum primo, quod si Consulens in publicando illud peccauit, & ob eius dictum fuit comprehensus, & occisus, fiet irregularis, non autem si non peccauit.

Secundo, quod si publicauit illud mala intentione, quæ quoad forum exterius talis præsumetur d. l. si non conuitij, & ille ob illud dictum fuerit captus, & occidatur, erit irregularis, sed facile dispensabitur sed facile dispensabitur cum eo secundum morem prætorij Pœnitentiariæ, donec autem occidatur, non erit irregularis. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Irregularitas ex omni actu illicito, unde sequitur homicidium, contrahitur.
- 2 Irregularis est is, cuius culpa cognatus alium occidit.

C O N S I L I V M X X X .

Quidam sacerdos in crepusculo noctis post signum campanæ ad orationem vespertinam, quam appellant Aue Maria, vocauit ad Ecclesiam quandam mulierem ad alloquendum eam super quodam matrimonio, qua ingressa clausit portam Ecclesiæ, cum qua sola mansit solus; quidam autē consanguinei male suspicati expectauerunt egressum mulieris, cum qua rinxerunt, & eam pugionibus ferierunt, & inter quadriduum obiit mortem. Quin & præfati eius consanguinei porta Ecclesiæ vi reclusa extraxerunt sacerdotem, vt foris eum occiderent, eo vociferante, & auxilium petente, quidam eius cognati succurrerunt ei, & vnus eorum percussit vnum ex cognatis mulieris, qui etiam ob illud vulnus mortuus fuit. Queritur, an præfatus sacerdos irregularitatem incurrit?

Coniicientibus nobis præfatū Sacerdotem esse parochum vicariū, vel custodem præfatæ Ecclesiæ, & ipsum, & mulierem satis iuuenes ad inducendum suspicionem peccati carnis, videtur primo dicendum, præfatum

1 Sacerdotem esse irregularem propter occisionem præfatæ mulieris. Tum quia irregularitas contrahitur ex omni homicidio illicito, quod sequitur ex actu illicito suapte natura, lege, vel consuetudine expresse, vel virtualiter ad illud directo, vt nos tradimus post alios in *Manua. Confess. cap. 27. num. 214.* adiunctis eis, quæ prædiximus in eod. cap. num. 210. & in cap. 15. num. 6. & seq. & in casu proposito homicidium præfatæ mulieris fuit illicitum, & consecutum ex actu illo malo, & malam speciem habenti, vocandi mulierem tali hora ad ecclesiam, & post eam ingressam claudendi portam, & manendi solitarie cum illa, cum essent ambo ætatis suspectæ, & actus ille malæ speciei, & malus suapte natura, lege, vel consuetudine communi hominum, maxime Italiæ, dirigitur expresse, vel tacite in homicidium, vel percussionem, vt palam colligitur ex petitionibus, quæ in sacra Pœnitentiaria offeruntur super vendicatione iniuriarum, quæ fiunt cognatis ex impudicitia cognatarum. Tum quia *fel. rec. Pius V.* approbavit opinionem nostram, quam tenuimus in re controuersa, quod irregularis est clericus, qui repertus in domo adulteræ, & inuasus à marito, etiam se defendendo occidit maritum: immo, & qui adulteratus est

cum

cum vxore alicuius, & postea ob id occidit eam maritus: quia huiusmodi adulterium suapte natura, lege, vel consuetudine dirigitur in homicidium. quam approbationem etiam vbi supra referimus.

- 2 Secundo etiam videtur dicendum, quod licet non moueat tanta ratio ad iudicandum præfatum Sacerdotem esse irregularem propter homicidium secundum cognati mulieris, sicut propter homicidium ipsiusmet mulieris: probabiliter tamen dici posset esse irregularem propter vtrumque homicidium: quia vtrumque fuit illicitum, & vtrumque processit ex actu illicito malo, vel malæ speciei, licet alterum proprius fuerit quam alterum, & neutrum immediate natum fuerit ex illo: quia licet requiratur ad irregularitatem contrahendam, quod quis dederit causam homicidij propinquam, iuxta glossam memorabilem, cap. de cetero. de homicid. non tamen requiritur, quod dederit causam immediatam, sed sufficit quod sit propinqua, & satis directa in homicidium, vt colligitur ex multis corollarijs, quæ nos referimus in præfato cap. 27. num. 121. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Irregularitatem dispensabilem incurrit promittens defendere eum, qui se baculo vindicare intendens iniuriantem occidit.

C O N S I L I V M XXX.

AN A. qui promisit adiuuare aliquem, si videret ope sua illum egenum, quoniam baculo vindicaret iniuriam acceptam à C. colaphi percussione, sit irregularis mortuo per ictum pugionis B. in quem irritus incaute.

Respondetur, quod sic, non quidem illa irregularitate, quæ nascitur ex homicidio voluntario indispensabili, sed alia minori, quæ casualis dici potest, per ea quæ nos diximus in *Manu. Confess.* cap. 27. num. 219. & melius num. 239. & seq.

S V M M A R I V M.

- 1 Irregularis non est enssem euaginatam bono animo tenens, dum frater eius alium occidit.

CONSILIVM XXXI.

AN sit irregularis, qui bono animo ensem, tenebat in manu euaginatam sine læsione vlla alia, si alius in rixa percussus à fratre suo grauius postea ex percussione illa obierit mortem?

- I** Respondeo primo, quod non est irregularis in foro conscientie per ea quæ nos scribimus in Manu. nostro Confess. cap. 27. num. 220. quia ipse non occidit illum, nec iuuit fratrem percussorem, nec dedit occasionem propinquam occidendi eum, neque consuluit, neque mandauit, vt occideretur, vel percuteretur. Quod requiritur ad hoc, vt irregularitas incurratur ex morte illicite illata. Secundo, quod non iudicabitur irregularis etiam in foro exteriori, nisi probaretur præsumptiue, quod præfatus D. Consulens iuuit fratrem suum percussorem accedendo festinanter ad rixam, eo quod suo ad illam accessu auxit animum fratris ad percutiendum. Tertio, quod expediret ad impediendas lites fori exterioris, quod dictus D. Consulens impetraret dispensationem ad cautelam. &c.

S V M M A R I V M.

- I** Occidens inuasorem etiam cum moderamine sit irregularis, si sua culpa sit inuasus.

CONSILIVM XXXII.

Quidam intulit iniuriam alteri, dicendo eum mētiri, quem affectus iniuria percussit alapa, & percussus postea obuiam factus voluit occidere percussorem, qui se defendendo occidit percussum, nulla intentione occidendi concepta, cum fuit inuasus. Quæritur, an sit irregularis?

- I** Respondeo, quod facile videri potest cupiam D. Consulentem non fuisse factum ex tali homicidio irregularem, quoniam illud commisit ad defensionem vitæ necessariam, quo casu occidens non fit irregularis, clem. 1. de homic. si occidat eum cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt nos post alios diximus in Manua. Confess. cap. 15. num. 3.

Sed contrarium videtur verius: quia vt in additione quadam cap. 15. num. 7. præfati Manua. Confess. respondebimus in noua eius editione, non sufficit ad vitandam irregularitatem, quod occidens seruet moderamen inculpatæ tutelæ eo tempore, quo inuasus occidit, sed oportet ne inuasio eius procedat ex actu illicito ipsius præcedente. Cū igitur D. Cōsulens

lens

sciens illicite dedisset alapam commilitoni suo vendicando iniuriam aucto-
ritate propria, & illa fuit causa cur inuaderetur, non sufficit ad excusandū
eum ab irregularitate, quod quando occidit seruauit tantum moderamen
in culpa tutelæ, quantum suffecisset ad excusandum eum ab illo, si absque
suo actu illicito præcedente fuisset inuasus, & proculdubio videtur nobis
fuisse factus irregularis. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Dispensandi facultas generaliter concessa, excepto homicidio voluntario,
& bigamia, non extenditur ad irregularitatem prouenientem ex iusto
homicidio, seu mutilatione.
- 2 Episcopi dispensare non possunt super bigamia, nec irregularitate, quæ ex
delicto non prouenit.

C O N S I L I V M X X X I I I .

AN habens potestatem dispensandi super omni irregularitate, exce-
pta illa, quæ nascitur ex bigamia, vel homicidio voluntario, possit
dispensare super irregularitate contracta ex homicidio iusto voluntarie
facto in bello iusto, cum armis, vel in pace condemnando iuste aliquem
ad mortem, vel condemnationem iustam exequendo, vel defendendo
proximum, vel quouis alio iusto modo?

- 1 Respondeo, quod nos docuimus in Manu. Confess. cap. 27. nu. 2 17.
quod Episcopus non potest; sed non probauimus id vlla ratione, remit-
tentes ad numerum 240. pro quo tamen facit consuetudo totius orbis pe-
tendi illam à Papa: & quod nullo canone illa potestas sit Episcopo, &
quod non sit illa etiam in cap. liceat. de refor. 24. sess. Concil. Trident.
quia per illud datur potestas dispensandi super irregularitate descenden-
te ex delicto; hæc autem non descendit ex delicto; & quod non obstat,
quod potest Episcopus dispensare super irregularitate illicite contracta;
ergo à fortiori in contracta licite: quia irregularitas bigamiæ sine pecca-
to contrahitur, & tamen certum est, Episcopum non posse super ea di-
spensare. Tum per stylum Curie. Tum quia nec Papa dispensat, nisi rarif-
sime, & maxima cum difficultate, & dilatione. Tum quia (quæ noua pon-
deratio est) cap. illud liceant. excipit irregularitatem ex homicidio volun-
tario, nulla facta mentione de irregularitate ex bigamia, & non alia ra-
tione, quam quia hæc non nascitur ex delicto; & consequenter habuit
eam pro excepta, eo quod non nascitur ex delicto, & consequenter irregu-
laritatem, quæ non nascitur ex delicto, Episcopus tollere nequit. Tum
quia

quia Episcopus eam tollere nequit, secūdum Speculatorem de dispensat. §. Nunc breuiter. num. 3. & probatur irrefragabiliter in cap. aliquant. §. 1. dist. quatenus punit eorum etiam ordinatores, quos non puniret, si dispensare possent; quoniam dispensando poterant ordinare. Tum quia legatus licet possit dispensare in omnibus, in quibus possunt ordinarij, non tamen potest in alijs, nisi specialem habeat ad id facultatem, vel aliquo Canone ei specialiter concedatur, qualis non est cap. præfatum liceat. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Paria sunt aduertere, & aduertere debere, sicut scire, & scire debere.
- 1 Inaduertertia causa actus excusat à peccato.
- 2 Peccator non tenetur conteri, nec confiteri, vsque ad tempus.
- 2 Dispensationem querat in irregularitate tonsuratus, vt privilegio gaudeat.
- 3 Irregularis tonsuram sumens nullam censuram, nec irregularitatem incurrit.
- 3 Irregularis, sicut ad beneficia, ad pensiones est inhabilis.

CONSILIVM XXXIIII.

DE Iudice, qui postquam damnauit quendam ad mortem, & post executionem sententię non aduertens se esse irregularem, primam tonsuram accepit.

- 1 Respondeo primo, prædictum Iudicem consulentem videri peccasse; quia tenebatur aduertere, & paria videntur esse aduertere, vel debere aduertere, sicut scire, & debere scire, l. quod te. ff. de reb. cred. Secundo, quod talis possit esse inaduertertia, vel incogitantia, quod excusaret à mortali. si enim certus est, quod non suscepisset tonsuram, si aduertisset, & si erat purus legista, & non audierat saltem valde serio, quod per iustum iudicium sanguinis incurritur irregularitas, vt fere communiter laici putant, non videretur peccasse mortaliter. Tertio, quod non erat obligatus sub pœna peccati noui petere dispensationem, immo neq; ad habendum contritionem illius peccati, neque ad illud confitendum, vsque ad tempus, quo ea tenetur habere, & facere, per ea quæ nos in principio de pœnit. dist. 5. & in Manual. confess. cap. 1. & 2. tradimus. Quarto, quod tenetur impetrare dispensationem, si vult prædicti ordinis privilegijs gaudere ascendendo ad alios ordines; quia est irregularis ob prædictam sententiam, & eius executionem, cap. sententiam, ne clericus, vel mona. Quinto, quod per prædictam ordinis assumptionem non

videtur incurrisse, solo iure communi attento, excommunicationem, neque suspensionem, neque irregularitatem, arg. cap. vel non est comp. de sep. ordin. Sexto, quod de stylo Curiae non potest irregularis obtinere pensionem ecclesiasticam, plus quam beneficium simplex; & ita tenetur relinquere pensionem, vel obtinere à Papa dispensationem super irregularitate cum retentione pensionis ei constitutae, attenda praedicta ignorantia, & inaduerentia, & quod qui consentit permanet in illo consensu, quam, ut puto, facile dabit Sanctissimus D.N. pius, & magnificus: per quam dispensationem excusabitur etiam, ut puto, à restituendo quod percepit. Intellego hæc, si pensio fuit quaesita post irregularitatem, quia quaesita antea non perditur per illam; sicut neque beneficium per dictum solenne Innoc. in cap. cum nostris. de concess. præb. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Irregularis qui est causa propinqua mortis alterius.
- 2 Irregularem facit omnis actus illicitus sua natura, lege, vel consuetudine in mortem, ex quo illa sequitur, directus.
- 3 Irregularis est, qui procurat, ut quis per sententiam moriatur.
- 4 Occidere, vel adigere quem, ut occidatur non sunt paria. nu. 11. & 12.
- 4 Irregulares sunt, qui damnatos ad perpetuos carceres inedia necant. num. 13.
- 5 Irregularis ex homicidio est is, & solus, qui &c.
- 6 Irregularis non est insequens furem, licet ab alijs occidatur.
- 7 Irregularitas nisi in casib. expressis non contrahitur.
- 7 Suspendio Christi proditoris nil alijs nocere potuit.
- 8 Sanguis insidiatorum nil indicanti nocet.
- 9 Causa homicidij remota non parit irregularitatem.
- 10 Sacerdos potest insequi malefactorem suum, & procurare, ut capiatur, sed non agere criminaliter.

C O N S I L I V M XXXV.

PYRRHUS presbyter cupiens, ut Octavius, qui sibi, & alijs plurimis multa mala intulerat, & iniurijs varijs affecerat, caperetur, non solum illum multo tempore infecutus fuit cum fratribus, verum etiam apparitores ad eum insequendum, & custodiendum, & ne eorum manus euaderet è domo, in quam confugerat, hortatus est, & rogauit. Octavius in iis angustijs constitutus, ne in apparitorum potestatem veniret, mortem ipse sibi conscivit. Queritur an propterea Pyrrhus effectus sit irregularis.

- 1 **Quæstio hæc fatis noua, & difficilis resolutionis videtur: nam pro parte affirmatiua, scilicet, quod prædictus Pyrrhus per prædicta factus sit irregularis, facit primo, quod ipse videtur fuisse causa totalis, vel pars principalis eius mortis Octauii. Tum quia perquisiuit eum cum fratribus. Tum quia exhortatus fuit eos contra ipsum Octauium iam inuentum. Tum quia insequutus fuit fugientem, donec se includeret domi, & etiã procurauit ne exiret domo, ad quã fugerat, saluus. Tum quia rogauit apparitores, vt custodirent, & caperent eum, si possent, propter quod Octauius desperauit de fuga, & se præcipitauit in apertam mortem. Secundo vrget, quod omnis actus illicitus, & suapte natura, lege, vel consuetudine ordinatus in mortem, ex quo illa sequitur, efficit agentem irregularem, vt nos post alios probauimus in Man. cap. 27. nu. 219. Et Pyrrhus videtur illicite fecisse actus prædictos, eo quod erat presbyter, cui sicut non licet arma deferre, cap. clericus, de vita, & hon. cler. ita non potest iuste iniuriam aliorum criminaliter persequi, neque suam sine protestatione, de qua in ca. prælat. de hom. lib. 6. & prædictus Pyrrhus est presbyter, & persequutus est iniuriam aliorum, inuocando iudices, vel apparitores seculares, vel suam sine protestatione; ergo. Tertio, quod præculdubio prædictus Pyrrhus fuisset irregularis factus, si gubernatoris sententia fuisset mortis Octauii, cap. sententiam sanguinis, cum notat. in eo. Ne cler. vel monach. & latius à nobis d. cap. 27. num. 209. At paria videntur esse, quod iussu gubernatoris fuisset occisus, vel quod metu eius persequentis seipsum occiderit; ergo. Quarto facit cap. significasti, il. 2. de homic. quatenus probat, quod quidam presbyter, qui insequutus fuit latronem exportantem ab ecclesia eucharistiam, & alia ornamenta, fuisset irregularis, si alij superuenientes studio, vel consilio diæti presbyteri occidissent eum, & in casu isto prædicti apparitores studio, & consilio**
- 4 **Pyrrhi adegerunt Octauium ad mortem; ergo. Quinto, quod paria sunt effectui occidere, vel ledere corpore suo aliquem insecutione per exagitationem, inclusionem, vel alium modum, & perducere illum in aliquem locum angustum, aut periculosum, vnde se præcipitet; quia ita datur per hoc actio utilis legis aquiliae, ac per illud datur directa, l. si boues alienos. ff. ad l. aquil. & clarius in §. fin. Instit. de leg. aquil. Sexto, quod Panor. in c. cum non ab homine num. 3. de iudicijs. communiter receptus, & à nobis relatus, & dilatatus in Commen. 4. de regular. super cap. statuimus num. 63. ait Iudices, & custodes reorum damnatorum ad carceres perpetuos incurrere irregularitatem, si eos in tanta victus angustia prælerint, vt moriantur; quod videtur in casu proposito contigisse.**
- His tamen non obstantibus tenenda est negatiua pars, videlicet, quod prædictus Pyrrhus non sit factus irregularis: tum quia ipse non occidit Octauium, nec consuluit, nec mandauit, nec attulit opem alteri, qui occideret eum; & irregularitas propter homicidium non videtur contrahi

nisi ab

- ab eo, qui aliquid horum fecerit, cap. sententiam, ne cleric. vel mona-
 ch. adeo quod non sufficit, vt placeat ei occisio illa, neque rati habitio, si
 non est suo nomine facta, cap. cum quis, de sentent. excommun. lib. 6.
 Et mors Octauij non est illata à prædicto Pyrrho, nec consulta, nec manda-
 ta, nec suo nomine facta, sed ab ipso met Octauio sumpta. Tum quia vide-
 tur casus pro eo in terminis in d. cap. significasti, el. 2. de homic. in quo
 quidam presbyter regularis insecutus fuit furem exportantem ornamen-
 ta, & c. Ecce, quod in illo casu erat presbyter, immo & religiosus, & infe-
 citus fuit malefactorem, sicut in hoc; immo percussit eum ligone, & in il-
 lo superuenientes occiderunt illum, & in hoc nemo occidit malefactorē;
 & constat, quod non fuit occisus ex aliqua percussione Pyrrhi, ergo à for-
 tiori non debet irregularis cēseri. Tum quia in hoc casu nemo videtur
 incurrisse irregularitatem, quia nemo occidit Octauium, neq; consuluit,
 neque mandauit illi, vt sese occideret, nec opem tulit ei, immo nec potuit
 ratificari eius occisio, quia non fuit facta nomine alius, & non potest rati-
 ficari ab aliquo, quod non est nomine eius factum, cap. ratum de reg. iur.
 lib. 6. & d. cap. cum quis, de sententia excommun. lib. 6. ergo nec Pyrrhus
 7 illam incurrit. Tum quia irregularitas non contrahitur, nisi in casibus à
 iure expressis, cap. is qui, de sententia excommunic. lib. 6. at nullus est ca-
 non, nec vlla lex, qua exprimitur, vt quis incurrat irregularitatem, propte-
 rea quod alius sine suo consilio, mandato, vel ope, se sua malitia suspen-
 8 dat, vel alias sibi mortem consciscat; ergo in hoc casu Pyrrhus nō incurrit
 irregularitatem. Tum quia videtur expressum in iure contrarium; nam, vt
 significat cap. si non licet. 23. q. 5. nihil potuisset nocere alijs Iudæ tradi-
 toris Christi suspensio, & in cap. de occidendis, ead. causa, & quæstione
 sic ait, *Nec reus est mortis alienæ, qui cum se &c. vsque ad occidat*, & paulo
 inferius ait, quod Paulus, qui Actorum 23. indicauit præfidi insidias sibi
 postas, nihil nocuisset sanguinis insidiatorum effusio, quæ à militibus sue
 custodiæ facta fuisset, si incidissent in manus eorum; quod ipsum repetit
 in cap. Maximianus. 23. q. 3. & in tit. de his qui sibi mortem cons. & ff. eo-
 dem iudicantur quidem malefactores inferentes sibi mortem, non autē
 alij puniuntur pro eorum delicto, præsertim si antequam capiātur, & rei
 postulati fiant, eam sibi consciscant, vt in casu proposito.
- 9 Ad primum oppositorum respondetur, negando, quod Pyrrhus fuerit
 causa mortis Octauij sufficiens ad incurrendam irregularitatem. Tum
 quia causa mortis remota non est ad id sufficiens, iuxta glo. sing. recept. in
 cap. de cætero de homic. & Pyrrhus non fuit causa proxima, sed valde re-
 mota. Tum quia nullus alius fuit causa mortis Octauij, quā ipse met Octa-
 uius, nec vllus alius voluit eum occidere eo modo, quo fuit occisus, quā
 ipse met: & non sufficit ad incurrendam irregularitatem, vt quis sit qualis
 qualis occasio mortis, per Augustinum supra relatum.
- 10 Ad secundum respōdeo primo, quod actus, quos fecit Pyrrhus, fuerūt

liciti: quia non est illicitum presbytero insequi malefactorem suum, ut probat d. cap. significasti, il 2. de homic. nec procurare ut capiatur, ut idē cap. probat, immo nec indicare iudici esse sibi paratas insidias, per cap. de occidendis. 23. q. 5. & cap. Maximianus. 23. q. 3 quamuis illicitum sit petere, ut puniatur reus criminaliter, quod non fecit Pyrrhus: solum enim procurauit, ne fugeret, & detineretur, vel caperetur, petiturus postea iustitiam eo modo, quo liceret ei per d. cap. prælatis, ne cleric. vel monach. lib. 6. Secundo respondetur, quod ex actibus eius non fuit secuta mors Octauij: quia non intulerunt illā ministri iustitiæ, quos Pyrrhus incitauit ad custodiendum, nec ipsi fuerunt illum iniuste insecuti, sed iustissime, & mors ex malitia eius secuta fuit sine vilo peccato insequentium, & querentium.

11 Ad tertium respondeo negando, paria esse, quod reus occidatur per sententiam Iudicis, vel quod ipse occidat seipsum; partim quod id satis colligitur per titulos prædictos, de his qui sibi mortem conscuerunt, partim quod Iudex fit irregularis, si occidat per suam sententiam etiam iustam, non autem si ipse sibi mortem consciscat: partim quod in altero casu Iudex est causa mortis, in altero vero non, sed malitia consciscentis.

Ad quartum respondetur concedendo, quod presbyter, de quo in d. cap. significasti. il 2. de homic. fuisset irregularis, si illi, qui superuenerunt, & occiderunt fugientem, consilio, vel mandato eius eum occidissent; & consequenter quod etiam fuisset irregularis, si ministri iustitiæ occidissent Octauium consilio, rogatu, vel mandato eius; sed nec ille consuluit, nec rogauit eos, ut id facerent, neque ipsi fecerunt: & ita casus noster differt à casu illo quo ad hoc, ut palam est, licet quo ad alia conueniat, ut dictum est.

12 Ad quintum respondetur primo, negando paria esse ledere alium corpore suo, & adigere illum ad aliquem locum, ita ut lædatur, cum ipsa met leges in argumento citare in altero casu dent actionē directā, in altero uti lē: Secundo concedendo, quod paria sunt, quo ad aliquid, quando utrumq; fit illicite, secus tamen quando alterū fit licite, ut in casu nostro, in quo licite facta fuit insecutio, & custodia, & malum non fuit secutum ex illis, sed ex malitia grauissima insecuti, & custoditi: cuius diuersitatis ratio est, quod non debet quis reportare commodum ex sua malitia, neque incommodum ex probitate, l. itaque fullo. ff. de furt. & cap. bonæ, il 1. de postul. prælatorum.

13 Ad sextum respondetur, concedendo illam determinationē Panotm. sed negando, quod conueniat casui nostro: quia qui male denegat victū necessarium ad vitam, dat causam proximam illicitæ mortis, l. necare. ff. de lib. agnos. & cap. pasce. 86. dist. qui autem iuste insequitur, vel quartus aliquem malefactorem, nihil mali facit, & non dat causam mortis fugienti, si se occidat, ut palam est. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Irregularis non est testis, cuius dictum non fuit causa sententiæ mortis.*

CONSILIVM XXXVI.

Postquam R. qui percussit alium, fuit captus, & confessus percussione, & postquam percussus fuit mortuus, Tarquinius præsentatus testis testatus fuit illum esse mortuum, & quod dicebatur R. percussisse illum: & postea fuit suspensus R. Quæritur an Tarquinius sit irregularis.

- 1 Respondetur primo, quod non, si Iudex non fuit motus ad ferendam pœnam suspensionis ex eius dictis, nec ad citius suspendendum, quam suspendisset sine suo dicto, per ea quæ nos tradimus in manu. Confess. ca. 27. num. 211. & sequen. Alias sic per ibidem tradita.

Secundo, consulo D. Consulenti, ut adeat Iudicem, vel notarium, & interroget eum, an ex sola confessione R. & alijs probationibus contra ipsum factis, fuisset R. tam cito suspensus, ac sine testimonio Tarquinij, & si responderit quod sic, non curet amplius de eiusmodi irregularitate.

Tertio, quod si Iudex, seu notarius certiozem faciant eum, quod propter eius testimonium fuit suspensus, vel saltem citius, quam alias fuisset, debet se irregularem censere, & supplicare in sacra Pœnitentiaria, ut eum absoluat ab ea, & statim absolvetur sine vlla impensa. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Irregularis non est clericus, iurisdictionem criminalem delegans.*
 2 *Irregularis est qui, sibi commissa criminali iurisdictione, alteri criminalem causam committit.*
 2 *Clerici hortari possunt milites ad pugnam, sed non ut hunc, vel illum vulnerent.*

CONSILIVM XXXVII.

Vicelegatus iussit secretario suo, ut deferret quasdam literas, quas ipse scripserat ad quendam commissarium, in quibus iubebatur ipsi commissario, ut sententiam mortis, quam contra quendam tulerat, mane sequentis diei exequeretur, quod factum fuit. Quæritur, An tam

Pars ij.

Dd 3 vicele-

Vicelegatus, quam Secretarius prædicti sint irregulares?

1. *Questio hæc subtilis est: & pro parte negante videtur casus in cap. Episcopus, ne cleri. vel monac. lib. 6. quatenus habet, habentem iurisdictionem criminalem posse illam committere alteri sine metu irregularitatis incurrendæ per iustitias ab illo faciendas. est & pro eadem vrgens ratio, scilicet, quod præfatus Vicelegatus non habetur, vt fertur, pro irregulari, & non videtur plus licuisse illi mandare illud per familiarem suum, quã familiari deferre mandatum, arg. cap. qui per alium, de reg. iur. lib. 6.*
2. *Pro parte autem affirmante facit, quod Ioan. And. communiter receptus tenuit in dicto cap. Episcopus. quod incurreret irregularitatem is, qui ex commissione habentis iurisdictionem criminalem, eligeret aliquem, cui committeret potestatem illam criminalem. facit & ratio vrgens, quod aliud est committere generaliter iurisdictionem criminalem, aliud dicere commissario, qui condemnauit iam reum malefactorem ad mortem, vt expediat mane illum: nam licet clerico hortari milites prælaturos generaliter ad victoriam consequendam, cap. igitur. 3. q. 8. sed non licet hortari vnum, vel plures milites specialiter ad occidendum, & maxime illum, vel illum particularem, vt ait Innoc. comm. recep. quem etiã sequimur nos in Manu. confess. cap. 27. nu. 215.*

Per hæc posteriora arbitror, quod non solum supradictus orator, sed etiam Vicelegatus, qui misit eum, indiget dispensatione. Salua, &c.

DE ADULTERIIS, & Sup.

S V M M A R I V M.

1. *Adulter ius petendi debitum amittit, & innocens ius illud negandi acquirit.*
2. *Ordinari potest cuius vxor ab eo clam ducta alij nupsit.*
3. *Adulteratus clam, & eius vxor palam, quia clam ducta alij nupsit, an postea ordinatus peccarit, & ad quid teneatur. nu. 5.*
4. *Matrimonium asserentibus in præiudicium ordinis sacri non creditur.*

C O N S I L I V M I.

CVm certum sit, coniugem adulterantem ipso iure perdere ius petendi debitum à coniuge innocente, cui etiam ipso iure quæritur ius negand

gandi illud delinquenti, vt tradimus in Manua. Confess. cap. 22. nu. 23. cumque item certum sit coniugem innocentem, qui, vel quæ quæsiuit ius negandi debitum coniugi adulteranti, perdere illud adulterando iuxta cap. intelleximus. de adult. cumque verum sit eum qui clandestine contraxit, & consummauit matrimonium cum aliqua, quæ postea publice contraxit cum alio, ex quo suscepit filios, & negante illa non potest probari matrimonium, posse ordines etiam sacros suscipere, iuxta cap. Agathosa. 27. q. 2.

3 Quæritur de quodam Innocente, qui fuit adulteratus clam, antequam ordines susciperet, & postquam matrimonium clam contraxit, sua coniux publice nupsit, an recte fecerit, vel teneatur redire ad illam eum repetentem.

Respondeo primo multa posse pro vtraque parte adduci per eum, cui vacaret id facere. Secundo, quod in foro exteriori censendus est recte fecisse, nec posse redire ad illam; quia non potest probari matrimoniū, nec credi debet eis confitentibus illud; quia id credi non potest in præiudiciū sacri ordinis publice accepti, iuxta cap. super eo. de condition. apposit. & ei per gloss. & alios adnot. Tertio, quod videtur male fecisse: Tum quia per illud adulterium perdidit ius discedendi ab ea in foro conscientie, per cap. intelleximus. de adulter. Quarto, quod teneretur in foro conscientie accipere illam, si mortuo marito vellet redire ad eū. Quinto, quod non videtur posse iuste vti sacerdotio sine Papæ dispensatione, quam opinor posse S. Sanctitatem facere pro tempore, quo illa viueret nupta: attento quod illa non petit eum, nec eum vendicaret, etiam si peteret, propter probationis defectum: & quod non videtur contra ius naturale, neque diuinum, quod in huiusmodi casu occultissimo ordine suo utatur sacerdos. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Adulter ad recipiendam coniugem adulteram cogi potest.
- 1 Index ex officio cogere potest coniuges adulteros, vt simul cohabitent.
- 2 Index ex officio potest reuocare maritum religionem ingressum ad euitandum incontinentie peccatum.

CONSILIVM II.

Vir, & vxor adulterabant; tandem vxor sponte recessit, & adhæsit adultero; vir admisit concubinā, qua eiecta petit absolui; & quia non potest induci, vt vxorem repetat, vel vt ei indicet se paratum eandem reuertentem recipere; licet dicat confessario, quod eandem reuertentem recipiet; Dubitatur an debeat absolui?

- 1 Respondeo primo, certum esse, quod tam ille, quam illa potest cogi ad recipiendum coniugem, non obstante adulterio: quia cum vterque admiserit illud, mutua compensazione sublata est exceptio inde nata, cap. intelleximus. de adulter. Secundo, quod iudex ex officio potest ipsos compellere fauore animarum suarum, vt vitent periculum fornicationis, vel adulterij, quo iam fuerunt maculati. Tum quia iudex potest vti officio suo nobili in vtilitatem publicam, & in vtilitatem miserabilium personarum, & alia pia; qualis est salus animarum, iuxta doctrinā Bart. ab omnibus recept. in l. 4. §. hoc autem iudicium. ff. de damno infe.
- 2 Tum per ea, quę in specie citat Panor. in cap. consanguinei. num. 7. de sent. & re iud. Tum per id, quod ipsemet ait in cap. 1. de conuers. coniug. num. 8. scilicet, quod iudex potest ex officio suo reuocare maritum religionem ingressum, neque emittit votum continentię ad vitandum peccatum. Tertio, remedium huic proposito casui aptissimum esse videtur impetrare ab ordinario, vt ex officio faciat eos, vt iure tenentur, cohabitare.

S V M M A R I V M.

- 1 *Iudex ecclesiasticus in concubenarios, & peccatores vt procedet.*
- 2 *Lex noua remedium adducens non censetur tollere aliud per alias leges inductum.*

C O N S I L I V M III.

AN contra concubenarios possit procedi alia via, & ad alias pœnas, quam quę statuuntur in Concil. Trident. cap. 8. sessio. 24. de reform. matrimonij?

- 1 Respondetur, quod iudex ecclesiasticus potest procedere contra concubenarios, & concubinas alijs vijs, & ad alias pœnas, quam quę constituuntur in d. cap. 8. Tum quia iudex ecclesiasticus potest procedere contra prædictos per viam accusationis, & denuntiationis, iuxta cap. super his. de accusatio. & prædictum cap. 8. solum videtur agere de via inquisitionis; quamuis insinuet à contrario sensu per illa verba, *Etiam nullo requirente*, posse illum procedere etiam alia via; quia illud verbum implicat casum minus dubium, arg. l. etiā. ff. de minorib. Tum quia finis illius cap. habet non tolli per illud alias pœnas contra eos statutas. Tum quia lex noua remedium adducens non censetur tollere aliud per alias leges iam inductum, l. quoties. ff. de actio. & obligatio. & renuntians vni ex duobus remedijs competentibus sibi, non videtur alteri renuntiare, l. quoties duplici

plici. ff. de reg. iur. arg. l. si domus. vbi Bart. ff. de feruit. vrba. præd. & cap. ex tuarum. de auct. & vsu palij. Tum quia in hac ipsa materia punitionis clericorum fornicariorum late resoluit Panor. in cap. at si clerici. nu. 36. de iudic. & cap. si autem. de cohabi. cleri. & mulie. quod varix pœnæ sunt institutæ contra huiusmodi clericos fornicarios; & ideo potest Iudex arbitrari super pœna imponenda, declinando præsertim ad imponendam mitiorem.

S V M M A R I V M.

- 1 *Cap. 14. de refor. sess. 25. an in simplici incontinentia obtineat.*
- 1 *Consuetus, & solitus non dicitur, nisi qui saltem bis fecerit.*
- 2 *Pœna præsertim in fornicatione castiganda restringenda.*
- 3 *Conuersatus dicitur, qui semel est conuersatus.*
- 4 *Vniuersale verbum dispensationem ampliat.*
- 4 *Verbum, alius, regulariter solum similia comprehendit.*
- 5 *Clericus ob vnicam fornicationem iure antiquo deponendus.*
- 6 *Clericis omnis conuersatio cum suspectis mulieribus prohibita.*

C O N S I L I V M III.

AN cap. 14. de refor. sess. 25. Concilij Trident. habeat locum in simplici incontinentia absque qualitate concubinitus? & quid si clericus modo cum una, modo cum alia muliere deprehendatur?

- 1 Respondetur, quod pro parte negante facit primo, quod prædictum cap. 14. videtur loqui de clerico habente consuetudinem cum aliqua muliere; & quod qui semel fornicatur cum aliqua, non videtur per hoc habere consuetudinem cum illa: quia ad hoc, vt aliquis dicatur consuetus facere aliquid, requiritur quod saltem bis fecerit illud, leg. 3. C. de episc. audien. & cap. ita nos. 25. quæst. 2. & expresse notat Bartol. in l. mela. ff. de alimen. & ciba. lega. quod ad hoc, vt aliquis dicatur consuetus facere aliquid, requiritur, quod saltem bis fecerit illud; licet ad hoc, vt quis dicatur solitus facere aliquid, sufficit, quod semel fecerit illud, per prædictam leg. mela. vers. sed si. & Decius in rubric. de consuetud. numero 9. efficaciter per multos textus probat, quod etiam ad hoc, vt quis dicatur solitus facere aliquid, requiritur quod saltem bis fecerit illud.
- 2 Secundo facit, quod pœnæ sunt restringendæ, l. interpretatione. ff. de pœnis, & cap. pœnæ de pœniten. distin. 1. præsertim cum agitur de castigando peccata fornicationis, iuxta capit. fraternitatis, 34. distinctione. & quæ

& quæ ait Panorm. in capitulo at si clerici. in princ. numero 35. de iudic.

Tertio, quod cum lex apte potest intelligi duobus modis, benignior interpretatio est sumenda, l. benignius. ff. de legibus. At cap. illud 14. videtur apte posse intelligi de habente saltem bis conuersationem, & accessum, & est benignius sic intelligere; ergo &c.

- 3 Pro affirmante autem facit primo, quod verbum illud in d. cap. 14. positum videtur significare conuersationem, iuxta illud Plauti in Miler. *Hoc adeo fieri credo consuetudine, vel familiaritate*, & iuxta illud Terentij in Andria, *Neque me consuetudo, neque amor*. & etiam per vnum actum dicitur quis conuersatus fuisse, vel familiariter se habuisse cum aliquo.

Secundo, quod verbum illud, *consuetudinem*, videtur desumptum ex cap. 2. de cohabitatio. clerico. & mulierum ex illis verbis, *Fabulari, & alio modo conuersari*.

- 4 Tertio, quod hæc expositio videtur germanior intentioni Cõcilij, qua tenus prohibet per dictionem vniuersalem, vt nullam consuetudinem habeant, etiam citra fornicationis actum: Verbum enim vniuersale ampliat dispositionem, iuxta glossam recep. in clemen. 1. verb. quauis de re iudic. quæ probat verbum *alius*, quod regulariter solum similia comprehendit, iuxta gloss. cap. sedes. de rescript. adiuncto signo vniuersali *quibus*, comprehendere etiam maiora expressis, in quo cõmendat eam pro singul. Panormit. in consilio vltim. 1. volum. numero 5. & Barbat. in cap. tertio loco. de probatio. & alij alibi, quamuis habeat alias similes.

Quarto, quod si Concilium fuisset interrogatum, an intenderet prohibere vnam accessionem cum reali fornicatione, respondisset, quod magis, quam binam sine actu fornicandi. Ergo id habendum est pro statuto, arg. l. tale pactum. §. qui prouocauit. ff. de pactis.

- 5 Quinto, quod concilium, quod voluit punire priuatione tertie partis fructuum eum, qui monitus, ne accedat, accesserit, à fortiore videtur voluisse priuare eum, qui accessit, etiam tantum semel realiter fornicando; cum propter vnam solam fornicationem etiam simpliciter antiqua iura constituerint clericum esse deponendum, cap. presbyter. 8 1. dist. & non propter solam confabulationem, vel conuersationem, non secuta fornicatione, saltem presumpta.

- 6 Sexto denique, quod cap. illud 14. noluit minus prohibere, quam iura antiqua, quod patet ex pœna maiori, quam noue addit. At iure antiquo prohibitum erat non solum habere concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio in domo, vel extra, cap. sicut, & cap. si autem. de cohab. cleric. & muli. sed etiam accedere ad illas, vel habere aliquam consuetudinẽ, cap. in omnibus, & cap. fœminas. 8 1. dist. & cap. clerici. ead. prohibet, ne clerici accedant ad virgines, vel viduas, nisi iussu

Epi-

Episcopi. Ergo Concilium intendit prohibere, etiam vnam accessionem, & conuersationem.

DE RAPTORIBVS.

S V M M A R I V M.

- I Raptor non est, quem virgo vltro sequitur, licet eam stupret.
- I Virginem etiam per vim stuprans, si illam ad alium locum non adduxit, pœnam raptus non incurrit.

C O N S I L I V M I.

Q Vædam virgo capta amore cuiusdam iuuenis, cum illum transeuntem per callem & viam de fenestra vidisset, exiuit de domo, & abiit post eum ad domum ipsius, vbi carnaliter est ab eo cognita, & virgo abiit voluntarie. Dubitatur an iuuenis incidit in pœnas cap. 6. Concilij Trid. sess. 24.

I Responderetur, quod præfatus iuuenis non incidit in pœnas d. cap. 6. eo quod non potest dici raptor, quia rapina, vel raptus, vt capitur in illo c. 6. significat ablationem violentâ, qua fœmina ab vno loco ad alium trahitur, vt sentit D. Thom. 2. 2. q. 66. arg. 9. & clarius q. 154. art. 7. in corpore, & cap. de raptoribus; 3. q. 1. l. sed eximendi. ff. ne quis eum, qui in ius voc. Tum quia per illam l. dixit Paul. Castr. in l. raptores. C. de Episcop. & cler. quod statutum puniens morte rapientem virginem, non habet locum in eo, qui etiam per vim stuprauit virginem in aliquo loco, si eam non transferret ad alium locum; quem refert, & sequitur allegans in hoc multos Hyppolitus in l. vnica C. de rap. virg. num. 12. quorum vterque citat Gandinum attestantem, ita fuisse iudicatum Bononiæ. Tum quia aliud est stuprum, aliud raptus ex D. Thom. dicto art. 7. & efficacius §. item eadem lege Iulia, & §. fin autem. instit. de publi. iudi. per quæ receptum est ab omnibus, quod qui virginem consentientem solum stuprat, non adducendo eam ad alium locum, non censetur committere raptum, nec debet puniri pœna raptus, sed pœna stupri, quæ longe alia est, & minor, vt colligitur ex d. l. vnica, & ex dict. §. item eadem lege. Cum ergo iste iuuenis eam non abstraxerit, & in actu consenserit ipsa virgo, potest quidem dici stuprum commississe, non autem raptum. & ideo pœna d. cap. 6. non est extendenda ad istum iuuenem stuprantem, cum pœna non debeat extendi, l. si præses ff. de pœnis. cap. pœnæ. de pœna dist.

I. &

1. & secundum D. Thomam, & Theologos, & Iuristas, stuprum est species luxuriæ, diuersa ab alia specie luxuriæ, quæ dicitur raptus, & suo genere minus peccatum, quam raptus.

Nota quod raptus non admittitur sine violentia, arg. cap. de raptoribus 36. q. 1. & l. 1. C. de raptu vir. quia verbum rapere sonat violentiam, vt sentit l. si eximendi. ff. ne quis eum qui ius vocat. vbi Angel. id expresse notat, quem refert, & sequitur Ioan. ab Anania in rubr. de raptorib. dicens eum, qui vult probare raptum, debere ita articulare, vt violentiam factam concludat: quamuis videatur sufficere persuasio exeundi à domo patris, ipsa volente, per munera data, seu promissa, ex mente Angeli in authent. de lenonib. §. fin. colla. 9. quatenus ait eum, qui allexit vxorem alterius ad adulterandum muneribus, vel promissis, dici posse adulteratum fuisse illam inuitam.

D E F U R T I S.

S V M M A R I V M.

1 *Surripientes à propinquis, vel amicis, quæ credunt gratis daturus, licet non proponant abstinere, possunt absolui.*

C O N S I L I V M I.

PAuperes mulieres debiles sibi ipsis victum quærere non valentes, & mendicare erubescences, cum sint honestæ conditionis, visitant propinquas suas etiam pauperes, sed non æque, vt ipsæ sunt, & auferunt eis buccellam panis, vel aliquid simile. Quæritur, an id eis liceat?

1 Respondeo id non licere, nisi credenti probabiliter, quod amica, vel propinqua illa, cui subtrahit, esset contenta, si subtractionem nosset, iuxta l. inter omnes. §. recte. ff. de furtis. & qui crederet eum, cui surripit contentum iri, vt acciperet, non peccaret mortaliter accipiendo, etiam si crederet, quod nollet, quod acciperetur ei clam, vt post Adrianum, & Caieta diximus in Manual. Confess. cap. 17. num. 139. Quod sequitur mulierem, quæ acciperet illa panis frustula, credens quod domina eorum gratis daret, si peterentur ab ea, posse absolui sine proposito omnino abstinendi; quia non oportet pœnitentem habere propositum omnino abstinendi à venialibus, sicut à mortalib. vt diximus in dict. Manual. cap. 1. num. 24. post S. Thom. 3. parte q. 87. art. 1. & 4.

CON-

S V M M A R I V M.

1. Ancilla erogantes pauperibus minuta aliqua ex tacito dominorum consensu, vel sine animo perueniendi ad notabilem summam, restituere non tenentur.

C O N S I L I V M II.

Ancilla per multos annos inuitis dominis clam singulis diebus modica quaedam dederunt pauperibus, credentes hoc minime prohibitum: quorum omnium minimorum summa simul collecta accedit ad notabilem quantitatem. *Dubitatur, an teneantur restituere de suo.*

1. Respondeo primo, quod non tenentur restituere, si domini earum essent talis conditionis, & habitus, ut probabiliter credere possent, quod ipsi consensissent eis, si petissent licentiam dandi parua illa pauperibus, vel dedissent ea, si fuissent petita ab eis, etiam si noluisent, ut clam eis illa darentur per responsum ad praecedentem quaestionem.

2. Secundo, quod tenerentur restituere, si domini essent talis conditionis, quod non dedissent licentiam praedictam, neque illa per se dedissent pauperibus petentibus ea, secundum communem opinionem, qua nos quoque secuti fuimus in Manual. Confess. cap. 17. num. 139. cum quadam limitatione notabili, quae ibi videri potest.

3. Tertio, quod secundum nostram particularem opinionem putamus probabile, quod nunquam teneantur restituere illa parua sub poena peccati mortalis, etiam postquam peruenerint ad notabilem quantitatem, si nunquam, percipiendo illa parua, intendunt peruenire ad illam, ratione illa firma, quod magis peccat, caeteris paribus, qui capit, quam qui retinet, cap. saepe. de restitut. spolia. & quod qui capit illa parua sine intentione perueniendi ad illam quantitatem notabilem, non peccat plus, quam venialiter.

S V M M A R I V M.

1. Restituere tenetur, qui ad vitandam mendicitatem furatur.

CONSILIVM III.

Regularis quidam peregrinus, cum nihil haberet in via, nata occasione, furto quædam sustulit, ad hoc, vt in patriam sibi redeunti prouideret, vitaretque erubescenciam mendicandi, ac alia incommoda, quæ patiuntur facientes iter. Quæritur, an teneatur restituere?

- I** Respondeo, quod dubio procul tenetur restituere per tradita in Manu. Conf. cap. 17. num 61. quæ facile videri possunt.

S V M M A R I V M.

- I** *Ministri ministros furari videntes, quos non corrigunt, nec impediunt, peccant mortaliter, non tamen tenentur restituere, quando eorum custodia res non est commissa.*

CONSILIVM IV.

IN domibus magnatum adsunt ministri, & seruentes, qui habent officia distincta: euenit quod præpositus cellæ vinariæ architriclinus furatur vinum secrete, & vidente eo, qui præpositus est custodiæ vestitiæ ac cubiculario: & quia ad istos cura cellæ vinariæ specialiter non spectat, non curant hoc indicare ei, qui posset occurrere, asserentes, nobis sufficit, furto nec consilium, nec auxilium dare, de cetero nolumus nobis parare maleuolos in domo. Dubitatur, an isti tacendo peccent, & teneantur ad restitutionem.

- I** : Respondeo primo, prædictos ministros, de quibus quæstio proponitur, videri peccare, siue quod non vtuntur correctione fraterna, siue quod non obuiant peccatis committendis, siue quod non impediunt damnum & detrimentum proximi, quod possunt impedire, & non impediunt, credentes quod nemo alius impediet, per ea multa, quæ nos adduximus in comenta. cap. non in inferenda 23. q. 5. & in locis ibi citatis, quorum summam inferuimus Manual. Confess. cap. 24. num. 22. & in locis ibi citatis. Nec obstat, quod res cellæ vinariæ, vel panariæ non sint eis specialiter deputatæ, & commendatæ: quia quoad effectum peccandi non est necessarium, quod custodia rerum proximi sit commissa officio negligentis seruare indemnitate eius: licet sic quoad effectum restituendi, vt in locis supradictis traditur, & facilius ibi videri possunt.

Secundo respondeo, quod non tenentur ad restitutionem: quoniam qui non obstat, cum possit, damno proximi faciendo, nisi ex officio teneatur ad cu-

ad custodiendum illud, non tenetur ad restitutionem damni secuti: quia non peccat contra leges iustitiæ specialis, sed contra leges tantum charitatis, quarum transgressio non obligat ad restitutionem, vt traditur in d. Man. cap. 17. num. 11. & cap. 24. num. 17.

Tertio, quod prudenter perpendenda est in huiusmodi casibus gravitas, siue magnitudo, vel paruitas damni salutis, honoris, vel rei pecuniariæ, quæ posset consequi denuntiationem, vel indicationem huiusmodi furum; quoniam interdum illa excusare posset à peccato, & interdum non; quamuis arbitrer raro contingere posse, quod non se offerat aliquis modus indicandi sine notabili damno ei, qui ob sanã charitatem, & obsequium Dei, & amorem virtutis, voluerit indicare.

S V M M A R I V M.

1 Pueri præfecti coquinæ de mandato eius amicis deferendo, nisi desistant, non sunt absoluedi.

C O N S I L I V M V.

Præfectus coquinæ habet sub se pueros, quibus dat aliqua comestibilia, alicuius tamen valoris, clam deferenda aliquibus amicis suis; crediturque quod, si dominus sciret, prohiberet. Pueri obiurgati à confessarijs respondent, nos huic præfecto cogimur parere, & nisi pareamus, vel si hoc reuelabimus, malo nostro de domo eijciemur. Dubitatur quid agendum cum dictis pueris.

1 Respondeo, quod prædicti pueri, qui credunt, vel credere debent peccare suum præfectum mortifere, mittendo prædicta donaria suis amicis, peccant etiam ipsi deferendo illa: & ita debet eis præcipi, ne deferant propter obedientiam, quam Dei legi debent, sperantes ab eo, qui diues est in omnibus, compensationem tam in bonis animæ, quàm in cæteris, arg. eorum, quæ de ministris peccatorum diximus in dict. cap. 17. num. 19. & cap. 24. num. 31.

S V M M A R I V M.

1 Oeconomus an licite possit conuenire cum pistore, & lanio, quod res ab illis emer, si quid lucri sibi dederint, & an illud restituere teneatur.

CON-

CONSILIVM. VI.

Procurator magnatum conventionem facit cum piftore, & lanio, quod ipse accipiet pretio currenti omnem panem, & carnes necessarias pro domo domini sui, si piftor, & lanus dederint ei tot aureos singulis mensibus. Quæritur, an conventio sit iusta, & an retinere possit sibi quod mutuando pecuniam argenteam in minutam lucratur.

- I** Respondeo primo, videri iniustum. Tum quia videtur præstare materiam delinquendi piftori, vt det peiorem panem. Tum quia videtur fraudare dominum treseno, vt vocant, panis. Tum quia nihil industriæ, vel laboris in hoc ponit. Tum denique quod domino aliqua via peribit tantum, quantum piftor æconomus præstat. Secundo, quod satis potest teneri posse æconomum per prædictum cambium lucrari sibi. Tum quia id nullatenus domino nocet. Tum quia multum laboris, & tædij deuorat æconomus soluendo illa, quæ emit, pecunijs minutis. Tum quia non nihil industriæ suæ addit.

S V M M A R I V M.

- I** Restitui cui debeant res furto subtractæ.

CONSILIVM. VII.

Mvlto bona fide portabat quasdam res de loco ad locum; in via cognouit dictas res furto sublatas, & tamen perfecit iter. Dubitatur, an teneatur de suo restituere.

- I** Respondeo, quod præfatus mulio tenetur res illas restituere illi, qui eas sibi commendauit, vt nos tradimus in Manual. cap. 17. num. 29. Et ita si ipse portauit illas ad locum, ad quem portare promisit, & reddidit personæ, cui reddere promiserat, satisfecit, saltem quo ad forum conscientie, arg. l. bona fides. ff. de positi. nisi probabiliter crederet, quod qui eas ei commendauit, numquam restitueret domino; nam tunc, si absque magno detrimento suo id facere posset, debet restituere domino. Et si restituerit ipsi, qui eas ei commendauit, debet monere dominum locum, & personam, vbi, & penes quem sunt; et si restituerit domino, debet monere eum, qui eas sibi tradidit, quod restituit domino; & si reddiderit furi, cum deberet reddere domino, vel detinere penes se sine detrimento suo, tenebitur restituere de suo domino; sed ad præcipiendum hoc ei, diligenter sunt circumstantiæ rei, & personarum perpendendæ, vt ex prædicto loco Manual. & ex Dominico Soto lib. 4. q. 7. art. 1. de iustitia & iur. colliigi potest.

S V M M A R I V M .

- 1 *Furtum ad seminandum discordias committens, bis peccat.*
- 2 *Monitorio de reuelando in termino non parentes excommunicantur .*
- 2 *Reuelatio ita facienda est , vt dominus rem suam recuperet.*
- 3 *Fur licet curauerit vt ablatum ad dominum rediret, si non redijt, iterum restituat.*
- 4 *Fur actione furti, & conditione furtiua conueniri potest.*
- 4 *Depositarium rei furtiuae quando furi, vel domino tenetur.*
- 5 *Reuelans ita, vt probari nequeat monitorio, non satisfacit.*

C O N S I L I V M V I I I .

Quidam, animo seminandi discordiam inter maritum, & vxorem, & socrum, bona quaedam furati sunt, quae postea archipresbytero dederunt, vt ea restitueret; is vero intra domum praedictorum secreto posuit; nescitur tamen, an ad manus dominorum peruenerint. Dominus excommunicationem à Papa contra bonorum detentores, & scientes, & non detegentes obtinuit; archipresbyter occulte praemissa manifestauit episcopo.

Quaeritur primo, an peccatum commiserint?

Secundo, an in excommunicationem inciderint?

Tertio, an, depositione praedicta non obstante, teneatur restituere?

Quarto, an fures conditione furtiua teneantur ad restitutionem?

Quinto, an furibus, seu parti archipresbyter teneatur restituere?

Sexto, an scientes, reuelando episcopo, satisfaciant?

Quaestiones praefatae iustum libellum, ad iustam earum resolutionem, requirere videntur: quod ipse occupatissimus praestare nequeo, sed breuiter, & simpliciter absque ampliori disputatione respondebo.

AD PRIMAM QUIDEM, proculdubio eos mortaliter bis peccasse, primum materialiter peccatum furti: quia contrectauerunt rem alienam inuito domino. Secundo, peccauerunt formaliter peccatum discordiae notabilis ex circumstantia finis: quia in finem seminandi grandem discordiam inter maritum, & vxorem, & socrum, inter quos magna concordia procuranda erat, furari curauerunt.

AD SECUNDAM, imitando Scetuolam, qui secundum ea sola, quae proponebantur, respondere solebat, respondeo, eos incidisse in excommunicationem Papalem, si ante lapsum terminum monitioni praefixum, nihil ultra id, quod in casu proponitur, fecerunt: quoniam excommunicatio papalis, quam appellant significauit, habet Papam iubere, vel

Pars ij.

E e

commit-

committere iussionem ordinatio, vt infra certum terminum restituant, qui rem detinent, & qui non detinent, sed sciunt, id manifestent coram Iudice, vel persona in literis Papæ, vel commissarij expressa, vel nominata: ita vt per eius dictum iuari possit, qui excommunicationem impetrauit; & præfati fures nec restituerunt, nec confessi fuerunt se habere, nec accepisse furto subtracta intra terminum præfixum.

- 3 AD TERTIAM respondetur, eo modo esse illa restituenda, ac si non fuissent in domum præfatam proiecta; nisi probetur ea peruenisse ad dominum rerum subtractarum: quia restitutio requirit, vt res in pristinum statum reponantur; & furtum non censetur repositum, in quo erat, donec perueniat ad suum dominum: & per præfatam projectionem non constat res proiectas in potestatem earum domini venisse, vt palam est.
- 4 AD QUARTAM respondetur, fures teneri ad restituendum domino in vtroque foro: in foro quidem exteriori actione furti, & condictione furtiua: in interiori autem, quia non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

AD QUINTAM respondetur, quod archipresbyter tenetur restituere furibus iure stricto actionem depositi; quia deposuerunt illa apud eum: & præfati fures non erant tales, & suspecti de fuga, vel de voluntate non restituendi verisimili; quo casu interdum satisfaceret, immo melius faceret, restituendo domino, quam furi.

- 5 AD SEXTAM respondetur, quod aut sacerdos, qui manifestauit episcopo, non satisfecit excommunicationi papali, aut episcopus sancte potuit reuelare illud socrui, cuius intererat illud scire: quia Papa, vt supra insinuauit, iubet, aut committit iussionem reuelandi huiusmodi furta male ablata, ad hoc, vt hi, quorum interest, eiusmodi reuelatione uti possint: & ita si sacerdos ille non reuelauit episcopo eo modo, quo posset ille reuelare his, quorum intererat, non satisfecit excommunicationi papali: & si reuelauit eo modo, quo satisfecit illi, poterat optimo iure, immo tenebatur episcopus reuelare. Salua &c.

D E V S V R I S .

S V M M A R I V M .

- 1 Cambium de vno ad eundem locum cum auctario illicitum.
 2 Procurator constituentis personam representat.
 3 Creditor, & debitor eiusdem rei, & eadem ratione nemo fit. num. 3.
 4 Vsuram ex sola spe principali lucranda ex mutuo committi. num. 10.

5 Contra

- 5 *Contractus de se licitus, factus in fraudem vsurarum, fit illicitus. num. 10.*
 6 *Cambium per literas, quatuor concurrentibus, valet.*
 7 *Cambium siccum, vel vltra primas nundinas, vel via depositi bulla Pij V. damnatur.*
 8 *Actor, & reus quis agendo personas diuersas esse potest.*
 9 *Officio multiplici sibi non repugnanti vnus, & idem fungitur.*
 10 *Campsores passim creditores, & debitores fieri diuerso respectu.*
 10 *Bonus quilibet præsimitur, donec probetur contrarium.*

CONSILIVM I.

Campsores Romæ, seu Florentiæ dant pecunias Lugduni soluendas illis, qui Lugduni non habent agentem, nec numismata, sed rogant campsores, vt ipsemet ad suum correspondentem scribat, vt nomine campfarij cambium soluat, & traijciat: atque ita fit, vt correspondens, præter propriam personam, gerens duarum personarum vicem, dantis, & accipientis cambium, respectu accipientis pecunias soluit Lugduni, & traijcit, & respectu campsores dantis pecunias remittit, & pro maiore parte in eodem loco campfarij soluit. Quæritur, an huiusmodi cambia sint licita, & sit licitus cambiendi modus?

Respondeo primo contra huiusmodi cambiendi modum facere multum primo extrauag. fe. re. Pij V. quæ incipit in eam, relatam ad verbum in Manu. nostro confess. cap. 17. num. 300. Secundo, quod non est licitum cambium de vno loco ad eundem locum post aliquod tempus cum aliquo auctario, vt nos tradimus in eodem Manu. vbi supra, num. 290. per ea quæ adducuntur n. 295. & irrefragabiliter probatur per præfatam extrauagantem: & præfatus modus cambiendi videtur fieri de Florentia in Florentiam, cum ibi verbi gratia dentur 500. scuta ab Antonio Petro, & in eadem soluantur cum cambio ipsi Antonio à Petro. Tertio, quod procurator representat personam principalis constituentis eum suum procuratorem, l. 1. ff. de procurato. & in prædicto modo cambiendi Franciscus est procurator Antonij ad dandum Lugduni Petro 500. scuta, quæ postea soluit eidem Francisco, tanquam procurator eiusdem Antonij: & ita videtur, quod eadem persona sibimet cambit, & sibimet soluit, & recipit cambium: & ita gerit duas personas, creditoris cambientis, & debitoris soluentis cambium cum sorte principali; quod videtur absurdum, cū vnus & idem non possit esse creditor, & debitor eiusdem rei, nec sibimet mutua re, emere, vel vendere, nec sibimet se obligare, arg. l. si frater à fratre. ff. de rebus credit. sicut neque potest sibimet imperare, & iubere, vel se cogere, l. penu. ff. de recep. arb. & l. ille à quo. §. tēpestiuū. ff. ad Trebell.

4 Quarto, quod vsura committitur etiam sola spe principali lucrandi ali-

Ee 2 quid

quid ex mutuo, c. consuluit, de vsuris. & efficaciter probamus in d. ca. 17. nu. 209. At Antonius præfatus mutuat in casu proposito Petro, intentione principali aliquid ultra sortem mutuandi, & accipiendi solutionem in eodem loco. Quinto, quod omnis contractus etiam, alioquin nominatus, & iustus, si fiat in fraudem vsurarum, est illicitus, vt probatur in cap. ad nostram, de emptio. & in cap. illo, de pignoribus, & in cap. in ciuitate, de vsur. & cambium cum prædicto circuitu videtur facta in fraudem vsurarum: ita scilicet, vt lucretur campfor per circuitionem cambij id, quod non potest directe per mutuum.

Secundo respondeo, quod, his non obstantibus, videtur iustus prædictus cambiendi modus de rigore iuris coram Deo, & in foro conscientia, si intentio contrahentium non est corrupta. Primo quidem ea firma ratione, quod cambium per literas est iustum, quatuor concurrentibus, vt probamus in eod. Man. d. cap. 17. nu. 289. scilicet, quod seruetur æqualitas valoris inter pecuniam datam, & accipiendam: & quod campfor non accipiat plus iusta mercede pro cambio: & quod campfor, qui dat pecunias soluendas, sciat vel probabiliter credat, quod persona, cui eas dat, habeat pecunias, vel fidem, seu creditum, & voluntatē satisfaciendi literis, quas de soluendis illis sibi tradit, in locis, vbi sunt soluendæ: & quod locus, in quo sunt soluendæ pecuniæ, longe distet à loco, in quo dantur literæ. Et in prædicto modo cambiendi videntur concurrere illa quatuor; præsupponitur enim primo æqualitas valoris pecuniæ inter pecuniam datam per literas eadem, excepto salario iusto campforis, & quod ipse non recipit pro salario, nisi quod iustum est, attenta distantia locorum, à quo, & in quem cambitur, & alijs circumstantijs ad id necessarijs: de defectu enim horum duorum non quæritur: quia, si aliquid eorum deesset, certum esset prædictum modum cambiendi esse illicitum. Non deest autem & tertium: quia Antonius dans literas, & Petrus accipiens eas, sciunt, aut certe probabiliter credunt, quod Franciscus volet soluere illa 500. Petro, vel pro Petro Antonio, acceptis literis eius. neque deest quartum: quia Lugdunum à Florentia longe distat. Secundo alia ratione, quod, si Antonius scripsisset ad alium, quam suum responsalem Franciscum, vt solueret prædicto Petro illa 500. & sibi de consensu Petri ea remitteret Florentiam, cambium esset iustum: & non refert quo ad hoc propositum, an ipse det Petro literas, vt pro eo soluat prædicta 500. Lugduni, an scribat ad ipsum Franciscum suum responsalem; cum vtrumque possit ad hoc iuste constituere procuratorē, & cum non referat quid de equipollentibus fiat, l. fin. ff. mandati. & ca. licet ex quadam. de testib.

Ad oppositum primū, scilicet Extrauag. Pij V. respondetur quod nihil continet oppositum huic responso. Tum quod hoc cambium non est siccum, quod ipse damnat: quia, vt diximus in Manua, d. c. 17. num. 286.

Pius

Pius per cambium siccum intelligit cambium fictum, quale non est contentum in prædicto modo: quia est cambium reale per literas, per quas realiter datur pecunia, & etiã realiter soluitur. Tum quod literæ non referuntur inanes, neque remittuntur ad campforem, immo complentur per prædictum Franciscum, quia soluit illa Petro, cui erant soluenda, vel de cõsensu eius procuratori Antonij, quod eiuidẽ effectus est, arg. l. r. & toto tit. ff. de procurat. Tum quia nõ soluuntur prædicta scuta vbi literæ dantur, sed in alio loco ab eo longinquo, & per quam solutionẽ tollitur obligatio, qua Frãcisus tenebatur illa soluere Petro. Tum quod prædictus modus ambiendi nõ extenditur vltra primas nundinas. Tum quia non fit per viam depositi, quos duos modos Pius damnat, neque cum intentione, vt pecuniã soluendã in loco, ad quem fit cambium, soluatur in loco vbi fit: quia debet solui, & soluitur in loco, ad quem fit.

Ad secundum patet responsum ex responso primi: quia nec formaliter, neque æquiuvalenter pecunia cambita soluitur in eodem loco: non quidem formaliter, quia soluitur Lugduni, & cambitur Florentiæ: non etiam æquiuvalenter; quoniam obligatio, qua se obligauit Antonius ad dandum Petro per literas, omnino tollitur per solutionem pecuniæ cambitæ factæ Petro, vel de consensu eius Antonio, vel Francisco procuratori eius Lugduni; & longe antea, quam literæ Francisci perueniant ad Antonium, inuenitur Antonius absolutus à sua obligatione, & Petrus non obligatus Antonio per literas Francisci, vt palam est.

- 8 Ad tertium respondetur concedendo, neminem posse cogere se, neque imperare sibi, neque restituere, agendo vnã & eandem personam, vnã & eadem ratione, & modo consideratam, de quo iura in eo allegata loquuntur; sed negando, quod vnus & idem, agendo personas diuerforum diuersa ratione, & modo, non possit esse creditor & debitor, & emere, & vendere sibi ipsi, & alia multa facere induendo, & representando varias personas, per l. in tribus. ff. de iudic. & per cap. ex literis. de probatio. quæ habent eundem esse actorem, & reum in iudicio. finium regundorum familiæ hercis. & communi diuidun. & glossã vtrobique
- 9 allegant alia iura, quibus vnus & idem multiplici officio fungi potest, & gloss. prædicti cap. ex literis. resoluit in exercenda voluntaria iurisdictione posse quem multiplici officio fungi, per l. si consul. ff. de adoptio. quæ habet consulem, vel præfulem, si est filiusfam. se apud semetipsum emancipare, vel in adoptionem dare: & nos tractamus de re extraiudiciali, & voluntaria. & Panor. à Decio, & alijs probatus in d. cap. ex literis. ponit pro regula, posse quem diuersis officijs sibi ipsis non repugnantibus vti; & palam est, non repugnare actum dandi 500. scuta Petro nomine Antonij, & actum recipiendi alia 500. scuta à Petro nomine eiuidem Antonij: & passim campfores fiunt creditores vnus ratione aliqua, & debitores eiuidem ratione alia. Et Papa vnã ratione dici-

tur summus Pontifex, & alia summus Rex, vt in cap. nouit. de iudic. post alios late diximus.

- 10 Ad quartum respondetur, concedendo, committi vsuram per solam spem principalem recipiendi aliquid vltra sortem mutuo datam; negando tamen prædictum Antonium principaliter aliquid accipere vltra sortem, si non accipit quidquam vltra salarium iustum cambiendi: propterea quod per literas Francisci, vel alterius recipiat 500. scuta, quæ Petrus ab eo per literas accepit; negando item, quod referat an ipse Franciscus, vel alius constituatur procurator ad dandum Petro 500. ad soluendum ea sibi, per secundam rationem pro hac parte factam.

Ad quantum respondetur concedendo non licere prædictum modum cambiendi, si fieret in fraudem vsurarum, id est, intendendo accipere pro vsuris aliquid vltra sortem, fingendo se facere contractum iustum similitum: negando autem quod per narrata in casu concludatur, Antonium habuisse talem intentionem, cum quilibet præsumatur bonus, nisi constet de contrario, l. merito. ff. de pro socio. c. i. reg. iuris. cumque omnia, quæ facit Antonius, possint fieri licite, ac bona intentione: caueat autem ipse, & contempletur, *quod astat Deus desuper, qui nos diebus, ac noctibus, actusque nostros prospicit à luce prima in vesperum*. caueat item, vt non desit vllum illorum duorum primorum, quæ requiruntur ad iustitiam cambij liciti per literas, vt prædictum est. Quæ omnia eo magis melius sentienti subijcio, quo magis occupatus, & tumultuario studio hæc scribo.

S V M M A R I V M.

- 1 Interesse ex lite proueniens ob debitum non solutum iuste petitur.
- 2 Interesse est illud, quod quis ex re debita verisimiliter lucrifecisset.
- 3 Interesse quod verum, vel verisimile non est, etiam post moram peti non potest.
- 3 Interesse per sententiam adiudicatum arbitrio boni viri pensandum.

C O N S I L I V M II.

Sempronius Titio adolescenti literis in quadam Academia incumbenti propter amicitiam, quam gerebat erga eius patrem, legauit verbo coram hærede, & testibus trecentas libras in adiutorium studij; quod legatam, mortuo Sempronio, frater eius hæres promisi soluere, intra tres annos, singulis annis centum libras: sed effluerunt anni decem, & ipse nihil soluit. Redijt Titius ab exteris Academia factus vir,

&

& creatus Doctor, petijt debitam pecuniam ab herede simul cum interef se: quam cum ipse nollet soluere, post agitatam aliquot annos litem per sententiam Iudicis, tandem condemnatus est hæres ad soluendum trecentas libras simul cum interesse, computando à die promissæ solutionis vsque ad realem, seu veram solutionem. Vertitur nunc in dubium, an Titius possit tuta conscientia recipere totum interesse, quod solet in hac patria solui ad rationē octo per centum, vt& iam solēt emi census annui?

Pro vtraque parte se offerunt rationes, quæ rem dubiam faciunt, pro altera quidem, quod ex Theologorum sententia interesse recipi non potest, nisi verum, aut verisimile, siue lucri cessantis, siue damni emergentis. In hoc autem casu Titius dubius est, an si pecunia accepta esset per eius patrem, sub cuius potestate erat tempore solutionis, consumpta fuisset in expensis pro studio, an vero conuersa in emptionem census: probabiliter tamen credit, quod si ab initio singulas centum libras accepisset pater, eas in expensas pro studio filij cōsumpsisset; si vero post tres, aut quatuor, aut plures annos omnes simul trecentas libras accepisset, eas in emptionem huiusmodi reditus pro filio conuertisset. Atque hoc pacto interesse ab initio non est in dubium.

Pro altera vero parte est, quod iudices in litibus iudicant, legata facta minoribus, esse soluenda simul cum interesse: & à litigantibus victores interesse accipiunt ad rationem octo per centum, nec curant, an interesse sit verum, aut verisimile, nec ne, ac tui sibi videntur, quia id faciunt iudicis auctoritate.

- 1 Respondeo primo, prædictum dubium cessare quo ad quantitatem, & summam eorum, quæ impedit litigando tanto tempore: quia illa est interesse damni emergentis ob non factam solutionem, quod accipi potest ultra principalem debitum, vt traditur per gloss. Anchar, Panor. Anani. & omnes in cap. conquest. de vsuris, & nos quoque diximus in Manu. Confess. cap. 17. à num. 211. Secundo, quod certum est, dubium esse affirmatiue resoluendum quo ad omnia contenta in sententijs in foro exteriori, argumēto l. res iudicata pro veritate habetur. ff. de reg. Iuris.
- 2 Tertio, quod etiam est resoluendum affirmatiue quo ad vtrumque forū quo ad interesse lucri cessantis, quod verisimiliter lucrificasset Titius, vel pater, vel tutor, vel curator eius, iuxta doctrinam Innocen. in cap. sacro, de senten. excommun. communiter receptam, quicquid Dom. Sotus contradicere voluit, vt nos tradimus vbi supra, & latius in alio loco ibi citato. Quarto quod resoluendum est negatiue quo ad illam quantitatem, quam continet sententia ultra interesse probabile, & verisimile: ita quod prædictus Titius poterit accipere virtute prædictæ sententiæ ius tantum principale, & interesse damni, quod passus est in litigando, & lucrum, quod probabiliter credit facturū fuisse patrem suum, si principale tempore debito fuisset solutum, nam nunquam iure diuino, neque humano
- 3

canonico peti, vel accipi potest interesse lucri cessantis, etiam post moram, nisi cum probabiliter, & verisimiliter coram Deo creditur illud lucrum faciendum fuisse, si conuenta præstita fuissent, secundum omnes tam Iuristas, quam Theologos. Quinto, quod prudentis viri arbitrio iudicandum est, quantum, & quanto tempore lucrifactū fuisset verisimiliter corā Deo, perpenſis circumstantijs personarum, loci, temporis, & opportunitatū lucrandi, quæ sese obtulerunt, si summa principalis opportuno tempore fuisset soluta, & argu. l. i. ff. de iur. delib. cap. de causis, de offic. deleg. &c. Salua &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Mutuatarius ultra sortem nil solvere tenetur.*
- 2 *Interesse non debetur, nisi à moroso, vel creditor sit mercator.*
- 3 *Debitor, nisi interpellatus, non est in mora, nec ad interesse tenetur, nisi creditor sit mercator.*
- 4 *Promissio vsuras soluendū non obligat, nisi sit iurata.*

C O N S I L I V M III.

Quidam miles S. Ioannis Hierosolymitani, nullam commendam, nec aliam administrationem bonorum ordinis habens, accepit mutuo ab alio 700. scuta, & obligavit se ad soluendū ei mille per quoddam instrumentum publicum, confitendo se illa debere, nulla mentione facta, quod 700. realiter mutuo accepit, & 300. promittebat pro interesse creditoris, & dilatauit solutionem, & restitutionem 1 j. annis: quia non fuit interpellatus à creditore, eo quod esset amicus eius, & aliqua bona opera accipiebat à mutuuario. Mortuo creditore, hæres petit à præfato milite habente iam commedam, non solum omnia illa mille, sed etiam interesse lucri cessantis, quod ex illis potuit facere creditor. Quæritur an ultra 700. mutuarius teneatur ad illa 300. & ad aliquod interesse, ratione præfatorum 700.

- 1 Respondeo, quod non: primo quidem, quod mutuarius non tenetur solvere vsuras pro mutuo promissas, cap. debitores, de iure iur. iure naturali, diuino, neque canonico, quod in vsurarum materia necessario soluendum est, cap. quæ in omnibus, & toto titulo de vsuris sexti, & clem. & ca. quid dicam. 1. 4. q. 4. & quicquid accedit sorti, vsura est, cap. 1. 2. & 3. 14. q. 3. cum simil. At 300. prædicta sunt ultra sortem principalem promissa. Ergo prædictus consulens mutuarius non tenetur illa solvere.
- 2 Secundo, quod non possunt ab eo illa peti ratione interesse lucri cessantis.

fantis. Tum quia non debetur illud ab eo, qui non est in mora soluendi, secundum Innoc. in cap. fin. de vsur. & debitor non fuit in mora soluendi, quia non fuit interpellatus; nisi creditor esset mercator, qui a mercando cessaret, propterea quod non esset sibi solutum tempore debito, arg. l. 3. ff. de eo quod certo loco, & eorum quæ latius alijs nos notauimus in Cōmen. de vsur. super cap. 1. i 4. q. 3. notab. 15. At præfatus D. Consulens nõ fuit in mora soluendi, quia non fuit interpellatus, quod requiritur ad moram, iuxta glof. solen. in cap. mora. de reg. iur. lib. 6. neque creditor erat mercator, qui a mercando cessasset propter illud mutuum, ergo non teneatur ad soluendum interesse.

4 Animaduertat autem D. Consulens, quod si promissio de soluendo mille fuit iurata in instrumeto, tenetur soluere præfata 300. quia licet promissio simplex de soluendo vsuras non valeat iure diuino, & canonico, iurata tamen obligat ad soluendum, & reddendum Deo iuramentum suum d. cap. debitores, de iure iur. Sed habet remedium contra hoc, quia potest petere ab episcopo suo, vel à Pontifice Maxim. vt relaxet sibi iuramentum illud, ex eo, quod cōtractus, per quem se obligauit ad soluendū, est vsurarius, vt habet cap. 1. vbi late de hoc tractatur, de iure iur. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Pœna aliquid soluendi in contractu mutui poni potest.*
- 1 *Contractus mutui est, si optio detur petendi certum pretium.*
- 2 *Contractus mutui, cum clausula, teneatur ad aliquid propter morã, licitus.*
- 2 *In mutuo granum æque bonum, etsi non promittatur, est restituendum.*

C O N S I L I V M IIII.

Quidam vir recepit in solutum à quodam suo debitore certam summam frumenti ad rationem trium scutorum pro quolibet rubio; postea vero, cum illud vellet vendere, non inuenit emptores, qui pro tanto pretio illud emerent, cum iam fuerit pretium diminutum. Quare ne in damno remaneret, noluit illud minori pretio vendere, quam ipse recepit à suo debitore, & sic mutuo dedit quibusdam Marinensibus (vt vulgo dicitur) à *renonare*. Qui Marinenses promiserunt illud restituere per totum festum Sanctæ Mariæ de mense Augusti proximi futuri 1553. conductum in Urbē, vbi ipsi mutuanti placuerit, sumptibus dictorum Marinensium, bonum, nitidum, & mercantile; & in euentum, quod aliter esset, quod posset refutari, & id facere soluere ad rationem trium scutorum pro quolibet rubio, prout omnes de Marino promiserunt, & se obligarunt

obligarunt in forma Camerae. Adueniente tempore, cum dicti Marinenses defecissent in restitutione grani, prout obligati erant, conuenerunt in iudicio, & condemnati ad rationem quanti plurimi granum tunc creuerat in estimatione, videlicet ad scut. quinque pro quolibet rubio, prout tunc granum valebat.

Quæritur primo, utrum supradictus contractus sit licitus in foro conscientie, nec ne, an sit vsurarius; &, si sit vsurarius, ad quid teneatur dictus mutuans.

Secundo. Quæritur, posito, quod sit licitus, An dictus mutuans potuerit recipere scuta quinque pro quolibet rubio in foro conscientie, prout recepit, An solū potuerit recipere scuta tria pro quolibet rubio grani, prout conuentum fuit in supradicto contractu, modo, & forma supradicta. Super quibus petitur consilium.

Ad hæc dubia responsurus, dico primo, quod contractus hic difficilis est iudicatu, qualis sit. Nam ab vna parte videtur esse emptio, & venditio, eo quod videtur interuenisse pretium trium scutorum pro rubio, si pro tempore præstituto non redderetur, & quod obligatio soluendi esset alternatiua, scilicet, soluendi triticum, vel pretium trium scutorum pro rubio: Ab alia parte videri potest contractus mutui pœnalis, eo quod erat reddendum, quod accipiebatur in genere suo æque bonum sub pœna soluendi tria scuta pro rubio: quæ pœna poni potest in mutuo, iuxta gloss. cap. conquestus, de vsur. per cap. confraternitatis. 12. q. 2. Ab alia vero parte videtur iudicandus esse mutui absoluti, eo quod sic appellatur in instrumento, & quod per eos tradita fuit res mutuabilis reddenda in genere suo æque bona. Nec obstant præfata. Quia re vera non dabatur mutuataris optio soluendi triticum, vel tria scuta: immo mutuatarij obligabatur simpliciter ad soluendū triticum bonum, & mercantile; & casu quo soluerent aliud, quod non esset tale, dabatur optio mutuanti, vt posset illud refutare, & petere scuta tria pro rubio; quæ conditio, & facultas non mutat naturam contractus mutui, vt palam est. Nec, si res subtiliter pendatur, fuit imposita pœna trium scutorum pro rubio, casu quo non solueretur triticum, sed solum casu quo solueretur illud, sed non esset tale, quale soluendum erat. Vnde de rigore iuris non poterant cogi mutuatarij ad soluendum tria scuta pro rubio, cum non euenisset casus, quo ipsi poterant cogi ad ea soluenda. Nec poterant cogi contenti, vt essent contenti tribus scutis. Tum quia non euenit casus, quo ipsi exigere possunt. Tum quia, esto quod euenisset casus, non habet contractus, vt illi essent contenti illis tribus scutis, sed possent, si vellent, facere, vt mutuatarij soluerent illa; ita quod ipsi poterant petere triticum nullatenus, nec bonū, nec malum, illis solutum.

Secundo dico, quod per præfata videtur iudicandus præfatus contractus mutui absolutus, cum quadam clausula posita in fauorem mutuantis,

tis, propter moram mutuatarij in soluendo, casu, quo solueret triticum minus bonū, quam quod accepit, videlicet, q̄ posset petere tria scuta pro singulis rubijs: quæ clausula fundata in mora, vt supra, mutuatariorum potuit apponi, perinde, ac alia pœna; & consequenter mutuantes poterant petere triticum æque bonum, quale iure erat soluendum, etiam si expresse non fuisset promissum, l. cum quid. ff. de reb. cred. cum interesse maioris valoris eius, l. vinum. eod. tit. Qua ratione iustificatur sententia iudicis lata, & executata in fauorem Consulentis. Nec obstant ea, quæ possent scrupulum ingerere; quoniam tolluntur per præfatam considerationem veram prædicti contractus, & quod damnū, quod euenit mutuatarijs, prouenit ex eorum culpa, & mora, quæ moroso debet esse nocua, cap. mora. cum ibi annot. de reg. iur. lib. 6. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Vsura palliata est, ob solutionem expectatam aliquid accipere, non autem ob æquitatem. num. 5.*
- 2 *Venditor lucrum cessans sine mora proueniens nequit capere.*
- 2 *Mora regulariter, dilatione contractu data durante, non interuenit. & num. 6.*
- 3 *Fructus soluere, & alienamentum oneris fideiussores præstandi, disparia.*
- 4 *Fructus rei vendita pro pretio non soluto ex conuentione recipi possunt.*
- 4 *Vsura in solo contractu mutui veri, seu palliati committitur.*
- 4 *Venditor rei vendita fructus, ob pretium integre non solutum, percipere quare possit. num. 4. cum seq.*
- 4 *Vsura equipollenter non continetur in apocha, qua pretio non soluto census promittitur.*
- 5 *Emptor fructus pro rata pretij non soluti venditori soluere tenetur. & num. 9.*
- 5 *Vsura, ob æquitatem de iure civili debita, debita est etiam de iure Canonico.*
- 6 *Mora duplex, & irregularis, re ipsa sine vlla interpellatione committitur.*
- 6 *Emptor in mora regulari est post alienamentum fideiussores præstandi.*
- 7 *Venditor fructus accipere intra tempus solutioni præstitutum non valet.*
- 8 *Dilatio ad soluendum duplex, prior velut pretij alienamentum datur, alia ad impediendam coactionem.*
- 10 *Donationem non inducit intentio ex ignorantia iuris proueniens.*
- 10 *Solutum indebite per iuris ignorantiam repeti potest.*

- II *Intentio duplex, alia, vt emptor dominium acquirat, alia, vt dominium, & fructus.*
- II *Intentio generalis, que multipliciter potest intelligi, ad donationem non trahenda.*
- II *Donatio non præsumitur, vbi alia etiam leuis cadit coniectura.*

CONSILIVM V.

Vendidit D.N. quoddam casale pro pretio scut. 6000. de quibus tempore venditionis emptor soluit scuta 3000. reliquos vero 3000. solvere promisit illinc ad vnum annum, cum pacto, quod tempore solutionis dicti residui venditor teneatur præstare vnum certum fideiussorem, de euictione casalis vltra alios tunc præstitos; & vterius in eventum non solutionis dicti residui, vt supra, emptor dedit potestatem dicto venditori dictum casale capiendi propria auctoritate, & illud retinendi, & fructus in suos vsus conuertendi, absque eo, quod in sortem compensentur pro concurrenti quantitate, vsq; ad effectuale solutione dicti residui. & sic celebratum fuit instrumentum, & tradita possessio casalis emptori. Deinde, adueniente tempore, & termino anni, quo debebat solui residuum pretij, quia venditor nõ poterat præstare fideiussorem de euictione, fuit per dictas partes prorogatum tempus soluendi ad alium annum, cum hoc, quod interim emptor teneatur præstare fructus venditori pro rata dicti residui, prout latius in apocha inter eos confecta apparet, cuius copia datur; & ita emptor, tam in dicto anno temporis prorogati, quam successiue per plures annos, dictos fructus pro rata residui soluit venditori; qui demum præstitit fideiussorem de euictione.

Quæritur primo, an venditor dictos fructus licite, & salua conscientia, perceperit, & retinere, possit.

Secundo, an licite, & salua conscientia, possit petere fructus non solutos ab emptore, & ante fideiussorem præstitum, & post fideiussorem præstitum.

- Quod præfatus venditor non potuerit, salua conscientia, percipere fructus, aut valorem eorum verisimilem, nec retinere, nec nondum solutos ab emptore petere, facit primo, quod vsura palliata est, accipere aliquid vltra sortem ratione dilationis debitori datæ ad soluendum debitum, secundum receptam sententiam, quam nos quoque in nostro Manuali confessariorum, cap. 17. n. 214. & de pœnitentia in comment. cap. 1. 14. q. 3. num. 26. probamus. & est casus in c. consuluit, de vsur. Deinde
- 2 facit, quod hic non interuenit interesse damni emergentis, & quod recipere aliquid vltra sortem ratione interesse lucri cessantis, sine mora interueniente ante illud, non licet secundum multos, de quibus est Innocentius in c. fin. de vsur. quem late defendit Dominicus Sotus in lib. 6. q. 1.

quæst. 1. art. 3. de iust. & iur. Et in casu nostro non interuenit mora, saltē vsque ad finem secundi anni ab emptione contracta, cum primi anni dilatio fuerit data in ipso contractu, secundi vero per pactum expressum in apocha mense Februario secundi anni: immo etiam per ipsum contractum videtur data dilatio, quatenus nō cogebatur emptrix ad solvendū, donec daretur fideiussor de euictione; & ita videtur non potuisse hoc casu accipi præfata octo pro centum ratione interesse lucri cessantis. Tercio, quod emptrix videtur compensasse fructus per alleuamentum oneris fideiussorem dandi, quod venditori præstabat, cum pro fideiussione posset recipi pecunia.

4 Sed, his non obstantibus, quæ vere non obstant, potuit venditor licite præfatos fructus, vel valorem eorum verisimilem, salua conscientia, accipere, & retinere; immo & petere eos, qui nondum ei fuerunt soluti. Primo quidem, quia is contractus non fuit mutui, in quo solo contrahitur vsura, vt satis colligitur ex cap. in ciuitate. de vsur. & ex cap. 14. q. 3. in cuius commentario num. 2. nos id annotauimus. Nec obstat, si dicatur, quod conuentio contenta in apocha continet mutuum inuolutum, siue palliatum, licet non contineat expressum, & clarum, & quod ita committitur vsura palliata in contractibus mutui palliati, sicut vsura clara in contractibus mutui clari, vt in d. nu. 3. & latius in dicto commentario num. 29. nos ipsi tradidimus, & quod contractus contentus in illa apocha æqui pollet contractui, per quem præfatus venditor dedisset præfata emptrici duo mille scuta, ea lege, vt ultra sortem solueret ei octo pro centum; non inquam hoc obstat, quoniam non est verum, interuenisse in illa apocha vllum contractum mutui palliati, nec contractum in ea factum æqui polluisse præfato contractui mutui in argum. allegato. quia illa octo pro centum non accipiuntur principaliter propter dilationem, sed propter fructus, quos percipere poterat venditor non soluto pretio toto rei venditæ, quos iuste percipi posse probat optime l. curabit. C. de actio. empt. nec obstat illa opinio Innoc. & Dominici Soti, & quorundam aliorum dicentium, non posse capi licite interesse lucri cessantis. Tum quia, licet primo aspectu videatur aliquid ad hoc facere, vere tamen nō facit, quia prædictus venditor non recipit illa octo pro centum ratione alicuius interesse lucri cessantis, sed alia ratione, quam mox annectam. Tum quia falsa est ea opinio, vt probamus efficaciter contra eos pro communi per multa argumenta in comment. prædicti. cap. 1. 14. q. 3. nu. 50. & seq.

5 Non obstant citata pro contraria parte: pro quorum resolutione, & clara nostræ sententiæ confirmatione, dico, quod illa octo pro centum non accepit venditor principaliter propter dilationem, neque propter aliquod interesse damni emergentis, vel lucri cessantis, nec propter penam, vel vllam moram, saltem regularem, sed tantum ob illam æquitatē, quæ habet, vt nemo cum aliena iactura locupletetur, l. iure naturæ, ff. de reg.

reg. iur. & c. locupletari, eo. tit. lib. 6. per quam æquitatem, quando venditor rei, accepta parte pretij, retinet illam cum suis fructibus, donec totum pretium solvatur, iuxta l. Iulianus. §. offerri. ff. de actio. empt. emptor debet habere partem fructuum pro rata partis pretij soluti, iuxta l. memorabilem, quæ vltima est tit. de fund. dat. cuius. §. fin. habet, maritum, qui tenetur restituere prædium, accepta eius estimatione, & retinet illud accepta estimationis parte, donec tota solvatur, debere restituere fructus pro portione partis estimationis acceptæ. In quo illum. §. commendavit. Bart. in d. §. offerri. & Bal. in l. si traditio. q. 1. i. C. de actio. empt. & Salic. in d. l. curabit eo. tit. & cum in hoc æquentur emptor, & venditor, pari ratione, si prædium venditum traditum est emptori, soluta solum parte pretij, & recipit omnes fructus, tenebitur solvere venditori partem fructuum pro portione pretij non soluti. Pro his duabus decisionibus pondero prædictum. §. offerri, quatenus habet, quod venditor rei, accepta parte pretij, retinet eam quasi pignus, donec totum solvatur, significans, quod non tenet eam, tamquam dominus perfectus quo ad partem solutam, sed tamquam creditor, qui fructus, quos percipit, quo ad illam, debet restituere, & ita præfata emptrix retinebat prædium, & partem pretij, quasi pignus eorum, quæ tenebatur venditor facere, antequam ei solvatur totum, & per consequentem fructus illius partis debebat restituere, c. conquestus. de vsur. & l. 1. C. de pignorat. act. vnde notanter Bald. & Salic. ubi supra dixerunt, vsuras, quæ iure civili debentur ex illa æquitate, ne quis locupletetur cum aliena iactura, deberi etiam iure canonico; quia vere non sunt vsuræ, sed recompensatio æquissima iacturæ. Et ad id, quod allegatur, quod mora non interuenit, respondetur, verum esse de mora regulari, non autem de irregulari, quæ re ipsa sine vlla interpellatione committitur, vt notavit Bald. communiter receptus in d. l. curabit. Ad id autem, quod allegatur de compensatione fructuum, cum alleuamento non dandi fideiussorem, respondetur, quod nihil obstat. Tum quia longe disparioris vtilitatis sunt alleuamentum illud, & perceptio fructuum, quam quod vlla compensatio eorum intelligi debeat, iuxta l. fin. C. de compensat. Tum quia satis compensationis illius alleuamenti præstabat venditor emptrici, dando dilationem. Tum quia per præstationem illius alleuamenti se constituebat emptrix in mora soluendi regulari, quæ ex interpellatione lapsus diei solutioni præfixæ oriebatur, iuxta l. mora. ff. de vsur. cum annot. ibi per gloss. & in c. mora. de reg. iur. lib. 6. & ita hoc fundamentum plus facit contra illam, quam pro illa, si satis ponderetur.

7 Ex quibus infertur, idem dicendum esse de parte fructuum receptorum ante illam apocham, & post lapsum anni præfixi ad soluendum, & post præfatam apocham intra annum, intra quem durabat præfata conuentio, & post illum annum, vsque ad expletionem eorum, quæ venditor promisit

misit; immo & post expletionem: quia in his omnibus temporibus habet locum ratio supradicta, ne quis cum aliena iactura locupletetur; & vbi eadem ratio, &c. l. illud. ff. ad l. Aquil. nō tamen quo ad fructus perceptos: intra annum præstitutum in contractu ad soluendam reliquam medietatem: quia intra illum annum nulla locupletatio cum aliena iactura considerari potest, cum partium conuentione rei pretium fuerint mille solueda intra vnum annum, dimidium statim, & dimidium in fine anni. Neque obstat, si dicatur, quod pari ratione idem dicendum erit de receptis antedatam de euictione fideiussionem, & ante complementum à venditore promissorum, cum antea non posset cogi ad soluendum per seriem ipsius instrumenti. Non inquam id obstat, nam dilatio illa prior vsque ad annum fuit apposita, tanquam pars pretij, & tanquam alleuamentum eius, & diminuens illud; alia vero dilatio solum ad impediendam coactionem ad soluendum, & dandam securitatem per modum cuiusdam pignoris, iuxta prædictum §. offerri, per quod ius pignoris non lucrifunt fructus, c. conquestus de usur. vt supra est dictum.

SECVNDA QVÆSTIO. D. Petrus vendidit d. Joanni certum prædium pro pretio scutorum mille, de quibus tempore uenditionis emptor soluit medietatem pretij, reliquam vero medietatem soluere promisit infra tres menses proximos, cum pacto tamen, quod ante solutionem dicti residui, dictum prædium mensurari debeat per duos peritos communiter eligendos.

Item quod prædium liberari debeat per venditorem à certo onere cæsus super eo imposito.

Item quod venditor teneatur dare certum fideiussorem ad omnem ipsius emptoris requisitionem.

Item quod venditor debeat facere expedire Motum proprium S. D. N. super confirmatione venditionis, & quod alias interim ipse emptor residuum pretij soluere non teneatur, nisi prædictis omnibus adimpletis, & si fuit celebratum instrumentum inter ipsas partes, & tradita fuit possessio ipsius prædij emptori, de quo semper ipse emptor fructus percepit. Venditor autem per aliquot annos non potuit prædicta omnia adimplere.

Queritur nunc, cum omnia sint adimpleta, an emptor teneatur soluere interusurium, seu fructus pro rata pretij non soluti, etiam pro tempore, quo venditor non potuit adimplere pro parte sua, & etiam pro tempore decurso post adimplerionem, quousque dicta reliqua medietas pretij fuit per emptorem soluta; attento, quod ipse emptor percepit omnes fructus dicti casalis, & sic gauisus fuit re, & pretio; & an venditor dictos fructus, seu interusurium, licite in foro conscientiae percipere possit; & si percepit, an licite illud retinere possit; attento quod partes ipsæ remiserunt dictam differentiam in duos viros legisperitos, qui iudicarunt, quod de iure

de iure emptor teneatur ad soluendos fructus prædictos, & ita soluti fuerunt. Nunc igitur queritur in foro conscientia, an venditor illos licite retinere possit, cum tempore celebrationis instrumenti venditionis ipse intellexerit, quod emptor retineret rem, & pretiũ, quousque ipse venditor non adimpleret supradicta omnia pacta.

- 9 Ad secundam quæstionem, quæ ex hoc facto secundo resultat, respondeo, quod emptor tenetur soluere partem fructuũ receptorum post tres menses ante solutionem totius pretij, etiam pro tempore, quo venditor non potuit adimplere quæ promisit, & à fortiori pro tempore decurso post adimplerionem eorum, quousque dicta reliqua medietas pretij fuit per emptorem soluta, per eadem fundamenta, quibus fundata est responsio data ad dubium resultans ex priore facto. Nam, sicut ibi nullus fuit contractus mutui dati, siue formalis, nec velati, siue palliati, ita neq; hic. Et, sicut ibi non percepit venditor principaliter propter dilationem solutionis, sed propter fructuum perceptionem, non soluto pretio toto, ita neque hic. Et, sicut in illo casu interuenit æquitas illa, ne quis locupletetur cum aliena iactura, ita & hic. Et, sicut irrefragabiliter probatũ est ibi per l. fin. §. fin. ff. de fund. dot. quod præfata æquitas habet locum, cum venditor, soluta parte pretij prædij, retinet totum, omnes eius fructus percipiendo; quod Bart. Bal. & Salic. ibi citati commendant: sic eadem ratione habet locum in emptore, qui, parte pretij prædij soluta, possidet totum locum fructibus, vt in hoc casu. Et ita sine villo scrupulo conscientia potest venditor accipere partem fructuum pro rata pretij nõ soluti. Nec obstat, quod venditoris intentio tempore contractus fuit, vt emptor retineret prædium, & fructus eius, donec ipse solueret reliquum pretij, & impleteret quædam alia, quæ promisit. Tum quia id potuit intendere per ignorantia iuris, & æquitatis præfata, quæ non ab omnibus etiã doctis scitur; & ita non induxit donationem, arg. l. si non fortem, §. indebitum, & l. sub conditione, & l. i. ibi si sciens se non debere, ff. de cond. indebit, & per resolutionem gloss. receptæ in l. cum quis, C. de iur. & fact. ignorantia, quæ habet, soluentẽ per ignorantia iuris id, quod est indebitum vtroq; iure, naturali videlicet, & ciuili, sicut in nostro casu erat, repetere posse. Tũ quia forte is venditor, intendens, vt emptor haberet prædiũ, & fructus, donec totum pretium solueretur, intendebat, quod dominium omnium illorũ illi quæreretur, quod iure quærendum erat ei, nõ tamẽ quod emptor nõ solueret ex eis aliquid, siquid iure deberetur. Tum quia emptor peccasset, volẽdo priuare proximum, nolentem id sciẽter donare, magna, & notabili parte fructuũ pretij, & volẽdo percipere veluti quasdã vsuras soluti pretij, quoad usq; completerentur ei quædam promissa, quod non intendit vẽditor; & ita præfata intentio generalis, quæ multipliciter intelligi potest, ita vt nõ comprehendat animum donandi, non debet trahi ad donationem, l. cum de indebito, ff. de probat. & c. super hoc. de renuntiat. Nunquam enim præsu-

præsumitur donatio, vbi alia coniectura etiam leuis cadit, secundum Bald. in l. 1. C. ad Tebell. quem sequuntur plerique omnes, & in his Decius in l. cuius per errorem. ff. de reg. iur. Salua, quæ iustior fuerit, sententia.

S V M M A R I V M.

1. *Vsura vera tantum in mutuo, palliata in omni contractu vim mutui habente committi potest.*
2. *Depositum cum facultate vtendi eo sit mutuum.*

C O N S I L I V M VI.

EMptor cuiusdam fundi sibi iam traditi, & eo fruens, dedit fideiussorem ad soluendum venditori pretium post certum tempus, & dedit fideiussori 1500. scuta pro parte pretij, eo pacto, vt solueret partem pensionis fundi empti, quæ responderet parti prædicti pretij 1500. id est pro fructibus, quos percipiebat venditor ante venditionem, & adueniente termino soluendi pretium, teneretur soluere præfata 1500. scuta eidem venditori. Queritur, an is contractus sit vsurarius.

Respondeo primo, facile videri posse cupiam nullam in hoc casu proposito vsuram committi, ea ratione forte, quod non potest interuenire vsura, nisi in contractu mutui, vt nos post alios tradimus in commēt. de vsuris, super cap. si fœneraueris 14. quæst. 3. & quod in hoc casu nulla mentio sit de contractu mutui. Sed cuiuslibet attentius casum perpendenti videbitur contrarium. Tum quia, licet vsura aperta non inueniatur, nisi in contractu mutui aperto, vsura tamen, quam vocant palliatam, inueniri potest in omni contractu tam nominato, quam innominato, qui expresse, vel æquipollenter continet contractum mutui, vt nos vbi supra declaramus. Et in casu proposito inuenitur contractus mutui palliatus nomine fideiussoris, & alijs circumstantijs, quæ contractum mutui æquipollenter efficiunt. Tum quia contractus depositi, in quo deponens facit facultatem depositario vtendi pecunia deposita, videtur mutuo dare, vt est text. solennis in l. certi condictio. §. fin. ff. de reb. cred. quod ibi omnes asserunt. & in casu proposito emptor in effectu deponit pecuniam penes fideiussorē cum facultate, vt illa possit vti; & consequenter efficit contractum mutui. Tum quia præfatus emptor accipit aliquid, immo multum ultra sortem principalem; accipit enim quotannis id, quod fideiussor soluit, vel soluturus est pro parte pensionis fundi empti, quæ respōdet parti pretij 1500. scutorum; & ita fideiussor obligatur ad soluenda

prædicta 1500. scuta, quæ sunt fors principalis, venditori, & ultra hanc principalem sortem debet soluere partem pensionis illis respondentē, & sic emptor recipit aliquid, immo multum, ultra sortem principalem, ratione mutui, siue depositi, quod habet vim mutui: & consequenter est vsura clara, vel palliata, per dicta in præfatis locis. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Vsuras exercere ad facienda opera pia non licet.*
- 2 *Mutuare potest quis nummos alienos, volente domino, vt suos.*
- 3 *Mutuare nulli licet, vt aliquid det tali, vel tali operi pio.*
- 4 *Mutuans sponte, licet ex eo patiatur damnum, non querit actionem.*
- 5 *Interesse lucri cessantis, vel damni emergentis peti potest.*
- 6 *Fideiussor licite recipit vsuras, quas creditor soluit.*

C O N S I L I V M VII.

Quædam respub. vt egenis subueniret, constituit censum mille ducentorum super bonis suis; ex hoc accepit vigintimillia ad rationem quinque annuorum pro centum, quæ mutuando illa indigentibus stipulatur à mutuatorijs indemnitate, vt scilicet ipsi soluerent illos quinque annuos pro centum. Queritur, an hoc sit licitum?

- 1 Respondetur, quod pro parte negante facit primo, quod non licet vsuram exercere, nec per eam querere aliquid, ad opera pia exercenda, etiam pro redemptione captiuorum, cap. super eo. de vsur. & quod in casu proposito videtur exerceri vsura ad opera pietatis facienda: quia ipsa respublica constituit per venditionem bonorum suorum census mille florenorum annuorum ad mutuandum egenis, ita ut soluerent mutuatorijs ad rationem quinque pro centum.

- Secundo, quod paria videntur esse mutuare mille florenos suos egenis, ea lege, vt reddantur ei quinque annui pro ceterum, aut mutuare mille florenos alienos acceptos ab alio ad mutuandum egenis eadem lege reddendi quinque annuos pro centum; quandoquidem mutuare potest quis alienos nummos de voluntate domini eorum, ac suos, l. certu. conditio. §. si nummos. ff. de reb. credit.

Tertio, quod approbans huiusmodi contractum, videtur approbare viam, qua quilibet habens bona immobilia, impune possit exercere vsuram: quilibet enim habens talia bona, potest vendere censum super illis, & pecuniam numeratam, quam pro pretio census accepit, mutuare alteri ea lege, vt censum, quem ipse soluere debet, soluat mutuatorijs; quod ta-

3 men non videtur iuste fieri posse: illicitum enim est nuuare alteri ea lege, vt vltra sortem sibi reddendam detur aliquid illi, aut illi pauperi, aut illi, vel illi operi pio, dict. cap. super eo. & tradimus clare in Manual. Confess. cap. 17. num. 237. & probatur per ea, quæ superius num. 211. tradimus, & in cōment. de vsuris not. 15. per totum, & præsertim nu. 52.

4 Quarto, quod mutuans pecuniam non videtur licite posse accipere aliquid vltra sortem, quando sponte sine vlla vi, & coactione patitur aliquod damnum, vel cessat quærere aliquod lucrum amore Dei, vel proximi, ad hoc, vt ex eo quærat aliquam actionem, vel exceptionem, vel aliquod ius agendi contra illum, cuius gratia, & amore id patitur, sed solum quærat debitum quoddam antidorale, quod non parit actionem, nec ius agendi, vt l. sed et si. §. consuluit. ff. de petitio. hered. & traditur in l. ex hoc iure. ff. de iust. & iure. Ergo cum ipsa resp. sponte mutuet, & sine vlla vi suis mutuatorijs, & sponte, & sine vi relinquat ius exigendi, & lucrandi prædictos census, non videtur quærere sibi per debitum legale, vel iustitiæ exactionem, & ius stipulandi à suis mutuatorijs indemnitate ab aliquo damno, & interesse damni emergentis, vel lucri cessantis.

5 Pro parte autem affirmante facit primo, quod, qui mutuat aliquid, licite potest capere à mutuatorijs vltra id, quod mutuat, tam interessè lucri cessantis, quam damni emergentis, vt nos late probamus in d. Man. Confess. cap. 17. num. 212. & latius in dict. comment. de vsuris notab. 15. num. 42. & tenet gloss. sing. recept. in cap. conquestus, de vsuris. pro qua est text. irrefragabilis in l. 3. ff. de eo quod certo loco. At præfata respub. in casu proposito nihil vltra sortem recipit, aut non nisi interessè lucri cessantis, & damni emergentis: solum enim recipit à suis mutuatorijs indemnitate, qua se indemnem seruat à damno, quod passura esset, si non stipularetur ab eis, vt soluant ea, quæ ipsa teneretur soluere illis, qui bus vendit suos census, vel à damno cessationis lucri; quod non faceret, si mutuatorij ea non soluerent, quæ ipsa soluere debet; quod vno respectu potest dici damnum emergens reip. & alio damnum lucri cessantis; eo enim respectu, quo teneretur soluere pretia censuum, si non stipularetur indemnitate, posset dici damnum emergens; eo vero, quo definit lucrari pretia censuum, quos vendidit, potest dici damnum cessationis lucri.

6 Secundo facit, quod licet fideiussori accipere vltra sortem vsuram, quam soluit creditori; quia non est ibi lucrum, sed interessè, secundum Innoc. recept. in capit. 2. de vsur. quem commendat Iason in l. nummis. num. 3. ff. de in litem iuran. & addit Innocent. vbi sup. quod debitor, qui non soluit certo die, quo tenebatur suo creditori, si ob hoc creditor accepit ad usuras, ut solueret suo creditori, cui etiam certa die tenebatur soluere, debet restituere illud damnum, arg. ca. peruenit, & cap. constitutus. de fideiussor. at prædicta Resp. est debitor censuum, quos uendidit super bonis suis, & mutuatorij eius debent ipsi

quotannis, uel pro tempore, quo fruuntur pecunia sibi mutuata.

Ad opposita pro parte negante responderi potest: ad primum quidem primo, concedendo, quod prædicta Resp. vere mutuatur; sed negando, quod accipit aliquid ultra sortem mutuo datam, & ultra interesse damni emergentis, & lucri cessantis, quod licet, ut probat primum argumentum pro parte affirmante formatum, in quo probatur id esse licitum. Secundo concedendo, quod prædicta Respub. accipit quidem aliquid ultra sortem mutuo datam, sed non vi mutui, sed ratione interesse damni emergentis, vel lucri cessantis, quod licet, ut prædictum est.

Ad secundum concedimus paria esse mutuare pecunias proprias, vel alienas de consensu domini; sed negamus quod non possit mutuans accipere ratione interesse, siue mutuet proprias, siue mutuet alienas, per prædicta.

Ad tertium negamus per partem hanc affirmantem aperiri viam exercendi vsuras veras, & illicitas, sed sic viam mutuandi eo modo, ut mutuatarius soluat aliquid ultra rem mutuata pro interesse damni emergentis, vel lucri cessantis.

Ad quartum respondeo, quod licet habeat quandam similitudinem cum vera & illicita usura, quia non mutuatur vi, sed sponte, non est tamen talis per ea, quæ tradimus in d. comment. de vsuris. num. 52. scilicet quod dupliciter potest quis mutuare sponte, vno modo simpliciter sine vlla expectatione potest quis mutuare sponte, vno modo simpliciter sine vlla expectatione iustæ recompensationis iustæ, vel iniustæ: alio modo cum expectatione iustæ recompensationis interesse damni emergentis, vel lucri cessantis. & concedimus, quod qui primo modo sponte mutuatur, nihil potest exigere ultra rem mutuo datam; negando tamen quod qui secundo modo mutuatur, non possit exigere interesse damni emergentis, vel lucri cessantis: ut in d. numero 52. declaramus, concludendo, quod qui sponte, charitate paterna, & christiana motus, mutuatur proximo egenti aliquid ad leuandam indigentiam eius, cum damno suorum bonorum quæsitorem, vel cessando lucrari, sanctum animæ exercet, & gratiam rem Deo facit, etiam si ea lege mutuatur, ut mutuatarius soluat ei id, quod ipse amore eius perdit, vel cessat lucrari.

S V M M A R I V M.

Consuetudo vim legis habet, & hæc illi conuenire debet.

- 1 *Societas iusta vinculum pacis, & Reipublic. utilis, iniusta mala, & leonina.*
- 2 *Societas lucrum, & damnum æqualiter non sentiens iuri naturæ contraria.*

3 *Socie-*

- 3 Societas licita vt sit, tria requiri.
 4 Societas per tres contractus pro lucro certo fieri potest.
 5 Consuetudo iuri humano, sed non diuino derogat.

CONSILIVM VIII.

Horatus, & Dominicus inierunt societatem, iuxta consuetudinem vrbis, sic, vt Horatus conferens pecuniam accipiat octo pro centū, saluo manente capitali. Quæritur, an sit iusta.

- 1 Respondeo primo ad quæstionem super facto prædicto propositam, contractus esse, vt fertur, frequentes, & consuetos in vrbe, & ob id multis videri licitos, & iustos: quia consuetudo vim legis habet, cap. consuetudo. i. distin. & cap. fin. de consuetud. Ita quod dixit Isidorus relatus in c. erit autem lex. 4. dist. legem debere conuenire consuetudini, & Iurisconsultus in l. minime. ff. de legibus, minime esse mutanda ea, quæ interpretationem certam semper habuerunt; præsertim, quando id contingit in omnium vrbiū sanctissima, quæ est Roma, cap. fundamenta. de electio. lib. 6. de cuius ciuium admiranda deuotione iam inde à tempore B. Hieronymi in hunc diem continuata nos quoque aliquid diximus in lib. centum Miscel. miscel. 68.
- 2 Secundo, quod vt societas licita est laudabilis plurimum, & Reip. utilis, & vinculum quoddam charitatis, & perfectionis, vt innuit Apostolus ad Col. 3. at illicita est mala, & uocatur leonina à Iurisconsulto in l. si non fuerint. ff. pro socio, illa, ex qua alter socius capit lucrum non sentiens dānum; quia lege naturali, qui sentit onus, debet sentire commodum, & cōtra, cap. qui sentit. de reg. iur. lib. 6. cum concord. ibi per gloss. & alios adductis.
- 3 Tertio, quod omnes Doctores conueniunt in eo, quod nos scripsimus in Manu. confess. cap. 17. num. 251. & sequentibus, scilicet, quod ad hoc, vt societas iusta sit, tria requiruntur, scilicet, vt negotiatio sit licita, secūdo, vt pecunia subiaceat periculo eam conferentis, hoc est, vt si pereat, tota illi pereat; tertio, vt in omnibus iudicio prudentis æqualitas seruetur, & pro quantitate partium collatarum lucrum diuidatur. Et in proposita societate Horatus nil damni sentit; immo, vt ex ea colligitur, Dominicus, qui pecuniam accepit debet reddere totam sortem principalem dissoluta societate; quod omnes damnant, dicentes societates non posse fieri iustas, manente salua tota pecunia eam conferenti.
- 4 Quarto, quod nos præ aliis, & post alios, quos ibi referimus, cum magna cura succurrendo, asseruimus per tres contractus formaliter, vel virtualiter factos posse fieri licitas societates, in quibus saluum maneret capitale, seu fors, siue pecunia collata in societatem: quæ ibi fusius possunt videri, & ob hoc non transcribuntur hic.

Pars ij.

Ff 3

Quinto,

Quinto, quod proposita societas non potest dici iusta; eo quod licet in ea interueniant duo illorum, scilicet negotiatio licita, & reductio lucri in certi ad certum moderatum; deest tamen tertium, scilicet datio, vel remissio tanti pretij, quantum oporteret eum dare tertio pro simili asssecuratione.

- 5 Sexto, ex prædictis inferri reformandam esse huiusmodi societatem, ad hoc, quod sit licita, per supplementum illius tertij, quod deest, non obstante consuetudine quamlibet longa in contrarium seruata, eo quod ea, quæ in contrarium in primo dicto adducuntur, habent locum in consuetudine contra legem humanam inducta, quæ legitime præscripta vim legis habet, non tamen in consuetudine contra legem naturalem, vel diuinam inducta; quia illa corruptela vocatur, & nullatenus vsucapibilis, aut præscriptibilis, cap. quæ contra mores. 8. dist. cum ei concord. ad laudem Sanctissimæ Trinitatis, cuius festa hodie celebrat Ecclesia Christiana, quæ infinita sua benignitate nos saluet, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Societas, vt vidua certum lucrum accipere valeant, vt contrahi possit.

CONSILIVM IX.

Q Væritur, quomodo possit statui, vt viduis, & orphanis dentur quatuor, vel quinque pro centum ab eis acceptis?

- 1 Ad hanc quæstionem respondeo, quod modus licitus, quo viduis, & orphanis, immo & quibuslibet aliis dentur quatuor pro centum quotannis, est ille, quem nos pingimus & declaramus in *Manu. confess. cap. 17. num. 252. & seq.* qui fit per viam contractus societatis, cū asssecuratione sortis principalis, & capitalis pro pretio iusto, & cum assignatione certi lucri pro incerto facta etiam pro pretio iusto; quod non fundo hic latius, quia ibi potest videri satis late fundatum, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Contractus vsurarius vt contra nature legem nullus est, & nullam parit actionem.
2 Mutuans sub vsuris nulla lege amittit quod mutuatur.

3 Vsurarius

3 *Vsurarius exigere sine vsuris mutuum non vetatur.*

4 *Vsurarius, etiam manifestus, petita cautione, contrahere, & testari potest.*

CONSILIVM X.

FRANCISCUS mutuauit mille Paulo cum pacto, vt infra biennium tene-
retur restituere mille, & ducenta; deinde cessit hanc actionem, pre-
tio conuentio, procuratori Pauli, qui eam admisit. Quæritur primo, an pro-
curator in hoc peccauerit?

Secundo an prædicta cessio fuerit nulla?

- 1 Pro harum quæstionum resolutione præsuppono primo, certum esse, quod contractus supradictus fuit vsurarius, si, vt narratur, fuit factus; & consequenter fuit nullus contra legem naturalem, diuinam, & humanam, l. iurisdictionum. §. pacta, quæ turpem. ff. de pactis, & l. generaliter. ff. de verbor. oblig. quibus consequens est, non fuisse natam ex eo actionem, nec posse ex eo agi, qua parte est vsurarius, & continet vt aliquid ultra sortem, soluatur cap. 1. 14. q. 3. cum multis similibus.
- 2 Secundo, præsuppono nulla lege, neque canone, saltem in corpore iuris clauso, caueri, quod mutuans ad vsuram perdat ipso iure pecuniam, quam mutuo dat. Quinimo contrarium sentit Feder. in cons. 63. & expresse determinat in cons. 221. quod vsurarius, qui extorsit vsuras à mutuuario, est creditor, & debitor eius: creditor quidem in eo, quod mutuauit ei, debitor autem in eo, quod pro vsuris recepit ab illo; & si non recepit pro vsuris tantum, quantum mutuauit, potest recipere à mutuuario illud plus, quod mutuauit; si vero recepit plus, debet restituere mutuuario illud plus, quod recepit.
- 3 Tertio, præsuppono, quod ex his videtur sequi, vñ nouissimum, quod nō memini vnquam ab alio notatum, scilicet, quod licet præfatus Franciscus peccasset in mutuando sub vsuris prædicto modo, & non possit agere ex illo contractu, quatenus erat vsurarius ad exigendam vsuram: potest tamen petere à Paulo, vel hæredibus eius illud, quod mutuauerit, quatenus continebat mutuum, reiecto onere soluendi vsuras, & exigere illud per certi conditionem, vel conditionem sine causa: quia res eius peruenerat ad Paulum, & æquum erat, vt illa rediret ad eum, l. si & me, & Titium. ff. de reb. cred.
- 4 Quarto, quod vsurarius non perdit potestatem contrahendi cum alijs, nec potestatem testandi, si non est manifestus; neque si est manifestus, si dederit cautionem ad id requisitam per cap. quamquam de vsuris lib. 6. quia nullo iure id ei vetatur, & regulariter quilibet liber homo contrahere, & testari potest, l. 1. C. de sacros. Eccles.

His præsuppositis, respondeo ad primam quæstionem, quod præfatus

procurator peccauit accettando illam cessionem : quia approbauit illum contractum, & proposuit exigere virtute illius 1200.

Ad secundam videtur respondendum, quod prædicta cessio non fuit nulla, eo quod Franciscus non haberet potestatem cedendi, contrahendi, & testandi per quantum præsuppositum: neque ideo, quod non comperet ei contra Paulum ius petendi aliquid per tertium præsuppositum: potuit tamen esse nulla propter defectum animi cedendi ius petendi mille tantum, quod habebat per præfatum tertium præsuppositum, super quo magna disputatio texi posset, quod nobis in præsentia propter multa facere non licet, nec decet; quia valde seculare est, & esset impedimento spiritualibus, quibus obruimur.

S V M M A R I V M.

- 1 Mandatarius impendens suas pecunias pro mandante, an cambium capere possit.
- 1 Mandatarius de suo cambium dans mutuare pecunias videtur.
- 1 Vsuræ est quidquid ultra sortem ratione mutuæ accipitur.
- 2 Vsuræ in solo mutuæ contractu committitur.
- 3 Mandatarius impendens suas pecunias pro mandante quæ ratione potest plus capere per totum.
- 4 Pecunia absens minus, quam præsens, estimatur.
- 4 Pecunia plus valet Romæ, quam in Hispania.
- 5 Interesse damni emergentis licite petitur.
- 6 Debitor ex aquo tenetur ad omnia accessoria rei debite.
- 7 Benefacienti vt beneficiamus omnia iura volunt.
- 8 Pecunia absens, an, vt minoris valet, quam præsens, ita minoris emi possit.

CONSILIVM. XI.

Quidam solicator, siue actor negotiorum, quæ de Hispania mittuntur ei Romam, cum mandato accipiendi pecunias ad expedienda necessaria ab aliquo campfore, accipit illas à semetipso, vt liberetur ab onere quærendi fideiussores dandos campforibus, & etiam animo lucrandi sibi id, quod campfor lucrifactorus erat, & postea mittit literas ad Hispaniam, vt suus responsalis recipiat illas cum cambio paulo minore illo, cum quo soluendæ essent, si acciperentur à campfore, & data dilatione paulo maiore, quam dat campfor ad soluendum ibi. Quæritur an liceat ei hoc facere?

- 1 Respondeo, quod quæstio hæc grauior est, quam primo aspectu apparet.

ret: nam pro parte negante facit primo, quod consulens in effectu videtur mutuare, data dilatione ad soluendum aliquid ultra sortem, quod est usura cap. 1. §. 4. q. 3. Secundo quod licet contractus præfatus non sit mutui, sed mandati, tamen etiam hic debet esse gratuitus, sicut ille, l. 1. §. fin. ff. mandati, & §. final. instit. de mandato. & ita, quod accipitur ultra datū, iudicandum est usura, aut lucrum iniustum.

2 Pro parte autem affirmante, quod liceat, facit primo, quod hic contractus non est mutui, sed mandati; & usura in solo contractu mutui admittitur, ut constat per definitionem eius, quam etiam nos post alios tradidimus in Manu. Confess. cap. 17. num. 206. Secundo, quod non refert quid de æquipollentibus fiat. l. fin. ff. manda. cap. licet ex quadam de testib. At paria sunt, quod consulens capiat pecuniam à mercatore, & à semetipso. ergo nec capiendo à semetipso, quidquam peccat.

Tertio, quod nihil interest eius, cuius negotia geruntur, an expeditionem literarum soluat de pecunijs campforis, an de suis: immo is cuius negotiū geritur gaudebit plus, quod illius gestor, qui est amicus eius, lucretur, quam quod campfor, quem forte non cognoscit.

3 Pro resolutione dico primo, quod consulens non potest accipere illud plus, ratione interessē lucri cessantis; quoniam potest solum capere illud de pecunijs suis, quas habet paratas ad negotiandum cum eis emendo, & vendendo merces, aut ad emenda prædia, vel census, ex quibus caperet redditus: sed ipse habet illam pecuniam quasi mortuam, quo casu non licet capere aliquid ultra sortem, ut resolute diximus in d. Man. cap. 17. num. 296. & seq.

Secundo, quod neque potest quicquā accipere ratione maioris temporis dati ad soluendum, argumento cap. in ciuit. de usur. & traditur in Manu. cap. 17. num. 280. & num. 283.

4 Tertio, quod consulens potest accipere aliquid plus per viam contractus emptionis, per quam pecunia præsentī minoris potest emi pecunia absens, quanto maior est distantia; quod iuste fieri potest, ut probatur in d. Manu. vbi supra num. 295. Potest etiam accipere aliquid plus, eo quod eadem pecunia pluris valet Romæ, quam in Hispania, ut etiam ibidem probo: quibus duobus modis quilibet Hispanus sine vllō negotio potest mutuare, vel alias dare suam pecuniam Romæ, ut detur sibi similis pecunia in Hispania cum aliquo augmento, ut dixi vbi supra.

5 Quarto, quod præfatus consulens posset accipere aliquod auctarium pecuniæ à se impensæ, si eam attulit ab eadem Hispania, vel aliunde Romam, soluendo cambium; quia suscipit illud ratione interessē damni emergentis, quod licet iuxta l. 1. cum glo. & omni turba commentantium C. de sent. pro eo quod interest. & tradimus nos in manu. Confess. cap. 17. num. 211.

- 6 Quinto, quod etiam potest accipere aliquod auctarium, licet exposuerit pecuniã necunde impotatã Romã soluto cambio, sed quẽsitam in ea sua industria, vel alio iusto pretio, præsupposito quod is, cuius negotium geritur, expresse, vel tacite promisit soluere Romã, quod pro negotio impenderetur: quoniam cum aliquid soluitur in alio loco, quam in quo debeat fieri solutio, debet Iudex ex officio suo in actionibus bonæ fidei secundum naturam contractus ex æquo & bono cogere debitorem ad soluendum omnia accessoria rei debitæ; quod perdit ex eo, quod alibi fiat solutio iuxta §. in bonæ fidei. Insti. de actio. sicut & in actionibus stricti iuris, per actionem arbitriariam iuxta §. præterea. Insti. de actio. & dicta & citata à Iasone ibidem, præsertim col. 1. & 2. At constat, quod interest existentis Romæ, & impendentis in ea centum pro existente in Hispania, qui promisit illa soluere Romæ, vt si soluatur in Hispania, soluatur æstimatio, qua illa possunt Romam transportari. Quod autẽ in casu proposito is, cuius negotiũ est, gestũ promisit consulenti soluere Romę, constare potest, si tacite, vel expresse id promisit: quod autem tacite promiserit, videtur constare, tum quia mandauit vt consulens acciperet pecuniam à campfore, & remitteret soluendam in Hispaniam cum cambio, quo remissio constaret; id enim effectũ est promittere soluere Romæ trãsmittendo pecuniam per campforem, siue bancarium, soluto iusto cambio: nec quicquam refert quo ad propositum nostrũ, vtrum eorum fiat; quia
- 7 alterum alteri æquipollet, & non refert quid de æquipollentibus fiat l. fin. ff. mãda. & ratio naturalis, diuina, & humana præcipiunt, ne benefactoribus malefaciamus, immo quod benefaciamus, l. si non fortẽ. §. liberatus. ff. de condi. indeb. cap. cum in officijs. de testam. ergo residenti Romæ benefacienti non debet suscipiens beneficium in Hispania velle malefacere, vt qui nollet soluere Romano impendenti Romę decem scuta, nisi totidiem in Hispania redderet, vtique malum pro beneficio inferret; ergo præsumendum est quod voluit soluere Romæ, ubi pecunia fuit impensa, cum quilibet præsumatur bonus, l. merito. ff. pro socio, cap. fin. de præsump. unde sequitur, quod præfatus Consulens potest iuste accipere tantum augmentum, quantum campfor siue bancarius potest iuste exigere, ea ratione, quod fuerit promissum soluere cum cambio, quo transmissio constaret. Quãtum autẽ campfores huius temporis iuste possunt recipere, magnæ quæstionis est, cuius decisio hauriri potest ex dictis in nostro Manu. confess. cap. 17. num. 284.
- 8 Septimo, quod quæstionis nouæ, & maximæ uidetur esse, an sicut pecunia absens minoris ualet, ceteris paribus, quã præsens, & iuste potest minoris emi, quã præsens, ita & præstatio eius præsens ualeat pluris, quam præstatio ab hinc anno, aut maiori, uel minori tempore; si enim pluris ualeret, possent campfores non solum recipere plusquam dant, ratione emptionis pecunię absentis dãdo præsentem, & ratione ualoris maioris, quem

quem habet pecunia Romę, quam in Hispania, sed etiam ratione maioris ualoris, quem habet præstatio pecunię præfens, quã præstatio facienda post aliquod tempus: & pro parte quidem affirmante faciunt illa, quibus defendimus in Manu. cap. 17. num. 230. quod actio recuperandi pecuniam debitam post aliquod tempus, potest pecunia emi minore illa debita; quod tamen nunc non definio.

9 Octauo resolutiue ad quæstionem respondeo, quod Consulens potest accipere tantum suę pecunię augmentum, quantum potest iuste accipere campfor alia ratione. scilicet. lucri cessantis, ex eo quod propter artem campforiam non utatur mercatura. quantum uero is iuste accipere possit, quæstionis est non paruę, ut ex supradictis, & latius traditis in dicto Manu. cap. 17. nu. 284. colligi potest, & ex eo, quod non satis scitur qui campfores dicuntur relinquere artem mercaturę propter artem campforiam, neque quo fine, & qua ratione, vel qua necessitate, publica vel particulari utilitate proximi id faciunt, ut censeantur mereri interesse lucri cessantis.

Nono, quod ob prædicta videtur, posse consulentem accipere tantum augmentum, quantum darent ei campfores, vel bancarij, si eis daret pecuniam reddendam sibi in Hispania. Salua &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Deponens scuta aurea, & postea illa minutatim repetens, triplici ratione aliquid plus capere potest. num. 3.
- 1 Mutuans aliquid ultra sortem capiens committit vsuram.
- 2 Deponere pecuniam cum facultate vtendi ea, est mutare.
- 4 Oeconomus aliquid plus pro scutis aureis accipiens, an faciat suum. numero 7.
- 4 Oppositum in opposito operatur quod propositum in proposito,
- 5 Moneta pretium constituit, qui eam cudit.
- 6 Moneta augmentum, vel diminutio modici temporis non attenditur.

C O N S I L I V M. XII.

Q uæstiones duę confessariis frequentissime occurrunt. Prima, an qui tradunt multa scuta aurea mercatoribus, & postea minutatim capiunt valorem illorum in nummis argenteis, vel æreis, possint iuste accipere aliquos quattinos, vel bologninos, quos frequenter adiungunt mercatores, cum soluunt pro illis nummos argenteos, vel æreos.

Secunda, an oconomus, obsonator, uel quiuis alius officarius alicuius prædi-

prædictorum accipiens valorem prædictorum scutorum in numis argenteis, vel æreis à mercatoribus prædictis vna cum auctario prædictorum, quatrinatorum, vel bologninorum, teneatur scutorum valori instituto adijcere illos, et an teneatur ad restitutionem illorum, si eos sibi accipiat?

- 1 Ad primam respondeo, quod pro parte negatiua facit neruosissime, quod nullo titulo iusto tradentes illa scuta videntur eos posse accipere, non primo titulo mutui: quia, qui mutuat, non potest aliquid ultra sortem accipere, quia esset vsura, cap. 1. & 2. 14. q. 3. immo esset peccatum mortale, cum spe talis lucri ea tradere, cap. 1. & cap. consuluit. de vsur.
- 2 nec secundo titulo depositi: quia deponere pecuniam cum facultate vtendi illa, est mutare, l. certi condictio. §. fin. cum l. sequen. ff. de reb. cred. & l. quintus. ff. depositi, vt latius traditur in Man. cap. 17. num. 180. & numero 283. Neque tertio titulo locationis; quia pecunia non est res locabilis, cum traditur ad vsu suum naturalem impendenda: cum in effectu, sic locare, sit mutare, & vsuram palliare, vt palam est. Neque quarto titulo societatis: alioquin oporteret participare de damno mercatoris, quod incurreret negociando, l. si non fuerit. ff. pro socio, & traditur in d. Manu. cap. 17. num. 251. quod non intendunt facere ipsi. Neque quinto ratione cambij. Tum quia cambium est contractus non gratuitus, quo vna pecunia datur pro altera, vt probatur in Man. cap. 17. num. 283. & traditio prædicta fit gratuito, & non pro altera pecunia, quia etiam ipsamet, vel alia ei similis sine vlllo auctario reddi, & solui potest.
- 3 Sed in contrarium facit, quod multi viri pij, & eruditi huiusmodi auctaria passim sine scrupulo accipiunt. Quare dicendum videtur primo, quod duo contractus in hac re inueniuntur, alter depositi, quo traduntur cum facultate eis vtendi expresse, vel tacite facta depositario, quod effectu est mutuum, iuxta d. l. certi condictio. §. fin. & l. seq. alter est, quo capitur pecunia argentea, vel ærea pro scutis supradicto modo traditis, & hic est contractus cambij. Secundo, quod ratione prioris contractus, nihil amplius, quam ob mutuum, potest recipi tanquam debitum; & quod taliter reciperetur esset vsura restituenda per iura citata. Dixi *tanquam debitum*, quia tanquã gratuito, & sponte donatum, in signũ gratitudinis, accipi potest; sicut & ita donatum ob mutuũ, iuxta dicta in Man. cap. 17. nu. 209. Tertio, quod ratione alterius contractus cambij potest recipi aliquid ratione cambij, quod appellatur per minutũ iuxta dicta in Man. cap. 17. nu. 283. & 288. & etiam ratione valoris scuti, quod forte illo die, quo pecunia argentea, vel ærea in cambium traditur, pluris valet scutum aureum, quam principis institutione æstimatur.

Concludo igitur primo, quod prædicti tradentes scuta in auro, & postea recipientes valorem eorum in argento, vel ære, possunt iuste accipere prædictos quadrinos, vel bologninos, tanquam sponte donatos in gratiam depositi, uel mutui penes illos donantes facti, secundo tanquam debi-

debitos ratione cambij per minutum facti, tertio ratione valoris maioris, quem, quando dantur nummi argentei, vel ærei, habet scutum aureum.

- 4 AD SECVNDAM respondeo, quod pro parte affirmatiua facit, quod id, quod operatur propositū in proposito, operatur oppositum in opposito, l. & si contra tabulas. ff. de vulg. & cap. sciendum. 8. q. 1. At si diminueretur pretium illorum scutorum, non teneretur officarius supplere illud in vtilitatem heri; ergo, si fuerit auctum, debet illud auctarium vertere in eius vtilitatem. Secundo, quod nihil alienum sine iusto titulo queri, vel retineri potest, cap. si res aliena. 14. q. 6. & cap. peccatum, de reg. iur. lib. 6 Tertio, quod scuta prædicta vere valent apud mercatores pluiquam pretium à principe eis impositum, quando sic soluunt, & illud plus secundum valorem currentem in foro mercatorum accipiunt nomine heri sui; ergo tenentur reddere rationem illorum secundum verum valorem.
- 5 Pro contraria vero parte negante facit primo, quod accipiens aliquā pecuniam satisfacit reddendo valorem eius institutū à Principe; nam illud est verum pretium monetæ excussæ, quod à Principe reipub. præstituitur; illius enim, vel habentis iura eius est cudere monetam, & ponere illi pretium, arg. cap. quanto. de iure iur. vbi hoc notat Panor. cōmuniter recept. num. 6. Et prædicti officarij accipiunt prædicta soluenda in alijs rebus impendendis, ergo satisfaciunt soluendo illa secundum pretium statutum à Principe absq; prædicto pluri. Secundo, quod Barth. communiter recept. in l. Paulus. 1. ff. de solut. num. 9. ait, quod augmentum, vel diminutio æstimationis monetæ, quæ modico tempore durat, vt vno, duobus, vel pluribus diebus, vel quandoq; non est attendenda, arg. l. pretia. sub fin. ff. ad leg. falcid. cui concordat Panorm. cōmuniter recept. in d. cap. quanto. sub fin. Tertio, quod non obstat prædicta lex Paulus, quatenus habet, creditorem non esse cogendum in aliam formam nummos accipere, si ex ea re damnum aliquod passurus sit. Tum quia l. illa intelligitur de illo creditore, qui dat pecuniam muruo, vel in depositum pacto expresso, uel tacito, ut restitatur ei ea, uel alia pecunia æque bona, iuxta l. cum quid. ff. de reb. cred. Quæstio uero proposita est de creditore dante pecuniam ad impendendum in emendis rebus ipsi necessarijs, & non ad reddendam illam, uel aliam æque bonam, quo casu non est locus illi legi, ut ex Bart. & alijs ibi colligitur, & ex nostris in d. cap. quanto. Quarto, quod illud plus possit iuste recipi rationibus prædictis, est tamen incertum, & passim variatur, & uoluntarie datur: quia mercator nolens illud adijcere, nulla lege iustitiæ cogi potest; ergo neq; officarius ad reddendum illud domino lege iustitiæ tenebitur.
- 7 Pro concordia horum adductorum considerandum est, quod aliquando ipsemet dominus, & herus tradit periculo suo scuta mercatori in custodia

studiam cum facultate vtendi eis ea lege, vt reddat ea ei in auro, uel argento, aut ære pro libito suo; & postea ipsemet dominus, uel officarius nomine domini accipit cum illo pluri à mercatore, quantum oportuerit ad impendendū in rebus sibi necessarijs; aliquando dominus tradit officario suo scuta in auro, ut suo periculo teneat, & impendat in opportunis, siue in auro, siue in argento, & ære; & officarius tradit illa suo periculo custodienda mercatori, à quo postea in argento, uel ære in dies, hebdomadas, uel menses recipit impendenda; uel non tradit ei custodienda, sed cambit ea pro argenteis, uel æreis cum prædicto pluri sibi tradendis. Et dicendum, quod primo casu illud plus est domini. Tum quia sibi, uel officario nomine suo, quod perinde est, datur. Tum quia periculum scutorū, si mercator decoqueret, uel alias perirent, perirent ad eum, & non ad officarium. Secundo uero casu pertinebit ad officarium. Tum quia periculum scutorum sibi traditorum pertinet ad eum, siue tradat mercatori custodienda, siue non. Tum quia illud plus nõ datur domino, neq; officario domini nomine domini, sed ipsi officario, qui iam factus est dominus illorum scutorum, & periculo suo stant, uel pereunt nomine suo. Per hanc distinctionem facile cõciliantur omnia in utramq; partem adducta. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Societas, in qua industriam ponens dimidium quoque periculi pecunia subit, & dimidium lucri percipit, est iniusta, & vt iustificatur . num. 6.*
- 2 *Consuetudo legi diuinæ non præiudicat, licet à pœna humana excuset.*
- 3 *Circumstantia boni finis ad actum bonum requiritur, sed non sufficit.*
- 4 *Lucrum mutuo accipientis mutuante[m] ultra sortem capientem non excusat.*
- 5 *Remissio, uel donatio debiti sponte facta liberat debitorem.*

C O N S I L I V M XIII.

Quidam contulit mille in societatem ei, qui conferret industriam, & laborem in exercenda mercatura lanæ, eo pacto, quod dimidium lucri cederet huic, & dimidium alteri, & quod, si eueniret, vt nihil lucrificeret, immo perderent prædicta millia, dimidium eorum redderet, qui ea suscepit. exercita societate, nil perijt de capitali, & lucrum diuisum est iuxta formam contractus.

Quæritur primo, an qui contulit pecuniam teneatur ad restitutionem illius partis lucri, quæ sibi cessit, in foro conscientia.

Secundo,

Secundo, an, esto teneretur restituere, liberaretur per remissionem partis.

Tertio, quomodo hic contractus iustificari possit.

Ad primum respondeo, quod pro parte negatiua facit primo, quod in illa regione habetur pro licito is contrahendi modus. Secundo, quod intentio conferētis fuit contrahendi iuste; adeo quod nullatenus cōtulisset, nec sic contraxisset, si putasset talem modum contrahendi fuisse cuiquam l. diuinæ, vel canonicæ vel in minimo contrarium. Tertio, quod qui recipit, nihil perdit. Quarto, quod in illo genere mercandi capitale nunquam fere perditur. Quinto, quod lucra sunt parua.

Pro parte autem affirmatiua faciunt illa, quæ nos firma ac solida ratione, & auctoritate fundata scripsimus in Manu. Confess. cap. 17. à num. 251. quibus inferitur, contractum, de quo in casu proposito quaeritur, esse illicitum & iudicandum vsurarium, saltem quo ad dimidium pecuniæ collata; quod manet saluum eam conferenti, & contrahentem teneri ad restituendū lucrū illi dimidio respondēs: cum enim non possit iustificari, nisi reducendo eum ad contractū societatis; cumque contractus societatis nequeat esse licitus, si ita ineatur, vt conferenti pecunia saluū sit capitale, siue fors principalis, vel aliqua pars eius notabilis; consequitur eum esse illicitū quo ad illam partē: & cum ratio suæ iniustitiæ cōsistat in hoc, quod collatio illa pecuniæ censeatur esse mutuum, & ratione mutui nihil vltra sortem iuste capi possit, & per hunc contractum vltra sortem capiatur lucrum, necessario iudicandum est vsarius quo ad prædictum dimidiū: cui rursus consequens, vt lucrum acceptum restitui debeat iuxta cap. quoniam, cap. consuluit. cap. in ciuitate. cap. post miserabilem, & per totū titulum de vsuris. & ita hæc pars affirmatiua videtur tenenda, quod is contractus est partim licitus, & partim illicitus: licitus quidē quo ad dimidium pecuniæ manens periculo eam conferentis: illicitus autem quo ad alterum dimidium, & quod lucrum receptum pro dimidio pecuniæ non manentis periculo conferentis est restituendum.

Ad primum oppositorum respondeo, quod consuetudo non potest præiudicare legi diuinæ, cap. quo iure 8. dist. sub finem, nec consequenter vsurarium contractum approbari, cum lege diuina in vtraque pagina vetetur, ca. quia in omnibus. de vsur. per quod etiam damnatur generalis vsus eius; & qui dixerit eum licere, censendus est hæreticus, Clem. l. eod. tit. Nec obstat dictum solenne Barth. in l. quis sit fugitiuus, §. apud Labeonem. ff. de ædil. edict. cum allegatis ab eius additione: quia Barth. noluit dicere, quod consuetudo liberet à peccato vsuræ, sed quod, qui secundum eam contrahit, non est censendus vsurarius in foro exteriori, ad hoc vt pœna vsurarium puniatur: eo quod consuetudo excusat à pœna temporali, sed non ab æterna secundum gloss. in cap. denique. 4. dist. cap. cum venerabilis. de consuet. immo nec videtur excusare à restitutione

tutione per talem contractum quæsit; & quia restitutio non est pœna, & ideo debetur in foro conscientie, licet pœna non debeatur in eo, iuxta gloss. solennem cap. fraternitas. 12. quæst. 2. & Sanctum Thom. 2. 2. q. 62. ar. 4.

3 Ad secundum, quod licet bonitas intentionis, siue circumstantia boni finis requiratur ad actum bonum, non tamen sufficit illa: nam ut late declaramus in cap. cum miniter. 23. q. 5. licet semper, cuius finis malus est, ipsum quoque est malum; non tamen semper, cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum est: nam & Iudæi in bonum finem Dominum nostrum crucifigi curarunt.

4 Ad tertium, quod nec indemnitas, nec lucrum etiam magnum accipientis mutuum excusat acceptionem etiam pœnæ rei ultra sortem mutuantis cap. 1. vbi late scripsimus 14. q. 3.

Ad quartum respondetur, quod etiam in mutuo regulariter nil perditur ab accipiente illud; sed id non iustificat dantem, si ultra illud aliquid accipiat.

Ad quintum respondent omnia quatuor capitula 14. q. 3. clamantia etiam parua munera, etiam in poculentis, & esculentis consentientia, vsuram inducere.

5 AD SECUNDAM QVÆSTIONEM Respondeo affirmative, quod remissio, siue donatio sponte facta ab eo, cui restituenda sunt lucra præterita, perinde liberabit consulentem, ac si restitueret, per gloss. celebrem c. peccatum, de regul. iur. lib. 6. quæ verbo *restituatur*, addit *vel remittatur*, per quam regula generalis ab vtriusque iuris interpretibus assumitur, quod remissio debiti, exequatur solutioni, exceptis aliquot casibus, quorum de numero non est is propositus.

6 Ad tertiam respondeo, propositum contrahendi modum non posse saluari, nisi ali quid addatur, vel dematur: posse autem saluari diminuendo lucrum, quod pecuniam conferens sibi referuat per tres contractus, ut diximus in d. Man. c. 17. num. 254. potest ita iustificari, relinquendo tantum de lucro accipienti pecuniâ pro assecuratione dimidij fortis principalis, quanto tertius assecuraret illorum capitale: sed si raro vel nunquam perdatur capitale, vel pars eius notabilis, quæstuosior contrahendi modus esset conferre simpliciter pecuniâ, ita ut perditio tota pertineat ad conferentem eam, sicut tota perditio laboris, & industriæ accipientis eam, & mercaturam exercentis pertinere debet ad eum iuxta superius citata ex manu. & c.

S V M M A R I V M.

- 1 Societas centum ouium, ut eas dans intra biennium scuta 18. capiat, iniusta.
- 2 Certificatio lucri pro incerto illud diminuit.

CON-

CONSILIVM XIII.

P Dedit 100. pecudes in societatem Q. ea lege, vt Q. redderet pro fructu, & lucro tantū lanæ, & casei, quod valeret 18. scutis, & dimidiato, ad duos annos, & postea, pro vtriusque partis voluntate. Quæritur, an id facere licuerit.

- 1 Respondeo, quod non: quia centū pecudes vix valēt 100. scutis, & cōsequēter lucraretur ad rationem fere decem & novē. Tum quia certificatio promissi lucri certi pro incerto diminuere debet lucrum tolendum. Tum quia non dicitur in contractu, quod diminuatur lucrum, si aliquot pecudes moriantur intra illud biennium: tum quia si reficiendus est numeris pecudum ex agnus nascituris, ex eis etiam diminuendum est lucrum. Saluo saniori iudicio.

S V M M A R I V M .

- 1 *Vtilitas publica iuuanda, & priuata præferenda.*
- 2 *Lex, qua solutio cambij sex menses differtur, est iniqua.*
- 3 *Delinquendi, seu decipiendi materia non danda.*
- 4 *Vsuras exercendi occasio per hoc statutum daretur.*
- 5 *Lex prohibens præsentem pecuniam vendi, iuri naturæ contraria.*

CONSILIVM XV.

AN liceat Ciuitati Barchinonen. cum consensu Cæsaraugustæ, & Valentia statueri, quod omnia cambia, quæ fiunt in ea ad ciuitates Cæsaraugustæ, & Valentia, vel ab illis ad Barchinonensem, censeantur facta cum terminis soluendi infra sex menses à die præsentationis literarum currentes.

- 1 Respondeo primo, quod pro parte affirmante facit, quod dicitur à rerum peritis hoc esse valde vile futurum præfatæ Barchinonæ, & toti principatui Cathalonix; & vtilitas publica reip. iuuanda est. immo & præferenda priuata, c. 3. de postulat. præla. & cap. licet. de regula.

Pro parte tamen negante facit primo, quod est iniquum, ut ei, qui dedit pecunias Cæsaraugustæ campiori pro literis cambij Barchinonam, non possit in ea petere pecunias in eis contentas usque ad sex menses: & quod peregrinū uenientem Romā, uel ad alias terras, qui Cæsaraugustæ dedit pecunias pro literis cambij, oportet manere sex mensibus Barchinonæ ad recuperandum suum uiaticum, & perdere opportunitatem suo-

G g rum

- rum negotiorum Romæ, uel alibi gerendorum, contra cap. 1. de emptio. quatenus probat peregrinos, & iter facientes iuuandos esse, & non molestandos. Secundo, quod non est danda materia delinquendi, & decipiendi alium, l. conueniri. ff. de pact. dota. cap. ex parte. de consuet. & per huiusmodi statutum datur campforibus materia delinquendi, & decipiendi eos, qui tradunt pecunias suas in aliqua prædictarum trium ciuitatum pro literis cambij ad aliquam earundem ciuitatum directis, accipiēdo pecunias, & dando literas, per quas is, cui dantur, putat, statim intra paucos dies eas soluendas, & differtur ei solutio per sex menses. Tertio, quod per uiam indirectam datur occasio usuram exercendi, uendendo merces carius propter solutionem dilatam, & emendo uilius propter eā anticipatam. Cæsar Augustanus enim, uel Valentinus importat merces Barchinonam, & sciens quod pretium earum non potest extrahere à Principatu Cathalonix, nisi per literas cambij, & quod per huiusmodi literas non poterit Cæsar Augustæ, uel Valentix habere pecunias, nisi post sex menses à præsentatione literarum, longe carius uendit, quam si intra octo dies à præsentatione literarum soluere ei pretium in sua ciuitate, & contra Barchinonam, si uilius poterit emere soluendo statim uenditori, uel dando literas de statim, uel intra octo dies ei soluendo in sua ciuitate.
- Quarto, quod uidetur contra ius naturale, & gentium prohibere, ne quid Barchinonæ præsentis pecunia uendi possit arg. totius titi. de contrahe. emp. & vend. ff. & C. & per prædictum statutum uidetur indirecte quadamtenus id fieri, cum non possit, ut dixi, habere literas cambij, per quas differtur solutio ad sex menses. Per quæ non audeo affirmare partem affirmatiuam, neque dicere, quod præfatum statutum sit uile Barchinonæ, & principatus prædicti Cathalonix: quoniam inducit maiorem uictus, & uictus caritatem, & omnium mercium particulariter pauperibus & tenuibus uendendarum: & arbitror magis me Deo, & præfato Principatus obsequi respondendo hoc, quam contrarium, quod magis uoluisset D. Consulens, qui magis uidetur id desiderare.

S V M M A R I V M.

- 1 *Societas, ut conferenti pecunias dentur quinque pro centum, non licet.*

CONSILIVM. XVI.

Quidam contulit mille in societatem mercaturæ pannorum, quam iniit cū N. cū pacto, ut ipse assuret principale, & insuper det illi pro sua parte lucri ad rationem quinque pro centum. *Queritur an huiusmodi*

*in*modi contractus sit iustus, & quomodo possit talis fieri.

ETSI FORTE defendi posset cōtractus prædictus societatis factus in forma supra posita cum affecuratione capitalis, & certi lucri ei adiecta: mihi tamen videtur confusionem quandā, & palliationem præferre: quia licet possit contrahi societas, cum capitali, & lucro saluis, per tres contractus, vt nos dicimus in Manua. Confessa. cap. 17. num. 254. non tamen potest contrahi societas iusta, ita vt socius obligetur ad prædictas affecurationes, quod satis inuenitur fieri in prædicta forma contractus. Vt ergo palam sit iustus, fiat ad formam contractus societatis simpliciter ad damnum, & lucrum sic, vel sic iuste diuidendum; & perfecto super illo instrumento, fiat in eadem, vel alia charta, vel alio capitulo contractus alius separatus, quo accipiens pecuniam affecuret conferenti capitale pro pretio expresso, & iusto, ac si esset tertia persona, quæ affecuraret: & perfecto instrumento super affecuratione capitalis, fiat in eadem, vel alia charta, vel alio capitulo aliud Instrumentum, in quo dicatur, quod tantum lucrum verisimiliter iuste posset dari conferenti pecuniam in tali terra, & tali mercatura, & tali tempore: & quod accipiens pecuniam, ad excusandas molestias computationum, &c. affecurat tantam partem lucri verisimilis pro remissione iusta certæ partis lucri sibi remittendi.

Quoniam autem ipse non sum mercator, nec scio quantum verisimiliter lucri fiat in illa terra per mille exercita in tali mercatura, non possum respondere an satis pretij detur, vel remittatur pro affecuratione capitalis, vel lucri; nec consequenter an seruetur Iustitia in supraposita forma contractus. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Deponens pecunias in monte pietatis, an quid plus capere possit.
- 1 Depositum, sicut commodatum, debet esse gratuitum.
- 2 Depositum pecuniæ cum facultate ea vtendi, & obligatione restituendi, cum illa petetur, sit mutuum.
- 3 Deponentes in monte pietatis, quatuor concurrentibus, quatuor pro centum capere possunt, nec alias iuuant tres contractus. num. 4.
- 5 Mons pietatis Veronæ vt iustificari potest.
- 6 Montis pietatis ministri aliquid à mutuatarijs capientes excusantur.

C O N S I L I V M XVII.

AN sit licitum, vt mons pietatis det quatuor pro centenario deponentibus pecuniam apud ipsum, cum circumstantijs, de quibus in bulla

Iulij III. præsupposito quod hoc est vtile ipsi monti?

- 1 Respondetur primo, quod, si inter montem pietatis, & deponentem pecunias apud eundem, verus, & solus contractus depositi fieret, non posset deponens iuste quidquam lucri à monte depositario accipere. Tū quia verus contractus depositi est gratuitus, l. 1. §. si vestimenta, & §. seq. ff. depo. sicut & contractus commodati, iuxta gloss. 1. cap. 1. de commod. nam si quid daretur pro custodia, esset contractus locati, vel conductio, vt per prædicta iura probatur. Tum quia potius deberet accipere depositarius à deponente, propter onus custodiendi, quod subit, quam è contrario, vt palam est, adeo quod nos in Manual. Confess. cap. 17. num. 293. probamus vere deponentem cum pacto, vt pro custodia nihil depositario daretur, sed vsus pecuniæ esset pro salario, committere vsuram.
- 2 Secundo, quod huiusmodi deponentes apud montes non dicuntur vere deponentes, sed mutuantes: quoniam qui deponit pecuniam numeratam apud alium, ea lege, vt depositarius ea vti possit cum obligatione reddendi eam quandocunque repetatur, cēsetur mutnare, l. certi conductio. §. fin. cum l. seq. ff. de reb. cred. & huiusmodi deponentes hac lege deponunt suas pecunias apud montes.

Tertio, quod ex hoc sequitur, huiusmodi deponentes non posse iuste capere quatuor, nec quidquam aliud pro centum, sola ratione eiusmodi depositi; quia id esset capere vi, & ratione mutui, & consequenter vsuram committere, iuxta cap. 1. & per totam 14. q. 3. & veram definitionem vsuræ, quam nos post alios tradimus in d. cap. 17. num. 206. nec possent excusari ratione vtilitatis, & pietatis montis, cum neque pro redemptione captiuorum possit vsura exerceri, cap. super eo. de vsu. quod habet etiam, super hoc non posse per Papam dispensari.

- 3 Quarto, quod prædicti deponentes iuste possunt percipere prædicta quatuor pro centum, modo concurrant illa, quæ sel. rec. Iulius III. voluit, vt concurrerent in depositionibus faciendis apud montem ciuitatis Vicentinæ, videlicet, quod intentio, & finis principalis sit iuuare montem, & pauperes ab eo, mutuantes, & non feneratori, & quod ad finem deponendi, siue mutuandi monti, merces paratas venditioni, quas alioqui emissent, cum sint soliti mercari, aut si non sint soliti mercari, emissent tamen, huiusmodi deponentes non recipiunt illa quatuor vi, & ratione talis depositi, seu mutui, sed ratione lucri cessantis, quod verisimiliter lucrarentur tantundem, vel amplius: & constat mutuantem ratione veri interesse posse capere aliquid mediocre ultra sortem, iuxta gloss. ab omnibus receptam in cap. conquestus. de vsuris.

Ex hoc responso potest desumi resolutio illius dubij, quod à Verona nobis in hanc formam missum est, vbi erectus fuit quidam mons pietatis in subuentionem pauperum, ne impijs hebræorum vsuris plane exhaurirentur

entur, in hunc, qui sequitur, modum. Multi pecunias habentes, eas deponerant in monte pietatis ad erogandum pauperibus indigentibus, eo pacto, quod dictus mons daret quatuor pro centenariis ijs, qui suas pecunias ibi deposuerant in fauorem dictorum pauperum, & quod accipientes easdem tenerentur soluere sex pro centum, quorum quatuor dabantur ijs, qui suas pecunias, ut prædictum est, tribuerant, & reliqua duo sustinendis oneribus ministrorum d. montis; & si quid ex illis duobus supererat non expensum, applicabatur ad pios usus. Iam quaeritur, an tamdeponens, ut prædictum est, suas pecunias in monte, quam etiam ij, qui ibidem depositas, captis pignoribus, ex officio indigentibus, & petentibus erogant, accipiendo sex pro centum, committant usuram?

4 Circa quod dico primum, quod respondendum est affirmatiue per supra dicta, nisi seruent ea, quæ prædictus Iulius III. seruanda esse respondit, & declarauit.

Secundo, quod non prodest eis, non seruantibus illa, modus ille contrahendi societatem per tres contractus, quo capitale, siue fors principalis remaneat salua, iuxta tradita à nobis in Manu. cap. 17. nu. 255. quia nos loquimur de vero contractu societatis expresse, vel tacite facto; factum autem propositum agit de mutuo, vel deposito cum facultate, ut de positarius ea uti possit, quod effectu est mutuum per dicta in supradicto responso.

5 Tertio, quod difficile fuerit inducere in illo monte Veronæ per prædictos tres contractus modum, quo, qui poneret pecuniam, posset lucrari quatuor, capitali saluo; quia non satis intelligo, quomodo mons deputatus solum ad mutuandum, possit contrahere iustam societatem ad lucrandum tantum, quod vna pars lucri relinquatur socio pro asecuratione fortis, & pars pro lucro incerto certificando, & pars sibi reseruanda, cum modus lucrandi per mutuum, acceptis pignoribus, non sit iustus, nec modus negotiandi ad lucrandum tantum, quamuis sit iustus ad lucrandum aliquid paruum pro sustentando onere ministrorum.

Quarto, quod aptissime posset induci modus, quo ciues Veronenses seruarent capitale, siue sortem principalem saluam, contrahendo societatem cum mercatoribus Veronensibus per prædictos tres contractus, qui cum illis licite fieri possent; sed hoc nihil prodesset monti, neque pauperibus, ad quos iuuandos is est institutus.

6 Quinto, quod ministri montis, & depositarij, qui pecunias prædicto modo depositas mutant pauperibus ad rationem sex pro centum, etiam uideri possunt usurarij primo aspectu, licet ad pia opera mutuent; quia non licet etiam pro redimendis captiuis generari, ut in prædicto responso habetur; sed saluari possunt quo ad illa duo, quæ sibi iuramur, per illam conclusionem nostram in dicto Man. c. 17. num. 288. quæ habet posse à Repub. institui officium ad mutuandum pauperibus, salario mini-

stris de publico constituto, uel aliquo paruo à pauperibus mutuarijs eis soluendo. Quo ad autem alia quatuor pro centum deponentibus, siue mutantibus eis pecuniam danda, quæ luçantur per illam, accipiendo depositum, uel mutuatam pecuniam, cum obligatione reddendi ultra fortem quatuor pro centum, non peccant, si deponentes deponunt, seruatis seruandis per bullam Iulij III. neque si deponunt, non seruando illa; quia accipiunt pro necessitate, non quidem suarum personarum, sed pro proximorum, & etiam pro necessitate sui officij mutuandi pauperibus: quod licet eo modo, quo docet S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 4.

Sexto, quod ex his inferitur, quod si deponentes licite deponant seruatis seruandis per prædictam bullam Iulij III. nec deponentes, nec depositarij peccant; si autem deponentes male deponant, ipsi soli peccant, & tenentur ad restitutionem, depositarij autem, siue ministri montis, nec peccant, nec tenentur restituere.

S V M M A R I V M.

- 1 Actio ad centum post biennium soluenda minoris emi potest.
- 2 Fideiussor precipue rogatus obligationes suas in certo tempore minoris præsentis pecunia redimere potest.
- 3 Remissio actionis ob anticipatam solutionem usuram sapit, secus alio respectu.

C O N S I L I V M XVIII.

CUm quidam eques Iulius Cæsar Cerdi à diuersis personis multas pecuniarum summam ad societatem ceperit, soluendo fructus ad rationem 12. pro centenario, ut molis est, non habens modum, uiuente domino Hieronymo eius patre, cum interuentu Illustrissimi Cardinalis Sfortie, cui hoc onus à Sanctissimo fuit demandatum, fuit facta conuentio cum dictis creditoribus, ut eis intra annum solueretur fors principalis, & fructus decursi ad rationem sex scutorum pro centenario tantum, & per spatium dicti anni pecuniæ creditoribus nihil lucrarentur, prout omnes contenti remanserunt.

Pro effectuada dicta concordia, D. Mutius Cerdi frater dicti Equitis obligauit se in forma Camerae de soluendo creditoribus infra annum modo suprascripto, ita tamen, quod omnes actiones ipsi D. Mutio cedant pro summis ab ipso soluendis. Nunc uero aliquibus ex creditoribus, & forsitan omnibus, esset proficuum, & commodum, si ad præsens eorum credita soluantur, & pro remissione temporis contenti essent, quod aliquid

quid aliud ad rationem 5. vel 6. scilicet eorum pro centenatio etiam ex fructibus, vel ex sorte principali retineretur eis in solutione, quod gratiose, & titulo donationis ipsi Equiti remittunt, & remittere vellent.

Et stante commodo, & utilitate creditorum, & gratiosa eorum donatione, quaeritur an licite, & impune fieri possit ex parte Equitis Cerdii, & absque aliquo scrupulo conscientiae?

1 Respondeo primo, quod resolutio huius dubij pendere videtur à resolutione illius, quo quaeritur, an actio ad centum soluenda post annum, vel biennium, vel triennium iuste possit emi minoris, quam centum, quod ipse affirmatiue resoluit in Manual. Confess. cap. 17. num. 230. & sequentium auctoritate Innocen. cui nemo ibi contradicit in cap. in ciuitate. de vsur. Tum quia minus valet actio ad rem aliquam, quam ipsa res praesens. Tum quia minoris valet id, quod non est futurum vtile intra vnum annum, alio eiusdem qualitatis, quod est futurum statim vtile, vt palam est.

2 Secundo respondeo, quod praedictus frater praedicti Iulij potest iuste emere praesenti pecunia à singulis creditoribus singulas actiones, quas ipsi habent contra Iulium aliquanto minore pretio, quam sit illud, quod per eas peti, & recipi potest per resolutionem praedictam.

Tertio, quod hoc facere potest, etiam non rogantibus creditoribus, sed iustius rogantibus illis, vt eas ipse ab eis sic emat, & iustius, si ob earum emptionem oporteret eum pecuniam alijs negotiationibus destinatum in hanc emptionem vertere, vt supra diximus.

3 Quarto non obstat dicere, quod remissio actionis ob anticipatam solutionem videtur vturaria, vt nos vbi supra post alios ibi citatos insinuauimus. Tum quia illud est verum, quando remissio illa fieret ob solam solutionis anticipationem, non autem cum fieret ob alium iustum respectum, puta quia minus valet, quam ipsa res pretens, vt ibidem insinuauimus. Tum quia aliud est donare actionem ob minus pretium anticipatum, & aliud emere actionem, quae minoris valet, quam res ipsa praesens, ad quam illa datur: & ita inferitur ex vno ad aliud, arg. l. Papinianus. ff. de minoribus, cap. ad audientiam. de decimis. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Venditio maiori pretio ob dilatam solutionem, si non est vturaria, erit iniusta.*
- 2 *Merx pluris, quam valet, vendi non debet.*
- 3 *Interesse lucri cessantis quando iuste peti potest.*
- 4 *Venditor per duos contractus, & etiam vnum equipollentem, capere potest interesse pretij non soluti. num. 7.*

5 *Occasio peccandi, & vsuras exercendi vitanda.*

6 *Onus impositum emptori præter naturam contractus diminuit pretium.*

CONSILIVM. XIX.

N Vendidit villam valoris quindecim millium M. & quia ipse M. non soluit, nisi tria millia præfenti pecunia, dilata solutione aliorum duodecim millium in decennium, conuenerunt, vt ipse M. teneatur soluere decem & octo mille. Quæritur, an huiusmodi contractus sit iustus, & possit recipi illud plus ratione lucri cessantis.

- AD PRIMAM QUÆSTIONEM respondeo primo, præfatam venditionem, & emptionem factam simpliciter eo modo, quo narratur, esse iniustam, ea ratione firma, quod omnis venditio cuiuslibet mercis, facta maiore pretio iusto ob dilatam solutionem, est iniusta; nisi venditor volebat illam seruare sibi in tempus, in quod solutio differret, & dubium esset, an tunc plus, vel minoris esset valitura, c. in ciuitate, c. consuluit, & c. fin. de vsuris, & latius tradimus in Ccmm. de vsuris super cap. 1. 14. q. 3. not. 3. & 12. & breuius in Manu. Confess. c. 17. nu. 210. Non obsta, quod non videtur habere formam contractus vsurarij; cum ille fiat in contractu mutui, cum pacto, vel intentione principali, vt aliquid amplius, quam acceptum est, reddatur. Tum quia licet non esset vsuraria, esset tamen iniusta; quia merx plus venditur, quam valet, quod est iniustum secundum Arist. 5. ethico. & S. Tho. recep. 2. 2. q. 77. ar. 1. Tum quia licet non interueniat mutuū formaliter, siue expressum, interuenit tamen tacitum, & æquipollens, ratio illa clara, quam post alios tradimus in d. comment. notab. 3. & in d. Manu. c. 17. nu. 206. Non obstat etiam, quod videtur præfatus venditor accipere illud plus ratione lucri cessantis, quod iuste potest accipi secundum communem sententiam, l. 3. ff. de eo quod certo loco. Tum quia non proponitur illud in casu narratione, licet tangatur in quæstionis propositione. Tum quia interesse lucri cessantis non habet locum antequam emptor sit in mora soluendi, vel nisi venditor esset exercitaturus mercaturam, & empturus census annuos, vel aliqua prædia frugifera ex iusto pretio statim sibi soluendo. At non narratur in casu, quod præfatus venditor volebat mercari, vel emere frugifera pretio iusto sibi statim soluendo.
- 4 Secundo respondetur, quod per duos contractus diuersos, vnum emptionis, & alterum, mutui, ponisset peruenire ad bonam partem finis, ad quem præfatum vnum contractum peruenire volebat, puta quod primo præfatus venditor dedisset villam pretio 15. millium statim soluendorum; secundum, quod cõuenisset cum eo, vt daret ei decennalem dilationem, & quod ipse solueret ei interesse lucri cessantis, quod verisimiliter faceret mercando, vel emendo, vt prædictum est: nam potest venditor accipere illud, si res coram Deo ita se haberet. Tum quia illo casu pretium non

non excessisset iustum propter dilatam solutionem, nec quidquam recipere ultra iustum pretium ratione primi contractus venditionis, sed ratione secundi contractus mutui, ob interesse lucri cessantis, quod vere conatus fuisset facere, & verisimiliter fecisset, si fuisset statim ei facta solutio. Tum quia liceret venditori, si ei soluerentur statim omnia 15. millia, retinere sibi tria millia, & reliqua 12. millia mutuare emptori egenti eis, & roganti, ut mutuaret illa ei, soluendo interesse lucri cessantis, quod vere intendebat facere venditor exercendo mercaturam, vel emendo census annuos, vel prædia frugifera, si ea illi non mutuasset; quia in hoc casu concurrunt omnia, quæ sunt necessaria ad quærendum iuste interesse lucri cessantis, iuxta ea quæ latius tradimus in d. Manu. confess. vbi supra num. 211. & seq.

5 Tertio respondetur, quod ijs succedit illa magna difficultas, an quemadmodum per duos contractus supradictos potuit præfatus venditor peruenire ad bonam partem finis per eum præfati, ita potuisset peruenire per unum, qui æquipolleret duobus; puta quod vendidisset villam pretio 15. millium, cum pacto, quod statim soluerentur ei tria millia, & reliqua soluerentur ei in fine decennij, & interim solueretur ei interesse lucri cessantis, quod vere intendebat facere, & verisimiliter fecisset, si statim solutio illorum facta fuisset. Et pro parte quidem negante facit primo, quod non est danda occasio peccandi, & usuras exercendi, l. conueni. ff. de pactis dota. & cap. ex parte. de consuet. & uidetur per hoc dari occasio peccandi, & palliandi usuras. Deinde, quod in primo responso reprobatus est contractus propositus, & quod is uidetur per omnia similis illi. Tertio, quod pactum illud, de soluendo interesse præfatum intra decennium, uidetur diuinuere de pretio iusto; quia onus impositum emptori præter naturam contractus diminuit de pretio cap. cum Ioannes. de fide instru. & l. fudi partem. ff. de contrah. empt. & consequenter uenditor receperisset pretium maius iusto, quod est peccatum, ut prædictum est.

7 Pro parte autem affirmante facit primo, quod nihil refert quid ex æquipollentibus fiat, l. fin. ff. mand. cap. licet ex quadam. de testibus. At is unus contractus, & duo, de quibus in præcedenti dicto, uidentur æquipollere; ergo ita approbandus est is, ac illi. Deinde, quod in Manu. conf. 17. nu. 254. tenuimus, quod sicut per tres contractus, scilicet, societatis, & assicurationis capitalis, & certi lucri cum tribus temporibus initis, potest quis accipere aliquid certum lucrum, saluo capitali, ita potest quis idem facere, ineundo illos tres contractus cum uno eodem tempore propter identitatem rationis. Tertio, quod nulla occurrit ratio, qua non possit fieri hoc vno contractu, perinde ac duobus. Quarto, quod per illud pactum uisum fuisset 12. millia uenditori soluta, & ab eo mutua ta emptori breui manu, ut in l. licet. §. quoties. ff. de iure dot. & l.

fin.

singularia. ff. de rebus cred. sicut enim ibi is, cui debentur decem ex man dato, volendo vt debeantur ex mutuo, videtur accipere illa, & breui manu credere; ita is venditor, volendo vt illa duodecim millia quæ debentur ei ex venditione, debeantur ex mutuo siue credito, videtur accipere illa, & breui manu credere; & consequenter videtur duos contractus præfatos sine vllius iniuria efficere.

Non obstant opposita: ad primum enim responderetur, negando, quod per hoc detur occasio peccandi; quia immo sterneritur via illud euitandi. Ad secundum, negando, quod is contractus sit similis proposito; cum in proposito augeatur premium ob dilatam solutionem, & sine ulla ratione iusta solvatur plus debito; in hoc autē nihil tale inuenitur, vt palam est. Ad tertium, concedendo quidem diminui pretium rei ob onus impositum emptori præter naturam emptionis, negando tamen hic poni tale onus; quia immo additur leuamen, cum tollatur ei obligatio soluendi statim, & non tollatur facultas liberandi se, si uoluerit; quia liberabitur ab onere soluendi interesse, simul ac soluerit pretiū, cum per id cesset interesse.

S V M M A R I V M.

- 1 Ignorantia iuris, nisi sit obscuri, dubij, & c. non excusat. num. 8.
- 2 Ignorantia etiam iuris naturæ, & diuini excusat. num. 9.
- 2 Consuetudo, licet ius naturæ, vel diuinum non tollat, minuit tamen, arguendo & distinguit. num. 6.
- 3 Contractus aliquos ab aliis licitos, & ab alijs illicitos censerit.
- 4 Auctoritas viri pij, & eruditi à fractione legis excusat.
- 4 Consuetudo excusat à pœna humanitus imposita.
- 5 Licitum quod publice putatur faciens, non censetur male facere.
- 6 Iudex errans in apicibus, & subtilitatib. iuris non peccat.
- 7 Ignorantia iuris non frequentati dicitur probabilis.
- 7 Sententia lata contra ius, scilicet clarum, non valet.
- 8 Contractus exercitos, qui putantur liciti, bona fide faciens non peccat.
- 10 Restituere obligatur quis etiam ob actum sine sua culpa gestum.
- 10 Emens rem à non domino bona fide, non peccat, sed restituere debet.
- 11 Restitutionis causa, si sit peccatum, eo cessante, cessat illa.
- 11 Contractus vsurarios bona fide exercens quid faciet.

CONSILIVM XX.

Quæritur primo, an qui bona fide facit aliquem contractum, quem credit esse iustum, licet vere sit vsurarius, consuetus tamen impune fieri ea in regione, in qua factus est, peccet. Secundo, an, est

est non peccet, teneatur tamen restituere quæ sita per illum?

AD PRIMAM quæstionē respondeo sequētia. Primum, quod pro parte affirmate, scilicet quod peccet, facit primo, quod ignorantia iuris non excusat, c. Ignorantia facti non iuris excusat. de reg. iur. lib. 6. Secundo, quod licet ignorantia iuris humani plerumque excuset; ignorantia tamē iuris naturalis, & diuini neminem videtur excusare. 1. q. 4. §. notandum, adiuncta gloss. quæ hoc explicat. At vsura iure diuino est prohibita, Clem. 1. de vsuris, ibi, *Contra iura diuina, & humana*. iure item naturali, vt de se malum; quod probat Sanctus Thomas post Arist. 1. Politicorum secunda secundæ, quæst. 78. ar. 1. adeo quod, qui eam licere dixerit, censendus est hæreticus, prædicta Clem. 1. §. fin. de Hæretic. Tertio, quod consuetudo non potest tollere ius naturale, vel diuinum, c. quæ contra. 8. dist. c. fin. de consuetud.

Secundum, quod pro parte negante, quod non peccet, facit primo quod licet regulariter iuris ignorantia non excuset per citata pro parte affirmante, fallit tamen in ignorantia probabili, vt notat gloss. recepta in d. §. notandum.

Secundo, quod multi sunt contractus, qui licet vere sint vsurarij, multis tamen doctoribus etiam eruditissimis videntur esse iusti; & contra multi, qui sunt vere liciti, putantur aliquibus doctis illiciti; quales sunt contractus, quibus emuntur census redimibiles, qui licent, seruatis seruandis per extrauag. Pij V. quæ incipit, *In eam*, relatam à nobis ad literam in Manua. Confess. c. 17. nu. 300. licet ab aliquibus fuerint improbat, vt habetur in extrauag. 1. & 2. de emptione inter communes. Tertio, quod aucto-ritas vnus viri valde pij, & eruditi excusat à peccato transgressionis legis, c. capellanus. de ferijs. adiuncta glo. ex quibus hoc colligit ibi Panor. Alexand. & Immol. & tradit S. Anton. 1. par. tit. 3. c. 10. §. 1. col. 6. At consuetudo tantæ, vel maioris auctoritatis videtur, quam vnus, & alter doctor, arg. l. 2. C. quæ sit longa consue. vnde & consuetudo excusat à pœna secundum duas glossas à multis reputatas singulares, quam altera est in cap. cum venerabilis. de consuetud. altera in c. denique. dist. Quarto, quod tex. in l. quis sit fugitiuus. §. apud Labeonem. ff. de adul. edict. ait, eum, qui facit aliquid, quod publice putatur licitum, nõ censeri male facere. ex quo dicto Barthol. receptus ab his, quos post illa dicitur citat, & à multis alijs alibi, determinat non esse dicendum vsurariũ illum, qui facit actum, qui cõmuniter æstimatur licitus, quamuis in veritate vsurariã prauitatē contineat. Quinto, qui facit aliquid, eo quod nõ intelligit iura canonica, non peccat mortaliter secundum Innoc. c. per tuas 2. de simonia. ob quod dixit Baldus in l. ab eo. C. quomodo & quãdo iudex. quod etiã iudex errans in subtilitatibus iuris nõ peccat. & idē Inno. ait. in c. firmiter. n. 7. de summa Trin. quod qui ratione naturali ductus credit patrem maiorem esse filio in diuinis personis, non peccat, modo habeat

- habeat fidem implicitam, qua firmiter credat omnia, quæ Catholica credit Ecclesia. & idem Inno. in cap. fui. de consuetud. receptus à Panor. & Rocho, & alijs, ait, quod consuetudo, licet non possit abrogare ius naturale, vel diuinum, potest tamē illud minuere, augere, & distinguere: nec errans circa ius dubium peccat secundum Ioannem Andr. communiter receptum in c. i. de postulat. prelat. lib. 6. quod ipsum sensit Cardinalis de errante circa contractum, de quo inter Doctores dubitatur an sit vsu rarius in clem. 1. §. fin. oppos. 3. de vsuris. & Ioan. Monachus dixit in d. c.
- 7 ignorantia. de reg. iur. lib. 6. quod ignorantia iuris non frequentati est probabilis. & denique textus in l. si fideiusso. §. quædam. ff. mandati. ait, errantē bona fide in apicibus iuris excusari. ex quo id colligit Bartholus ibi receptus à multis citatis in eius additione, & cōmunis opinio habet in c. 1. de re iudic. quod illud cap. quatenus habet sententiam latam contra ius non valere, est restringendum ad sententias latas contra ius clarum, ita vt non comprehendat latas contra ius obscurum, vel dubium. At cum aliquis contractus in aliqua regione vsitatur, & habetur pro licito, necessarium est dicere, quod ius, quo ille probatur esse illicitus, est obscurum, vel infrequentatum, vel subtile, vel de apicibus iuris. ergo faciens illum non peccat, nec ob id pœnam meretur.
- 8 Tertium dictum sit, quod, omnibus præfatis pro vtraque parte pensis, videtur resoluendum, quod qui hactenus fecerunt aliquos contractus, qui communiter putabantur liciti, & consueuerunt impune fieri, credentes eos bona fide iustos esse, non sunt arguendi peccati, saltem mortalis.
- Quartum, quod ad opposita facile responderi potest per adducta pro parte negante: ad primū quidem, concedendo, quod ignorantia iuris non excuset regulariter; sed fallit in ignorātia iuris obscuri, vel dubij, vel infrequentati, vel quæ fouetur auctoritate alicuius doctoris digni, cui credatur.
- 9 Ad secundū responderetur, negando, quod nulla ignorātia iuris naturalis, vel diuini excuset: nam præfatum dictum Innoc. in dict. cap. firmiter. de summa Trinit. de ignorantia iuris diuinissimi loquitur, & ait etiam excusare à peccato: & multi sancti dubitarunt de aliquibus articulis, quos postea declarauit Ecclesia esse de fide; immo & tenuerunt ante declarationem Ecclesiæ contrarium; non tamen ob id peccauerunt, vt colligitur ex notatis cap. damnamus. de summa Trinit. & c. 1. eodem tit. lib. 6. & clem. 1. eod. tit. §. porro ibi, deinceps, & c. Concedendo item vsuram iure naturali, & diuino esse prohibitam, & consequenter eius ignorantia paucos excusari posse; sed negando, quod cum hac scientia iuris non possit concurrere ignorantia, an ille, aut ille contractus sit vsurarius: quia scientia in genere, quod vsura non licet, compatitur ignorantiam an hic, vel ille contractus sit vsurarius. Ad tertium responderetur concedendo, quod consuetudo non potest abrogare vllum ius naturale,

rare, vel diuinum; sed negando, quod non possit dare causam probabilem credendi hoc, vel illud non esse contra ius naturale, vel diuinū, per quod excusetur à peccato per supra adducta.

10 AD SECVNDAM QVÆSTIONEM respondeo, quod pro parte affirmante, quod teneatur restituere, facit, quod quis potest esse obligatus ad restituendum aliquid propter aliquem actum sine vlla culpa sua gestum. tum quia qui rem aliquam bona fide ab eo, cuius non erat, emit, is non peccat emendo, sed tenetur restituere illam domino, etiam non soluto pretio, l. mater, & l. si mancipium. C. de rei vend. simul ac sciuerit eam esse illius, vt diximus in Manual. cap. 17. n. 7. Tum quia qui aliquid alicui commodauit, & postea recipit aliquid in pretium vsus, bona fide credens id ei locasse, non quidem peccat, sed restituere debet id quod accepit, tanquam acceptum, & retentum sine iusta causa, argum. l. i. ff. de cond. sine causa. Tum quia qui capit indebitum bona fide putans sibi esse debitum ab eo, qui errore putabat debere, non peccat accipiendo; & tamē restituere tenetur, simul ac sciuerit fuisse indebitū, toto titulo de condictione indebiti. Ergo & qui accepit per contractum, quem putabat iustum, sed erat vere vsurarius, aliquid vltra sortem, tenebitur restituere illud, tanquam indebitum; licet non peccasset accipiendo illud, quod bona fide credebat esse debitum.

11 Pro parte autem negante, quod non teneatur restituere, facit primo, quod celsante causa celsat effectus, cap. cum celsante, de appellat. cum suis concordantijs. At causa, quare lucrans per contractum vsurę, teneatur restituere lucrum, videtur esse, quod peccat id faciendo, ergo celsante peccato, celsabit etiam obligatio restituendi lucrum. Secundo, quod qui per ignorantiam iustam fecit contractum usurarium, potuit per pecuniam, quam ob illum dedit, emere aliqua frugifera, vel aliqū censum, vel aliquas merces, ita quod plus fortassis lucri fecisset, quam per præfactum contractum; & res, quæ culpa caret, non debet in damnum vocari, c. 2. de constitut. Tertio, quod etiam mutuans pecuniam, licet non possit accipere aliquid vltra sortem pro usura; siue usu ipsius, uel alterius rei mutuatae, potest tamen accipere pro interesse damni emergentis, uel lucri celsantis, l. i. cum glos. & ei adnotat. C. de sententia, quæ pro eo quod interest. ut & nos post alios tradimus in Manual. Cōfessariorum c. 17. nu. 211. & sequenti.

12 Quibus omnibus pro utraque parte pensatis, uidetur dicendum, quod licet, qui lucratur aliquid vltra sortem per contractum, quem scit, uel debet scire esse usurariū, peccet, & teneatur restituere totū lucrū; qui tamē lucratur per contractū quē (licet esset vere vsurarius) bona fide probabiliter credit esse licitū, nec tenetur scire, neq; credere cōtrariū, sicut nō peccat, ita nō tenetur restituere totū lucrū; sed pōt retinere illud, uel tātā partē ex eo, quātā uerisimiliter per aliquos cōtractus licitos sibi quæsiuisset.

S V M M A R I V M.

- 1 *Argumentum à contractu mutui ad innominatum non procedit.*
- 2 *Vsura non est capere aliquid ultra id, quod sub periculo datur.*
- 3 *Vsura ex eo, quod alter contrahens rem gratis vellet habere, non causatur.*
- 4 *Fideiusor aliquid pro sua fideiussione capere potest.*

C O N S I L I V M X X I.

Respondimus cuidam, non admisisse vsuram, eo quod dedit centum volenti ducere nauem mercibus onustam in Syriam, ea lege quod perderet illa, si nauis periret, & si rediret salua, redderentur ei centum, & viginti quinque. Contra quod nunc replicatur, me sentire contrarium in Manu. Confess. cap. 17. num. 284.

- 1 Ad hanc replicationem responderetur, eam nihil obstare: tum quia arguit à disposito super contractu mutui, qui debet esse omnino gratuitus, sicut commodatum, iuxta gloss. 1. cap. 1. de commod. per omnes receptam, ad dispositum super contractu, per quem datur aliquid alteri per contractum innominatum ob periculum subeundum, vt expresse dicimus
- 2 in d. cap. 17. num. 222. Tum quia dans aliquid alteri, & accipiens aliquid ultra id, quod dat ad periculum subeundum, non contrahit vsuram, vt post alios respondit Decius in cons. 123. quem nos quoque secuti fuimus in comment. de vsur. num. 128. quæst. 45. super extrauag. Pij V. de censibus, illa firma ratione, quod nihil accipit is vi mutui expressi, nec taciti, sed vi alterius contractus innominati donantis sub modo, vel recipientis aliquid ob periculum subeundum: quod licite potest capi per l. 1. & 2. C. de nautico fœn. & per tradita à nobis latius in cap. nauiganti. de vsur. & in Manu. cap. 17. num. 285. Tum quia nihil obstat illud frivolum, scilicet, quod maluisset mercator, qui accepit centum sub conditione, vt redderet centum viginti quinque, si nauis rediret ex Syria salua: quia etiam omnes fere alij contrahentes mallent accipere ab his, cū quibus contrahunt, pecuniam, vel valorem suæ rei, quam tradunt gratis per viam donationis simplicis, commodati, vel mutui, quam pretium etiam iustum soluendo, sed non coguntur alij gratis tradere, vel dare sua eis donando, commodando, vel mutuando; sed possunt iuste accipere pretium iustum eorum, vel vsus eorum, quæ dant, vel cedunt per contractus non gratuitos iustos; qualis est datio pecuniæ ad aliquem vsum sub periculo perdendi eam in aliquo casu periculi dubij, si contingat illud, & accipiendi aliquid amplius, eo quod dedit in casu, quo periculum non contingat.

tingat. Tum quia mallent debitores, vt aliqui fideiuberent pro eis gratis, vt communiter fideiubetur: attamen is, qui fideiubet, potest, si vult, accipere aliquid pro sua fideiuffione, l. hoc iure. ff. de donat. & tradimus nos post alios in d. Manu. cap. 17. num. 285. & ita D. Consulens liberalius quidem fecisset, si gratis, & simpliciter mutuaasset illa centum, & gratius, si donasset, sed non tenebatur id facere, sed potuit iuste per alium contractum non gratuitum donationis sub modo, vel contractus innominati iusti dare illa, vt dedit, sine vlla culpa, & peccato.

S V M M A R I V M.

1 *Contractus illicitos, seu dubios qui diu exercuit, tenetur libros visitare, peritos consulere, & certa certis dominis, & incerta pauperibus restituere. num. 2.*

C O N S I L I V M XXII.

Berta vidua remanens tutrix suorum filiorum, vt bona paterna non deteriorarentur, sed potius augerentur, eisdem negotijs, quibus suus vir utebatur, quæ putabat licita, de consilio suorum doctorum confessoriorum, exercuit. Demum filijs ad ætatem peruentis bona diuisit, sua sibi dote retenta. Animaduertens interim, difficile esse talia negotia sine peccato exerceri, cepit scrupulis conscientiæ agitari maxime, quia recordatur sæpe sepius in solutionem à suis debitoribus recepisse, & ab alijs emisse diuersarum specierum animalia, granum, ordeum, legumina, domos, vineas, res, quæ deinde alijs vendebat maiori, quam reciperet, credens tamen intra latitudinem iusti pretii, vt sibi prædicti consultores consulebant; pro securitate autem conscientiæ suæ statuit libros suos reuisioni alicuius theologi submittere, vna cum aliquo mercatore in negotijs, & computis perito, vt si ipsi in aliquo iudicarent eam aliquem grauasse, grauatis satisfaceret ex suis dotibus; quod & fecit, data sibi tahum copia, qui librorum partem videre incipientes, aliqua inuenerunt restitutioni obnoxia, quæ hilari animo restituit. At quia tales non ibi ita de facili inueniuntur, qui sciant, & velint talem subire laborem, licet diuersi reuisionem inceperint, nullus tamen compleuit, & sic non sperat amplius ad completionem dictorum librorum reuisionem posse deuenire. Pro quiete autem suæ conscientiæ recurrit ad sanctam Sedem Apostolicam pro remedio, vt possit eligere confessorem, qui eam absoluat, iniuncta aliqua eleemosyna, vel operibus pijs.

Rogatus

Rogatus à viro admodum Reuerendo, & erudito, an expediret hanc petitionem offerre Sanctiss. D. N. aut Pœnitentiario maiori, & qua via id esset faciendum, respondi sequentia. Primo, quod prædicta consulens gratias agere debet Deo, quod eius mentem adeo suæ salutis memoria admoneat, adeoque propensam in eam quærendam faciat.

1. Secundo, quod Sanctissimus D. N. pro sua eruditione, & iustitia, nihil aliud huic piæ cōsulenti concedet, quam quod ei, & confessario eius docto iure communi conceditur, nempe, quod mediocrem diligentiam adhibeat in rememorando causam, & causas, in quibus se offendisse diuinam maiestatem suspicatur; & eas manifestet confessario docto, qui per semetipsum, si adeo est doctus, alioquin per alios, quos satis in id iudicauerit doctos, respondeat ei, an, & quando, & cui, & quomodo restituere teneatur, vel non; & ipsa consilium eius secuta, poterit manere secura.

Tertio, quod non est ei necesse scrupulis angi, & inquietare se, eo quod receperit aliqua in solutionem debitorum vno pretio, quæ postea in maiori distraxerit, modo neutrum extra latitudinem iusti pretij currentis, quod accepit, vel quando dedit, id fecerit, vt in casu factum esse proponitur, secundum omnium sententiam.

2. Quarto, quod Papa non potest in hac re aliud ei concedere, quam quod sit secura, restituendo pauperibus ea, quæ sibi probabiliter videntur restituenda, & non potest scire, cui sint restituenda; & hoc ipsamet per se ipsam, vel saltem cum consilio docti confessoris, potest facere, per illa, quæ habentur in cap. cum tu. de vsur. & latius traduntur in nostro Manuali cap. 17. num. 92.

Quinto, quod confessarius doctus, & prudens debet iudicare, an prædicta consulens teneatur facere expleri reuisionem suorum librorum iam inceptam, an non, intellectis prius causis, & casibus, in quibus, & ob quas reuisiones eam ad restituendum damnarunt, & interrogata consulente, an multa alia similia fecerit, & quot verisimiliter: nam si inueniret non esse iure damnandam in illis casibus, & ob eas causas, posset merito iudicare non esse continuandam reuisionem; si autem inueniret eam optimo iure damnatam, deberet iubere, vt reuisio completetur, nisi ea verisimiliter omnia meminisset. Nam Papa non concedet prædictæ consulenti, vt omittat facere diligentiam iustam informandi se per rationes librorum suorum, & per alia, secundum quod viro bono, & prudenti videbitur; & faciendo hoc, satisfaciet sine Papæ auctoritate per facultatem ab ipso Christo concessam secundum omnes. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- E** *Solutio debiti vim mutui habet, & pro ea ultra sortem quid capere, nisi ratione interesse, usura est.*

C O N S I L I V M. XXIII.

A. B. C. fratres habebant omnia bona sua communia, & A. duxit vxorē cum dote decem millium scutorum, quorum sex mille impendit in solutionē debitorum communium trium, & alias utilitates eorundem, & postea, diuisis bonis, pacti fuerunt, vt B. & C. singuli soluerēt duo mille, & sex annua pro centenario pro fructibus, donec persoluerent præfata miliaria. Quæritur, an pactum sit usurarium.

- I**. Respondeo primo, præfatum solutionem sex millium scutorū quo ad quatuor, quæ debebant B. & C. nō fuisse quidem formaliter mutuum seu mutationem, fuisse tamen æquipollenter: sicut depositio pecuniæ numeratæ cum facultate, vt depositarius possit ea vti, formaliter quidem non est mutuum, sed æquipollenter sic, l. certi conditio. §. fin. ff. de reb. cred. Secundo, quod ex hoc sequitur, A. nihil posse accipere à B. & C. ultra sortes principales, quas acceperunt pro partibus debitorum suorum, & aliarum utilitatum ex vi, & ratione prædictæ solutionis, quæ habuit vim mutationis siue mutui, c. consuluit. de vsuris. Tertio, capere illa sex annua pro centenario, nō computando illa in solutione partis fortis principalis, esse usura, nō quidem clara, sed sic palliata, ratione societatis, donationis, vel dationis ob causam. Quarto, quod prædictus A. posset accipere absque usura prædicta sex annua pro centenario ultra sortem principalē, ratione interesse damni emergentis, vel lucri cessantis, si quod illi contingat, iuxta gloss. sing. cap. conquestus. de vsuris, & illa multa, quæ nos per alios tradimus in commentario de Vsuris. super cap. 1. 14. q. 3. not. vltimum. 40. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1** *Locatio iniusta est, si pensio est maior æquo, vel à principio soluenda, vel conductor ad quæ non debet obligatur.*
- 2** *Dominium rei plenum tanti valet, quanti pensio in 20. annis.*
- 3** *Periculum rei locatæ regulariter ad locatorem spectat.*

Hh

CON-

Quidam tradidit 25. pecudes C. ad quinquenniū cum pacto, vt pro vsu fructu singularum teneatur C. illi soluere in principio anni 20. libras casei, & finito quinquennio restituere eidem totidem pecudes, & eiusdem bonitatis. Quæritur, an contractus sit licitus?

Responderetur primo, contractum hunc videri esse principaliter contractum locationis, & conductionis vsu fructus pecudum prædictarum ad quinque annos, adiecto pacto de restituendo totidem pecudes eiusdem bonitatis post quinquennium.

- 1 Secundo, quod videtur iniustus: quoniam, vt nos post alios tradimus in *Manu. nostro Confess. c. 17. nu. 260.* ad hoc, vt huiusmodi animalium locatio & conductio sit iusta, est necessarium, vt pensio annua, à conductore soluenda, non sit notabiliter iniusta; & pensio, quæ iuxta hunc contractum erat soluenda, erat scutorum 25. & quatuor circiter iuliorum. Tum quia soluenda erat pensio in principio anni, antequam quidquam fructus ex eis perciperetur à conductore; quod minuit aliquid de pretio pensionis, argumento *cap. 1. de plus petitio.* nam etiam interesse non debet solui in principio anni, vt post alios tradimus in *comment. de vsuris num. 54.* Tum quia vsu fructus illarum pecudum annuus longe maioris valebat, quam proprietas & dominium plenum ipsarum pecudum: quandoquidem plenum dominium rei, quo ad proprietatem, & vsu fructum, tanti valet, quanti pensio collata in 20. annis iuxta *tex. adiuncta gloss. recep. in ver. iusta. in authen. perpetua. C. de sacrofa. Eccl.* Tum quia in custodiendis illis pecudibus, pascendis, conseruandis, & regendis multus labor, & sumptus, & magna cura erant assumenda, quæ omnia minuunt
- 2 pensionem iustam soluendam. Tum quia, secundum iustam naturam locationis, & conductionis, periculum rei locatæ non pertinet ad conductorem, sed ad locatorem, qui est dominus rei locatæ & conductæ, ut traditur in *d. Manu. cap. 17. num. 179.* & probatur per locum à speciali
- 3 l. sed & si. in §. quæsitum. ff. si quis cautio. & in *cap. 1. de commod. & cap. 1. de deposit. & c. propter sterilitatem, de locat. & onus impositum conductori, quod non est de natura conductionis, diminuit de pretio pensionis, cum Ioannes, de fide instrum. & traditur in *d. Manu. cap. 17. num. 260. & cap. 23. num. 78.**

Tertio, quod licet is contractus secundum suam formam formaliter non sit vsurarius, potest tamen dici palliatus, & peior quam formalis, iuxta tradita per nos post alios in *comment. de usuris num. 4. Salua, &c.*

S V M M A R I V M.

1. Societas super officijs quo iure iustificatur.
2. Periculum perdendi facit contractum, alioquin iniustum, iustum censeri.
3. Pactum soluendi duplum, si hoc, vel illud euenerit, valet.
4. Societas super officijs quæ licita & quæ non.
5. Societate finita, ob moram solutionis non potest quicquam accipi.
6. Debitor morosus iure fori tenetur ad interesse conuentum, at iure poli ad omne damnum, quod sua mora creditor sentit. nu. 6.
7. Interesse lucri cessantis, & damni emergentis vt metiendum.
8. Vendere carius dilata solutione licet, duobus concurrentib.
9. Emere vilius ad vendendum carius, mutatione facta, licet.
10. Vendere carius ob dilationem intra pretij latitudinem non vetatur.
11. Vendens pecunia absenti per duos contractus sibi consulere potest.
12. Responso cuiusdam super societate officiorum refutata.
13. Pactum soluendi. 1. 2. post disiectam societatem non valet.

C O N S I L I V M XXV.

Questio prima nunc occurrentium in Curia circa contractus, qui vulgo appellantur à compagna de, officio, est quo iure, vel ratione iustificari possint qui passim fiunt cum habentibus in ea officia vendibilia, vt scilicet, qui habet officium, accipiat aliquam pecuniã, & faciat conferentem illam participem reddituum sui officij, ad rationem 2. pro centum ea lege, vt pecunia maneat salua, & extra periculum conferenti eam, nulla ratione habita quantitatis reddituum officij, dum conferens pecuniam viuit: & quod possit discedere ab illo contractu, & repetere pecuniam singulis semestrib. dum viuit: & quod, si moriatur, antequam discedat, tota pecunia collata quæratur officiali.

Respondeo primo, quod non possunt iustificari ratione emptionis, vel venditionis, quia nulla talis fit; nec ratione mutui; quia mutuans nihil ultra sortem capere potest, cap. 1. 14. q. 3. cap. consuluit, de usuris. neque sola ratione societatis: quia, ut post alios diximus in Manu. Conf. cap. 17. à num. 2; 1. ad iustitiam societatis requiritur, ut omnes socij participent de lucro, & damno: quod in prædictis contractibus non uidetur fieri: neque ratione census: quia pecunia data pro censu non potest repeti, nisi

saltem uolente censuario, secundum omnes.

2 Secundo, quod uidetur iustificari posse propter periculum perdendi totam sortem, si moriatur, antequam discedat ab illo contractu. Tū quod incertitudo, uel dubium perdendi facit aliquem contractum censerī iustum, qui alias non esset talis censendus: ut dubium, an merx sit ualitura pluris tempore solutionis, facit, ut illa uendi possit pluris, quam ualeat, cap. in ciuitate, & ca. si. de usuris. & incertitudo, an pensio domus maior, uel minor sit futura, facit ut creditor possit accipere fructus pignoris pro usuris. l. si ea lege, & l. si ex pactone. C. de Usuris. & emens aliquem redditum annuum, uel menstruum ad uitam ementis, efficit, ut emptor, si multum uiuat, iuste percipere possit multo plus, quam sit pretium, quod dedit: quia dubium est quanto tempore uiuet, ut tradit Oltrand. conf. 207. quem sequuntur Corse. in conf. 302. & 423. & Deci. conf. 123.

3 Tertio, quod recepta est pro iusta in Gallia Belgica, ubi est magna copia doctorum, & piorum consuetudo accipiendi centum ab uno cum pactone reddendi 200. si post duos annos, uisa Roma, redierit in patriam: & in Gallia dat quis alteri certum quid, cum pacto ut soluat ei duplum, cum duxerit uxorem, uel fiet presbyter propter incertitudinem matrimonij, & presbyterij. Tum quia non obstat conf. Decij 123. quatenus significat non esse iustum mutuum mille reddendum post sex annos, ea conditione, ut singulis annis dentur ei centum, & si moriatur intra illos, perdat omnia mille. Tum quia ipse loquitur de contractu mutui: consuetudo autem præfata romana procedit in contractu societatis. Tum quia Deci. tandem illa potissima ratione definit illum contractum fuisse iniustum: quia non erat apposita conditio, ut perirent illa mutuanti, si intra sex annos moreretur: & ita nullum habuit periculum perdendi ea, immo ui mutui capiebat illa centena annua. Tum quia mutuum datum alicui ea lege, ut si moreretur intra sex annos, nihil ei redderetur, & si uiueret sex annos, redderentur ei illa, & centum pro milliaro, uidetur esse iustum: quia nihil recipit ultra sortem ui mutui, sed tantum ob periculum perdendi sortis: & ita poterit licite ratione periculi accipere id quod uidebitur iustum, habita ratione ad periculum, quod subit. Cum ergo qui dat pecuniam in societatem secundum præfata consuetudinem, subeat periculum perdendi totam sortem, si moriatur, antequam discedat à societate, merito poterit lucrari quod iuste respondeat illi periculo, non quidem ratione societatis, sed ratione periculi, quod subit in uilitatem sui socij.

SECUNDA QVÆSTIO, utrum ualeat pactum, quod in huiusmodi societatibus solet apponi, ut conferens pecuniam possit desistere, quando uult, à societate, & quod socius teneatur statim, uel infra quindecim dies reddere pecuniam, & quod tantum lucri soluat eam deponenti, donec eam reddat, quantum soluebat durante societate?

Respon-

Respondeo primo, quod valet, quo ad duo capita priora, videlicet, ut possit discedere, seu dissolvere, quando voluerit; & quod teneatur statim pecuniam restituere: quoniam nihil videtur ob stare, quominus valeat, & regulariter contractus ex conventionione partium legem accipiunt, l. 1. §. si conuenerit, ff. de positi. & cap. contractus. de reg. iur. lib. 6.

Secundo, quod non valet, quo ad tertium caput, videlicet, ut tantum lucri solvatur pecuniâ conferenti, durante mora solutionis, quantum soluebat ante discessionem, & dissolutâ societatis. Tum quia cessauit societas, & periculum perdendi totam sortem, ratione cuius tantum lucrum dabatur, ut supra dictum est; & causa cessante, debet effectus cessare. Nec obstat, quod debitor propter moram soluendi tenetur ad soluendum vsurus, & interesse in contractibus bonæ fidei, l. bonæ fidei, ff. de vsuris: & contractus præfatus dicitur societatis, qui est bonæ fidei, §. actionum. Instit. de actio. quia id non procedit, nisi cum ab initio contractus promitteretur, vel esset in via ad lucrandum, & propter amicitiam, vel preces, ab illo lucrabitur, secundum communem, quam post alios tradimus in comment. de vsuris super cap. si feneraueris. 14. q. 3. notab. 15. & seq. & breuius in Manua. confess. cap. 17. à nu. 211. quod raro contingit in his, qui modo prædicto conferunt pecunias in societatem officiorum.

TERTIA QVAESTIO, an præfatus Officiarius, qui est in mora reddendi pecuniâ, & fortassis litigat, nolendo reddere illam, esto non teneatur ad soluendum tantum lucrum post solutam societatem, quâ tum durante illa, an tamen teneatur soluere aliquod lucrum pro interesse?

Respondeo, quod de huiusmodi debitore, & aliis, qui sunt, vel fuerunt in mora soluendi, idem regulariter iudicandum est in foro conscientiarum, nempe quod tenetur reddere ultra sortem damnum, quod dedit, eo modo, quo singulariter ait S. Thom. recep. in 2. 2. q. 62. ar. 4. in hæc verba. *Homo tenetur ad restitutionem eius, in quo aliquem damnificauit; sed aliquis damnificatur dupliciter, uno modo, quia aufertur ei quod actu habebat: & tale damnum est semper restituendum, secundum recompensationem æqualis: puta si aliquis damnificet aliquem, diruens domum eius, tenetur ad tantum, quantum valet domus. Alio modo, si damnificet aliquem, impediendo, ne adipiscatur quod erat in via habendi; & tale damnum non oportet recompensare ex æquo; quia minus est habere aliquid virtute, quam habere actu. Qui autem est in via adipiscendi aliquid, habet illud solum secundum virtutem, vel potentiam; & ideo si redderetur ei, ut haberet hoc in actu, restitueretur ei quod est ablatum, non simpliciter, sed multiplicatum, quod non est de necessitate restitutionis, ut dictum est. Tenetur tamen aliquam recompensationem facere, secundum conditionem personarum, & negotiorum.*

Per quæ sunt intelligenda, & ad quæ sunt reducenda, quo ad forum conscientiarum, omnia, quæ de interesse damni emergentis, & lucri cessantis

traduntur in l. 3. §. si. ff. de eo, quod certo loco, & in d. §. si per venditorem
& l. 1. C. de sent. quæ pro eo, quod interest.

QVARTA QVÆSTIO, an sit tenenda determinatio illa Dec.
in conf. 3. scilicet, quod quidam operarius, qui solebat de stamine serico,
quod constabat centum, in tribus mensibus reducere in fila valentia cen-
tum, & quatuor, possit iuste vendere alteri volenti differre solutionem
vsque ad annum pro centum, & duodecim.

Ad quam respondeo primo, quod Dec. de more suo subtilissime, eru-
ditissimeque videtur adducere omnia, quæ pro illa possent adduci.

Secundo, quod nullum eorum, præter forte vnum, videtur satis firmum
fulcrum illius, propter ea quæ in principio consil. in contrarium neruo-
7 sissime adducit. Primū enim, quo illā fundat, est determinatio illa Salic.
in auth. ad hæc. q. 9. C. de vsuris. scilicet, quod mercator, quando non in-
uenit qui mercem suam præsentī pecunia emat, potest illam uendere ma-
ioris, quam valet, dilato ad soluendum termino; quæ tamen nullo iure Pæ-
nitificio probatur: immo expresse reprobat per cap. in ciuitate. & cap.
vl t. de vsuris. quæ probant debere duo concurrere ad hoc, vt quis suam
mercem carius vendere possit, quam valeat præsentī pecunia. Alterum
est, quod sit certum, vel saltem dubium, quod merx sit pluris valitura tem-
pore solutionis. Alterum, quod venditor vellet illam seruare in uenditū
vsque ad illud tempus. At in casu Decij ille operarius uolebat uendere
sua fila in fine trimestris, & non seruare in finem anni. Nec obstat respon-
sio, quam ad hoc dat Dec. num. 14. quoniam ipsemet ob frigiditatē eius
ab ea discedit. Secundum desumptum ex eod. Salic. in ead. q. 9. non est fir-
mum; nullo enim iure Salic. probare potest, quod quando emptores no-
lunt emere præsentī pecunia, & pro utilitate sua volunt sibi differri solu-
tionem, quod tunc possit mercator suas merces vendere illis maiori pre-
tio propter solutionem dilatam. Tum quod hoc est contra prædicta duo
cap. Tum quod illorum decisiones, & prohibitiones essent vanæ, si pro
voluntate emptoris dicentis sibi esse id utile, posset vendi eis maiore pre-
tio, vt palam est. Tertium est ratione dubij, quanti valitura erant præfata
fila tempore solutionis: quod omnino confutatur, vt primum; quia non
sufficit illud dubium, nisi quando dominus merces vult seruare illam in
uenditū vsque ad illud tempus: & in casu Decij volebat uendere illa fila
tempore, quo vendidit. Nec obstat eius replicæ, quæ sunt verbales, & no-
8 reales. Quartū, in quo prodegit multa superuacanea Dec. nihil prodest,
sed prodest suo pposito: quia omnia tendunt ad probandū frustra, quod
licet emere rem vilis ad uendendū carius mutatione ipsius facta in for-
ma, uel de illa in alium locum, vel tempus disponere; quod nemo negat:
omnes enim fatentur eum, qui animalia recens nata vili emit, posse nu-
merita, & aucta carius vendere, & qui emit merces in loco, uel tempore,
quo vili pretio ualent, posse easdem seruatas in aliud tempus, uel in aliū
locum

item, quo pluris ualuerint, carius uendere. At in casu sibi proposito, qui
 uendidit fila, nolebat formam illorum mutare, nec in aliud tempus serua
 re, nec in alium locum transferre, sed ubi ea erant uendere. Quintum,
 quo fundat, est, quod licet mercatori uendere rem carius ob dilationem,
 quam præsentis pecunia; dummodo non excedat iustum pretium; in quod
 allegat Theologos in genere: quod tamen secundum omnes illos intelli
 gendum est, quando uendit carius, intra tamen latitudinem iusti pretij.
 Cum enim pretium iustum non sit in puncto indiuisibili situm, sed ha
 beat latitudinem, cuius unum extremum dicitur summum, siue rigoro
 sum, aliud infimum, siue pium, & aliud medium, potest mercator iuste
 uendere mercem summo pretio, scilicet 12. dilata solutione, quam præ
 senti pecunia uenderet infimo, scilicet 10. vel medio, scilicet 11. vel circi
 ter, ut nos post alios dicimus in Enchiridio confess. cap. 17. num. 228. &
 cap. 23. num. 78. quod non seruit suo proposito: quoniam ille uendebat si
 la longe carius ob dilationem iusto pretio summo. Sextum autem, sci
 licet, propter interesse lucri cessantis eius, qui uendit, satis potest congrue
 suo proposito; intelligendo tamen, & limitando ad regulas interpre
 tandi iuridice interesse, ita scilicet, faciendo duos contractus formaliter,
 uel virtualiter: alterum, quo, qui uendidit illa fila, uendidisset iusto pretio
 infimo, medio, uel summo præsentis pecunia: alterum, quo ad preces, & u
 tilitatem ementis dedisset dilationem unius anni ad soluendum illud pre
 tium pro iusto, & uero interesse, quod probabilius lucratus fuisset uendi
 tor intra illum annum: ita quod uendens solum, uel saltem principaliter
 accepisset illud auctarium pro illo interesse, & nullatenus, saltem princi
 paliter, pro dilatione; ita quod cessaret omnis fraus palliandi usuras. Vide
 enim posse defendi, quod uenditor mercis potest iuste uendere mer
 cem emptori iusto pretio, etiam summo, soluendo præsentis pecunia; &
 mox, uel ex interuallo ad preces emptoris, & principaliter ad eius utilita
 tem dare illi dilationem ad soluendum illud, promisso interesse, quod pro
 babiliter lucraretur intra illud tempus. Tum quia id in effectu esset cape
 re pretium iustum pro merce uendita, & mutare illud, promisso uero, &
 iusto interesse lucri cessantis; quorum utrunque licet per ea, quæ nos la
 tioribus diximus in comment. resolut. de usuris super cap. 1. 4. q. 3. not. 25. &
 in Man. confess. cap. 17. num. 210. Tum quia recepta sententia glol. Panor.
 communis habet posse haberi rationem lucri cessantis per l. 3. §. fin.
 de eo quod certo loco. Tum quia Hostien. recep. asserit, in cap. salubri
 ter. de usuris. quod mercator uolens ire ad nundinas ad mercandas mer
 ces, quas postea portatas uenderet in terra sua, rogatus ab amico possit
 mutare illas pecunias, quibus mercaturus erat, promisso sibi uero, &
 probabili interesse lucri cessantis: quamuis Innoc. in cap. fin. de usuris.
 contrarium tenet, quando quis sponte mutuat: caueat tamen diligenter
 huiusmodi uenditor, ut hanc rem gerat candide, ita quod uere coram

Deo, qui corda uidet, non accipiat illud auctarium principaliter pro dilatione, sed pro interesse uero, & probabili, quod probabiliter lucratur emendo alias merces, si pretium solueretur ei tempore uenditionis.

AD QUINTAM QVÆSTIONEM, qua quæritur, an responsio cuiusdam excellentissimi uiri, quæ monstratur, placeat nobis, respondeo primo, quod uera est eius decisio, quo ad primam partem, qua respondet non ualere pactum soluendi 12. pro centenario post solutam, siue disdictam societatem, donec soluat principalis.

Secundo, quod ad ostentationem potius, quam ad ueritatis confirmationem, uidetur allegasse tantam doctorum multitudinem. Tum quia non loquitur de hoc casu in specie. Tum quia quamuis ex eorum dictis possit elici aliquod fundamentum, quo sua decisio fundaretur, non tamen exprimit illud, & expressum esset adeo clarum, quod pro eo inueniretur textus, qui firmiter fundasset illud, quam auctoritas omnium doctorum, quos citat, cum eorum auctoritas non obliget necessario, ut textus authenticus.

Quo ad secundam autem partem suæ decisionis respondetur primo, illam esse ueram, quatenus habet, eum, qui contulit pecuniam in præfatam societatem, non posse quidquam capere præter sortem principalem post solutam, seu disdictam societatem ratione societatis, quia iam desinit esse, neque ratione pacti, quia illud fuit illicitum, ut prædictum est. Secundo, quod nõ est uera, quatenus secutus Paulum Castrensem, & Sancti Thomam male intellectos, negare uidetur, uerum, & probabile interesse lucri cessantis posse peti, quod etiam Innoc. in cap. fin. de usur. & Sor. quos ipse non citat, uoluerunt teneri, licet Sor. contrariam, & communem opinionem non reprobet, quam nos contra ipsos late confirmauimus in dict. comment. resolut. notab. 15. à num. 42. ubi declaramus intellectum D. Thomæ in 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 1. quem præfatus d. Doctor, de cuius responsione quæritur, citat ad literam, qui non uidetur legisse Caiet. uere, & pulchre declarantem illud in loco proprio, quem si legisset, aliter, ut arbitrator, locutus fuisset per rationes per eum ibi traditas, quibus nos alias ubi supra annuimus. Tertio, quod non placet etiam resolutio, quam ponit distinguendo, quod diligens lector facile inferat ex præcedenti. Quarto, quod licet qui contulit pecunias in præfatam societatem cum præfato pacto, non possit petere aliquid ultra sortem ratione societatis, neque pacti pro tempore, quod intercedit inter disdictam & redditionem sortis; potest tamen petere interesse uerum, & probabile lucri cessantis: ita quod si uere coram Deo ipse usus fuisset illa pecunia sibi reddita emendo merces, vel census annuos, vel aliqua prædia urbana, vel rustica frugifera, & desinit emere illa, quia non fuit sibi reddita, certe poterit petere interesse illud, quod ob moram debitoris partus est, per supradicta. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

Socius capitale restituere tenetur, si equus punctus, calce socium necavit.

CONSILIVM XXVI.

Titius, qui dederat pecuniam alteri, ea lege, vt quotannis certum quid solueretur ei, et si durante societate moreretur morte naturali, pecunia esset accipientis, & postea obiit mortē percussus calce cuiusdam hominis, ad cuius clunes ascendere volebat, eo quod is, qui felle infidebat, calcibus punxit equum. Quæritur, an mortuus fuerit morte naturali.

Videtur dicendum non fuisse mortuum morte naturali, sed violenta, & consequenter hæredem eius posse illā pecuniam repetere, vel iam repetitam retinere. Tum quia communiter, & vulgariter non reputatur naturalis. Tum quia instrumentum societatis inter exempla mortis violentæ, & ab alio illata ponit mortem obuientem prægnanti ex partu, vel prægnatione, quæ magis videtur accedere ad mortem naturalem, quam mors de qua proponitur quæstio; & consequenter posse hæredem Titij iuste in foro Dei repetere pecuniam prædictam, uel repetitam retinere. Salus, &c.

S V M M A R I V M.

Societas ex varietate contractuum iudicanda.

Societas super officijs pro rata pretij, & fructus, est licita.

Societas, vt sit licita, æqualitatem requirit.

Societas super officijs ad rationem 10. vel 12. pro centum, an periculo mortis iustificari possit.

CONSILIVM XXVII.

Societas an super officijs iuste contrahi possit, & quomodo?

Ad hanc quæstionem generaliter propositam respondeo primo, vario modo contrahi posse societatem super officio reddente aliquos redditus; & ita varium esse debere iudicium pro varietate contractuum, iuxta societatis, & alias præcedentes, & sequentes. ff. pro socio, & consequenter alios iudicandos esse licitos, & alios illicitos; & ita non posse nec satisfacere

2. tisfacere voluntati meæ, quam habeo inferuendi domino consulenti. Secundo, præsupposito, quod societas contrahatur eo modo, quo audiui aliquando contrahi (scilicet quod habens officium valoris mille ducatorum, contrahat societatem cum alio tradenti sibi quingentos, cum pacto, ut reditus eius inter eos æqualiter diuidantur) videtur iusta societas, quia in effectu perinde est, ac singula dimidia illius officij ponere in societate; & tunc æqualiter essent diuidendi reditus eius inter eos, si nullum aliud pactum apponeretur, arg. l. si non fuerit. ff. eod. & in hoc casu non possunt conuenire, ut vnus capiat plus, quam alter; quia neuter ponit plus pecuniæ, vel operæ, quam alter oneris, quo casu debent habere æquas partes, ut definit illa lex 1. non possent tamen conuenire, ut certa pars, libera ab omni periculo damni veniret ad alterum; quia in hoc genere societatis neuter ponit plus pecuniæ, vel operæ, quam alter, propter quam illa inæqualitas iustificari posset, ut significat l. societatem. ff. eodem. Tertio, quod si alter daret officiali solum tertiam partem valoris, videlicet, trecentos triginta duos, vel tres, posset conuenire, ut officialis
3. caperet duas partes reditus, & alter tertiam, cum neuter ponit plus operæ, quam alter. Quarto, quod societas contracta super officio, in quo alter ponit illud, & alter dimidium valoris eius dato officiali, cum pacto, ut danti dentur 10. vel 12. certi lucri pro centenario pecuniæ, saluo suo capitali, est illicita, per ea, quæ nos tradimus in Manual. cap. 17. num. 251. & sequenti. Quinto, quod an possit iustificari propter periculum perdendi sortem, contingente morte ante dissolutionem societatis, etiam non potest satis aperte definiri, nisi specificetur contractus, de quo est quæstio, qui perpensus forte potius iudicandus erit contractus emptionis census, quam societatis. Proinde dominus consulens ponat in specie formam contractus, quo ei apte responderi possit. Salua saniori sententia.

S V M M A R I V M.

1. *Emere scuta iusto pretio, ad carius vendendum, non licet.*
2. *Venditio non iustificatur ex utilitate emptoris, sed venditoris.*
3. *Moneta trāsferri potest vbi pluris valet, sed non vendi pluris, quam valet.*
4. *Restitutio damnorum passo facienda, & eo non inuento, pauperibus.*

CONSILIVM XXVIII.

Hic Romæ scuta auri non expenduntur communi pretio, nisi sint iustissimi ponderis; in alijs autem prouincijs Italiæ etiam quando sunt

scuta leuioris ponderis, nisi leuitas sit notabilis, & que bene expenduntur, ac si essent iustissimi ponderis. Hinc fit, quod quidam hic degentes Romanæ huiusmodi scuta leuioris ponderis emunt minoris currentis valoris, & eadem cum lucro vendunt iturus extra Urbem, quibus tanti valent hæc scuta leuioris ponderis, ac si essent iustissimi ponderis. Dubitatur modo, an hoc liceat, & ad quid teneatur cōsulens, & cui teneatur in casu, quod esset obligatus restituere.

Respondeo primo, quod præfata negotiatio videtur iniusta: Tum quia vendit maioris, quam valeant scuta: Tum quia, licet non emat ea minoris, quam valeant, ea tamen intentione emit ea, vt vendat maioris, quam valeant. Tum quia non obstat, quod emptori valebunt illa in alia prouincia tanti, quanti emit, & forte pluris: quia venditio rei non iustificatur ex vtilitate, quam emptor percipiet ex illa, sed ex vtilitate, quæ venditori ex ea veniebat, vt docet S. Thom. in 2. 2. q. 77. art. 1. relatus a nobis in Manual Confess. cap. 23. num. 78. Tum quia non obstat dicere, quod cambium per translationem monetæ liceat, vt tradimus nos post alios in dict. Manual. cap. 17. num. 283. quia licet, qui emit hic monetas minoris valoris, possit portare, vel mittere ad alium locum, vbi pluris valent; non tamen possum illas vendere hic alij pluris, quam valent, per ea quæ in c. 23. nu. 77. dicimus.

Secundo, quod tenetur restituere eis, quibus vendidit, vel eos contentos facere, iuxta cap. ea te. de iureiur. & si nesciuntur, nec sciri possunt mediocri adhibita diligentia, pauperibus, iuxta cap. cum tu. & gloss. eius, de vsuris.

S V M M A R I V M.

1. Venditor non potest ob solutionis dilationem vltra pretium quidquam capere.
2. Venditor, non soluto pretio, potest rem venditam in pignus accipere.
3. Opiniones Angeli, & aliorum, an venditor, cui non soluitur pretium, possit aliquid accipere, conciliantur.

C O N S I L I V M XXIX.

AN ille, qui pro suis tantum negotijs, & non ad instantiam alicuius amici, vendit domum, aut fundum mille aureis, aut huiusmodi, & non valens recipere in præfenti, nisi quingentos, data dilauione ad triennium

num, aut eo amplius, conuentionem faciat cum emptore, vt interim ratione fructuum det sibi tot pro centenario, committat vsuram in foro conscientiae, si tamen vere transeat dominium dictae domus, aut fundi in emptorem, ita vt, illis interim pereuntibus, pereant tantummodo, & conuant emptori, non autem venditori.

Item, quod idem est cum superiori quaestione, an opinio tantummodo vera in foro tantum conscientiae ea sit, quam tuetur Sylu. verbo vsura 2. q. 11. & in aurea rosa in q. Imper. casu 27. Gabr. relect. 4. sentent. d. 1 §. q. 11. conclusione 4. casu 3. S. Bernard. in suis ferm. de contract. ferm. 42. cap. 1. casu 4. sub. fin. Anton. 2. p. tit. 1. cap. 7. §. 20. Plotus in repet. l. 6. quando. C. vnde vi. nu. 45. Abb. consil. 5. & alij theologi, ac doctores, quos refert ac sequitur Sylu. vbi supra?

AD PRIMAM respondeo, in casu proposito vsuram committi, quia ratione dilationis solutionis accipit aliquid, quod est peccatum vsurae, cap. in ciuitate, cum concord. de vsur.

AD SECUNDAM respondeo primo, quod, vt responsio ad primam quaestionem sit vera, non oportet quod opinio Angeli sit falsa; quoniam ille loquitur in casu, quo emptor à principio constituitur in mora, & consequenter quando non datur dilatio ad soluendum; in casu autem proposito palam est, emptorem non esse in mora à principio, quia datur ei dilatio ad soluendum. Secundo, quod illae duae opiniones possunt conciliari, vt opinio Angeli procedat in casu, quo res venderetur praesente pecunia, nulla dilatione data, & translatis dominio, & possessione per clausulam constituti, quo casu emptor à principio incipit esse in mora solutionis, ut ait Angelus; opinio autem contraria, quando expresse faciendo pactum, ut res detineatur à uenditore, donec soluatur pretium, tacite datur ei dilatio ad soluendum data in pignus uendita re, & fructibus pro solutione dilata. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Mercator vendens carius pretio iugoso peccat, nec excusatur, illud plus proxeneta dando.*
- 2 *Proxeneta plus quam sibi debetur, sponte datum, restituere non tenetur.*
- 3 *Metus non iustus non attenditur in foro fori, secus in foro poli.*
- 4 *Metus mali, quod iuste inferri potest, non excusat.*
- 5 *Proxeneta ne ultra debitum accipiat, aptum remedium.*

CONSILIVM XXX.

Mercatores vendunt merces suas aliquanto pluris, etiam vltra pretium rigorosum, ut eo pluri proxeneta dato, qui emptores ad eorum tabernas conducunt, eos sibi magis officiosos reddant, timētes ne emptores secus ad alios mercatores diuertant.

Quæritur primo, an mercatores huiusmodi peccent, & teneantur ad restitutionem.

Secundo, an proxeneta teneatur restituere.

Tertio quo remedio in id utendum sit.

AD PRIMAM QVAESTIONEM Respondeo, quod mercator peccat mortaliter, & tenetur ad restituendum emptori tantum, quātum addiderit iusto pretio rigoroso; non ea ratione quod dederit illud proxeneta, vel artifici prædicto, sed quia decepit emptorem in eo, lædendo eum iniuste, per ea quæ diximus in *Manua. confess. cap. 23. à numero 77.*

AD SECUNDAM respondeo primo, quod in foro exteriori non potest condemnari proxeneta nec ad peccatum, nec ad restitutionem; quia lex solum statuit, quanta merces, & quando debeatur proxeneta, seu artifici ducenti emptorem ad mercatorem, non autem prohibet mercatori, ne quid plus ei det, neq; artifici, ne plus accipiat, si ei gratis absque vi, dolo, vel metu detur: & metus, de quo in questione, non est iustus, & ita non est attendendus in illo foro, l. *metum. l. 2. ff. quod met. cau.*

Tertio, quod magis dubitari potest quo ad forū conscientia, in quo non solum iustus metus inficit actum, sed etiā iniustus, si vere coram Deo sit causa illius, ut diximus in *Manu. confess. ca. 17. nu. 4. & 29.* & quod metus, de quo in puncto, licet non sit iustus, est tamen causa dandi id, quod vltra mercedem statutam datur, & sine qua illud non daretur. Sed hoc nõ obstante, respondendū est idem quo ad forū conscientia. Tum quia nulli legi iustitia contrauenit prædictus proxeneta, seu artifex per prædicta. Tum quia non obstat argumentum proximum; quia id, quod in prædictis duobus locis *Manualis* assertum est, intelligi debet de metu mali iniuste inferendi, & non de metu mali, quod iuste inferri potest, arg. l. si mulier. ff. quod met. caus. & metus ille, quo mercator timet, ne factor diuertat ad alterius mercatoris tabernam emptores, si illud plus non dederit illi, non est timor mali iniuste sibi inferendi; quia nulla lege tenetur eos conducere ad eius tabernam, cum liberum sit ei ducere illos ad alium, ut passim est.

AD TERTIAM, quod aptum remedium videtur, statuere, ne vilis mercator det eiusmodi proxenetae quidquam vltra mercedem statutam, neve vilis eiusmodi proxeneta accipiat aliquid vltra eam; etiā si gratis

gratis & sponte ei à mercatore offeratur, declarando legislatoris intentionem esse, vt illa liget etiam in foro conscientia, & quod accipiens teneatur restituere acceptum in vtroque foro, & quod in exteriori cogatur reddere quadruplum pauperibus, & executoribus legis, & dans in exteriori foro teneatur reddere tantum, quantum dedit eisdem pauperibus, & executoribus; & præmonendo, quod singulis annis, semestribus, vel mensibus fiet inquisitio contra illos. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Emptio minoris dimidio iusti pretij iniusta, & rescissibilis. nu. 2.*
- 2 *Lesus ultra dimidium rescissionem, vel supplementum petere potest.*
- 3 *Venditio maiore pretio dilata solutione facta, vsuraria censenda.*
- 4 *Venditio in foro Dei secundum eius causam iudicanda.*
- 5 *Venditor rei iure locationis nihil capere potest.*

C O N S I L I V M XXXI.

Quidam P. domū, centum quotannis reddentem, emit mille quingentis ducatis, qui post mensem eam pro tribus millibus, & centum dilata per quatuor annos solutione, vendidit I. Quæritur, an contractus sit iniustus, seu vsurarius, vel nullus, & an fructus vsq; ad solutionem currentes in pretio computari possint?

- 1 Respondeo primo, quod per rationes nobis insinuatæ efficaciter concluditur, contractū primū esse iniustum non solum iure naturali, diuino, & canonico, sed etiam cæsareo, l. 2. C. de rescind. vendit. & cap. cum dilect. de emptio. quatenus probant emptionem, & venditionem cum deceptione, vltra dimidium iusti pretij factam, esse iniustam iure cæsareo.
- 2 Secundo, quod neuter illorum esset iudicandus ipso iure nullus, & inualidus, si dilatio mille solutorum faciendæ esset appositæ, & quod aperte alia non posset repeti res absolute, sed disiunctiue, vt res redderetur, vel pretium suppleretur, vel minueretur, vt declaratum est in d. cap. cum dilecti. & d. l. 2.
- 3 Tertio, quod, si de hoc in foro exteriori tractaretur, secūdus contractus, quo P. vendidit I. censendus esset vsurarius, & consequenter nullus; quia censendus esset vendidisse pretio longe iniusto maiore propter dilationem solutionis, quod est vsuram palliatam admittere, cap. in ciuitate, cum eis adnotatis, de vsur. & per resolut. tradita in Manuali confessan. cap. 17. num. 206. & 210.

Quat-

Quarto, quod si de hoc ageretur in foro conscientiae tantum, esset etiam iudicandus vsurarius, si vere coram Deo praefatus P. auxit pretium propter solutionem dilatam; non autem si id auxit ob aliam rationem. ergo non concluderet eum tacite mutuum nomine simulatae emptionis contrafecisse: quia in foro conscientiae res iudicatur vt. vere est, & non vt ab hominibus praesumitur, cap. humanae aures. 22. q. 5. & cap. is qui, & cap. tua, cum eis adnota. de sponsalib.

Sexto, quod haec consequitur expedire praefato P. ne de hoc agatur in foro exteriori, & quod tota quaestio determinaretur extraiudicialiter, ne poenis contra vsurarios statutis, quae sunt satis graues, puniatur.

Septimo, quod excusatio supra scripta nullatenus prodest praefato P. quippe quae eleganter profecto, & subtiliter supra confutatur; quae confutatio firmiter fundari potest in ijs, quae nos latius tradimus in dicto Manu. cap. 17. à nu. 211. & latius in comment. cap. 1. 14. q. 3. notab. 15. & seq. Palam enim est, eum, qui vere vendidit, & tradidit domum alicui, non posse ab eo postea quidquam accipere iure locationis; quia iam domus effecta est aliena, puta emptoris, ad quem, & non ad uenditorem, pertinet ius locandi, per totum titulum de locato in decretali, ff. & C. quamuis sit uerum, quod possit uenditor conducere domum à se uenditam, & pro illa soluere pensionem, & contra emptor possit eam locare, & pensionem ob eam accipere, iuxta cap. cum Ioannes. de fide instru. non tamen uenditor potest locare, neque emptor conducere ob naturam, & repugnantiam horum.

S V M M A R I V M.

- *Vendere carius ob dilatam solutionem peccatum est. nu. 5.*
- *Emere uilius ob anticipatam solutionem, vel carius ob dilatam, usura, contra Medinam. num. 3.*
- *Periculum perdendi pretium non facit, quod merx carius vendi possit.*

C O N S I L I V M XXXII.

Quidam N. mercator lanarum exercebat mercimonia colligendo setam, & lanam omnis prouinciae, & eam lauatam, & curatam uendebat per suum instruorem, cum facultate uendendi eam certo pretio uolentibus emere pecunia praesenti, & uolentibus emere cum dilatione unius anni, cum auctario nouem pro centum. Nunc D. uult totam illam lanam collectam emere pecunia praesenti, & postea uendere illam eo modo, quo mercator uendit. Quæritur an id ei liceat?

Re-

Respondeo primo, quod in hac quæstione unum explicite queritur, & aliud implicite præsupponitur. Queritur enim expresse, an prædicto D. liceat id, quod queritur, facere; & præsupponitur tacite, quod prædicto N. id, quod facere dicitur, liceat.

1. Secundo, quod non recte præsupponitur uenditionem præfatam licere prædicto N. Tum per textum in hoc satis expressum in cap. in ciuitate de usuris. quatenus probat eum, qui uendit piper, uel cynamomum carius propter dilationem ad soluendum datam, peccare. ergo eadem ratione, qui lanam uendit carius propter dilationem solutionis, dicitur peccare, arg. l. illud ff. ad l. aquil. Tum quia expressius hoc definitur in cap. consuluit. eiusdem tit. de usu. quatenus dicit peccare negotiatorem, qui uendit rem pluris, quam ualeat, ob dilationem solutionis pretij.

Tertio, quod id ipsum probat præfatum cap. consuluit. quatenus habet, peccare creditorem, qui, ut terminum solutionis faciendæ differat, accipit aliquid.

2. Quarto, quod hæc est doctrina communiter recepta ab Innocentio, Host. Ioann. Andr. Panor. & alijs plerisque omnibus in præfatis cap. & in c. fin. eiusdem tit. & nos ante 35. annos tradidimus in comment. cap. 14. quæst. 3. num. 26. cum sequent. & in Man. Confess. cap. 17. num. 206. in hæc verba. *Peccatum usurae uelatum, siue palliatum committit quicumque minoris iusto pretio infimo, siue pio querit aliquid propter anticipatam solutionem, & contra quo quis uendit alij maiore pretio iusto supremo propter dilatam solutionem, cap. in ciuitate. de usuris, & cap. ad audiendum de emptio. & cap. illo uos de pignor. cum eis adnot. qui enim emit 10. rem ad minus pretio infimo ualentem, 12. ob anticipatam solutionem, in effectum uidetur mutuare pretium, accipiendo illud plus iusto pretio, quo res vendita ualeat, pro usuris, ut in prædictis iuribus probatur. Hæc ibi, & paulo inferius num. 210. in hæc verba. Qui uendit, permutat, aut locat minoris iusto pretio ob anticipatam solutionem, est usurarius, & è contrario omnis, qui uendit, permutat, aut locat maioris iusto pretio maximo, siue rigorofo ob dilationem solutionis per rationem supra positam. & c.*

3. Quinto, quod contra conclusionem hanc communiter receptam tenuit Medina in Cod. de rebus restituend. quæst. 39. quod res carius uendi potest credita, quam præfati pecunia, & uilius emi ea anticipata, quia modus uendendi uidetur augere, vel minuere pretium propter periculum, quod contingere potest, eo quod debitor fieri potest inops, & impotens ad soluendum pretium, vel tradendam mercem, vel ingratus & malignus, qui nolit id facere: cuius sententiam neruose confutat Sotus lib. 6. quæst. 4. art. 1. de iust. & iur. & neruosiùs confutari potest, quod est noua, & contra omnes alios theologos, & canonistas, & quod ecclesia declarauit id esse illicitum per cap. in ciuitate. de usur.

Sexto, quod licet præfatus Sotus, reprobata opinione præfati Medina, tenuerit,

temerit, quod communis opinio limitari potest, quando utilitas reipub. exigit, ut magna copia mercium simul vendatur, vel ematur, & non inueniuntur qui tantam copiam præfenti pecunia emant, vel vendant, vt cum magna copia mercium defertur è longinquo per mare à nautis, quas qui præfenti pecunia emant, non inueniuntur, & nautæ non possunt expectare tempus, in quo illæ iusto pretio præfenti pecunia vendi possint, & interest reipub. vt copia illa mercium veniat è longinquo. sed illa limitatio opinionis communis, licet vtcumque possit recipi, nihil tamen prodest præfato mercatori. Tum quia non traducit lanam ex aliqua provincia longinqua. Tum quia non vendit credito pro præfentio, quo valebit tempore solutionis, sed pro dilatione vnus anni capit lucrum ad rationem nouem pro centum. Tum quia ipsemet Sotus expresse ait, illam suam limitationem non esse trahendam ad mercatores, qui in ciuitatibus vendunt suas res credito, & c. vt in eo videri potest.

4 Septimo, quod difficultas recipiendi pecuniam ab emente in termino faciendæ solutionis, & periculum perdendi eam, si emptor fiat pauper, vel decoquat, siue fallat, vel fiat fraudulentus, non possunt eum ab usuræ peccato excusare. Tum quia, vt supra tactum est referendo verba Manualis ex cap. 17. num. 206. & 210. etiam qui mutuatur pecuniam, subit easdem difficultates, attamen non potest capere quidquam ob eas, prohibente id non solum iure canonico, sed etiam naturali, & diuino. Nec etiam ratio lucri cessantis, eo quod possit pecunia, qua emit lanam, emere prædia, & census, potest eum excusare; quia non rogatur ab emptoribus lanæ, vt cesset ab emptione prædiorum, & censuum, vt eis pareret lanam, & quod ei refarcient lucrum cessans; sed neque ille præfatus mercator libenter id faceret.

5 Octauo, quod sicut per prædicta efficaciter probatur falsum esse id, quod in quæstione proposita præsupponitur esse verum, nempe, præfatum N. peccatum usuræ admittere in exercitio uendendi lanas prædictas modo in quæstione proposita, ita fortiori ratione probatur præfatum D. peccaturum, si emeret lanas pecunia præfenti à præfato N. & postea uenderet illas eo modo, quo N. uendit. Tum quod D. longe longius abest à conditione mercatoris. Tum quia labores, & impensas, quæ suscipit, & impendit, maiorem aliquem colorem possent tribuere uenditioni N. quàm uenditioni D. qui nihil aliud faceret, quam emere lanas præfenti pecunia, & postea uendere illas sine ulla mutatione, dilata solutione, quamuis, ut prædixi, nulli labores, nullæque impensæ possint iustificare uenditiones præfati N. quippe quæ sunt contra ius naturale diuinum, & canonicum in præfatis cap. contentum. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Societas omnium cum pacto & c. iniusta, & usuraria censenda.*
- 2 *Conductor regulariter, nisi de culpa lata, & leui, non tenetur.*

CONSILIVM XXXIII.

Quidam locauit centum oues alteri ad quinque annos pro pensione 100. iuliorum, & 50. caseorum in singulos annos, ea lege, ut finitis quinque annis, redderet conductor totidem æque bonas, exceptis, quæ perirent fulgure, uel una quadam infirmitate. Quæritur an is contractus sit usurarius.

- 1 Respondeo primo præfatum contractum non esse uere usurariû; quia uera usura in solo contractu mutui requiritur; & is contractus non est contractus mutui, sed locationis, & conductionis, ut palam est. Secundo, quod non uideatur licitus, & potest præsumi usurarius. Tum propter pactum reddendi æque bonas oues post quinquennium, per quod in effectu redditur fors principalis post quinque annos, & ultra illam
- 2 quingenti solidi, & quinquaginta casei. Tum quia conductor, qui iure communi non tenetur, nisi de culpa lata, & leui, obligatur in hoc casu, ut teneatur de omni culpa leuissima, & de omni casu fortuito, excepto ictu fulminis, quo rarissime peribit ulla, & casu unius ægritudinis etiam satis raro contingentis. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Vendentem carius ob dilatam solutionem ab usura non excusat consuetudo.*
- 2 *Clausula generalis de non contraire legi an excuset notarium.*

CONSILIVM XXXIV.

Venetijs quidam mercatores, quo pluris uendant suas lanas, solent illas dilata solutione uendere, allegantes illud esse pretium iustum. Tum quia omnes eodem uendunt suas lanas dilata solutione. Tum ratione lucri cessantis; quamuis pecunia numerata non tanti ualeant; lucrantur enim singulis annis 20. pro centû. Quæritur an sit licitus contractus. Quæritur etiam, an instrumentum constitutionis census, in quo multa pacta,

paſta, & clauſulæ ponuntur contra bullam Pij V. iuſtificetur per clauſulam generalem, quæ in fine eiufdem instrumenti apponitur, ſcilicet, Non intendentes partes contraire bullæ Pij V. &, ſi quid contra illius diſpoſitionem appoſitum eſt, uolunt pro non appoſito haberi, & ad illius formam reduci; an etiam excuſetur notarius, & partes quo ad utrumque forum.

1 AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo, quod uenditio in ea contenta non poteſt excuſari ab uſuraria prauitate, quidquid inſatiabilis auaritia nitatur commiſci, per ea quæ ſup. eod. conf. 28. diximus.

2 AD SECVNDAM, quod (ut recte proponens illam inſinuat) non poteſt excuſari notarius à peccato, ponendo clauſulas contrarias præfatæ Bullæ Pij V. propter præfatam clauſulam generalem, quam in fine ponit, niſi iuſta ignorantia eum excuſaret, quæ ignorantia iuſta poſſet euenire duplici de cauſa. Altera, quod inter doctos dubitatur, an prædicta clauſula ſit contraria alicui parti bullæ præfatæ: ignorantia enim alia, quæ naſcitur ex ſocordia, vel negligentia interrogandi doctos, non uidetur probabilis. Altera eſt ex eo, quod dubitant, an in terra, in qua conſtituitur inſtrumentum, obliget præfata bulla quo ad illud, contra quod clauſula illa adiecit: ut enim nos in comment. de uſur. ſuper præfata bulla num. 205. profunde diximus, non omnes particule præfatæ bullæ uidentur in omnibus terris extra ſtatum Apoſto. neceſſario ſeruandæ.

Secundo reſpondetur, quod ſi ambæ partes bona fide, abſque fraude ſua, & notarij conuenirent, ut clauſula præfata generalis apponeretur, & eſſet tantæ uirtutis, ut deleret clauſulas contrarias, & excuſaret notarium ab infamia, & ſuſpicionem mala faciendi uſuras, vel alia iniquitate, putarem eum excuſatum in foro conſcientiæ, quamuis forte in foro exteriori reprehendi poſſet ob ignorantiam ſuperinam, ſocordiam, vel fraudem, quam præfatæ bullæ ſanctiſſimæ facere. Partes autem in hoc bona fide conuenientes, à peccato excuſarentur, & permitteretur eis in utroque foro, ut curarent effici aliud inſtrumentum, ſi opus eſſet, abſque uilius partis damno.

S V M M A R I V M.

1 Vendens granum pretio, quo tali menſe ualebit, medio debet eſſe contentus.

C O N S I L I V M XXXV.

Q Vidam vendidit ordeum pretio, quo ualebit menſe Februarij, ad ſuam electionem, ſuper quo accipit apocham, quæ oſtenditur, in
li 2 qua

qua emptor promittit illud sic soluendum. Quæritur an censenda sit usuraria?

Respondetur primo, quod conueniebat exprimere in facto, an præfata venditio fuisset facta Romæ, vel extra illam, quod non exprimitur: & an venditor seruasset præfatum ordeum vsque ad Februarium, an non; & si venditurus fuisset tempore, quo vendidit, vel ante Februarium, quod etiam tacetur.

- I Secundo, quod apocha præfata est usuraria, etiam si mutuans fuisset seruaturus ordeum vsque ad mensem Februarij, ea firma ratione, quod qui vendit in vno mense ordeum, vel aliquid aliud vendibile soluendum in alio mense, pretio quo in illo valebit, non potest iuste accipere pretiũ summũ, quo valebit aliquo die illius mēsis, nec tenetur accipere minimũ, quo valebit aliquo die eiusdẽ; sed debet esse contentus pretio medio, quo valebit illo mēse. Ita quod, si pretium summum, quo valuerit aliquo die illius mēsis, fuerit 20. & minimum, quo valuerit alio die, decem, venditor debet esse contentus solutione quindecim, vt post Alex. & alios nos tradimus in Manu. Confess. cap. 17. num. 241. & per hanc apocham, per quam datur electio diei creditori, debentur illi viginti, & potest recipere multo plus, quam iure deberur ei, & consequenter lucrari aliquid ratione mutui venditionis dilata solutione, quod est admittere usuram.

DE CRIMINE FALSI.

S V M M A R I V M.

- 1 Falsarij literarum beneficalium cur, cui, & vt restituere debent. & seq.
- 2 Literarum Apostolicarum falsarius, veras expediendo satisfacit.
- 3 Impediens à iure pleno in re, & non qui ad rem, restituere debet.
- 4 Debitum collegio inter eos, qui, cum soluitur, sunt de collegio, diuidendum.

CONSILIVM I.

Quidam impetrarunt pro absente beneficium à Sede Apostolica, & habita signatura confixerunt literas falsas, per quas abiens ignorans accepit possessionem eius, & soluit impensas literarum, perinde ac si iuste per Cancellariam fuissent expeditæ. Quæritur an teneantur restituere pecunias pro falsa literarum expeditione acceptas?

- I Videtur respondendum primo, quod prædicti falsarij tenentur ad restituendas illas pecunias alicui. Tum quia acceperunt eas ad expediendas lit-

das literas apostolicas super obtento beneficio, & eas non expedierunt: & ita tenentur conditione ob causam iuxta totum tit. ff. de condict. caus. data, & C. de condict. ob causam. Tum quia sine vlllo titulo iusto mala fide illas tenent contra c. fin. de præscript. & contra præceptum septimum Decalogi, per quod omnis illicita vsurpatio vetatur, c. p̄uale 14. q. 5.

Secundo videtur, quod non tenentur ad restituendum ei, à quo pecunias receperunt, ea ratione, quod eum damnificauerint, vel læserint: quia tantum profuerunt ei literæ illæ falsæ, quantum profuissent veræ, cū iam per signaturam fuisset sibi ius quæsitum secundum receptam sententiam fundatam in clem. dudum. §. fin. de sepultur. adiūcta gloss. in verb. verbo, vel scripto, & cap. institutionis. 25. q. 2. quod tamen non est verum. Tum quia nihil vel ipso iure inutile regulariter exequantur c. ex tenore, iniuncta gloss. de rescript. & c. 2. versic. sicut. de translat. Prælato. at si nullas literas, nec veras, nec falsas expedijissent, ei tenerentur restituere; ergo etiam si falsas, & inutiles expedierint.

Tertio, quod tenentur eas restituere ratione acceptionis ob causam, ea non secuta, iuxta totum tit. supra dictum. ff. de condict. causa dat. & C. de condictio. ob causam. quia non videtur consecuta causa, ob quam datæ fuerunt pecuniæ, cum illæ datæ fuerint ad expediendum literas veras, quæ non fuerunt expeditæ, quod maxime procedit ceram eo, cui constat causam non esse secutam, cum omnia nuda, & aperta sint ei.

2. Quarto, quod prædicti falsarij excusarentur à restituendo ei, si veras literas super signaturâ valida nunc expedire facerent: quia causa, ob quâ acceperunt, diceretur esse consecuta; & quidem hæc via esset aptissima ad tollendam huius quæstionis perplexitatem, si absque vllius infamia, & detectione turpitudinis fieri posset.

Quinto, quod de rigore iuris non videntur satisfacere obligationi suæ, dando prædictas pecunias officarijs Cancellariæ, nullis literis per eam expeditis. Tum quia per huiusmodi dationem non adimplent causam, ob quam pecuniæ illæ fuerunt eis datæ, cum datæ fuerint ad expediendas literas veras, quas certum est non expediri ex eo solo, quod pecuniæ ad eas expediendas necessariæ conferantur ministris Cancellariæ. Tum quia sine iusta causa prædicti ministri viderentur prædictas pecunias accipere, quippe qui nullas literas expediant, ob quas illæ dantur eis. Tum quia nullo iure naturali, nec diuino, neque humano probari posse videtur, quod falsarius teneatur restituere ministris Cancellariæ omnes illas pecunias, quæ fuissent necessariæ ad expediendas literas veras, super quibus ille dedit falsas, præsertim in foro Dei, & conscientiæ: nec vidi, nec audiui vllum falsarium fuisse condemnatum ad id; nec canones, qui de condemnatione illorum agunt, vllam de tali restitutione mentionem faciunt. Quæ tamen ratio fragilis est: non enim omnes, qui quoquo mo-

do impediunt lucrum alterius, tenentur ei recompenſare illud; alioqui mercatores, artifices, & omnes alij, qui lucrantur aliqua, quæ alij lucrati eſſent, ſi illi non lucrarentur, tenerentur ad reſtitutionem; quod ridiculū eſt. Solam enim illi, qui impediunt eos in iure plene quaſito in re, vel ſaltem in iure quaſito ad rem, ſiue debito ex officio iudicis, ad id tenentur, vt nos reſoluimus in Manu. Confell. cap. 17. à num. 69. vſque ad 74. quale ius non habet Cancellaria contra eos, qui conficiunt falſas literas, vel non expediunt veras ſuper pecunijs, quæ deberent dari eis ob literas, quarum expeditio ad eos pertinet.

Sex o, quod per prædicta ceſſat neceſſitas reſpondendi ad aliam quaſtionem, qua quaeritur quomodo prædictæ pecuniæ deberent reſtitui, ſi eſſent reſtituendæ officarijs cancellariæ, cum per ſingulos meſes mutantur: ceſſat inquam neceſſitas reſpondendi ad eam. Tum quia ſupra dictum eſt, non eſſe reſtituendas illis, ſi literæ denuo non expediantur, & ſi, vt tangitur in 4. dicto, expedirentur literæ veræ ſuper vera ſignatura, diſtribuerentur pecuniæ more ſolito.

Septimo, quod miniſtri Cancellariæ, vt ego puto, faciunt collegium, & ita poteſt reſtitui ei tempore aliquorum, qui non erant de ipſo collegio, tempore, quo cœpit deberi: quia quod reſtituendum eſt collegio, poteſt reſtitui ei tempore, quo deſunt in eo multi, quorum tempore cœpit illud, quod reſtituendum eſt, deberi, iuxta ea quæ citat Calderi. conf. 21. de præb. dum concludit, quod debitum capitulo diuidendum inter canonicos ſingulis annis, ſi non diuidatur in aliquo anno, & poſtea diuidatur in alio, in quo ſunt noui canonici, habebunt illi ſuas partes, ſicut & antiqui, cum capitula non mutantur propter mutationem ſingulorum. Pro quo faciunt multa, quæ Felin. congerit cap. eam te. à num. 14. de reſcript. & ita ſi prædictæ pecuniæ forent reſtituendæ miniſtris Cancellariæ, ſatis recte dicerentur eis reſtitui, ſi reſtituerentur collegio eorum præſenti, non curando an deſint eſſe in eo aliqui, qui erant tempore, quo cœperunt eſſe debite illi, cum idem ſit collegium, quod nunc eſt, & quod tunc fuit, arg. l. proponebatur. ff. de iud. & cap. denique, iuncta gloſ. verbo idem. 7. queſt. 1. &c.

S V M M A R I V M.

1 Mutare ſibi nomen ſine fraude, niſi ſit ſeruus, cui libet licet.

CON-

CONSILIVM II.

Quæsitum est, an liceat cuius mature sibi nomen.

Respōdo ideo, quod sic per l. 1. ad hoc expressâ C. de mutatione nomi-
quæ habet, mutationē nominis, prænominis, vel cognominis, si-
cuti à principio cuique priuato est libera, ita & postea sine fraude, & præ-
iudicio alterius fieri licere; nisi esset seruus, vt in eadē lege exprimitur, vel
nisi ad fraudandū, aut damnificandū creditores, vel alios, id faceret, de
quo loquitur l. falsi. ff. ad legem Corneliam de fal. vt vtriusque legis gl. re-
cepta declarat. & Baran proœmio ff. vet. §. nos uero, vbi expresse ait id
posse facere quem propria auctoritate: sed longe melius esset mutare cū
auctoritate Episcopi, vel Regis, vel Gubernatoris, vt nemo decipi possit,
& vt ipse euitaret periculum falsi, & præsumptionis fraudis, quæ contra
ipsum concipi posse, si inueniretur aliquis contractus, quo ipse consti-
tueretur debitor ante illam mutationem, & post illam non posset inue-
niri ob illam; & etiam prodesset conscientie ad euitandum periculum
tentationis negandī ea, quæ fecisset ante illam. &c.

D E S O R T I L E G.

S V M M A R I V M.

- 1 *Prophetas consulere super temporalib. olim licuit, hodie non æque.*
- 1 *Scire qui vult futura à quo, & modo quo debet, non peccat. num. 6.*
- 2 *Cognitio rerum de se, & modo debito quesita, non est mala. num. 7.*
- 3 *Cognitio futurorum, quæ non pendet à causa naturali, vel diuina, Deo est reseruata.*
- 4 *Reuelatio futurorum, nisi necessitas, vel utilitas urgeat, non petenda.*
- 4 *Peti videtur à Dæmone, quod à Deo per verba vana petitur.*
- 5 *Oratio per verba vana in Deum dirigi non potest.*
- 8 *Oratione vana ad futura scienda vtens an excommunicatus, vel peccet.*
- 8 *Nigromanticum, nisi sit hereticus, bulla Cænæ non excommunicat.*

CONSILIVM I.

Quidam sacerdos, præmissa protestatione, quod dæmones cōsultere non intendebat, & desiderans per somnia, natiuitate inspecta,

futura scire à Deo, ante cubitum cum candela benedicta manu tenendo, orationes aliquas recitabat, vana aliqua interponendo, orando per pulchrum viridarium, per palatium delectabile, per aquam currentem, & ignem vrentem. Dubitatur primo, an incurerit excommunicationem per bullam Cœnæ. Secundo an peccauerit.

- 1 Quod prædictus sacerdos non admittat vllam superstitionem, neque aliud peccatum faciendo supradicta, facit primo, quod in veteri testamento licebat adire prophetas super rebus futuris, etiam contingenter, & nõ necessario venturis. 1. Reg. cap. 9. & 4. Reg. cap. 1. Secundo, quod desiderare scire futura non videtur esse peccatum; cum Daniel cap. 9. uehementissime desiderasset scire tempus aduentus Messie. Tertio, quod cognitio rerum, siue scientia, est actus intellectus; & cognitio intellectuua ex se non est mala, secundum Aristo. 2. Ethico. & Aug. in hb. de libe. arbi. dicentē, *Quis audeat dicere disciplinā esse malā, & rursus, Nullo modo dixerim aliquā intelligētiam esse malam.* ergo velle scire futura non videtur esse peccatum. Quarto, Deus solet instruere homines per somnia, Iob 33. immo & viri sancti interpretati sunt somnia aliorum significare talia, & talia futura, vt Iacob, Genes. 37. & Ioseph, Genes. 40. & Daniel 2. & 4. ergo prædictus sacerdos, volens scire non à dæmone, sed à Deo futura per somnia, non peccauit.
- 3 His tamen non obstantibus, contrarium videtur dicendum. Primo quidem, quod cognitio futurorū, quæ non pendet ab aliqua causa naturali, vel diuinitus instituta, est reseruata Deo, iuxta illud Isai. cap. 41. *Annuntiate nobis ventura, & dicemus quod Dii estis vos.* vitiū, enim curiositatis est velle scire quæ ad ipsum non pertinent, vt declarat sanctus Thom. 2. 2. q. 167. art. 1. & 2. Secundo, quod licet Deus propter suam infinitam bonitatem reuelauerit multa, etiam in nouo testamento, per somnia, vt ter in
- 4 cap. 2. Matthæi, tamen non legitur sanctos viros rogasse obnixè Deum, vt eis futura reuelaret, nisi cum instaret magna necessitas, vel vtilitas id faciendi: qualis non vrget prædictum sacerdotem ad quærēda ea, quæ quærere scire per somnia. Tertio, quod licet quis nolit expresse scire aliquid ignotum à dæmone, sed solum à Deo, si tamen illa petit à sua maiestate obseruando aliqua vana, id est, quæ non habent naturalem virtutem, nec ab Ecclesia Catholica instituta, videntur tacite illa petere à dæmone, vt
- 5 resoluit vterque Tho. 2. 2. q. 95. art. 2. Quarto, quod licet omnia fere verba prædictæ orationis huius sacerdotis sint bona, & sancta, & ad Deum ipsum directa, illa tamen, per aquam currentem, & ignem vrentem, non sunt talia, neque illa, per pulchrum viridarium, vel palatium delectabile, immo videntur continere vanitatem, quoniam non habent vllam virtutē naturalem, neque ab Ecclesia institutam ad prænosendum futura. Quinto, quod obseruatio etiam illa, vt prædicta oratio dicatur ante cubitum, & cum candela benedicta, videtur esse vana; quia neque sua natura, neq;

ex Ecclesiæ institutione habent uim impetrandi reuelationem; & prædictus sacerdos uideatur credere, quod nisi obseruentur illa, non obtinebitur euentus desideratus, & obseruatis illis sic; quæ uana fides est. Sexto, quod etiam urgere uideatur Deum omnipotentem, ut reuelationem faciat in somnijs, & noctu, & quod illæ literæ, per quas scribitur nomen Domini hebraicæ, parum uidentur facere ad rem ad mouendum Deum omni lingua laudandum, & benedicendum.

6 Non obstat citata in contrarium. Ad primum enim responderetur, quod in ueteri testamento permittebatur adire homines prophetas ad sciendum quædam temporalia ignota, utilia, præsentia, & futura, quia per illud promittebantur terrena temporalia, in nouo autem, quo promittuntur spiritualia, nullum medium institutum est ad adeundum homines ad prænosendum talia temporalia; & ideo oportet ab eis abstinere, ut expresse respondet S. Thom. in d. q. 95. art. 2. quod etiam ibi tenet Caieta. & antea sensit Gratia. cap. forf. 26. q. 2. quamuis nec illi damnant expresse, nec debent damnare illum, qui sine aliqua uana obseruantia peteret à Deo reuelari sibi aliquid ualde necessarium, uel ualde uile sibi, uel Ecclesiæ, uel Reipublicæ, iuxta illud Ioan. cap. 16. *Quodcumque petieritis partem meum in nomine meo, hoc faciam.*

7 Ad secundum, concedendo, quod desiderare scire futura non est per se peccatum, sed desiderare illa scire ab eo, à quo non debet, puta à Dæmone, uel etiam à Deo modo indebito, peccatum est: & prædictus sacerdos uult illa præscire à Deo, sed modo indebito, seruando quædam uana, quibus statim se immiscet Dæmon: & ita uult habere societatem cum illo, quod ualde uetitum est.

Ad tertium, concedendo, quod cognitio rerum præsentium, uel futurarum non est de se mala, neque uelle illam discere ab eo, à quo debet, & eo modo quo debet: negando tamen, quod uelle discere expresse à Dæmone, uel tacite obseruando quædam uana, quæ neque à natura, neque ab Ecclesiâ ad id instituta sunt, non sit peccatum per prædicta.

Ad quartum, concedo omnia, quæ assumuntur in argumento, & quod probant id, quod iam dictum est, nempe, quod non est peccatum uelle scire, nulla uanitate immista, à Deo ipso per modum sibi placitum; quamuis ipsum restringere ad hoc, ut reuelat per somnia, aliquid indecedentiæ habet.

An autem is sacerdos peccauerit mortaliter, utendo prædicta oratione, & an sit excommunicatus bulla Cœnæ Domini, an solum uenialiter peccet, quæstio maior est. Ad quam respondeo primo, quod non incidit in bullam Cœnæ S. D. N. Gregorij X I I I. quia ipse in ea non excommunicat nigromanticos, nec alios superstitiosos, qui non sunt hæretici, siue qui non peruenerunt ad concipiendum hæresim, ut constat in ea. Secundo, quod si prædictus sacerdos usus est prædicta oratione ductus aucto-

auctoritate superioris, potest dici esse excusatus à peccato, vt determinat Caiet. 2. 2. q. 95. art. 2. Si autem vsus est illa, putans esse vanum quod faciebat, & non sperabat euentum suæ orationis, nisi à casu solum, peccauit venialiter: si autem putabat esse vanum quod faciebat, sed vtile, sperando effectum suæ orationis, difficile excusabitur etiam à mortali, nisi per iustâ ignorantiam: quia sciebat, vel scire curare debebat ab aliquo sapiente, an liceret id, eo quod sunt scripta multa decreta aggregata per Gratia. 26. q. 1. 2. 3. 4. 5. & 6. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Puluerem ex cerebro hominis raso, contra morbum caducum, vel alium, an efficere liceat.
- 1 Carnibus humanis in necessitate extrema vesci, vel eis mederi an possit.

CONSILIVM. II.

AN liceat efficere puluerem ex cerebro hominis raso contra morbum caducum, vel alium grauissimum?

- 1 Hæc quæstio præsupponit alteram maiorem, nempe an liceat carnibus, & ossibus humanis vt ad conferuandum, vel medicandum hominem fame maxime laborantem, vel agitudine alia incurabilis: & ni fallor, nullus est canon, nullumque cap. in toto corpore iuris Pontificij, neque Cæsarei, quod hanc quæstionem satis determinet. Sed neque antiquiores doctores videtur hoc satis tractasse: quamuis definierint non licere carnibus humanis vesci, & damnarint Antropophagos, qui eis vescuntur. Sed an in extrema necessitate id liceat Christianis, non aperiunt; quamuis 4. Regû 6. videatur damnari mulieres, quæ pressæ extrema necessitate pepigerunt, vt filios suos comederent. Sed aliud est occidere alium, vt eius carnibus se, alioquin periturum, sustentet, quod certum est non licere, aliud carnibus à Deo, vel ab hominibus occisorum vesci ad necessariam sustentationem; quod quæstio hæc continet. Pro cuius parte affirmante facit cap. 28. Deuter. & 19. Hier. quæ videntur significare licere obliuiscere fame vltima pressis edere carnes filiorum; quamuis responderi possit etiam illa loqui de occidentibus filios ad uescendum eis: & praxis totius Orbis Christiani habet tradere cadauera hominû necatorû medicis, & chirurgis ad anatomias faciendas, licet de hoc subdubitauerit Bar. in l. fin. de cadau. puru. Ad quam quæstionem, quæ grauissima & rarissima est, decidendam nõ est in præsentia nobis otium idoneum. sed arbitror licere conficere pulueres prædictos, si licet vesci carnibus humanis in extrema necessitate ad
sc

se sustentandum, & ossibus, & adipe ad medicandum: quod an priuilegio, vel licentia particulari liceat medicis, & chirurgis, & pharmacopois, quos audio eis uti, melius ipsi nouerunt, & ad eos recurri potest. Sed & prouide uidebitur facturus D. Consulens, si à S. D. N. facultatē humiliter petierit ad faciendos prædictos pulueres ob grauissimam, quæ occurrerit ei, necessitatem.

DE CLERIC. EXCOMM. minist.

S Y M M A R I V M.

- 1 Absolutio ab vna censura non extenditur ad alias.
- 2 Dispensatus super vna irregularitate non est super alijs.
- 3 Dispensatio super vno homicidio tacito obtenta super alio an valeat.
- 4 Dispensatio cum retentione beneficij super vno impedimento ad aliud non extenditur.

C O N S I L I V M. I.

Quidam incidit in censuras extrauag. ab ipso Gregorio X I I I. octies, & celebrando incurrit irregularitatem, & manens in ea obtinuit quoddam beneficium, & postea obtinuit absolutionem à censuris duabus de causis incurfis, cum retentione beneficij. Quæritur an absolutio eius ualuerit, & an dispensatio super irregularitate incurfa ex celebratione contra excommunicationem incurfam duabus de causis extendatur ad irregularitatem incurfam ob excommunicationes, in quas alijs de causis incidit.

- 1 Respondeo primo, quod absolutio ab illis duabus excommunicationibus incurfis, ob illas duas rationes ualuit, sed non extenditur ad alias incurfas ob alias rationes secundum ueriores intellectum cap. ex parte, de offic. ordin. & cap. cum pro causa, de sententia excom. & ideo necessaria est absolutio excommunicationum incurfarum ob alias rationes.
- 2 Secundo, quod dispensatio super irregularitate contracta ex una causa, ualet quatenus quo ad illam, sed non extenditur quod aliam contractam alia de causa. Tum per prædicta cap. & paritatem rationis, quæ in excommunicatione, & irregularitate, quo ad hoc, inueniri uidetur. Tum quod nemo diceret dispensationē super irregularitate contractā ex uno homicidio extendi ad irregularitatē contractā ex alio simili homicidio; immo

immo non pauci dubitent, an dispensatio super irregularitate contracta ex uno homicidio, ualeret, non facta mentione de dispensatione irregularitatis contracta ob aliud, per l. 2. C. de episcop. audien. & quod ibi per illam dixerunt Guliel. de Cuno, & Bal. & alij relati à Feli. in cap. postulasti. col. 4. de rescript.

- 4 Tertio, quod facultas retinendi beneficium collatum, non obstante irregularitate una, non uidetur extendi ad retentionem eiusdem, non obstante alia irregularitate. Tum per prædicta. Tum quod uoluntas non fertur in incognitum, secundum August. receptum, quod etiam sentit Iurisconsultus in l. de qua re. ff. de iudic. & Papa in cap. super literis, de rescript. ergo uoluntas Papæ uolentis facere quem habilem, non obstante quadam irregularitate sibi expressa, non uidetur uelle facere habilem nõ obstante alia, quam ipse non nouit, quæque ipsi non exprimitur.

Quarto, quod ex his est consequens D. consulentem debere sibi providere de absolutione aliarum excommunicationum, & dispensatione aliarum irregularitatum, & noua retentione beneficij quæsitum in statu irregularitatis. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Excommunicatus fructus beneficij legitime obtenti perdit, sed non irregularis.*

C O N S I L I V M II.

Quidam excommunicatus celebrauit, & ob id incidit in irregularitatem, & non obstante ea percepit fructus, & distributiones quotidianas. Quæritur quid faciendum.

- 1 Responderetur, quod licet per excommunicationem perdat quis fructus & distributiones beneficij eo modo, quo dicitur in cap. pastoralis. §. verù, adiunct. gloss. in verbo subtrahuntur, de appella. is tamen, qui est irregularis non perdit fructus propter irregularitatem, neque distributiones beneficij habiti iuste ante irregularitatem incursum, iuxta sententiam Inno. receptam in cap. cum nobis, de concess. præben. & ita irregularis nullatenus tenetur restituere fructus, nec distributiones beneficij ante iam canonicè adepti. Per quod cessat quæstio proposita. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Monitorium præceptuum sine clausula iustificatiua nullum.*
- 2 *Ignorantia ex dicto aduersarij proueniens cur non probabilis.*
- 2 *Declarans nil noui inducit sed inductum esse denuntiat.*
- 3 *Excommunicari potest absens, & ignorans, sed celebrando non peccat, nec fit irregularis.*
- 4 *Irregularitas sine contemptu non incurritur.*
- 4 *Collatio beneficij excommunicato non valet.*

CONSILIUM III.

C Vidam presbytero fuit notificatum monitorium Vicarij Episcopi sui iudicis, vt solueret quoddam debitum longe à loco iudicis, sed intra eandem diœcesim: qui sperans quod intimator impetraret, vt promissit, à creditore suo cognato dilationem, vel quod daret literas debitoris procuratori suo, vt compareret coram Vicario, exiit diœcesim, quo iter faciebat, cum esset monitus: & postea credens dilationem habitam fuisse, vel suum procuratorem comparuisse, & ita credens se nõ fuisse excommunicatum, celebrauit, & obtinuit beneficium. sed Vicarius, instanti parte, declarauit eum excommunicatum contra spem, & credulitatem eius. Queritur, an is fuisset excommunicatus, antequam sciuisset declarationem factam, & an sit irregularis, & an collatio beneficij ei postea facta valuerit.

- 1 Respondeo sequentia. Primum quod, si monitorium prædictum præceptorium de soluendo debitum fuit factum sine clausula illa iustificatiua, *sive grauatam senseris, intra talem terminum compareas*, fuit nullum, & excommunicatio per illud facta etiam nulla, per illa multa quæ nos adduximus in relectione c. cum contingat. de rescrip. post Baldum in l. 1. C. de re iud. n. 14. quia non licet incipere ab executione ante latam sententiam per illam l. 1. nisi cum prædicta clausula iustificatiua, per quam præceptum executiuum resoluitur in citatorium, iuxta glos. sing. c. ex parte. de verb. signif. sed suspicor prædictum monitorium habuisse prædictam clausulam. Secundo, quod ignorantia prædicti D. Consulenti non videtur fuisse probabilis: quia non debuit confidere, nec credere ad uersario. Tū quia poterat scire an absolutus esset, scribendo ad suum procuratorem, & etiam ad parochum sui oppidi. Tertio respondeo, quod præfatus presbyter fuit excommunicatus, antequam notificaretur ei declaratoria: quia declaratio nihil noui inducit, sed iam inductum esse de-

nuo

- 3 nuntiat, l. hæredes palam. post principium. ff. de testam. Nec obstat glos. c. apostolicæ. de cleri. excomm. ministrat. Immo est pro hac parte, quatenus ait absentem, & ignorantem posse excommunicari; licet illa ei non no. eat ad hoc, vt eam non seruando peccet, vel incurrat irregulari-
- 4 tatem, in ignorantia est probabilis. Quarto, quod D. consulens non videtur incurrisse irregularitatem, saltem quo ad forum conscientia: quia nullum contemptum habuit, & sine illo non incurritur illa, vt dicit Panor. in d. §. verum. & Dominicus c. solet. de sententia excomm. lib. 6. Quinto, quod collatio prædicti beneficij fuit nulla iuxta glo. communiter recept. c. Apostolicæ. de cleri. excom. mi. quam breuiter graui ratione fundauimus nos in Man. confessã. c. 27. nu. 271. vers. 8. Sexto, quod consulens deberet impetrare quo ad forum conscientia: tantum dispensationem ad retinendum beneficium, & etiam ad cautelam super irregularitate, si & quatenus opus sit. &c.
-

S V M M A R I V M.

- 1 *Ordinatus presbyterio ante legitimam ætatem est suspensus, & irregularis.*

C O N S I L I V M III.

VTtrum accipiens presbyteratum ante legitimam ætatem sit irregularis, antequam celebret, vel utatur alio ordine sacro?

- 1 Respondeo, quod sic; quia assumens presbyteratum ante legitimam ætatem, sit ipso iure suspensus per extrauag. Pij II. cum ex sacrorum. citatam à nobis in Manu. confessã. cap. 25. num. 10. & sit irregularis, si post illum assumptum vtatur ordine sacro; & qui ordinatur presbyter consecrat cum Episcopo, & vtitur ordine presbyteratum, posteaquam assumpsit illum; quia Episcopus prius ordinat presbyteros, & prius infigit eis characterem illius ordinis, quam cõsecret, & admittat eos ad consecrandum secum; alioquin enim induceret eos ad consecrandum, antequam haberent potestatem id faciendi, quod est absurdum, & ita non dicendú l. nam quod absurdum. ff. de bonis liberto. &c.
-

S V M M A R I V M.

- 1 *Suspensus, interdictus, vel excommunicatus, collectam in choro dicens, sit irregularis.*

CON-

CONSILIVM V.

Quidam presbyter suspensus, interdictus, vel excommunicatus, dixit collectam in choro ut hebdomadarius. Quæsitum est, an sit irregularis?

- R**espondetur, quod sic, secundum Innocen. in c. final. de exce. prælato. quem ad idem citamus in Manual. confess. cap. 27. num. 244. ubi tangitur firma ratio eius dicti, scilicet, quod facit actum certo ordini deputatum: qua eadem concluditur idem de illo, qui solenniter baptizat, vel solenniter benedicit aquam benedictam; quod etiam Sylvester tangit verbo irregularitas. q. 13.

DE CLERI. NON ORDIN.
ministran.

S V M M A R I V M.

- 1 Irregularis non est assistens diaconi baptizanti aliter, quam auctorizando.
- 2 Credi debet saltem iuranti in his, quæ ab animo pendent.
- 2 Irregularis in dubio non debet quis iudicari, licet ipse se talem debeat iudicare.

CONSILIVM I.

Quæsitum est, an parochus dans licentiam diacono baptizandi solenniter, & assistens eidem baptizanti, ita incurrat irregularitatem, sicut ipse diaconus per c. 1. de cler. non ordin. min.

- R**espondetur, quod non, eo quod dederit illam: quia irregularitas non incurritur, nisi in casibus expressis à iure. c. is qui. de sent. excomm. lib. 6. de quibus non est hic: neque eo quod astiterit, si astitit ut quilibet alius, vel ut corrigeret eum, si erraret, secus si astiteret auctorizando, aut mandando. per clem. Archiepiscopo. de priuil. adiuncta gloss. verbo celebrari.

- An autem tali parochi accusato, & dicenti se solum astitisse sola causa corrigendi, & non auctorizandi, debeat in dubio credi, & iudicari non esse irregularis? Respondetur, quod sic. tum quia in his, quæ pendent ex animo alicuius, credendum est ei, saltem id iureiurando affirmanti,

manti, iuxta duas gloss. quarum vtraque est recepta, & putata ab aliquibus singul. in §. aliter (qui alias incipit, sed iste.) Instit. de actio. & cap. signifiasti. de homicid. ubi aptus in hoc textus. Tum quia actus, qui potest interpretari commode esse delictum, & non delictum, debet interpretari non esse delictum. l. merito ff. pro soc. & cap. 2. de reg. iur. ubi tex. in hoc aptissimus. Tum quia, licet quis se debeat in dubio iudicare irregularem quo ad forum conscientiae, in exteriori tamen debet iudicari à iudice non esse talis, ut nos determinamus in Manuali nostro censess. cap. 27. nu. 139. & antea in cap. si quis autem. de pœnit. dist. 7. per rationes aptiores, & firmiores eis, quas Panor. reddit in cap. ad audientiam. de homic. communiter recep. sed à nobis per eandem limitatus.

S V M M A R I V M.

- 1 Irregularitas occulta est ex actu publico, super qua dispensat episcopus, se videntes ignorant eum esse delictum.

C O N S I L I V M. II.

N. Diaconus solenniter publice coram multis baptizavit quendam, ob quod videtur incurrisse irregularitatem de clerico non ordinato ministrante: cum nequeat Diaconus iure baptizare solenniter, quod est munus presbyteri. Qui tamen circumstant, nesciebant id muneris esse illi prohibitum; & si aliquis id sciebat, nesciebat tamen per id incurri irregularitatem. Quaritur an cum tali diacono possit dispensare episcopus per facultatem à Concil. Triden. traditam ad dispensandum in irregularitatibus occultis, cap. liceat. de refor. sessio. 24. relato à nobis in Manua. confess. cap. 27. num. 194. propter ea, quæ nos ipsi addimus in eod. c. num. 150. sub finem.

Quid item dicendum sit de faciente aliquid, ob quod excommunicationem incurrit, coram aliquibus, qui nesciunt illam in illo casu incurrisse vel tempore absolutionis non nisi duo, vel tres?

Quid item de excommunicato in alia diœcesi, vel alia vrbe, & celebrante in alia, vbi nescitur, an sit excommunicatus?

Responderi posse videtur, licere in his casibus episcopo dispensare super irregularitatibus prædictis: modo nulla de illis contractis fama orta fuerit, tum per adducta in d. num. 250. Tum quod licet dispensatio, siue actus dispensandi iuste debeat intelligi, iuxta cap. 1. & 2. de fil. præb. lib. 6. potestas tamen dispensandi est fauorabilis, & amplianda, iuxta gloss. iung.

ing. in clem. i. de offic. vica. & tradita latius per Feli. & ab eo citatos in cap. postulasti. de rescript.

DE PRIVILEG.

S V M M A R I V M.

- 1 Gratia per mortem concedentis non expirat, licet sic mandatum.
- 2 Ignorantia dispensatum excusat, quousque scientia superveniat.
- 3 Absolvere episcopus potest eos, qui in gradibus prohibitis matrimonia contraxerunt.
- 3 Dispensatio servata forma faciend.

C O N S I L I V M I.

PApa quibusdam episcopis facultatem dispensandi cum quibusdam personis, qui matrimonia in gradibus prohibitis contraxerant, concessit, sub forma, ut episcopus primum declaret matrimonia esse, fuisseque irrita, & postea absolvat, confiteantur peccata sua, communicent, dispensentur, & de nouo contrahant.

Quæritur primo, an facultas prædicta per obitum concedentis expirauerit?

Secundo, casu quo facultas esset inualida, & episcopus validam credens, dispensauerit, & bona fide sic dispensati contraxerint, an tuta conscientia possint perseverare in contracto matrimonio?

Tertio, quomodo episcopus absolvere, & dispensare valeat, quando altera persona est implicata peccatis, & restitutioni obnoxia, & an publice, seu occulte matrimonium debeant contrahere?

- 1 AD PRIMAM respondeo, quod per solâ mortem concedentis non expirasset. Quia gratia facta non expirat per mortem eam facientis, c. si super gratia, de offic. delegat. lib. 6. licet mandatum de faciendâ ea expiret, per gratiam, de offic. delegat. & quamvis commissio de dispensando cum aliquo expiret per mortem committentis, quia est mandatum de gratia faciendâ; concessio tamen facultatis ad dispensandum, nomine nominato, est gratia facta illi, cui datur facultas; & ita non expirat morte concedentis, sicut commissio morte committentis.
- 2 AD SECVNDAM respondeo, quod excusantur quo ad forum conscientie per illam ignorantiam, donec superveniat scientia contraria; quia ignorantia probabilis iuris positivi excusat, cap. 2. de constitut. & no

k k tat. in

tat. in cap. ignorantia, de reg. iuris lib. 6. qualis est hæc, de qua quæstio proponitur, cum in dubio credendū sit, & obediendum superiori, c. quid culpatur. 1. 2. q. 1. sub finem cum allegatis ibi à gloss. in verbo, iniquitas.

- 3 AD TERTIAM respondeo, quod debent prius absolui ab excommunicatione incurfa per episcopum, qui potest absolue ab ea, cū non sit reseruata Papæ, vt patet per contextum clem. 1. de consang. & glo. penult. ipsius; deinde debent confiteri, & cōmunicare. Nec obstat, quod sint peccatis irretiti: quia ad irritanda, & absoluenda ea, instituta est confessio, cap. omnis. de pœn. & remiss. Nec obstat obligatio ad restituendū: quia illa de necessitate est facienda eo modo, quo debet fieri à confitentibus in Quadragesima, vel alijs temporibus, per cap. peccatum. de reg. iuris lib. 6. Tertio debent contrahere de nouo publice, si prius matrimoniū fuit clandestine contractum; alioqui sufficit contrahere de nouo secreto, ut nos declaramus in Manual. confess. c. 2. 2. num. 70. & 86.

S V M M A R I V M.

- 1 Gratia Papæ, donec aliud decernat, illius morte non expirat, secus vsque ad eius beneplacitum, & quare.

CONSILIVM II.

Decanus fuit exemptus à iurisdictione Episcopi per Papam, donec aliud decerneret: dubitauit, an morte Papæ resideat, & remaneat eidem episcopo subiectus.

- Respondeo quod præfatus D. Decanus non remanebit subiectus episcopo, si ante mortem suā aliud non decreuerit Sanctissimus D. N. immo durabit exemptio, donec per successorem eius reuocetur exemptio à Papa concessa: donec enim aliud decreuerit, non videtur reuocari per solam mortem eius. Tum quia gratia facta à Papa non expirat eius morte, cap. si super gratia, de offi. deleg. clem. dudum. §. fin. de sepult. Tum quia nihil obstat, quod posuerit terminū, donec aliud decernat: quia licet per mortem ipsius cesset gratia facta vsque ad beneplacitum eius per cap. si gratiosa, de rescrip. lib. 6. quia per mortem desinit beneplacitum eius; non est tamen idem de clausula, donec aliud decreuerit; quia licet per mortē desinat uelle, l. 4. ff. locat. non tamen per mortem suam aliud videtur decernere: quia in illo sufficit cessatio voluntatis, quæ morte cessat; in hoc autem requiritur dispositio, & decretatio, siue statutio, quæ non fit per mortem; immo per eam tollitur potestas disponendi aliud. Salua, &c.

SUMMARIUM.

- 1 Privilegium Minorum Generalis dispensandi super multitudine missarū ad successores, & ad missas post illud acceptas extenditur. nu. 2.
- 3 Dispensatio, vel absolutio peccati, antequam fiat, non danda.
- 4 Potestas faciendi, arbitrandi, vel dispensandi subdelegari nequit.
- 5 Missarum reductio cum causæ cognitione fieri debet.
- 6 Missas dicendas Minores sine magna causa, & sine proposito eas dicendi, acceptare non debent.

CONSILIUM III.

AD septem quæstiones Fratrum Minorum super quadam bulla Iulij II. & alia Leonis X. per quas fit facultas Generali eorum ordinis, ut possit dispensare super multitudine missarum, ad quas monasteria eorum sunt obligata.

- 1 **AD PRIMAM** quidem respondeo, quod non solum Generali, qui tunc fuit, sed etiam alijs, qui ei successerunt, & posthac succedent, est data præfata facultas: quia id satis innuit bulla Iulij, & clare exprimit bulla Leonis. Nec videtur quo ad propositum referre, an eleemolyna, quæ data fuit, vel dabitur secundum consuetudinem patriæ, sit parua, vel magna, & maior, vel minor. Tum quia non datur, nec dabitur pro pretio eius, & sponte ac liberaliter offertur, iuxta ea quæ post alios nos dicimus in Manu. nostro confess. cap. 23. num. 102. & 106.
- 2 **AD SECUNDAM**, quod potest dispensare non solum super missis receptis tempore Generalium, qui præerant tempore datarum bullarū prædictarum, sed etiam pro postea receptis ante suam visitationem, & tempus, in quo petitur dispensatio: sed non potest facere facultatem recipiendi missas, seu eleemolynas ad dicendas eas, ita quod fratres suscipientes eas possint satisfacere sine dispensatione subsecuta. Tum quia dispensatio, & absolutio peccati non debent dari, antequam fiat, ne videatur dari occasio nimis propinqua peccandi contra cap. ex parte, de consuetud. Tum quia non decet fratres dolere, & fraude, ac deceptione rogantiū missas accipere onus dicendi eas cum proposito illud tollendi. Tum quia Leo X. licet faciat facultatem recipiendi missas cum facultate redimendi onus eis impositum modo posito in sua bulla in Alemania, & Boemia, non tamen facit illam omnibus monasterijs ordinis, licet Generalibus faciat facultatem dispensandi super eis, quas inuenerint receptas, per quam diuersitatem videtur sentire id, quod dicimus. Tum quia negari non potest,

test, valde indecens esse uiris adeo perfectis accipere dolose missas onustas cum proposito tollendi onera, nescientibus id ijs, qui rogarunt illas; sal: ē sine causa iusta, quæ forte inueniebatur in Alemania, & Boemia propter paruitatem elemosynæ, quæ dabatur pro eis dicendis. Tum quia negari non potest propinquiore causam peccandi dari concedendo, vel dispensando pro missis committendis, & accipiendis, quam pro iam acceptis. & hanc partem consulerem, licet utraque pars de rigore iuris posset defendi per ea, quæ adduxi in Comment. de Indulg. super §. in leuit. de pœnit. dist. 1. nota. 3. 4. num. 4. & tetigi in Manua. confel. cap. 1. 2. nu. 80. super illo dubio solenni, an concessio indulgentiæ, vel potestas dispensandi super voto, & alijs huiusmodi, includat ea, quæ post illam contingunt: ubi tamen tenui partem affirmatiuam; eo quod licet per ea detur occasio aliqua peccandi, non tamen adeo propinqua, nec adeo indecens, ac daretur in casu præsentis.

AD TERTIAM respondetur, quod illa continet duas: Altera est, an præfatus Generalis possit etiam extra tempus uisitationis dispensationem præfatum facere. & huic respondetur quod hoc innuit bulla Iulij, & satis clare exprimit bulla Leonis. Altera est, an præfatus Generalis possit dispensare per alium, delegando ipsi potestatem suam. & respondetur æquius uideri, quod nō. Tum quia est potestas de faciendo, & non de dādo, inter quæ est differentia, l. 1. §. ne autem. C. de cod. toll. Tum quia est factum, quod communiter non potest fieri æque bene per quemlibet. Tū quia in utraque loquitur de solo Generali. Tū quod potestas hæc est magna, & videtur requirere constantiam magnam, & concernit utilitatem publicam animarum. Tum quia concessio huius potestatis non est principaliter concessio tam iurisdictionis, quam cuiusdam arbitrij, & auctoritatis, & motus animi, qui non potest per alium concedi, iuxta gloss. in l. ficui. ff. de arb. & ex simili potestate tutoris, curatoris, & arbitratoris, quæ non exercetur per alium, ut ait Bart. in l. cum magistratus, per illum tex. & alia C. quand. prob. non est necess. Tum per ea quæ colligi possunt ex Innoc. Panor. & Felin. in cap. si. §. is autem, & §. cæterum, de off. deleg. & per Card. ibidem q. 9. & Rota decis. ult. de officio Vicarij in antiquis tenuit potestatem dispensandi non posse subdelegari: per quæ omnia pars hæc videtur uerior; quamuis etiam pro cōtraria facit principium præfati cap. ult. & 1. not. Card. ibidem, & alia multa, quibus videtur responderi posse per superius insinuata.

AD QUARTAM, scilicet quomodo, & quando fieri debeat huiusmodi dispensatio, respōdetur, quod debet probari primo, præfatas missas fuisse receptas cum onere dicendi eas propter necessitatem fabricæ, & fratrum. Secundo, cognoscere quam grandis sit multitudo earum, & iubere ut celebrentur eæ, quæ commode possint celebrari, & super alijs dispensare. Tertio, quod omnia hæc fiant authentice coram secretario,

rario, vel notario Monasterij, coram quo solent fieri acta publica, & cum oportuerit, fiat fides de cognitione præmissa de cõtentis in bullis; & quod Generalis communicet, & applicet ijs, qui missas instituerunt, omnia bona, quæ fient in ordine usque ad quantitatem, quæ attingat valorem, quæ haberent ipsæ missæ, si singulariter & integre dicerentur pro eis, vel ad intentionem eorum.

AD QUINTAM respondetur quod dicendæ sunt omnes collectæ, quæ iubentur dici per præfatos Romanos Pontifices: quia seruanda est forma commissionis, cap. prudentiam, de officio deleg. & cap. Pisanis, de restit. spoliator.

AD SEXTAM respondetur, quod non potest Generalis facere id per Vicarium, per responsum ad tertiam.

- 6 AD VLTIMAM satis responsum est in responsione ad secundã, scilicet quod sine magna causa non debent fratres recipere, & minus quærere præfatas missas sine magna causa necessitatis fabricæ, vel fratrum cum proposito decipiendi eos qui eas rogarent, vel rogati darent. tum quia fraus & dolus sunt peccata saltem venialia iuxta l. 1. ff. de dolo, & tradit S. Thom. 2. 2. q. ar. tum quia fraus & dolus nemini debent prodesse, cap. sedis Apostolicæ de rescrip. l. itaque fullo. ff. de furtis. quamuis propter magnam causam id citra culpam fieri posse videtur asserere finis bullæ Leonis, vt tactum est in responsione ad secundam, scilicet propter urgentem necessitatem, iux. glo. in ca. p. sicut. de consecrat. dist. 1.

S V M M A R I V M .

- 1 Agere pro alio sine mandato, nec rescriptum impetrare ad lites nemo potest. num. 8.
- 2 Impetrare potest sine mandato coniunctus pro coniuncto spiritualiter, vel carnaliter.
- 3 Dispensationem sine mandato impetrari posse verius. num. 7.
- 3 Impetratum à quo sit, modo à principe sit concessum, non referre.
- 4 Beneficij, seu privilegij impetratio sine mandato valet.
- 5 Coniunctus pro coniuncto rescriptum etiam ad lites sine mandato impetrare potest.
- 6 Rescriptum ad restituendum ad famam sine mandato impetratum valet.
- 7 Exceptio, quod rescriptum sit sine mandato impetratum iam non viget.

CONSILIVM IIII.

Regularis, cum pro sua religione procuratoris in curia officium ageret, & suum monasterium inquietaretur frequentius pro certa impositione.
Pars ij. K k 3 sitio.

sitione, seu talea, absque monasterij mandato immunitatem, seu priuilegium cum certa moderatione à Summo Pontifice impetrant. Dubitatur an gratia sic sine speciali mandato concessa teneat.

- 1 Pro parte negante facit primo, quod regulariter nemo agit pro alio sine mandato eius legitimo, toto titulo ff. & C. de procurator. Secundo, quod rescriptum impetratum pro alio sine ipsius mandato non valet, ca. nonnulli. §. sunt & alij, & cap. ex parte decani, de rescript. vel saltem
- 2 est elidibile per exceptionem d. c. nonnulli. §. sunt & alij. Tertio, quod prædictus §. sunt & alij, quatenus habet coniunctam personam posse impetrare pro alia persona sibi coniuncta, solum procedit in persona coniuncta carnali coniunctione, & nõ coniuncta spiritali tantum, iuxta glo. notab. in cap. cum M. de constit. verbo socijs, quam Panor. & communiter omnes sequuntur ibi, & multi alij ibi, quos congerit Felin. num. 11. & ita, licet prædictus religiosus esset coniuncta persona spiritaliter aliorum religiosorum eiusdem ordinis, non tamen videtur potuisse impetrare ea, quæ obtinuit pro illis.
- 3 Quarto, quod non potest quis impetrare pro alio dispensationem sine ipsius mandato speciali, vt videtur expressum in cap. innotuit. de elect. quod ad hoc putat esse sing. Panor. ibi, & in cap. substituta. de reitut. in integr. & Antonius Corsetus in sing. verbo mandatum 1.

Quibus non obstantibus, pars affirmatica tenenda est, nempe quod est valida, & firma. Tum per l. vniuersis. C. de precibus impe. offerend. quatenus habet non referre à quo sit impetrata, modo à principe sit concessum, secundum Baldum ibi communiter receptum. Tum quia per prædictam l. vniuersis. determinat Bart. in ea, quod quando reformatio fit in Concilio, non refert, an ille, qui fecit propositam, esset infamis, necne, postquam apparet de consensu populi: quem referant, & sequitur Paul. à Cast. & D. Alex. in l. 1. in princ. ff. ad legem falcid. quod rur

- 4 sus probat Ias. in d. l. vniuersis. Tum quia impetratio beneficiorum potest fieri pro aliquo sine mandato eius, vt est casus in cap. ex ore. vbi Panor. communiter receptus, de his que sunt à maiori parte capituli, & duæ gloss. putat singulares in cap. ad aures, & in cap. nonnulli. §. sunt & alij. de rescript. quod ipsum est dicendum de impetratore priuilegiorum, & immunitatum secundum Ludovic. Com. quem refert, & sequitur Felin. dict. §. sunt & alij, num. 95. quominus idem dicendum est de omnibus literis gracie, que non dantur ad lites, vt definit Rebuffas in
- 5 prax. benef. in tit. de differentijs inter rescript. gratia, & iusticia. Tum quia coniunctus pro coniuncta persona potest impetrare etiam referiptum ad lites, vt habetur in dicto §. sunt & alij. & prædictus religiosus est coniuncta persona spiritali coniunctione prædicto monasterio, ordinis, & fratribus eorum. Et quamuis ad hoc responderi possit, quod supra allatum est in tertio argumento pro contraria parte, atamea in no-

stro

stro casu ultra conjunctionem spiritualement interuenit mandatum monasterij, & multæ literæ multorum fratrum eiusdem ordinis; & quod agebatur de interesse eiusdem religiosi impetrantis, & de utilitate publica religionis, quæ omnia coniuncta possent multum in hoc operari. Tum quia literæ ad restituendum aliquem ad famam possunt impetrari sine mandato, secundum Baldum recept. in l. i. C. de prec. impet. offic. quem refert, & sequitur Felin. in dict. §. sunt & alij. num. 50. Tum quia rescriptum etiã ad lites ex certa scientia Papæ datum ad petitionem eius, quem nouit non habere mandatum, est validum, & firmum, l. idem Vlpianus. ff. de excus. tutorum. & l. quidam consulebat. §. i. ff. de re iud. & aliorum, quæ tradit post alios Felin. in c. cum inter, de except. & in specie de rescripto impetrato sine mandato determinat idem Felin. in d. §. sunt & alij. num. 51. Et in casu nostro Sanctissimus D. N. nouit prædictum religiosum non habuisse aliud mandatum totius ordinis, quam illud, quod tacite colligi posset ex scripturis plurimis, quas ante suam

7 Sanctitatem ipse præsentauit. Tum quia iam parum curatur de exceptione defectus mandati ad impetrandum rescripta etiam ad lites, de quo in dicto §. sunt & alij. adeo quidem, quod prædictus Petrus Rebuffus, ubi supra, dixit se nunquam uidisse illum in regno opponi, nec nos uidimus vnquam in Vrbe obijci post impetrationem factam. Tum quia etiam dispensatio potest ab alio pro alio sine mandato impetrari per textum in hoc mihi sing. in cap. innotuit, de elect. quatenus irrefragabiliter probat potuisse capitulum Vigorien. petere legitimationem pro illo, quem elegerat: qua ratione iure quis miretur Panorm. commendantẽ ibi illum textum pro contraria parte, & magis Antonium Corsetum commendantem ob hoc Panorm. in sing. verbo mandatum 1. præsertim cum quotidie videamus in curia innumeras dispensationes impetrari pro absentibus sine vllis illorum mandatis. Tum denique quod Sanctiss. D. N. omnia ea, quæ fecit, ordinauit, & concessit in utilitatem, & decorem sui ordinis, & concessit proprio motu, & de certa scientia, vt suis literis testatur: & palam est suam Sanctitatem potuisse omnia illa facere, & concedere sine vllius instantia, & petitione, arg. cap. cuncta per mundum. 9. quæst. 3. & cap. i. de constitut. & cap. proposuit, de concess. præbend.

Ad prius oppositum respondeo primo, concedendo neminem regulariter posse litigare in iudicio contra alium, non præstando saltem cautionem de rato; negando tamen, quod non possit quis agere alterius negotia sine mandato eius, vt palam probant toti tituli de negot. gest. ff. & C. Respondeo secundo, negando etiam, quod in casu proposito agatur de admittendo, vel non admittendo aliquo ad impetrandum aliquid ad litigandum pro alio sine mandato; quia solum agitur de impetratione gratiarum reformationis, & id generis aliorum. Tertio respondeo, quod

non tantum agitur de valore impetratorum, quantum de valore factorū, & concessorum à principe motu proprio, & ex certa scientia, ac de plenitudine potestatis, vt patet ex ipsis literis, quæ per supradicta valent, non obstante defectu personæ impetrantis. Ad posterius oppositum respondeo primo, quod ille §. sunt & alij. facit primum pro nostra parte per locum à speciali, quatenus per eum ob aliquas rationes speciales statuitur, ne alius pro alio rescripta ad lites impetret. ergo regulariter potest quis alia pro alio impetrare, cap. præsentē. §. loca. adiuncta gloss. verbo specialiter, de præb. lib. 6. Secundo, quod ille §. non habet locū in rescriptis motu proprio, & certa scientia concessis, vt prædictum est; & de his quæritur in casu proposito. Tertio, quod tantum loquitur de rescripto ad lites exercendas, de quo non agimus. Quarto, quod ille §. non procedit in curia, quæ regulariter non admittit huiusmodi acceptationem, præsertim in rescriptis Rotæ Auditoribus directis, vt Felin. qui fuit Auditor Rotæ, ibidem adnotat; & in casu agitur de actis in curia, quare proculdubio hæc pars est tenenda, & fouenda in gloriam Dei, qui nos omnes seruet, & foueat. Amen. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Iudex iudicare debet secundum veritatem, quam noverit vt Index. num. 10.*
- 1 *Actus valor à potestate, & voluntate facientis pendet.*
- 2 *Contradictoria simul veri esse non possunt, sed valida quo ad quid, & inualida quo ad aliud non sunt contradictoria.*
- 3 *Sacramentum licet à futura approbatione, vel reprobatione Papa non pendeat, potest tamen ab eo statui, vt idem iudicetur validum in vno foro, & non in alio. nu. 9.*
- 4 *Iudex secundum eandem conscientiam contraria iudicare nequit. nu. 12.*
- 5 *Literæ penitentiariæ quo ad forum contentiosum non suffragantur. num. 12. & 13.*
- 6 *Papa efficere potest, vt iudex iudicare debeat quid esse verum quo ad vñ forum, & non quo ad aliud. nu. 13.*
- 7 *Dispensatio limitata quo ad forum interius, ad exterius non extenditur.*
- 8 *Absolutus quo ad forum interius tantum, non est quo ad exterius.*
- 9 *Contradictoria respectu eiusdem rei, & qualitatis sunt opposita.*

C O N S I L I V M V .

Facultas dispensandi cum ijs, qui publice, & bona fide in tertio, & vltiore gradu matrimonium contraxerunt, in foro tantum conscientie cum sit per bullam cruciatam commissario concessa, & in eo foro commissarius dispensauerit; Queritur, si de impedimento in foro exteriori constet, & de dispensatione, an iudex debeat secundum conscientiam, & veritatem iudicare matrimonium validum.

- 1 Respondeo, quod pro parte affirmatiua huius dubij facit primo, quod iudex debet iudicare secundum rei veritatem, & non secundum falsitatem fucaram, iuxta illud Esaię 11. *secundum iustitiam, supple veram, id est non fucaram, iudicabit.* at vere prædictum matrimonium valuit coram Deo, ergo debet iudicari validum. Secundo, quod potestas, & voluntas concurrentes in aliquo actum, faciunt illum validum, cap. cum super. cum ei adnot. de off. deleg. & in casu illæ videntur concurrisse in dispensatione: quippe qui habebat facultatem Papæ ad id faciendum concessam, voluit dispensare, & actu dispensauit; ergo &c. Tertio, duo contradictoria non possunt esse, nec iudicari simul vera, l. vbi repugnantia. ff. de reg. iur. & cap. si enim. de pœnit. distin. 2. & consequenter matrimonium prædictum non potest dici, nec iudicari validum, & non validum; at dicendum est esse, & vere iudicari validum; quia est validum in foro conscientie secundum vtramque partem; ergo validum est, argum. à toto ad partem, quod valet secundum dialecticos, & Bald. in l. conuenticu
- 3 la. C. de episcopis, & cler. Quarto, quod sacramentum non potest pendere à futuro euentu, nec futura ratificatione, vel reprobatione etiam Papæ, vt tradit Paludanus, quem nos. munimus, & sequimur in cap. placuit. de pœnit. dist. 6. à num. 102. nam licet Papa possit efficere, vt facta virtute suæ legis habeantur pro infectis etiam ex tunc, iuxta dem. 1. adiuncta glos. ling. verbo infectis, de immuni. eccles. non tamen potest efficere, vt id quod vere est, vel fuit sacramentum, habeatur pro non tali, & infecto, arg. cap. degradatio, cum gloss. & eis adnot. de pœnis lib. 6. cum iure diuino subsistat, & Papa illud annihilare nequeat, cap. sunt quidam. 2. §. q. 1. & consequenter hoc prædictum matrimoniū, quod à primo ualuit, non potuit delinere ualere ob futurum euentum mortis mariti, nec contradictionis uxoris, nec Papa potuit efficere ne
- 4 ualuerit, uel ne ualeat. Quinto, quod licet iudex possit iudicare unum secundum conscientiam, quam habet ut priuata persona, & contrarium secundum conscientiam, quam habet ut publica, non tamen potest secundum eandem conscientiam iudicare contraria, secundum omnes. At iudex huius causæ, uisis eius actis, debet iudicare hoc matrimonium esse ualidum quo ad forum conscientie, etiam secundum conscientiam, quam

- quam habet ut iudex, & publica persona. Ergo non potest iudicare illud esse inualidum, tamquam iudex, secundum eandem conscientiam; nam qua ratione conscientia priuata non potest dicere duo contraria, eadem non poterit etiam publica, arg. l. ubi repugnantia. ff. de reg. iur.
- 5 Sexto, quod cum sequenti unum est maximum argumentum, quod pro hac parte afferri potest, quod licet remitti possit pœnas, & dari absolutio, & fieri dispensatio quo ad forum conscientiae tantum, ita quod non profint, nec noceant quo ad contentiosum, donec sciatur in illo; uidetur tamen, quod non possint illae dari, uel fieri quo ad hoc, ut non operentur effectum in foro contentioso, posteaquam scitae fuerint in eo. Pro quo facit antiquus stylus Pœnitentiariae, de quo Sarnensis in regula de non iudicando iuxta formam supplicationis q. 14. litera B. testatur, secundum quem stylum literae, in quibus committebatur absolutio, uel dispensatio quo ad forum conscientiae tantum, dirigebantur confessarijs clausae, & sigillo munitae, sicut & nunc diriguntur; & praeterea in eis apponebatur clausula, ut id fieret sine testibus, & confecto actu laniantur, siue rumpebantur litere: quod non alia ratione uidetur fieri solitum, quam ne probatione postea facta per illas operarentur etiam effectum in foro exteriori, & contentioso. & cum in casu proposito constet iudici, quatenus iudex est, de dispensatione praedicta in foro conscientiae, debet iudicare praedictum matrimonium ualuisse.
- 6 Septimo, quod uidetur non posse fieri etiam à Papa, ut matrimonium, de quo in utroque foro constat esse legitimū iudici tamquam iudici, non debeat iudicari uerum, & legitimū quo ad utramque forū: quia una, & eadem conscientia, quae per unam, & eandem scientiam publicam ducitur, non uidetur posse contraria dicere, cum una, & eadem res, uno, & eodem iure censenda sit, cap. cognouimus. 12. q. 2. & l. eū qui. ff. de usucap. At in casu proposito constat iudici ut iudici de praedicto matrimonio quo ad utrumque forum; ergo.
- 7 Non obstantibus tamen ijs, uidetur dubium possum, negatiue esse resoluendum, scilicet, quod non adsit talis dispensatio, quae ad effectum, de quo agitur, suffragetur ad ualiditatem matrimonij: quia effectus, de quo agitur, pertinet ad forum exterius, & contentiosum, ut palam est; & dispensatio praedicta nullatenus validauit matrimonium, de quo agitur, quo ad forū exterius, & contentiosum. Primo quia limitata causa limitata producit effectum, l. in agris. ff. de acquir. rer. domi. & tam facultas dispensandi commissarijs concessa cruciata, quam dispensatio facta per illos super impedimento praedicti matrimonij, fuit limitata quo ad effectus fori conscientiae dumtaxat; ergo non ualeat quo ad forum contentiosum. Secundo, quia actus agentium non operantur ultra intentionem eorum, l. non omnis. ff. de reb. cred. At tam Papa faciens facultatem dispensandi, quam commissarij eius dispensantes per facultatem praedictam cruciatae expres

se restinxerunt eam quo ad effectus fori interioris, & conscientie tantum; ergo actus eorum non possunt operari, neque prodesse quo ad alios. Tertio, ea quae sunt iudicanda valida, quo ad alterum forum dumtaxat, non debent iudicari valida quo ad utrumque. Tum per cap. de his iuncta glos. recept. de accusat. quatenus habet absolutum quo ad forum conscientie tantum, non esse absolutum quo ad forum exterius: quam communiter receptam sequitur Io. ab Anania cap. dicto de his, col. 1. Tum quod iudex, qui scit reum coram se accusatum fecisse delictum, de quo accusatur, si de illo coram eo legitime probetur innocens, debet eum absolueri quo ad forum contentiosum, & non quo ad forum conscientie; & e contra, si scit eum non fecisse, & probetur nocens, &c. iuncta lillicitas. §. veritas. ff. de off. praesid. cap. iudicet. 1. q. 7. & tradit D. Tho. communiter recep. 2. 2. q. 60. art. 6. & clarius q. 67. art. 2. ubi profunde probat Caiet. sequutus alios multos DD. classicos. Tum quod sponsi de futuro, secuta copula carnali, erant iudicandi coniuges quo ad forum exterius ante Conc. Trid. cap. 15. qui fidem, de sponsal. non tamen quo ad forum conscientie, nisi vxoro affectu eam habuissent. Tum quod contrahentes matrimonium per verba de presenti sine intentione contrahendi, iudicandi sunt in foro exteriori coniuges, non autem in interiori, cap. tua, cum ei annot. de sponsalib. Cum ergo constet dispensationem, de qua agitur, esse limitatam quo ad forum conscientie tantum, non est iudicandum per eam matrimonium esse validum in foro contentioso. Postremo, quod Papa potest statuere, concedere, vel dispensando efficere, quod aliquod matrimonium valeat quo ad forum conscientie, & non quo ad forum contentiosum: quia efficere, quod aliquid valeat quo ad vnum forum, & non quo ad alterum, non est efficere, quod vnum, & idem vere valeat, & non vere valeat, sed quod sit iudicandum vere ualere quo ad unum forum, & non esse iudicandum vere ualere quo ad alterum, quae nullatenus sunt contradictoria; quia, ut aliqua sint talia, oportet, ut sint opposita respectu eiusdem rei, vel qualitatis, secundum veram dialecticam, quae talia non sunt haec, ut palam est: sicut non sunt contradictoria, hic est idoneus ad vnum munus, & non ad aliud: nec illa, hic est successor patris quo ad vnum, & non est quo ad aliud: nec illa, Papa absoluit hunc ad hunc effectum, & non absoluit eum ad alium: nec illa, hic iudicat reum condemnandum secundum allegata & probata, & non iudicat eum condemnandum secundum conscientiam priuatam.

10. Non obstant opposita. Ad primum responderetur ex mente D. Tho. 2. 2. q. 67. art. 2. concedendo, quod iudex debet iudicare secundum veritatem, sed non qualemcumque; sed tantum secundum illam, quae sufficit ad iudicandum quod iudicare intendit, quam nouerit ut iudex. & in casu proposito iudex non nouit simpliciter veritatem praedicti matrimonij, sicut dicitur in responsione ad vltimum, & minus ad iudicandum illud esse verum quo ad for-

contentiosi effectus; quia contrarium significat ei limitatio tam in facultate dispensandi, quam in ipsa dispensatione expressa.

Ad secundum concedimus, actus valorem pendere à potestate, & voluntate agentis; & Papam quidem potestatem habuisse concedendi facultatem dispensandi quo ad vtrumq; forum; sed negamus voluisse eam facere commissarijs cruciatæ: item habuisse commissarios potestatem, & voluntatem id faciendi; quia immo neutra eis fuit, vt ex facultate sibi concessa limitate, & ex dispensatione facta ab eisdem cum eadem limitatione palam constat.

- 11 Ad tertium concedimus, non posse duo contradictoria simul esse, nec iudicari vera, & consequenter non posse dici, nec iudicari simpliciter matrimonium prædictum esse validum, & non validum. Sed negamus primo prædictum matrimonium posse iuste iudicari à Iudice fori contentiosi validum etiam quo ad forum conscientia: quia in dicta responsione ad vltimum monstrabimus illud ei non probari; & ita cessat argumentum allatum de toto ad partem. Negamus secundo, illum iudicare contradictoria; quia iudicat aliquid esse validum: quo ad quid, & quo ad quid non, vt probatum est in ultimo argumento pro parte negante formato: & consequenter Iudicem posse iudicare sine ulla contradictione hoc matrimonium nõ esse ualidum quo ad effectum fori contentiosi; licet esset ualidum quo ad effectus fori conscientia.

Ad quartum concedimus in eo assumpta, & consequenter, quod matrimonium prædictum statim ab initio ita valuit, aut non valuit, vt Papa non potuit efficere ne valeat, aut ne valuerit: sed negamus, quod Papa nõ possit statuere, vel dispensando efficere, vt aliquod matrimonium, vel aliquod Sacramentum, quod vere debet iudicari tale in vno foro, non debeat iudicari esse tale in alio foro; quia hoc nulli legi diuinæ repugnat, arg. cap. cuncta per mundum. 4. q. 3. cap. proposuit. de concess. præb. licet enim Papa non possit efficere, vt confessio, & absolutio sacramentalis iam legitime factæ non valeant; potest tamen efficere, ne in foro contentioso iudicentur validæ; immo iam effecit, quod per eadem iura iudicandum est, quod illæ iam legitimæ à pœnitente, & parochæ factæ, & mortuo parochæ, iudicari debeant validæ in foro conscientia, non tamen iudicari debent tales in foro contentioso; quia non potest probari in illo eas fuisse factas, mortuo confessario, per quem solum poterant probari, iuxta gl. & ei annotat. in cap. testimonium, de testib. Per eius item iura iudicandum est, quod excommunicatus absolutus in foro conscientia tantum à Papa, licet itatim à principio sit vere absolutus in illo foro, non iudicetur absolutus in foro contentioso.

- 12 Ad quartum concedimus in eo assumptum, videlicet, non posse iudicari iudicare duo contraria secundum eandem conscientiam, siue ea sit priuata, siue publica; negamus tamen primo, iudicem fori contentiosi in hoc ca-
su

su posse iudicare matrimonium prædictum esse validum quo ad aliquod forum: quia non constat ei, tanquam tali iudici, valere illud quo ad illud forum, vt statim probabitur in d. respõsione ad vltimum. Negamus secundo esse contraria iudicare hoc matrimonium non esse validum quo ad effectus fori contentiosi, vt supra probatum est, & esse validum quo ad effectus fori conscientiæ.

Ad sextum negamus in eo assumptum, per adducta in postremo argumento pro nostra parte adducto; concedimus autem, quod prædictæ literæ dabantur clausæ, & sigillatæ, & quod in multis earum ponebatur clausula de laniandis literis post absolutionem, vel dispensationem per eas factam: sed negamus, quod id fiebat ad finem, ne contenta in eis, posteaquam scirentur, & probarentur, prodesse in foro contentioso. Tum quia hoc nemo vnquam dixit. Tum quia etiam Sarnen. qui de hoc vbi supra testatur, ideo definit hoc fieri solitum, vt euitaretur necessitas componendi, quæ fuisset necessaria ad hoc, vt in foro contentioso iuuaret. Tum quia verius videtur id fuisse vsitatum, ne secreta peccata, & delicta, de quibus occultandis grauissimum iuramentum in Pœnitentiariæ prætorio præstatur, in infamiam eorum, quibus gratiæ fiebant, panderentur: sed quia ex illa literarum laniatione eueniebant aliqua inconuenientia absolutis, & dispensatis per eas, nuper inductum est, vt rarissime ponatur illa clausula, habito pro comperto, quod per illas literas, quibus fit, vel committitur absolutio, vel dispensatio in foro conscientiæ tantum, non probeatur quidquam quo ad forum contentiosum ad hoc, quod iudex illius fori teneatur ad aliquid faciendum, vel omittendum in illo foro, ad quod literis illis non visis non teneretur, quod mox fusus probabitur.

- 13 Ad septimum respondeo primo, negando assumptum in eo, siue maiorem. Potest enim statuere Papa, immo iam statutum est, quod iudex per quandam probationem possit credere, & iudicare aliquid quo ad aliquem effectum in aliquo foro, & non quo ad alium, & in eodem foro: cuius rei septem exempla quotidiana adduximus pridem in cap. si quis autem. de pœnit. d. 7. à num. 102. quæ ibi videri possunt. Secundo respondeo, negando etiam assumptum, siue maiorem, scilicet, quod in casu proposito constet iudici, vt iudici, de hoc matrimonio quo ad vtrumque forum. Tum quia non est propositum Pape, vt literæ prædictæ, quibus dispensatio prædicta facta fuit quo ad forum conscientiæ tantum, probeant illam quo ad forum contentiosum magis, quam literæ pœnitentiariæ, quibus eiusmodi dispensationes fiunt secreto quo ad forum conscientiæ tantum, per quas palam est non probari res in eis contentas, vt per literas Cancellariæ. Tū quia non est etiam propositum Papæ, vt per illas literas probeatur quo ad forum contentiosum magis, quam per solam signaturam gratiæ, vel dispensationis, per quam illæ non probantur quo ad forum contentiosum, iuxta regulam de non iudicando iuxta formam supplicationis, & regulam 53. iuxta

iuxta quam dispensatio non suffragatur, nisi literis expeditis. Tum denique quod stylus curiæ, qui facit ius, cap. quam graui, de crim. fals. omniū consensu habet, intentionem & mentem Papæ esse, ne illa, quæ per suam sacram Pœnitentiariam, quo ad forum conscientie tantum, conceduntur, probari possint quo ad forum contentiosum, & effectus illius per literas secretas, quæ ab ea manant, & à fortiori credendam est, nolle suam Sanctitatem, vt literæ commissariorum suorum concedentium aliqua quo ad forum conscientie tantum, probent quo ad forum contentiosum plusquàm illæ, cum eiusmodi commissarij videantur esse quidam subrogati loco sui pœnitentiarij maioris; & subrogatus debet sapere naturam eius, cui subrogatur, l. eum qui §. qui iniuriarum. ff. si quis cautio. & cap. ecclesia, vt lite pendente. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

1 *Dispensandi facultate concessa, literis non expeditis, cur non vtendum.*

C O N S I L I V M VI.

Prælatus cuiusdam religionis supplicauit Sanctissimo, vt concederet ei, & alijs suæ religionis superioribus facultatem dispensandi super irregularitate occulta cum suis religiosis, sicut possunt episcopi cum suis subditis vigore Concilij Trid. & in supplicatione petebat, vt expeditetur per breue, & non per bullam: Papa concessit facultatem, sed deleuit illam clausulam, in qua petebatur, quod expeditetur per breue. Dubitatur, an prædicti prælati possint vt dicta gratia sine alia expeditione literarum, an necesse sit bullas expedire?

1 Respondeo, etsi disputando forte teneri posset prædictos prælatos posse vt prædicta facultate ante bullarum expeditionem; non tamen auderem consulere, vt id facerent, attento quod id esset contrarium menti Papæ gratiam facientis, cuius in arbitrio consistit suæ gratiæ limitatio, & ampliatio. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

1 *Indulgentia, seu dispensatio, nisi fiat ob quod conceditur, non prodest.*
 2 *Dispensatio eius, qui ob febrem, vel alium dolorem non valet recitare horas, ad*

ras, ad cæcum simpliciter non extenditur.

3 *Dispensatio non valenti recitare, vt non teneatur, parum prodest.*

CONSILIVM VII.

AN indulgentia, vel dispensatio, quod obligatus ad dicendas horas canonicas, satisfaciatur, dicendo quinquies Pater noster, & quinquies Ave Maria, si tenetur febre, vel tanto alio dolore, quod eas recitare non possit, extendatur ad eum, qui est cæcus, vel dolore oculorum ita laborat, vt non possit recitare sine periculo perdendi visum, licet non teneatur febre.

- 1 Respondeo primo, quod indulgentia, vel dispensatio non prodest ei, qui non facit illud, propter quod illa fit, vt colligitur ex his quæ nos tradimus in comment. de Iobeleo super §. in leuitico. de pœnit. dist. 1. no-
 2 tab. 11. & 19. Secundo, quod prædicta dispensatio non extenditur ad cæcum, qui non laborat præfato dolore; quia sola cæcitas non inducit fe-
 3 brem, nec dolorem impediens recitationem. Tertio, quod probabili-
 ter dici potest, quod extenditur ad dolorem oculorum, quo impeditur
 ; potentia recitandi. Quarto, quod præfata indulgentia parum videtur pro-
 desse; nam sola febris, vel solus dolor impediens potentiam recitandi
 sufficit, vt excusetur à recitando sine præfata indulgentia: quamuis quis
 diceret, quod licet prædicta indulgentia non proficit ad excusandum à
 peccato omittendi recitationem, potest tamen prodesse ad quærendum
 meritum recitationis; quod in præsentia non approbo multum. Tum
 quia id non quæritur. Tum quia non pertinet ad Papam potestas augen-
 di meritum gratiæ, & gloriæ sine opere meritorio: quia gratiam, & glo-
 riam solus Deus conferre potest, iuxta psal. 161.

SUMMARIUM.

1 *Indulgentia pro mortuis concessa ad viuos non extenditur.*

1 *Indulgentia, vt quærat per alium viuo, raro conceditur.*

CONSILIVM VIII.

AN indulgentia concessa per Papam Capellis N. sicuti concessa fuit Capellæ ad Præsepe, videatur respicere animas viuorum, ita vt qui viuens celebrabit vnam Missam in eis, illam consequatur, sicut eam consequitur anima mortui, si pro ea celebretur.

- 1 Respondendum videtur non respicere animas viuorum, neque alios
 viuos

viuos in eis celebrantes . Tum quia rarissime conceditur cuiquam, vt suo solo facto quærat indulgentiam animæ alterius adhuc viuentis; & huiusmodi rara nec lex ipsa respicit, l. 3. & 4. ff. de legib. tum quia Pontif. Max. non videtur voluisse maiorem gratiam facere celebrantibus in prædictis Capellis, quàm celebrantibus in Capella ad Præsepe Domini: at celebrantes in ea nõ quærunt indulgentias pro viuis, sed solum pro defunctis. Nec ad hoc prodest dicere, quod verbũ *decefferint* in concessione prædicta positũ reperitur tam in futuro tempore, quam in præterito: & ita videtur comprehendere tam animas decessuras, quam eas quæ decefferunt. Tum quia phrasis ipsa clausulæ videtur se restringere ad eas, quæ decefferunt ante celebrationem pro eis faciendam, per clausulam, quæ sequitur, de ijs qui celebrant in dicta Capella ad Præsepe, quæ animarum defunctorum tantum meminit: & vna pars dispensationis per aliam eiusdem declaratur, l. 1. ff. de reb. dub. Tum quia verba dispositionis remittentis, vel condonantis, debent intelligi de præteritis, & non futuris, l. cum lex. ff. de leg. b.

S V M M A R I V M.

- 1 *Indulgentia striçte est interpretanda.*
- 1 *Indulgentia trium dierum ieiunium requirente, duorum non sufficit.*
- 2 *Indulgentia, nisi totum iniunctum fiat, non quæritur.*
- 3 *Copulatiua vt sit vera, debent omnes eius partes esse veræ.*
- 4 *Dandum, vel faciendum aliquo tempore, quando possit ante fieri.*

C O N S I L I V M IX.

AN indulgentiam concessam ieiunanti, oranti, & eleemosynam facienti feria quarta, sexta, & sabbato vnus hebdomadæ, consequatur is, qui vna præfatarum feriarum tantam facit eleemosynam, quantum omnibus tribus erat facturus?

- 1 Respondeo, quod pro parte negatiua facit primo, quod concessio indulgentiæ restrictæ est intelligenda, arg. cap. porro. de priuileg. quod in specie dixit quædam gloss. recep. in regula 56. Innoc. Cancel. quam ad hoc citamus in comment. de indulgentijs. super §. in leuitico. de pœnit. dist. 1. not. 9. num. 7. Secundo, quod non sufficeret vna, vel duabus præfatarum feriarum ieiunare, & orare, vt expresse determinauimus in dict. comment. de indulgent. notab. 19. num. 1. ergo nec facere eleemosynam pari ratione, arg. l. illud. ff. ad leg. Aquil. & cap. dudum. el. 2. de elect.
- 2 Tertio, quod indulgentia non quæritur alicui, nisi faciat totum illud,

lud, quod ad acquirendum illam prætituitur: adeo quod nihil quæritur, etiam si bona pars illius fiat, argum. l. cui fundus. ff. de condict. & demonstrat. & probat in specie contextus extrauag. vnigenitus, de pœnit. & remiss. vt ex ea collegimus in d. notab. 19. à num. 1. Quarto, quod dispositio copulatiua ad sui veritatem requirit, vt omnes eius partes sint veræ, l. si hæredi plures. ff. de cond. insti. & §. plures. in sti. de hæred. insti. ergo ad hoc, vt quis vere dicatur largitus esse eleemosynam quarta feria, sexta, & sabbato, non sufficit, vt largiatur vna, vel duabus illarû.

4 Quinto, quod licet id, quod est dandum, vel faciendum aliquo tempore, posset fieri ante illud, quando tempus est adiectum in fauorem debitoris; nõ tamen potest id fieri, quando adiectum est in fauorem alterius, vt nos tradimus in Enchiridio de oratio. c. 3. à num. 23. asserentes, quod pœnitens iussus recitare Psalmos Penitentiales septies septem hebdomadis, non satisfacit dicendo illos septies in vna hebdomada, si tempus non fuit adiectum in fauorem eius, vt leuius eos recitare posset, sed ad hoc, vt maiore tempore desereret peccata: & in casu proposito videri potest onus, de faciendo eleemosynam tribus diebus, adiectum esse, vt diutius, & pluries bene operaretur. Per quæ omnia videtur verior hæc pars de rigore iuris; quamuis ex quadam æquitate, & tacita concedentis mente dici posset partem affirmatiuam esse veram in eo, qui feria quarta expressa mente largiretur eleemosynam, quam in illa, & in alijs duabus facere intendebat per ea quæ nos tradimus in d. Enchir. c. 3. à nu. 23. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Indulgentia an peractis requisitis eruat animas à purgatorio.*
- 2 *Indulgentia mortuo per opus existentis in statu malo quæri potest.*
- 3 *Peccans spe veniæ obtinende per gratiam post, vel ante obtentam absolui potest.*

CONSILIVM. X.

Quæritur an statim atque per viuos factum est quidquid in bulla Papa fieri præcipit pro defunctis, credere possimus, quinimo teneamur, animas illas, pro quibus talia opera facta sunt, liberas prorsus ab omnibus pœnis euadere.

1 Respondeo me hanc quæstionem valde serio tractasse in Comment. indulg. super §. in leuitico. cap. si quis. de pœnit. dist. 1. not. 15. & breuius in Enchiridio, siue Manu. de Oratio. cap. 19. concl. 13. num. 63. vbi adducuntur, & concliantur, omnia saltem præcipua, quæ pro vtraque

parte afferri possunt; concludendo quid credere possimus, quidque te-
neamur credere circa effectum magnarum indulgentiarum pro parvis
causis concessarum.

- 2 An per opus existentis in malo statu possit quæri indulgentia mortuo.
Respondeo, quod sic, ea ratione, & eis testimoniis, quæ tradimus in d.
Comment. de indulgen. not. 22. n. 3 o. & tangimus in not. 17. n. 4. siue ope-
ra, ob quæ conceditur indulgentia, sint Missæ, quæ ex opere operato
profunt, siue alia, quæ tantum ex opere operantis: quoniam ratio prior,
& efficacior ibi aliata ad utraque extenditur.

- 3 An peccans spe veniæ consequendæ per bullam iam concessam, vel
postea concedendam, possit absolui per eam? Etiam respõdetur quod sic,
nisi concedens bullam, vel indulgentiam, exciperet eum ab illius com-
modo, ut latius disputando in utramq; partem tradimus in d. Comment. de
indulg. not. 34. nu. 6. posteaquam duas quæstiones præcedentes, & ut
plurimum contingentes determinauimus. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Rescripta ad beneficia, & lites, & puri priuilegij vt differunt.*
2 *Indulgentia concessa, vt anima liberetur à pœnis purgatorij, cur refor-
manda.*

C O N S I L I V M XI.

AN gratia de altari priuilegiato à Papa facta ecclesiæ N. ad petiti-
onem eius dicentis, quod erant in ea 20. sacerdotes, valeat, si non
sint plures, quam 16. sacerdotes.

- 1 Respondeo videri mihi prædictâ gratiâ reformandâ. Tum propter eo-
rum opinionem, qui referente Felin. in ca. super literis, num. 4. de rescrip.
tenent differentiam esse magnam inter literas ad lites & literas, & in-
ter literas puri priuilegij: eo quod in illis non obstat subreptio
simplex sine dolo facta quo ad ea, quæ fuissent cõcessa, etiam si subreptio
non fuisset commissa; in literis autem priuilegij sic. Tum quia concessio
2 indulgentiarum est restringenda iuxta gloss. regul. Cæcellariæ. Tum quia
etiã si prædicta gratia non esset reformanda ob prædicta, videtur reformã
da, eo quod non exprimitur in ea quantitas indulgentiæ, nec quantitas
pœnarum, à quibus liberabit illa indulgentia ob missam in prædicto alta-
ri dicendam: solum enim conceditur in ea indefinite indulgentia, vt libe-
retur anima, pro qua dicetur, indefinite à pœnis Purgatorij, & non ab om-
nibus. Et non omnis indulgentia liberat ab omnibus pœnis Purgatorij, vt
palam

palam est, sed tantū plena, plenaria, vel plenissima: & multæ indulgentiæ non plenariæ conceduntur pro liberatione animarum à pœnis Purgatorij indefinite. Quare reformanda videtur, ita vt dicat plene liberetur, vel quod ab omnibus pœnis, quas patitur, liberetur. Nulla enim missa, etiam non priuilegiata, est, per quam ex opere operato non minuatur aliquo modo pœna Purgatorij. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Dispensationes circa diuersa, licet vna de alia non faciat mentionem, non vitiantur.*

CONSILIVM XII.

Subdiaconus occultus, & male ordinatus impetrauit à Papa dispensationem, vt posset vxorem ducere; deinde, nulla de huiusmodi dispensatione mentione facta, impetrauit, vt affinem ducere posset. Dubitatum fuit, an posterior dispensatio valeret, tacita priore.

- 1 Respondetur, quod quamuis indulgentia secundi homicidij non valeat, non facta mentione de indulgentia prioris, secundum Guil. de Cuno, in l. 2. C. de episcop. audien. relatū per Bal. ibidē; & quamuis dispensatio super pluralitate concessa illegitimo non valeat, non facta mentione de priore dispensatione, qua factus est habilis ad vnum, ca. 2. de filiis presb. lib. 6. attamen lex illa 2. requirit expressionem iterationis, siue geminationis delicti, & illud cap. 2. de filiis presb. requirit illo casu illam mentionē ex ratione specialitatis, quod illæ dispensationes se contingunt, & sunt quasi circa idem: & tacitum auget delictum, vel defectum expressum, super quo dispensatur; vnde si secunda dispensatio non sit circa idem, videtur non esse necessaria mentio prioris. & ita gratia facta de pœna adulterij non requirit mentionem de gratia pœnæ periurij, lusus, vel homicidij; nec gratia pluralitatis beneficiorū facta illegitimo requirit mentionē gratiæ factæ ei de non ieiunando certis diebus, vel non soluendo pœnam periurij. Ex quo fit, vt similiter gratia ducendi vxorem facta subdiacono occulto, & male ordinato, non vitietur eo, quod tacuit, præsertim sine dolo, quod erat affinis vxoris, nec secunda gratia postea impetrata super affinitate, non facta mentione de dispensatione super ordine; quia sunt res separatæ, nec vna auget alteram; ideo nullo iure videtur requiri mentio alterius in altera.

S V M M A R I V M.

- 1 *Papa an priuilegium conferendi sacros sacerdoti dare possit.*
- 2 *Ordines sacros conferre nequit qui non est episcopus, etiam ex Papæ commissione, licet sic confirmare.*
- 3 *Ordines minores abbates suis regularib. conferre posse.*
- 4 *Ordinare ad sacros vt episcopis reseruat. Tridenti.*
- 4 *Priuilegium sacros conferendi Concilio Triden. refragatur.*
- 5 *Abbas suis minores sine episcopi examine conferre potest.*

C O N S I L I V M XIII.

A Bbas cuiusdam monasterij Germaniæ ordinis Cisterciens. habet priuilegium conferendi ordinem subdiaconatus concessum, & confirmatum à multis Maxi. Pontificib. ante concilium Triden. & etiam post illud fuerunt confirmata omnia priuilegia generaliter à Sanctissimo Domino nostro Gregorio X I I I. exceptis his, quæ sunt contraria Concilio Tridentino. Quæritur an d. Abbas possit nunc uti præfato priuilegio?

- 1 Pro parte affirmante facit primo, quod videtur Papam potuisse concedere prædictum priuilegium, iuxta gloss. solen. cap. peruenit. 95. distin. quæ habet posse Papam concedere potestatem conferendi non solum ordines minores, sed etiam maiores illi, qui habet illos; & quod prædicti monasterij Abbates vsi sunt semper prædicto priuilegio, & quod beneficium principis debet seruari, cap. decet. de reg. iuris lib. 6. Secundo, quod prædictum priuilegium non videtur esse contrarium vlli cap. Concilij Triden. quia nullo eorum videtur caueri, ne quis conferat ordines ex commissione Papæ.

Pro parte autem negante facit primo, quod multi tenent, & in his Scotus, Durand. & Adrianus, quod is, qui non est Episcopus, non potest confirmare, etiam ex commissione Papæ, per cap. manus. de consecra. dist. 5. & cap. quanto, de consuet. ergo à fortiori non poterit ordinem sacrum conferre.

- 2 Secundo, quod licet Sanctus Thomas, & communis opinio Theolog. in 4. distin. 7. & Canonistarum in d. cap. peruenit. 95. distin. & in d. cap. quanto de consuet. teneant presbyteros ex commissione Papæ posse confirmare, siue chrismare, quos non sine magno labore defendit Sorus in prædicta distin. 7. q. unica. art. 11. idem tamen Sanctus Thomas affirmat ibidem, non posse presbyterum, etiam ex commissione Papæ, conferre vl-

lum

lum ordinem sacrum, quod etiam prædictus Sotus concedit; & à fortiori omnes alij, qui affirmant non posse etiam de commissione Papæ confirmare, debent concedere.

3 Tertio, quod licet cap. cum contingat, de ætate & qualit. & communis opinio ibi, & ubique teneat, posse Abbates conferre primam tonsuram, & minores ordines suis monachis, nullo tamen iure probatur quod possit conferre sacros, etiam ex commissione Papæ: licet glossa in d. cap. peruenit, contrarium senserit argu. illius cap. quod secundum communem opinionem probat, posse illum confirmare ex commissione Papæ, vt d. etum est: sed eius fundamentum tollitur per pulchram differentiam, quam ponit S. Thomas vbi supra inter collationem ordinis sacri, & cõfirmationis.

4 Quarto, quod Concilium Tridentinum videtur solis Episcopis referuare ordinationem ad sacros ordines, dñi sess. 23. c. 8. statuit vnūquemq; à proprio Episcopo ordinari debere, & cap. 10. ne Abbates conferant minores alijs, quam suis monachis, significando, quod sacros non debent conferre etiā illis, & cap. 12. statuitur, vt nec regulares sine diligenti examine Episcoporum ordinentur, derogando priuilegijs omnibus contrarijs: per quod cap. videntur duo statui. Alterum est, quod regulares debent ordinari ab Episcopis ad ordines sacros. Alterum, quod id debet facere præmissa diligenti examinatione. Quod videtur esse contrarium priuilegio concessõ alicui Abbati ad ordinandum aliquem ad diaconatum: & quamuis inductionibus horum ca. Concilij aliqua ex parte disputando responderi posset, quia tamen arbitror esse veram opinionem prædictam S. Thomæ, cui communis assentiri videtur; & quia credo Concilium, si fuisset interrogatum, responsurum fuisse nolle tollerare tale priuilegium; & quia derogauit expresse priuilegijs contrarijs suo decreto, quo disposuit, vt regulares ordinarentur ordinibus sacris ab Episcopo, & præmissõ diligenti examine; non auderem dicere Sanctissimum Dominum Nostrum per suam generalem confirmationem voluisse tam exorbitans priuilegium confirmare, præsertim cum expresse in ea exceperit priuilegia Concilio contraria.

5 An autem Abbates ordinare possint suos regulares ad primam tonsuram, & quatuor minores sine Episcoporum examine, dicitur quod sic; quia id eis iure communi conceditur in d. cap. cum contingat, de ætat. & qual. cum adnotat. ei. & quia d. cap. 12. de refor. sess. 23. non derogat illi; quia, si satis perpendatur, de solis ordinibus sacris intelligendum est: & quia per subauditos intellectus non debent antiqua iura corrigi, iuxta gloss. solen. in cap. cupientes. §. quod si per viginti, de electio. lib. 6. præsertim quando non est tanta ratio in casu legis corrigendæ, quanta in casu legis nouæ corrigentis, iuxta notata in auth. quas actiones. C. de sacros. eccles.

S V M M A R I V M.

- 1 *Indulgentia pro defunctis per missam, quam missam requirat.*
- 2 *Valor missæ pro defunctis plus, & minus valet, quam alterius.*

C O N S I L I V M XIII.

Sanctissimus concessit privilegium, ut quoties diceretur missa in tali altari pro defunctis, anima illa per modum suffragij indulgentiam plenariam consequatur. Quæritur de qua missa intelligendum sit privilegium ad effectum prædictum operandum?

- 1 Ad quæstionem respondeo, quod ad præfatam indulgentiam quærendam, vel impetrandam pro anima defuncti, sufficit quælibet missa, tam de sancto, quam de feria, quam de defunctis. Tum quia beneficium principis late interpretandum est, l. i. ff. de const. prin. modo non sit ambitiosum, cap. quamvis. de præb. lib. 6. Tum quia bulla Sanctissimi Domini Nostri generaliter sine restrictione concedit præfatam indulgentiam pro quælibet missa sine restrictione ad missam de defunctis, vel de aliquo Sancto, vel feria: & dispositio generaliter loquens, generaliter est intelligenda, l. de pretio. ff. de publ. in rem action. cap. solita, sub fin. de maior. & obed. Tum quia omnes missæ sunt æqualis valoris quo ad valorem, quæ ex opere operato operantur, cap. intra. l. i. q. i. Tum quia licet valor missæ pro defunctis valeat aliquid amplius quo ad valorem operis operantis, ea ratione, quod totus fere tenor eius resonet defunctorum, alio tamen respectu valet minus, quia breuior est, & breuius, & minus attente ut plurimum dicitur, quam alia. Illo item, quod frequenter memoria noua Sancti, & novitas officij auget deuotionem missantis, ex qua pendet ualor operis operantis. Tum denique quod frequentissime contingit aliquem mori uespere, uel mane alicuius magni festi, cuius animæ desiderant propinqui optulari, & non possent ope huiusmodi missæ, quæ esset maximum, & præsens remedium. Quo fit, ut ego, qui habeo privilegium à S. D. N. datum, eo quod non exeo domo, ut missa, quam domi dixerò pro aliquo defuncto, tantum profit ei, quantum solebat prodesse illi, quam dicere solebam, cum exibam domo, in altari privilegiato Sanctissimæ Trinitatis, interdum soleam dicere missam de defunctis, & frequentius alias, quæ occurrunt de sanctis, & aliquot ferijs.

S V M M A R I V M .

I Legere librum vetitum an liceat extra territorium licentiam concedentis.

C O N S I L I V M V .

AN habens indultum seu licentiam legendi aliquem librum vetitum, possit legere illum extra territorium concedentis licentiam.

I Pro parte negante facit, quod Iudex non potest iubere aliquid extra suum territorium, l. vlt. ff. de iurisdic. omnium iud. cap. 2. de constit. lib. 6. quatenus habet quod excommunicatio lata ab Episcopo contra furē, non ligat suum subditum extra suam diocēsim furantem, & quod permissus prædicare, confirmare, baptizare, & ordinare, non poterit ea facere extra territorium permittentis, & quod sublato vno impedimento alterum separatum non censetur sublatum, l. si domus. ff. de seruit. vrb. præd. ca. ex tuarum, de auctor. & usu pal. & quod limitata causa limitatum producit effectum, l. in agris. ff. de acquir. rerum dom. & omnes præter Papam habent iurisdictionem limitatam ad certa loca; ergo non possunt facere, vt quod est prohibitum quo ad omnia loca, liceat extra illa, in quibus illi habent iurisdictionem: & quod interdictio artis non durat ultra tempus interdicens, l. fin. de pœnis.

Pro parte autem affirmante facit, quod habens licentiam confitendi videtur posse confiteri extra diocēsim, & parochiam eam concedentis, arg. c. placuit, adiuncta gloss. de pœnit. dist. 6. & quod habens licentiam studendi potest studere extra territorium eam concedentis, arg. cap. cum ex eo de electio. lib. 6. & quod licentia faciendi aliquid alias prohibitum non expirat morte concedentis eam, per multa quæ adduximus in d. cap. placuit. num. 161. & quod dispensatus ad non ieiunandum potest omittere ieiunium extra territorium concedentis: & quod qui habet licentiam comedendi lacticia diebus pisculentis, videtur posse comedere extra territorium eam concedentis.

S V M M A R I V M .

I Missare extra locum sacrum Romæ solis Cardinalibus conceditur.
I Episcopus, ubi Concilium est receptum, non potest extra sacrum missare.

Ll 4 2 Epi-

2 *Episcopus in sua diœcesi ex causa extra locum sacrum posset missare, & sa cultatem id faciendi dare.*

CONSILIVM XVI.

AN post Concilium Triden. sess. 22. de obseruan. & euitand. in celebrat. missæ liceat episcopis, vbicunq; reperientur, vti priuilegio dicēdi missam extra ecclesiam, vel alium locum sacrum super altare portatili. &c.

Ad hoc quæsitum respondeo primo, respondisse me in Man. conf. cap. 1 25. num. 82. quid circa illud seruetur Romæ, scilicet, quod episcopus non vitur illo priuilegio episcopali post Concilium Triden. adeo quidem, quod neque Cardinales vtuntur eo, nisi de concessione expressa Pape, quam Papa concedit quidem illis, sed rarissime vllis episcopis: quam uis mihi concessa fuit in insignem gratiam ob aliquot circumstantias speciales, vt vbi supra testatus fui.

Secundo, quod verius credo episcopum non posse in alieno episcopatu priuilegio illo vti, si episcopus ille recepit Concilium Tridentinum prædictum, ita vt prohiberet, ne quis missaret in suo episcopatu extra loca sacra, vel quæ ad solum missandum specialiter non essent deputata secundum formam Concilij: quia episcopi auctoritate prædicti Concilij possunt statuere, quæ sibi videbuntur iusta & honesta, tanquam delegati Pape, non obstantibus priuilegijs, vt exprimit ipsum Concilium.

2 Tertio, quod satis æque posset dici posse episcopos in suis episcopatibus vti priuilegio illo ex aliqua iusta causa. Tum quia non vetat directe Concilium missare cum altari portatili, sed solum ne patiantur episcopi id fieri in suis episcopatibus. Tum quia per illam modificationem videtur significare, quod intentio Concilij fuit statuere, ne id fieret pro libito, & sine aliqua iusta causa, sed quod, interueniente illa, posset episcopus missare, & eiusmodi celebrandi facultatē facere, iuxta statutum Tubarcense trāslatum in cap. concedimus. de consec. dist. 1. quod satis nos significauimus vbi supra in duobus exemplis ibi positis. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Clericus enormibus se immiscens, si monitus non desistit, fori priuilegium amittit. num. 3. & 5.*
- 2 *Religiosus, etiam Abbas, si clericus non est, minor est omni clerico.*
- 3 *Pœna nulla incurritur, nisi expresso iure caueatur.*

4 *Index*

- 4 *Iudex laicus clericum, nisi ter monitus sit incorrigibilis, punire nequit.*
num.6.
- 7 *Regularis non clericus priuilegio fori, & canonis gaudet.*
- 8 *Opinio communis à contraria textu, vel ratione nitente conuincitur.*

CONSILIVM XVII.

AN conuersus religionis approbatæ nullo ordine insignitus, qui relicto habitu se immiscuit rapinis, & latrocinijs, & alijs enormibus criminibus, perdat priuilegium fori, & subijciatur iudici laico?

- 1 Pro parte affirmatiua facit primo, quod clericus occidens, vel mādans occidere per assassinos, videtur perdere priuilegium fori, c. 1. de homic. lib.6. Secundo, quod clerici ioculatores, goliardi, & buffones, artem illam exercentes per annum, perdunt ipso iure priuilegium clericale, c. 1. de vit. & hon. cler. lib. 6. ergo à fortiori videtur perdere is, de quo loquimur, conuersus latrocinijs, & alijs enormitatibus se immiscens. Tercio, quod c. perpendimus. de sent. excom. & cap. ex parte. 3. de priuileg. probant secundum intellectum frequentius receptum, quod clericus se huiusmodi enormibus immiscens, & in eis inueteratus, ipso iure perdit priuilegium clericale. Quarto, quod clericus in minoribus constitutus, nisi habeat beneficium, uel seruiat ecclesie de mandato Episcopi, non gaudet priuilegio fori post Conc. Trid. sess. 23. c. 6. de reform. & conuersus, esto sit religiosus, & ecclesiastica persona, si tamen non est vlllo ordine insignitus, non est clericus, immo si sit abbas, est minor quocunq; clerico, c. à subdiacono. adiuncta gloss. 92. distinct. Quinto, quod opinio doctorum communis, & frequentior habet huiusmodi clericum perdere omnia priuilegia clericalia, etiam canonis, & fori, vt patet ex Hostiensis communiter recepto in d. c. perpendimus. & hanc opinionem seruari testatur Stephanus Aufferius in tract. de potest. sæcul. super ecclesiasticas personas, fallent. 19.
- 3 Non obstantibus tamen his, mihi videtur iure verius, & Christianæ pietati aptius contrarium. Primo quidem, quia nulla pœna ipso iure incurritur, nisi cum id iure exprimitur, iuxta glos. recep. in cap. vlt. de iure patron. & nullibi est textus, quod clericus immiscens se enormibus, etiã habitu, & tonsura clericalibus dimissis, perdat ipso iure priuilegium fori, antequam moueatur disistere; ergo non est dicendum, c. consuluiti. 2. q. 4. c. 2. de translat. prelat.
- 4 Secundo, quod à pro hac parte videtur casus in c. cum non ab homine, de iud. quateus habet iudicem laicum non posse punire clericum de vlllo crimine, nisi consecuta incorrigibilitate post trinam monitionem, & excommunicationem; cui satis addit c. si iudex. de senten. excom. lib. 6. hoc esse verum, etiam si habitu clericali, & tonsura dimissis, id faciat.

Ter-

Tertio, quod c. 1. de homicid. lib. 6. & cap. 1. de vit. & hon. cler. eod. lib. non probant communem sententiam, immo per locum à speciali probant hanc partem: si enim speciale est in clerico ioculatore, siue buffone, & in occidente, vel mandante occidere per assassinum, in contrarium est regula, arg. c. prædicti. §. loca, de præb. lib. 6. cum concord. Tum quia sunt leges pœnales; & ita non debent excedere proprium casum, l. si de interpretatione, & l. si præses. ff. de pœnis. c. pœnæ, de pœnit. dist. 1.

5 Quarto, quod c. perpendimus. quod omnium maxime urgere videtur, nihil contra partem hanc probat. Tum quia nihil disponi de priuilegio fori. Tum quia ad summum solum probat perdi priuilegium canonis si quis suadente. 17. q. 4. vnde Card. & Panor. grauissimi auctores, serio hanc rem expendent, affirmant illud c. nihil probare de priuilegio fori: quos sequuntur Clauasius verbo clericus, §. 1. & Syluester in verbo clericus 3. §. 9. sed & Stephanus Aufrerius, qui pro maximo cõmunis opinionis auctore, & defensore citatur, ubi supra hoc uidetur sentire, licet non fuerit ausus exprimere, quatenus ait, eis, qui hanc partem tenuerunt in quodam casu criminis læsæ maiestatis, non successisse bene, subdens quod Deus, qui nihil ignorat, sciuit an bene, uel male fecissent.

6 Quinto, quod utcumq; res habeat quo ad clericos minoribus tantum ordinibus insignitos, quorum bonam partem priuilegio fori exiit Conc. Trid. in d. sess. 23. c. 6. de reform. quo ad tamen ordine sacro insignitos constanter profecto uidetur tenēda hæc pars, ne sine textu dicamus posse presbyteros enormiter delinquentes ante illam monitionem, & degradationem à potestate laica in grande Ecclesiæ dedecus suspendi, contra d. c. cū non ab homine, & c. nouimus. de verborum signific. & cap. ad falsariorum. de crim. falsi. quam opinionem contra communem gaudeo placuisse D. Dydaco à Leyua, siue Couarrua in quæstione præct. 32.

7 Ad tria argumenta in oppositum formata respondetur per tertium, & quartum fundamentum huius partis. Ad quartum respondeo concedendo religiosum eo solo, quod sit religiosus, non esse clericū, immo esse minorem omni clerico; negando tamen quod ex hoc sequatur aliquid contra illum: quia iura æque concedunt priuilegiū canonis, & fori monachis, ac clericis ca. si quis suadente 7. q. 4. ibi, clericum, vel monachum. c. non dubium, c. de monialibus. de sententia excommu. & cap. duo sunt genera. 12. q. 1. Et ut clericus minorum ordinum se habet ad clericum sacri ordinis, quia ille potest retrocedere, hic autem non, ita monachus nouitius se habet ad professum; quia ille potest retrocedere, hic autem non, c. 1. & cap. constitutionē. de reg. lib. 6. & clem. eos. eo. tit. & ideo idem est iudicandum in hoc de monacho professo, & de clerico sacri ordinis.

8 & in quæstione proposita agitur de cõuerso professo. Ad quintū respondeo, quod cõmunis opinio non est tenēda, quādo fortiori textu, vel ratione nititur contraria, c. capellanus, de ferijs. & l. 2. §. sed neq; C. de vet. iur.

jur.enucl.& ex prædictis constat longe fortiores esse rationes huius partis, quam communis, quæ profecto nullatenus potest satisfacere argumentis contra eam supra adductis, cum tamen suis plene sit satisfactum. Salua.&c.

DE PURGA. VVLG.

S V M M A R I V M.

- 1 Purgatione vulgari se purgans, vel volens purgare, peccat.
- 2 Duellum etiam priuatum hodie excommunicat, & priuat bonis.
- 3 Voluntas occidendi non parit irregularitatem.
- 3 Iurandi facultas, nisi eam inſte petenti, non danda.
- 4 Diffamato iniuſte quæ apta remedia.

CONSILIVM I.

Quidam de crimine iniuſte à quibuſdam diffamatus ſæpe ſepius deliberauit, pro ſuæ famæ recuperatione, duello, & iuramento ſuper brachio S. Antonij ſe purgare, idque à Sanctiſ. D. N. petere. Quæritur an aliquam pœnam incurrerit, & an aliud ſibi aptius remedium ſuperſit.

- 1 Reſpondeo, D. Conſulentem debere in primis pœnitere earum voluntatum, quas habuit inordinatas, & contra quintum præceptum Decalogi datum exod. 20. & relatum à gloſſ. cap. quid in omnibus 32. quæſt. 7. quoniam purgare ſe, vel velle ſe purgare purgatione vulgari, de qua in tit. de purgat. vulg. qualis eſt purgatio per duellum, cap. 1. & 2. eod. tit. eſt graue, ac mortiferum peccatum, d. toto tit. de purgat. vulg. quamuis legatur permiſſa in aliquot caſibus, iuxta ſacram Scripturam, vt habetur in cap. monomachiam 2. q. 4. immo ſunt hodie tales per Concil. Trid. excommunicati, & alijs pœnis ipſo iure impoſitis grauiter inſiſti ſeſſ. 25. cap. 19. de reſor. quod ſolum agit de duello ſolenni, ſed extenſum fuit poſtea per ſel. rec. Gregorij. XIII. ad omnia duella, & etiam priuata, & ſine vlla ſolemnitate patrinatorum, ſeu patronorum, & aliarum monitionum, & diffidationum habita. Secundo, quod præſatus D. Conſulens non incurrit excommunicationem, neque priuationem bonorum ſuorum ipſo iure per præſatam voluntatem committendi duellum, incurriſſet tamen, & incurreret, ſi feciſſet, vel faceret illud; quia præſatum Concilium, & extenſio prædicti Gregorij non puniunt mentalia duella, ſed tantum
3 realia.

- 3 realia: pro quo est aptus text. in cap. fin. de simon. cum ei similibus. si-
cut nec voluntas occidendi facit irregularem, licet sic ipsa realis occi-
sio, secundum gloss. communiter receptam contra gloss. cap. si aliquis,
de homicid. Tertio, quod S. D. N. non faciet D. contulenti facultatem
iurandi super brachio S. Antonij, vel alijs sacris rebus, aut literis, nisi
prius iuridice nouerit eum indigere tali purgationis iuramento; quia nõ
est vane iurandum, cap. animaduertendum. 22. quaest. 2. Quarto, quod
poterit iuste agere actione iniuriarum contra eos, qui falso diffamauerunt
ipsum proditoris, furti, vel alterius criminis, & per remedium l. diffamari.
C. de ingenuis, & manumissis. quod consulerem praefato D. consulenti,
& etiam remedio iniuriarum, iuxta c. vlt. de iniur. & toto eod.
tit. ff. & C. Quinto, consulendum esse praefato D. consilium super propo-
sito negotio petenti, ne villo remedio contra praefatos homines iniurias
agat, nisi probabiliter, & efficaciter credat, quod ex taciturnitate nota-
bile sibi damnum honoris, famæ, vel rei familiaris subsequetur. Tum per
ea quæ habet l. vnica. C. si quis imper. mal. Tum quia viri grauiores par-
ui faciunt huiusmodi verborum leues iniurias, & leuiiores reputantur qui
super eis mouent lites apud Iudices, qui plerumque cū suis notarijs eos
irridere solent, & frequenter per eas augetur infamia, & diminuitur ho-
nor, & auctoritas, & fit notum quamplurimis, quod solum sciebatur à
paucis.

S V M M A R I V M.

- 1 Duella, etiam priuata, hodie excommunicantur. & num. 5.
- 2 Excommunicatio reseruata in duella publica an ad priuata extendatur.
- 3 Statutum in vno videtur obtinere in alio ei equiparato.
- 4 Pœnæ etiam ob identitatem rationis non extenduntur.
- 5 Verbum, statuimus, non est legis signum.

C O N S I L I V M II.

Pius III. sanct. mem. in bulla, quæ incipit Ea quæ, publicata de anno
1560. Idibus Nouembris, vltra alias pœnas, quas posuit in prohibitio-
ne duellorum, posuit pœnam maioris excommunicationis, & ipsius abso-
lutionem reseruauit sibi, & Romano Pontifici pro tempore existenti.
Concil. autem Trid. in cap. 19. sess. 25. excommunicat, sed nemini refer-
uat excommunicationis absolutionem in casu detestabilis duellorū vsus.
Dein le Sanctissimus D. N. Gregorius XIII. ampliauit, declarando dictū
Concilium, vt procedat non solum in publicis duellis, sed etiam in priua-
tis, vt

tis, vt in bulla, quæ incipit ad tollendum, publicata de anno 1582. in qua inter cætera dicitur, *Constitutionibus tamen, & alijs sanctionibus Apostolicis hac de re disponentibus in suo robore duraturis*. Modo quæritur an in casu duelli priuati incurratur pœna in Concilio contenta, an imposita in d. bulla Pij III. emanata ante Concilium.

Respondeo primo, quod pie, subtiliter, prudenter, & salubriter videtur sentisse, qui mouit hoc dubium, super quo adduci possent multa, quæ, vt puto, sese obtulerunt eius eruditioni.

Secundo, videri considerandum, quod Iulius II. Leo X. Clemens VII. & Pius III. videntur damnare duella illa solennia, quæ publice fiebant, impetratis campis, & facultatibus, & licentijs duella impune faciendi ab illis, qui poterant ea concedere, & voluisse punire, & castigare facientes illa, & concedentes præfatos campos, & facultates, & alios certos modos participandi cum eis: Sanctiss. autem D. N. loquitur de illis, & extendit ea ad duella priuata priuatis modis, eisdemque diuersis instituta, & executi.

Tertio, quod ex hoc sumi potest argumentum pro negatiua parte quæstionis, scilicet quod reseruatio excommunicationis à Pio III. imposita, non extendatur ad excommunicationem impositam à Sanctiss. D. N. cum pœnæ non debeant extendi extra proprium casum, etiam si in alio inueniatur omnino eadem ratio, vt in cap. pœnæ, de peniten. dist. 1. vbi nos post alios latissime tradimus, & palam sit duella priuata esse alia, & longe diuersa à duellis publicis & solennibus, & non inueniri eandem, omnino rationem in his, quæ inueniuntur in illis.

Quarto, quod etiam ex eodem secundo dicto sumitur argumentum pro parte affirmatiua quæstionis, scilicet, quod reseruatio Pij III. habet locum in excommunicatione lata circa duella priuata. Tum quia Sanctiss. D. N. per suam extrauagantem noluit derogare constitutionibus suorum prædecessorum, immo expressè cauit, vt illæ durarent in suis casibus. Tum quia æquiparare videtur quo ad hoc duella priuata publicis, cum ait per illa verba. *Considerantes duellum priuatum non minus cruetum & animæ, & corpori noxium esse, quam quod publice perpetratur*. Et statutum in vno videtur habere locum in alio sibi æquiparato, c. translato. de consuet. & glossa recepta in cap. si postquam, de elect. lib. 6. quæ habet alias multas similes: & quod etiam lex pœnalis extenditur ad alium casum, in quo est omnino similis ratio, vt sentit gloss. in vna sui parte in c. 1. de temporibus ordin. lib. 6. in verb. Italæ à multis commendata.

Quinto, quod certum videtur esse nullam pœnam à præfatis Summis Pontificibus, & Concilio Trident. impositam habere locum in præfatis duellis priuatis, quatenus sunt impositæ ab illis. Tum quia non loquuntur de priuatis. Tum quia lex pœnalis non extenditur de vno casu ad alium, iuxta præfatum cap. vel §. pœnæ. etiam si omnino sit eadem ratio, quod

nos ibidem late probamus: quod & præfata gloss. in verbo Italia, idem tenuit in fin. ex quo sequitur, quod licet constitutio Pij III. non sit subla-
ta per extrauag. Sanctiss. D. N. immo sit reseruata, tamen per illam so-
lam non censetur reseruata excommunicatio lata circa duella priuata:
quia illa nihil loquitur de illis, iuxta secundum dictū, & iuxta hoc quin-
tum non extenditur ad illa per similitudinem, neque per identitatem ra-
tionis; quia sunt valde diuersa, iuxta secundum dictum.

- 5 Sexto, quod restat dubium, an per extrauag. Sanctiss. D. N. illa re-
seruatio repetatur quo ad duella priuata. & credo quod sic; non quidē
ea ratione, quod edicta præfata prædecessorum eius extendātur per se ad
excommunicationem inflictam à D. N. sed quia eius Sanctitas expresse
extēdit easdem excommunicationes eorum ad excommunicationem cir-
ca duella priuata ab ipsomet inflictam: quoniam expresse extendit pœ-
nas illarum constitutionum ad duella priuata per hæc verba. *Auctoritate
Apostolica statuimus, & c. vt omnes, qui circa duella priuata peccant modis
expressis à sua Sanctitate, eisdem censuris, & pœnis subiaceant, quibus per cō-
stitutiones prædecessorum subiacere debebant censuris, & pœnis peccantes cir-
ca duella publica, & sollemnia.* Per quæ verba constituitur noua lex, cum
contineant verbum *statuimus*, quod est signum nouæ legis, iuxta gloss.
receptam in clem. fin. in verbo statuimus. de rescript. & palam est San-
ctitatem suam posse, ac potuisse per suam nouam legem punire præfatos
delinquentes circa duella priuata, & etiam circa alia delicta, remitten-
do se ad pœnas constitutas in præfatis edictis. Cum ergo in constitutio-
ne Pij III. imposita fuerit excommunicatio reseruata contra peccantes
in duellis publicis, censetur illa repetita contra peccantes in priuatis:
cum peccantes in eis expresse subdat illis pœnis, dicens, vt easdem pœ-
nas in illis positas incurrant. Ad quod facit c. eos de sententia excom-
mun. lib. 6. quatenus eos, qui absoluuntur ab excommunicationibus
reseruatis propter iustum impedimentum adeundi superiorem, reducit
in easdem excommunicationes præcedentes. Salua, &c.

D E I N I V R I I S, E T damno dato.

S V M M A R I V M.

- 1 Testis iuste interrogatus, reum non detegens, damnum fisco non restituit.
- 1 Damni qui causa proxima est, illud restituere tenetur.
- 2 Pœna in foro conscientie ante sententiam non debetur.
- 2 Restituat impediens alium ad consequendum ius suum.

3 Actibus

- 3 *Actibus in curctis attenditur, quod principaliter intenditur.*
 3 *Custodes, & vigiles delinquentes non deferendo peccant, sed ad pœnam, quam accusati soluerent, non tenentur.*
 4 *Leges humane maxime in foro poli non plus ligant, quam sunt receptæ.*
 5 *Interesse, & damnum intrinsicum non remotum restituendum.*

C O N S I L I V M I.

Pœna quando est posita ipso iure, an testis legitime interrogatus reum non detegens teneatur fisco damnum restituere?

- 1 Respondeo quæstionem hanc esse satis nouam, & multa pro eius vtraque parte adduci posse, & videri tenendam partem negatiuam, videlicet, quod non teneatur restituere in foro conscientie. Primo, quia non omnis, qui qualemcumque causam, & occasionem damni præstat, tenetur restituere, sed tantum is, qui causam proximam eius præstat, cap. de occidendis. 23. q. 5. & gloss. sing. cap. de cetero, de homicid. Deinde, quod prædictus testis suo falso testimonio nulla bona abstulit fisco, nec fuit causa, ut ille perderet aliqua; quia nulla ratione ante sententiam quæ fuit illa, l. eius, cum seq. de testam. Tertio, quia pœna non debetur in foro conscientie ante sententiam, iuxta gloss. sing. communiter recept. ca. fraternitas. 12. q. 2. Quarto, quod siqua ratione prædictus testis tenetur ad restitutionem, maxime eo quod fuit fisco impedimento acquirendi bona: at, ut nos resoluius in Man. cap. 17. num. 69. non tenetur, nisi qui impedit alium ad quærendum id, in quo iam habebat ius quæsitum in re, vel ad rem per actionem, vel officium iudicis; quale non videtur habere in nostro casu fiscus. Quinto facit, quod in nulla parte iuris videtur exprimi, quod teneatur quis ad restituendum fisco pœnas ei debitas ob aliqua delicta, donec ad eum per sententiam deferantur, ut significat lex 1. & alia. ff. de bon. dam. Sexto facit, quod in actibus humanis id, quod principaliter intenditur, est attendendum, & non quod minus principaliter, l. si quis nec causam. cum 16. fundamentis Iason. ibid. ff. de reb. cred. & testimonium prædicti testis non tendit principaliter ad impeditonem acquisitionis bonorum fisco, sed solum ad excusandum crimen rei. ergo &c. Septimo, quod D. Bernardus relatus à Sylu. verbo restitutio 3. q. 5. vers. 7. & à nobis in Manu. c. 25. nu. 34. ait, custodes, & vigiles ciuitatum non accusantes, quos inueniunt euntes post sonum campanæ, licet peccent mortaliter, & sint periuri, si accusare iurauerunt, non tamen tenentur soluere pœnam, quam soluissent, si fuissent accusati. Octauo, plurimum mouet, quod leges omnes humanæ, potissimum pœnales, eatenus videntur ligare, præsertim in foro conscientie, quatenus in eo sunt receptæ, & non amplius, ut satis profunde tradimus in prædicto Man. cap. 23. num. 40. & 62. At nullibi receptum est, ut vlla lege

la lege iubente damnari aliquem priuatione bonorū, teneatur quis, præfertim in foro conscientia, ante damnationem bona ad fisco deferre; ergo. Nono, quod alioquin sequeretur omnes custodes confinium regnorum deputatos ad custodiendum, ne quis aliqua exportet ex illis, vel importet in illa, vel non, saltem nisi soluto vectigali, vel portorio, vel gabella sub pœna priuationis bonorum, tenerentur restituere non solum iura, siue vectigalia debita, sed etiam bona, quæ ob id deberent fisco applicari: quod nullus, vt arbitror, hæctenus dixit.

- 5 Non obstat quod non solum tenetur quis restituere proximo bona, quæ ei abstulit, sed etiam interesse damni emergentis, & lucri cessantis, per ea, quæ tradimus in Man. cap. 17. num. 25. Tum quia dicta pœna non est interesse, per definitionem interesse positam in dicto cap. 17. num. 211. Tum quia illud est verum de interesse intrinseco, & intra rem, non autem de interesse adeo extrinseco, & remoto, ac est pœna huiusmodi applicanda fisco, l. si sterilis. §. cum per venditorem. ff. de act. empt. & dictorum à nobis in dicto num. 211. post Bart. & alios in l. 1. cap. de sent. quæ pro eo quod int. Salua. & c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Res mobiles in bello ab hostibus captæ capientium sunt.*
- 2 *Dominium rerum perditarum per naufragium, seu bellum, capienti quando quærat.*
- 2 *Bellum publicum sufficit, vt secundum leges, & consuetudinem capta in eo fiant capientium. num. 2. & 3.*
- 3 *Res in bello publice indicto amissæ prioribus dominis, secundum consuetudinem Lusitanorum, non restituuntur.*
- 4 *Postliminiij ius in armis, & vestibus in bello amissis Romani non habent.*
- 5 *Res in bello publice indicto amissæ, recuperatae ab exercitu, dominis prioribus non restituuntur, nisi & c.*
- 5 *Postliminiij ius in quibus procedat.*
- 6 *Res in bello publice indicto amissæ, ex quadam principum conuentione tacita, & belli iustitia, non restituuntur.*
- 6 *Conuentio tacita inter belligeratores vt colligitur.*
- 7 *Res aliena in bello iniusto, etiam si publice indicto, capta, domino erit restituenda, nisi vbi lex, & consuetudo inest contraria. n. 2. 5. & vlt.*

CONSILIVM II.

IN bello, & prælio Regis Sebastiani contra Mauros in Africa, cum Christiani victi fuissent, Mauri ceperunt eorū spolia, & in his lapillos, & gem-

& gemmas, & alia magni pretij, quæ postea vendiderunt parvi alijs Christianis captis, qui redeuntes ad suos, sua pecunia retulerunt illa in Lusitaniam.

Quæritur, an teneantur reddere illa dominis antiquis, quorū fuerant ante illud præliū, in quo illi obierunt, vel uicti spoliati fuerunt.

Ad quæstionē propositā rñdeo primo, quod pro parte negante, scilicet, quod nō teneatur reddere illa antiquis dominis, etiā soluto pretio, quod pro eis soluerunt, facit primo, quod bona mobilia capta in bello ab hostibus, sunt capientium, vt tradit Innoc. in cap. sicut. 3. de iureiur. quæ sequuntur omnes, & merito: quia pro eius dicto est tex. in §. itē quæ. Insti. de rerū diu. & in cap. ius gentiū. r. dist. & in l. siquid in bello. & l. hostes. de capt. & postlim. reuerf. & ita Mauri, qui ea ceperunt, videntur facti fuisse domini eorū, & consequenter potuerunt donare, & vendere.

Secundo, quod dominium rerum habitatum pro derelictis quæritur eas capienti, l. 1. & 2. ff. pro derelicto, & prædicta capta in prælio præfatorum videntur fuisse derelicta ab his, quorum erant ante prælium. Ergo Mauri, qui ceperunt ea, videntur fuisse facti eorum domini. Vnde etiā dominium rerum perditum per naufragium, vel iactarum è nauis pro eius salute, animo eas non recuperandi, acquiritur capienti eas, iuxta d. in Manu. confess. cap. 17. num. 98. & 99. & qui adiuerunt prælium illud, eo animo portabant ea, vt crederent futura illa Maurorum, si ab eis uicti forent, sine spe recuperandi ea.

Tertio, quod prædictæ leges, & aliæ illis concordantes, quibus statutum est, vt mobilia capta in bello fiant capientium, non requirunt iustitiam belli, sed solum quod sit publicum, indictum à populo Romano, vel alio libero non agnoscente superiorem; & bellum præfatum etiam à parte Maurorum erat publicum, & susceptum à Rege libero. ergo, licet forte diceretur iniustum, eo quod defendebant terras, quæ fuerunt, & etiam nunc sunt Christianorum, non videtur impedire acquisitionem captorum in eo.

Quarto, quod consuetudo omnium Regum Christianorum bellantiū habet, vt bona mobilia fiant capientiū, nō habita ratione, & discretione, an bellum iusta de causa fuerit illarum, vel acceptum, sed solum an fuerit publicum, auctoritate Principis, vel Regis liberi indictum. Ergo pari ratione id uidetur seruandum in bello à Christianis Principibus contra infideles gestum.

Quinto, quod consuetudo iam pridem seruata dicitur habere, quod mobilia Lusitanorum capta in prælijs à Mauris suis finitimis, si tribus diebus continuis ea possideantur ab eis, non redeant ad pristinos dominos Lusitanos; etiamsi empta, uel redempta, uel alias ablata reportentur in ditionem Lusitanam: quæ consuetudo potest esse rationalis, cum ad animandum Christianos ad fortius pugnandum, ne sua perdant: sicut

4 & Romani non habebant ius postliminij in armis, & uestibus perditis, l. 2. §. fin. cum l. seq. ff. de cap. & postliminio. Tum ad tollendas innumeras lites, quæ ex contrario vsu nascerentur.

5 Sexto, quod mobilia perdita semel in bello, & ab hostibus capta, licet postea recuperentur ab exercitu, non debent restitui primis dominis, sed fiunt recuperantium, nisi sint res, in quibus habet locum ius postlim. vt pulchre decidit Sali. in l. ab hostibus. la 2. C. de capt. & postlim. nu. 3. & in rebus pretiosis, de quibus loquimur, non est locus iuri postlim. quia illi solum est locus in his, quæ causa belli, & prælij feruntur, vt sunt naues onerariæ, & currus, & boues portantes & trahentes frumenta, & commeatum, vt colligitur ex l. 2. & 3. ff. de capt. vbi dicitur scaphas piscatorias, & ad voluptatem comparatas, immo nec vestes pertinere ad postlim. & ita multo maior ratio est, cur res præfatæ pretiosæ non debeant restitui, quam alia, quæ causa belli portabantur.

6 Septimò denique, quod videtur esse quædam conuentio communis tacite per consuetudinem antiquissimam inductam inter Principes Christianos, & Principes Turcarum, & Saracenorum occupantes terras ad Principes Christianos, vel Ecclesiam Christianam pertinentes, quod res mobiles captæ in bello censeantur esse capientium, attentata illa iustitia belli, quam habet ex indictione, auctoritate suprema temporali facta, quamuis alia uera non concurrat. Quæ conuentio tacita colligi posse videtur tum ex eo quod Romani, barbari, & alij pagani iure gentium vsque ad tempus, à quo cœperunt Imperatores, & Reges Christiani rerum summas tenere, id seruauerunt: tum ex eo, quod supremi Monarchæ Christiani etiam nunc id seruant: non enim in tam longa ætate memini videre, audire, nec legere, quod, facta simpliciter inter aliquos Reges pace, nulla conuentione alia inserta, subditi vnus Regis liberi adeant Regem cõtrarium, & petant coram eo mobilia capta tempore belli publici à subditis eius, & fuerint iussa eis restitui: quæ consuetudo eisdem rationibus colorari potest, quibus colorata fuit illa particularis tacta in quinto argumento.

7 Pro parte vero affirmante facit primo, quod res aliena est restituenda domino suo, cap. si res aliena. 24. q. 6. cap. peccatum. de reg. iur. lib. 6. & latius tradimus in Manu. confess. cap. 17. num. 24. & 25. At capta in præd. bello uidentur mansisse in dominio eorum, quorum antea fuerunt; quia non fuerunt facta Maurorū, qui ea ceperunt, cum bellum illud à Maurorum parte fuisset iniustum; quia susceptum erat pro defensione terrarum, quæ non erant suæ, sed Christianorum, qui volebant eas recuperare: & D. Thom. in 2. 2. q. 66. ar. 8. recep. ab omnibus Theologis expresse ait, quod ad hoc, vt capta in bello fiant capientium, requiritur, quod bellum sit iustum.

Secundo, quod ad effectum, vt capta fiant capientium, non videtur
suffi

sufficere, vt bellum sit publicum auctoritate temporali suprema indictū; quia alioquin consequeretur, bella Turcarum, & Saracenorum contra Christianos esse iusta, & capta in eis fieri eorum, & consequenter Christianos captos ab eis fieri seruos eorum; quod videtur durum. Sed ad hæc duo argumēta pro parte affirmante adducta responderi potest, nisi lex & cōsuetudo obstaret, per tacta in quinto & 2. pro parte negante formatis.

Per quæ omnia ego non auderem in præsentia affirmare partem posteriorē: sed magis inclino in partem priorem, quam certe disputando defendi posse non dubito; nec contra eam consulam, donec inueniam aliquid firmitus, quam nunc inuenire potuerim; eo quod hæc quæstio, etsi grandis & quotidiana, nondum est, vt arbitror, pro dignitate tractata. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Pater restituat fisco legitimam filij condemnati statuto debitam.
- 1 Pæna post condemnationem etiam iure poli debetur.
- 1 Depositum eius, cuius bona postea confiscata fuere, fisco restituendum.
- 3 Pater an computare possit filio in legitimam, quæ ipse ei subtraxit, num. 5. vel pro ipso coacte soluit. & nu. 6.
- 4 Pater, & filius possunt sibi inuicem naturaliter obligari.
- 4 Pater non potest agere furti contra filium.
- 5 Obligatio naturalis iure canonum naturali, & civili æquatur.
- 6 Pater repetere non valet quæ ex charitate pro filiis soluit, nisi protestatio precedat, seu coactio.

C O N S I L I V M III.

STante statuto, vt filius familias propter suum delictum condemnari possit in legitimam, quæ deberetur ei ex bonis patris, si tunc ille morderetur; & aliquis filius familias condemnatus fuerit in illa, & pater mendacijs, & periurijs suis, & suorum amicorum probet se non habere vlla bona, ex quibus debeatur legitima filio;

An teneatur pater restituere fisco, vel Iudici, cui debebatur quarta illius legitimæ.

Secundo, esto quod teneatur, possit computare in partem restitutionis ea, quæ filius subtraxit antea patri ad lusus & alia illicita.

Tertio, an possit etiam computare ea, quæ alias soluit propter delictū ab eodem filio perpetratum.

AD PRIMAM QUÆSTIONEM Respondeo, quod tenetur

Mm 2 resti-

- 1 restituere. Tum quia licet quis pœnam non debeat in foro conscientia, donec condemnetur iuxta gloss. celeb. in c. fraternitas. 12. q. 2. post condemnationē tamen teneur, iuxta doct. S. Thom. recep. in 2. 2. q. 62. ar. 4. Tum quia non licet vlli defendere se, & minus sua bona per mendacia, & periuria iuxta eund. S. Thom. recep. 2. 2. q. 69. ar. 2. quæ quia suapte natura mala sunt, nullatenus fieri deberent. c. itane. 32. q. 5. Tum quia lex bona fides. ff. depositi. habet, quod etiã depositarius tenetur reddere fisco depositũ, quod penes ipsum deposuerat is, cuius bona postea fuerunt cõfiscata. Tũ denique quod iustitiã, & æquitate præcipitur, vt vnicique reddatur suũ, vel sibi debitũ, l. iustitia. ff. de iust. & iure. §. 1. Inst. eod. At in casu proprio Fisco, & Iudici per præfatũ statutũ debent parētes soluere, vel tradere tot bona, quot obuenirēt filio, si tempore cõfiscationis ipsi morerētur; ergo pater prædictus tenetur soluere quantũ ascenderet legitima.

- AD SECYNDAM respondeo, quod expedisset dicere, an prædictus filius esset in potestate patris, vel emancipatus: quia statutum solum
3 includit parentes habentes filios in potestate. Secundo, præsupposito quod prædictus filius erat in potestate, respondeo, quod hæc quæstio est magna, & pendet multum ab his, quæ leguntur & notantur per gloss. Bart. & omnes alios in illa lege, re & fama difficilis, frater à fratre. ff. de conditio. indeb. quæ licet late, & subtiliter tradantur ibi per omnes, nõ
4 tamen facilis est eorum applicatio ad casum propositũ: nam ibi concluditur ab vna parte, quod filius potest obligari naturaliter patri, & contra pater filio, etiam si non habeat peculium castrense, nec quali castrense, nec aduentitium. Et ab altera parte etiam concluditur patrem non posse agere furti pro furto, quod fecit filius, cum adhuc ei subesses, etiam post emancipationem per l. serui, & filij, & per l. si quis vxori. ff. de furtis. Sed
5 omnis multis, quæ pro vtraque parte adduci possent, verius videtur, saltem quo ad forum conscientia, quod iure naturali & diuino, & etiam canonico filius familias, sicut peccat mortifere furando patri ad vsus in quæstione nominatos, ita etiam tenetur restituere, si potest. Tum quia lege naturali & diuina videtur contineri illud, non dimittitur peccatũ, nisi restituatur male ablatum. c. si res aliena. 14. q. 6. c. peccatum. de reg. iuris lib. 6. & ita nulla humana lege tolli potest, c. quo iure. 8. dist. c. si. de consuet. Tum quia etiam lege ciuili, vt dixi, obligari potest naturaliter filius patri, d. l. frater à fratre. & obligatio naturalis iure canonico præfertim quo ad forum cõscientia æquatur naturali & ciuili. c. 1. de pactis. cum ei annota. Tum quia Bal. hoc tenet in auth. ex testamento. col. penult. C. de collatio. relatus & probatus à Ioanne Lapo in rep. c. per vestras. de donat. inter vicum & vxo. in §. 8. vers. & hinc est. verba Baldi sunt hæc. *Decimo sexto cap. est de profusis ab ipso filio, vt quia lusit ad aazardum. & dic quod sibi imputat: quia ludere est lata culpa, & ideo tenetur, licet possidere desistit infr. eod. authen. quod locum, & l. pactum. Idem si in meretriciãdo consumpsit.*

quia

quia meretricari est dolus ff. manda. l. si vero. §. si adolescens. idem de his, que viuo, vel mortuo patre pro suis culpis, & excessibus soluit: nam sibi soli imputat. ff. pro socio. l. cum duobus. §. fin. Hęc ille, cuius dictum procedit etiam in his, quę filius furatus est, secundum Diuum Anton. in p. 2. tit. 1. cap. 15. §. 1. Sylu. verb. fur. q. 12.

AD TERTIAM respondeo, quod etiam sunt computanda in restitutione legitima illa quę pater virtute prædicti statuti soluit pro peccatis, in quibus condemnatus fuit præfatus filius. Nā Bald. id expresse vbi supra dicit. Tum quia licet ea, quę parentes sponte impendunt in personas filiorum causa pietatis, & charitatis, non possint repetere ab eis, nisi prius facta fuerit protestatio, quod animo repetendi impenderent: ea tamen, quę coacte impendunt, possunt repetere, & in dubio videntur impendisse animo repetendi. Bald. in l. Nellenius. per illam l. ff. de negot. gest. & per Lauia. C. eod. Tum quia regulariter nemo præsumitur donare, l. cum de indebito. ff. de probatio.

S V M M A R I V M.

- 1 Pœnitens, qui confessario quid restituendum dedit, satisfecit, donec sciat non fuisse restitutum.
- 2 Restitutio à regulari vt sine detrimento monasterij facienda.
- 3 Confessarius ad restituendum quid accipiens, eamdem, quam pœnitens, curam adhibere debet.
- 3 Confessarius, qui, vt promissit, non restituit, pœnitentem moneat.
- 4 Impotentia quę à restitutione excusat.
- 4 Restitutio incertorum pauperibus facienda.

C O N S I L I V M IIII.

Quidam confessarius accepit à pœnitente certam summam pecunię, vt ea satisfaceret suis creditoribus occultis, qui tamen impedit eam in suos vsus bonos, vel malos, mentitus pœnitenti, quod satisfecit creditoribus. Queritur quid dicendum.

Respondeo primo, quod pœnitens videtur satisfecisse, donec innotuerit ei dolus confessarij, argu. c. significantur. de pignoribus. & aliorum iurium, quę probant excusari quem ob fidelitatem nūcij, & ob auctoritatē consultorum. Secundo, quod præfatus D. Confessarius tenetur satisfacere creditoribus eo modo, quo religiosi possunt suis, sine detrimento sui monasterij, vel ordinis: quę tetigimus in tractatu de re dit. eccl. quæst. 3. monit. vltimo, & explicatius quæsti. 2. mon. 20. vbi potest videri posse etiã

M m 3 facere

- facere de alijs rebus, quas in suos honestos vsus dispenderet de licentia legitima suorum superiorum, iuxta ea, quæ latius scripsimus in commen.
- 3 2. de regula. super cap. non dicatis. 1 2. quæst. 1. Tertio, quod præfatus confessarius debet ponere tantam diligentiam in inquirendo prædictos creditores, & eorum hæredes, quantâ tenebatur adhibere pœnitens: quia subrogatus sapit naturam eius, cui subrogatur, l. eum qui. §. qui iniuriarum ff. si quis cautionibus. Quarto, quod iuri propius videtur præfato confessario, vt admoneat secretissime pœnitentem, quod non soluit præfata debita, si pœnitens viuat. Quinto, quod si nullo modo prædictorum potest satisfacere, excusabitur impotentia, iuxta ca. Odoardus, de solutio. & l. nã & is. ff. de dolo. & doli excep. & tradita per S. Thomam. 2. 2. q. 62. ar. fin. & per nos post alios in Manu. Conf. cap. 1 7. num. 75. Sexto, quod si creditorum, & debitorum incertitudo non poterit certificari, vel qua parte non potest, est facienda restitutio pauperibus, si fieri potest, per c. cum tu. iuncta glos. de vsuris. & ipsemet confess. potest esse vnus de pauperibus, cui tanquam pauperi potest fieri restitutio, vt nos vtiliter declaramus in Enchiridio de oratio. cap. 7. num. 34.

D E P O E N I S .

S V M M A R I V M .

- 1 Excommunicatio lata in religiosum solemnizantem coniugium non est per Concilium Triden. sublata.
- 1 Lex prior per posteriorem, nisi expresse, non tollitur, vel sit ei contraria.
- 2 Actionis, vel pœnæ nouæ inductio veterem non tollit.
- 3 Pœna in regulares coniugia solemnizantes, in seculares non extenditur.
- 4 Statutum nouam pœnam inducens cur antiquam tollere censetur.
- 5 Pœna duplici nemo ab homine punitur, secus à iure.

C O N S I L I V M I .

Quæritur, an pœna excōicationis ipso iure imposita religioso matrimonio solemnizati sine licentia Parochi per Clem. 1. de priuile. sit sublata per pœnam suspensionis introductam per Concil. Triden. c. 1. de reformatio. matri. fess. 24. contra sacerdotem regularem, vel seculares, qui alterius parochi sponfos sine illorum parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus sit.

Quæstio hæc materiam habet in multis locis tactam, & in raris vel for te nullis

te nullis satis resolutam; videtur tamen negatiue resoluenda. Primo qui-
 dem, quod à lege antiqua non est recedendum, nisi quatenus per nouam
 reperitur recelsum, l. præcipimus. C. de appell. cum suis concord. & præ-
 dictum Cõcil. nullatenus recedit à d. Clem. 1. Secundo, quod posteriores
 leges non tollunt priores, nisi eas expresse tollant, vel eis sint contrariæ, c.
 1. de const. lib. 6. & præd. cap. 1. non est contra præd. Clem. Tertio quod
 nouæ actionis inductio non tollit veterem, l. quoties. ff. de actio. & oblig.
 per quam dixit Imol. relat. à Domin. in c. eos de tempor. ordin. lib. 6. quod
 pœna à vetere lege imposita non tollitur regulariter per alteram pœnam
 à noua lege impositam. Quarto, quod sententia excommunicationis lata
 per Alex. in c. ita quorundam, de Iudæ. non censetur fuisse sublata, sed po-
 tius duplicata per Clementem in c. quod olim. de Iudæ. vt sensit glo. ipsius
 in ver. supponimus. quatenus ait, eiusmodi deferentes arma Saracenis
 duplici excommunicatione esse excommunicatos, illa videlicet, quam
 tulit olim Alex. in d. c. ita quorundam. & Clemens per d. c. quod olim.
 ex qua glof. inferit Ioan. ab Ana. esse verum, quod ait Bart. in l. 1. ff. de vi
 bono. rap. videlicet, quod lex noua inducens vnam pœnam, non tollit alte-
 ram per veterem impositam. Quod etiam Felin. non citato Anania, ibidẽ
 tenet, & affirmat, limitans hoc non procedere, quando de mente legem
 nouam ferentis apparet, quod voluit eam tollere, iux. Dom. in d. c. eos.
 Quinto, quod nulla uerba præd. c. 1. significant expresse, nec tacite voluit
 se Concilium tollere pœnam impositam à d. Clem. immo sunt complura,
 quæ significant contrarium. In primis quidem, quod præd. Clem. contra
 solos religiosos hoc statuit, illud autem c. 1. etiam contra sacerdotes sæcu-
 lares, contra quos non debuit imponi tanta pœna, quanta contra religio-
 sos. Tum quia maior inconuenientia consequi posset excommunicatio-
 nem Parochorum, & aliquorum magnorum Plebanorum, quam excom-
 municationem religiosorum, præsertim simplicium, vt palam est. Tum
 quia vt plurimum religiosi sunt exempti, & canones grauius puniunt eos
 in eiusmodi rebus excedentes, quam non exemptos, iux. Ioan. Monach. &
 communem in cap. 1. cum glof. verb. ingressum. de priuil. lib. 6. quæ habet
 pœnam suspensionis illius cap. contra celebrantem coram excommunica-
 to non habere locum, si celebrans non est exemptus.

Non obstant illa multa, quæ post alios adducit Dec. in c. de causis, de
 officio deleg. quibus concludit per statutum Ciuitatis, quo imponitur pro
 aliquo delicto noua pœna, videri tolli pœnam à iure communi impositã,
 quod etsi multi nõ satis aduertant, ratio est quia videtur de mente statuẽ
 tiũ esse illud. Tum quia Ciuitates, quæ possunt recedere per particularia
 statuta à iure communi quo ad se, iux. l. omnes populi. ff. de iustit. & iur.
 facientes talia videntur limitare ius commune quo ad se. Tum quia fa-
 ciunt quod Potestates iurent seruare sua statuta, & communiter, quod im-
 ponant pœnas ab eis statutas: quia cum possint imponere duas diuersas,

5 censentur tollere pœnam iuris communis. Non obstat etiam dicere, quod tam Barth. quam Panor. & alij fere omnes tenent, quod licet duæ pœnæ sint statutæ ab vna, vel à duabus legibus, iudex, qui vna earum reum punierit, non potest eum alia punire: quia hoc verum est in pœnis, quæ sunt imponendæ à Iudice, non autem in his, quæ imponuntur à iure: quia vtræque punitur, vt præd. Anan. quem nos iam pridem retulimus, & secuti fuimus in repeti. d. c. ita quorundam, de Iudæis. singulariter colligit ex prædicta glos. d. c. quod olim, in hæc fere verba, *Illud Bar. in l. 1. ff. de vi bono, rapto. scilicet punitum à Iudice pœna vnius legis prioris vel posterioris, non posse puniri pœna alterius. limitandum est quo ad pœnas per sententiã Iudicis infligendas, non quo ad alias ipso iure impositas.* Cum ergo tam Iulpenio prædicti cap. Concil. Triden. quam prædicta excõmunicatio præd. Clem. ipso iure incurrantur, nihil inconuenit, vt idem regularis incurrat eas ambas. & c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Damnatus ad carcerem perpetuum cum victu quatuor vnciarum panis, & totidem aquæ, an censeatur ad mortem damnatus.*
- 2 *Delinquens debita pœna puniendus, non vt citius moriatur.*
- 2 *Irregularis fit, morte secuta, Iudex reum ad durum carcerem, vel inediã nimiam damnans.*
- 3 *Ignorantia eius, quod quis scire debet, non excusat.*

CONSILIVM II.

AN condemnatio alicuius ad perpetuum carcerem cum assignatione quatuor vnciarum panis pro cibo, & totidem aquæ pro potu singulis diebus, sit condemnatio ad vltimum supplicium, ita vt, si sic condemnatus moriatur, censendus sit cõdemnans irregularis. Secundo, an excuset ignorantia terminorum.

AD HORVM dubiorum prius respondeo primo, quod nõ est iuriscõsulti, sed medici, vel alicuius alterius experti iudicare, an possit quis viuere diu pane quatuor vnciarum, & aqua totidem, iuxta illud, quod medicorum est promittant medici, tractant fabrilia fabri, relatum à Hieronymo in prologo bibliorum.

- 1 Secundo, quod præsupposito, quod potest damnatus ad perpetuum carcerem vitam agere longam prædicto solo cibo, & potu vtendo, saltem attenta conditione suæ personæ, vt Paulus Eremita, & alij multi Patres referuntur vixisse, certum est taxationem eius, neque damnationem ad talem vi-

sem vitam agendam, esse vltimum supplicium, nec proprie, nec large, a gum. l. qui vltimo supplicio. ff. de pœn.

Tertio, quod præsupposito contrario, scilicet huiusmodi vltimum non esse sufficientē ad sustentandū diu damnatum, dicimus taxationē quidem illius non esse proprie vltimum supplicium; sed damnare aliquem, vt nil plus in die edat, & bibat, esse in effectu damnare illum vltimo supplicio, vel ad vltimum supplicium. Tum quia nil refert quid de æquipollentibus fiat l. fin. ff. mandat. cap. licet ex quadam. de testib. Tum quia Panor. communiter receptus in cap. cum non ab homine, de Iudic. num. 31. sic ait. *Aduerte tamen, quia vbi quis facit aliqua delicta, ita quod debita pœnitentia sit imponenda, non tamen per hoc tantum vita debet attenuari, quod verisimiliter citius moriatur. Vnde notat Ioan. de Lign. in clem. 1. de pœnit. quod carcer istis deputandus non debet esse nimis arctus, vt certe infra paucos dies verisimiliter moriatur. Vnde tales officiales sic eum includentes efficiuntur irregulares secundum eum, quod bene notat in practica; quia multi decipiuntur. & intellige quod efficiuntur irregulares, secuta morte. & pro hoc vide tex. sing. in cap. nouimus, de verb. signific. vbi dicitur, quod ex pane doloris, & aqua angustie sustentandus, & c. & sic not. verb. sustentandus. non ergo illico consumendus est. Item quod dicit ibi, quod mors debet esse solatium, vita tormentum, & sic vult, quod viuant, vel vitam ducant in iugi pœnitentia. Vnde caueant sibi Prælati nostri temporis, qui aliquando ponunt in gabria, & necessaria subtrahunt; adeo quod mors verisimiliter est cito consecuta, siue sub secuta. Hęc ille, cui concordat Dec. sic scribens. Postremo notandū est, quod Abb. dicit circa pœnitentiam, quæ taliter imponi debet, ne quis verisimiliter breui moriatur, vel quo ad qualitatem carceris, vel quo ad vitæ necessaria, alias, sequuta morte, prælatus erit irregularis. Concordat etiam Alc. in fin. & ante illos Felin. num. 13. in hæc verba. *Circa pœnam eorum qui iniungunt carcerem mortalem ponit sic Abb. Ego vero allego Bald. in l. de pecorib. in fin. C. ad l. Aquil. vbi consuluit, quod si quis moriatur in carcere, Episcopus non fit irregularis; quia eius actus non est immediate causa mortis, nisi posuisset in loco arcto, qui careret sufficienti aere, vel ex paucitate cibi consumptus periret; quia tunc est irregularis. allegat l. necand. ff. de lib. agnos. vbi necare dicitur, qui non aluit, & cap. pasce fame morientem. 86. dist. ibi si non paueris occidisti. & allego Ioan. Andr. in cap. 1. de apost. vbi dicit caueant multum prælati, quia carceratis vita relinquitur, licet cum miseria; & ideo si moriuntur ex nimia miseria, incurritur irregularitas. Et sequitur ibi Anan. & in cap. qualiter in 3. col. de accusat.**

AD DVBIVM posterius elicitur responsio ex solutione prioris, hoc addito, quod ignorantia prædictorum ternnorum non posset eum excusare; quia est ignorantia eius, quod oportuit per eum sciri: quæ non excusat. 1. q. 4. §. notandum. & cap. ignorantia. de reg. iuris lib. 6. quāuis excusare posset iudicium medicorum, qui iudicarent præfatum vltimum

Etum in insula temperata, in qua erat carcer, sufficere ad sustentandum saltem miserrime vitam. Consuetudo item, si qua esset in illa regione, imponendi huiusmodi victus pœnam non damnatis ad mortem, posset excusare à pœna, licet non à peccato, iuxta gloss. mem. & recep. in cap. denique. 4. dist. & cap. cum venerab. de consuet. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Pœna parochi, cuius culpa parochianus sine pœnitentia moritur, est arbitraria.*

C O N S I L I V M III.

Quæritur quæ pœna sit sacerdotis, cuius culpa effectum est, ut parochianus decesserit sine sacramento?

- 1 Respondeo primo, quod pro tali culpa generaliter est nulla, quod meminerim, ipso iure, nisi amissionis gratiæ gratum facientis Dei, si culpa peruenit ad gradum, quo esset mortalis: per sententiam autem imponitur arbitraria iuxta culpæ quantitatem, secundum illud, *Iuxta mensuram delicti sit & plagarum modus*. Deutor. 25. & cap. non afferamus. 24. q. 1. & iuxta iura, quæ ad negligentiam puniendam citat gloss. celebris in cap. ea quæ, de officio Archid.

S V M M A R I V M.

- 1 *Communicans cum suspensio ab oratione nullam incurrit excommunicationem.*
- 2 *Suspensus ab officio est suspensus ab oratione.*
- 3 *Suspendi ab oratione potest homo ob peccatum veniale.*
- 4 *Suspensus à Confessore ministrando non efficitur irregularis.*

C O N S I L I V M IIII.

- 1 **D**ubitatum est à quibusdam eruditis, an sit verum id, quod sentire videtur Ioannes Cassianus lib. 2. cap. 16. de canonic. nocturnarum oratio. & psal. modo. nempe communicantē suspensio ab oratione propter delictum incurrere excommunicationem, saltem minorem. ait enim per eiusmodi communionem videri communicare cum tradito Sathanæ, quo nomine

nomine Apost. vocat excommunicatum maiore excommunicatione. 2. ad Corinth. 5. & constat communicantem excommunicato excommunicatione maiore regulariter incurrere minore, & frequenter maiorem, cap. nuper, & cap. concubinæ. de sent. excomm. & cap. cum excommunicato, & cap. quoniam multos. 1. q. 3. Sed contrarium est tenendum, quia nemo ullam pœnam incurrit ipso iure, nisi expresso iure id caueatur, iuxta gloss. solennem receptam in cap. fin. de iur. patronat. & nullo iure talis excommunicatio fertur. Tum quod omnis ecclesiasticus suspensus ab officio, est suspensus ab oratione per definitionem suspensionis à nobis post alios traditam in Man. Confess. cap. 27. num. 151. at nemo hæcenus dixit communicantem suspensio ab officio excommunicari. Ergo non est dicendum. 2. q. 4. cap. consuluisti, & §. consideremus. de trient. & semiss. col. 3. Tum denique quod suspendi potest quis ab oratione ob peccatum, quod tantum est veniale, vt tradimus nos in d. cap. 27. nu. 159. & per tale peccatum veniale non traditur quis Sathanæ, nec perdit charitatem, siue gratiam gratum facientem, cap. vnum. §. criminis. 25. dist. 4. Addo, quod suspensus ab oratione per confessarium non incurrit irregularitatem. Quibus est consequens regulariter communicantem eiusmodi suspensio, cum nullo iure id caueatur, non incurrit irregularitatem: & irregularitas non contrahitur, nisi in casibus à iure expressis, cap. is qui, de sent. excommunic. lib. 6. per cuius textum, & rationem gloss. memor. in ver. iure. ait suspensum ab officio, vel communione à confessario, contrahendo ei, non incurrit irregularitatem.

DE POENITENT.

& remiss.

S V M M A R I V M.

- 1 Excommunicatio rapientium naufragorum res non erat reseruata.
- 2 Naufragorum res, vt eas dominis restituant, vel ignoranter capientes, licet non restituant, Bulla Cœnæ non excommunicantur.
- 3 Excommunicatio bullæ in naufragorum res rapientes cur non relaxanda.
- 4 Absolui magis merentur actu restituentes, quam restituere promittentes.

C O N S I L I V M I.

Episopus cuiusdam insulæ miseratus animabus suorum subditorum rapientium naufragorum bona, supplicabat, aut quod quo ad illam insulam.

insulam excommunicatio prædicta relaxaretur, vel quod in articulo mortis sibi dicta excommunicatio esset reseruata, vel saltem quod sibi daretur facultas absoluendi eos, qui restituere non poterant. Queritur an prædicta, seu aliquam partem concedere dicto Episcopo expediat?

- 1 Quod annuendum sit oratori, facit, quod Concil. Lateranen. in cap. excommun. de raptor. quod hanc excommunicationem induxit, nemini reseruauit absolutionem: & in tempore Caiet. casus episcopalis erat, ipso testante, verbo excommunicatio, cap. 23. in fine: quinetiam hodie videtur episcopalis, nisi quo ad eos, qui rapuerint, aut scienter ipsi sibi acceperint, aut ab alijs rapta, aut accepta similiter scienter receperint;
- 2 horum enim solam excommunicationem reseruat bulla; & consequenter, qui acceperunt bono animo seruandi ea quibus oporteret restitui, aut ignorantes ea esse rapta, aut ex naufragio accepta, aut fuisse naufragorū, licet nolint restituere, & sint in mora restituendi, & ob hoc sint excommunicati per Concil. Lateranense, non tamen excommunicantur per bullam Cœnæ: & fauorabile est rem redire ad suam pristinam naturam, l. si vnus. §. pactus, ne peteret. ff. de pact. cap. ab exordio. 35. dist.

- 3 Quod autem non sit annuendum, facit primo, quod hæc reseruatō fuit facta ad reprimendam procacitatem, & crudelissimam cupiditatem habendi bona naufragorum valde miserandorum, & ad deterrendum omnes à tanta crudelitate; quæ deterritio, siue timoris incussio magis necessestaria est quo ad inhabitantes littora marium, & insulas, quam quo ad inhabitantes continentem, & loca mediterranea, quod hæc frequentius in illis, quam in his contingunt: & ita aut quo ad omnes videretur relaxandus hic rigor, aut non quo ad illos, pro quibus petitur.

Secundo, quod eadem ratione, qua esset relaxanda prædicta bulla Cœnæ quo ad regiones in petitione contentas, esset relaxanda quo ad omnes alias similes terras Italiæ, Germaniæ, Belgiæ, Galliæ, & Hispaniæ, quod non videtur decere, stante prædicta bulla, quæ satis strictè, vt prædictum est, loquitur.

- 4 Tertio, quod orator non videtur petere potestatem absoluendi, nisi pro ijs, quibus non suppetit facultas restituendi: & non minor, immo maior ratio suadere videtur, vt qui possent soluere, & actu soluerent, absoluerentur, cum penitus tollant culpam, quam qui solum promittunt, arg. l. minus est habere actionem, quam rem. ff. de reg. iur.

Quarto, quod parum videtur decere, vt Sanctitas sua in sua solenni bulla decernat, ne incidentes in eam, absoluantur ab alio, quam ipso, & in articulo mortis, nisi sufficienter cautione præstita; & quod nunc permitteret absolui extra mortis articulum cum sola promissione de restituendo, cum suppeteret facultas, quod raro habebit effectum, saltem in foro exteriori.

Quinto, quod forte longe magis conueniret saluti animarum eorum, pro

pro quorum favore petitur hæc indulgentia, quod Sanctitas eius admoneret oratorem, & suos suffraganeos, ut præceptum illud grauissimum de publicanda sua bulla in omnibus ecclesijs, saltem semel in anno, sine ulla negligentia, & cura maiore obirent, & exequerentur, quo ad hanc clausulam, in locis maritimis, quam in alijs, & quod curiones, & curati sepe declararent in suis parochijs vim huius clausulæ.

Quare iuste, & æque responderi posse videtur, ut ordinarius absoluat prædictos in omnibus casibus, in quibus per prædictum Concil. Lateran. incurritur, exceptis his paucis, quas prædicta bulla reseruauit Sedi Apostolicæ ob prædictam crudelem, & immanem auaritiam ipsis Anthropophagis horrendam, quod Deo, iuri, auctoritati bullæ cæne, & tam horrendis criminibus arcendis conuenire videtur mea sententia. Sal. &c.

S V M M A R I V M.

1. Papa reuocare potest indulgentias omnes à præcessoribus concessas.
2. Præceptum iustum, & decens differunt, nec de vno ad aliud infertur.
3. Papa statim creatus indulgentias, ut putat Viguerius, non reuocat, sed gratias, & indulta ad beneficia.
4. Indulgentias tantum plenarias ante annum Iobelæi Papa ut reuocet.
5. Facultas absoluendi ab omnibus peccatis non est indulgentia, nec per bullam Iobelæi reuocata.
6. Cautela abundans nemini nocere debet.
7. Indulgentiæ quæstuariæ omnes reuocantur.

C O N S I L I V M II.

Leo X. visitantibus ecclesiam Treuerensem, & peccata sua confitentibus concessit, ut ab omnibus peccatis, etiam reseruatis, absolui possent. Clemens VII. dictam ecclesiam deuote visitantibus, & ei aliqua sua bona distribuentibus certorum dierum indulgentiam concessit.

Quæritur an gratiæ prædictæ sint derogatæ, vel ex eo, quod, ut Viguerius de instit. Theologiæ cap. 16. §. 6. dicit, Summus Pontifex à principio suæ creationis reuocat indulgentias per prædecessores concessas; vel ex eo, quod Clemens VII. anno Iobelæi reuocauit indulgentias à prædecessoribus concessas?

Ad difficultates præfatas respondeo primo, certum esse, quemlibet Pontificem Maximum pro sua summa, quam habet, potestate, posse reuocare omnes indulgentias concessas à suis prædecessoribus. Tum arg. cap. cuncta per mundum, 9. q. 3. & c. proposuit. de concess. præb. Tum quia

- quia nullus præcessorum suorum potest imponere ipsi legem, quæ suam potestatem tollat, vel minuat, cap. innotuit, de elect. l. penult. ff. de recept. arb. Tum quia licet deceat, vt beneficia principum sint permanens, cap. decet, cum similibus de reg. lib. 6. non tamen est necesse, neq; aufert illa decentia potestatem reuocandi ea, nec faceret reuocationem
- 2 in iustam, licet nonnunquam faceret indecentem: quia iustum præceptum, & decens differunt, cap. magna, de voto. & notat. in cap. fin. de priuileg. lib. 6. quatenus habet decere Episcopum dicere, vel audire quotidie missam, quem tamen ad id non teneri diximus post alios in Manu. Confess. cap. 21. num. 2. & decet seruare omnia consilia Christi, non tamen est præceptum, cap. quisquis 14. quæst. 1. §. fin. 4. dist. gloss. celebr. in ca. quis autem. 20. dist.

Secundo, quod difficultas primo posita non tangit ius, nec potentiam reuocandi, sed tantum factum, an scilicet quilibet Papa ab initio suæ administrationis reuocet indulgentias à suis prædecessoribus concessas, quod dixit vir pius, & eruditus, vbi supra.

- 3 Tertio, quod præfatus Viguierius videtur dixisse id deceptus ab aliquo, qui putauit per regulas Cancellariæ, quas in crastinum suæ assumptionis reuocat Papa, reuocare omnes gratias, & indulgentias, quas præcessor fecit. quod tamen non est verum: nã regula decima, propterea quod habet verbum, *gratias*, & verbum, *indulta*, videri posset alicui dormitanti reuocare omnes indulgentias nondum lucrifactas, cum sint quædam gratiæ, & quædam indulta; nullatenus tamen id facit: quandoquidem solum reuocat gratias expectatiuas, & indulta beneficiaria concessa ad quærenda beneficia ecclesiastica, vel ad nominandum ad ea, vel conferendum illa; sicut & regula 11. reuocat vniones eorundem beneficiorum nondum sortitas effectum; & regula 57. & duæ insequentes, quæ tractant de indulgentijs, neque gloss. illarum vllam de huiusmodi reuocatione mentionem faciunt, immo meminerunt indulgentiam perpetuam.

- 4 Quarto, quod est alia reuocatio, siue suspensio indulgentiarum, quam ille non meminit, quæq; fit ante quemlibet annum Iobelæum: & an per illius lapsum reuocet, vel an post eum Papa illum reuocet, disputauim olim ipse in comment. c. in leuitico. de pœnit. dist. 1. notab. 28. & postea anno Iobelæo proximo in vrbe, vbi typis excussus est iterum ille commentarius auctus tribus notabilibus, scilicet 32. 33. & 34. & in 32. continetur bulla indictionis anni Iobelæi facta à S. D. N. Gregorio xij. cum glossis non omnino pœnitēdis, & in 33. inseritur bulla suspensionis indulgentiarum factæ ob annum Iobelæum, cum glossis, in quarum vltima tractamus de reuocatio: non illius suspensionis, facta mentione de disputatione facta in d. not. 26. cuius, vt copiam loquendi habeat D. consulens, idemq; D. meus colendissimu., tradam cum hoc responso vnum exemplar compaginatū, sed nudum tegumento, ne nimis constet portatio.

5 Quinto,

¶ Quinto, quod suspensiones præfatæ Gregorij xiiij. & prædecessorum eius factæ ob sobelæum, licet non sint reuocatæ expresse, nec tacite, nihil tamen obsunt votis D. consulentis: quoniam, vt ego in gloss. prædicta monstro, per illas solum fuerunt suspensæ indulgentiæ plenariæ. & dubium primum particulare, quod proponitur, non est de indulgentia plenaria, nec non plenaria, sed de facultate absoluendi à peccatis reseruatæ Papæ aibi, quâ in bulla cœnæ domini, quæ longe alia res est, quam indulgentia, vt in prædicto commentario not. 20. Et secundum proponitur de reuocatione indulgentiæ non plenariæ, sed tantum certorum dierum, & annorum, quam non fuisse vnquam per præfatas suspensiones reuocatam in præfata glossa, & præfato notab. 28. sine vilo scrupulo conclusimus.

Sexto, quod clausula, qua Clemens vij. derogauit eis, quæ poterant suæ concessioni obesse, nihil obest durationi, & perpetuitati præfatarum gratiarum, & indulgentiarum; immo prodest; tum quia corroborat illam & posita ad augendum, non debent operari diuersimode, neque à contrario, cap. fin. de verborum signi. & l. rem legatam. ff. de optio. leg. Tum quia abundans cautela non nocet, l. testamentum. C. de testam. ex qua id ibi adnotat Bal. cum simil. & concessiones præfatæ absq. illa clausula valuisse, & fuissent perpetuæ; ergo à fortiori cum illa.

Septimo, quod nihil obstat votis d. consulentis cap. vlt. de refor. sess. 21. Concil. Trid. quatenus prohibet, ne occasione indulgentiarum detur facultas colligendi elemosynas; siquidem non ex hoc gratias antea concessas derogat.

7 Octauo, quod licet non sit verum id, quod præfatus vir pius Viguierius dixit ab aliquo deceptus, est tamen verissimum, quod Pius V. per quandam extrauag. suam reuocauit omnes indulgentias, & peccatorum remissiones à se, & à suis prædecessoribus, & successoribus concessas, & in posterum concedendas quibuscunq. personis, & pijs locis, pro quibus consequendis manus sunt porrigendæ adiutrices, & quæ quæstuan-di facultatem quomodolibet continent; per quam arbitror esse reuocatam indulgentiam præfatam concessam à Clemente vij. visitantibus præfatam ecclesiâ Treuertensē certis diebus, & distribuentibus ei aliqua sua bona secundum deuotionem; quoniam indulgentiam concedere distribuenti aliqua bona sua pro indulgentia consequenda, est indulgentiam concedere manus adiutrices porrigenti, & dare facultatem aliquo modo quæstuan-di. Nec obstat clausula derogatoria derogatoriarum appo-sita concessioni præfati Clementis vij. quia per clausulas derogatorias præfatæ extrauag. Pij V. latissime derogatur omnibus clausulis derogato-rijs, quæ alicubi possint inueniri, habendo illas pro vt de verbo ad verbum expressis, quæ secundum stylum curiæ sufficit, non obstante aliquo-rum doctorum opinione scribentium in cap. accedentes, de præscrip-
 & in

& in l. si quis. ff. de leg. 3. An autem omnes gratiæ præfati Clementis sint reuocata, an illæ solæ, quæ ad indulgentias pertinent, non potest satis secure responderi, nisi lecto tenore bullæ, arg. l. inciuile. ff. de legib. & quia ponderandum est, quæ illarum principaliter, vel æque, aut minus principaliter concessæ sint.

Nono dicendum, gratiam præfata præfati Leonis X. si non continet alias clausulas, non esse reuocatam; quia per eam non conceditur indulgentia, & remissio peccatorum, sed quædam dispensatio longe ab ea distans, vt palam in præfato notab. 2 & 3. traditur.

S V M M A R I V M.

I Confessarius erga pœnitentem rusticum quomodo se geret.

C O N S I L I V M III.

Rusticus, qui inter confitendum asserit se à suo Parocho non solere, nec solitum esse interrogari de numero peccatorum, nec etiam de speciebus blasphemix, sed Parochum ipsum contentum esse, si ipse Pœnitens dicat, ego blasphemauit Deum, & sanctos omnibus, vel pluribus modis, ac pluries,

Queritur primo, an sit cogendus ad reiterandas confessiones, vel non?

Secundo, an in casibus prædictis, dato quod non sint Pœnitentes cogendi ad reiterandas confessiones, saltem obligatus sit confessarius interrogare dictum Pœnitentem, vt explicet quoties toto tempore vitæ suæ sibi videatur blasphemasse Deum, hoc, & hoc modo, & quoties Sanctos, hoc vel alio modo, & sic de alijs peccatis, quorum numerum ex prænarrata ignorantia numquam expressit? hoc tamen etiam durum admodum esset tam rustico pœnitenti, quam confessario, qui in effectu cogerentur ad repetendas omnes confessiones.

AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo, non esse obligatum huiusmodi rusticum ad reiterandas huiusmodi confessiones bona fide factas, per ea, quæ tanguntur in propositione quæstionis.

AD SECUNDAM respondeo, non solum huiusmodi Pœnitentem obligari ad confitendum numerum verisimilem peccatorum, quem in alijs confessionibus non fuit confessus, sed etiam confessarium obligari ad dicendum ei, vt confiteatur verisimilem numerum peccatorum mortalium à se admissorum, quem antea non fuit confessus: quæ res certe dura est & pœnitenti, & confitenti; tamen ita scriptum est, non solum lege humana in c. omnis. de pœnitent. & remiss. sed etiam diuina

cuam

euangelica, ratione naturali cōfirmata à S. Thoma, & alijs, & etiam à nobis in Manual. c. 6. num. 16. & in c. consideret. de pœnit. distin. 5. nu. 3. & 4. & satis declaratum in Concil. Trident. sess. 14. canone 7. ubi, *Omnia, & singula peccata mortalia quorum memoria cum debita, & diligenti prœmatione habeatur etiam occulta. que sunt contra duo ultima Decalogi. præcepta &c.*

S V M M A R I V M.

1 *Confessarius an pœnitentem rusticum debis interrogare debeat.*

CONSILIVM IIII.

AN confessarij audientes rusticorum cōfessiones teneantur interrogare eos, an de omnibus suis peccatis in præcedentibus confessionibus accusauerint se secundum numerum, etiam si credant in alijs suis confessionibus sufficienter fuisse confessos?

Et quid, quando ex probabili coniectura confessarius putat, quod rusticus nec confessus, nec interrogatus secundum numerum in præcedentibus confessionibus fuerit?

Et quid, quando pro certo confessarius ex discursu confessionis tenet, dictum rusticum nec interrogatum, nec confessum fuisse de numero?

1 Ad has tres quæstiones respondeo, quod mea sententia confessarius non tenetur interrogare confitentem, etiam si suspicetur eum non fuisse confessum numerum, modo putet se satis bene confessum fuisse, nisi cōsistens interrogaret, an debuisset id facere, vel aliqua de causa diceret, se id non fecisse: quia id non videtur iure cautum, nec ulla efficaci ratione probari; & quia qui nimis æmungit, elicit sanguinem, c. denique. dist. 4. Prouerbiorum cap. 30.

S V M M A R I V M.

1 *Iniuriarum actionem de decencia, & non de præcepto remittere tenemur.*

2 *Odiū, & rancorem malum, non iniuriarum actionem, quis remittere debet.*

3 *Inimicum generali, non speciali amore diligere debemus.*

4 *Confessarij ne facile absolutionem iniuriam passis negent ob hoc.*

Pars ij.

Nn

Iniu.

- 4 *Iniuriam passi iniurios salutare non tenentur, nisi ob scandalum.*
 5 *Iniuriam post oblatam satisfactionem remittere reuens sic monendus.*
 6 *Ieiunare debet, qui alias credit se à tentatione carnis victum iri.*

C O N S I L I V M V.

Antonius noctu occidit filium cuiusdam pauperis mulieris, & cum via iuris ipsa vindictam prosequeretur, certis pactis, & modis remittit accusationem ipsi Antonio, inter quæ illud erat, vt ipse Antonius teneretur exul esse à loco, vbi patrauerat homicidium. Adueniente autem quodam die Pasche, præfatus A. per internuntios cum omni submissione, & humilitate petijt veniam à præfata matre offensæ à te illi irrogatæ, & quod paratus erat omnem penitentiam subire, vt illi arbitrio boni viri satisfaceret; dum tamen liceret ei domum redire, & inter suos agere; quæ absentiri renuit; vnde causa ad Vicariû Episcopi delata, inter dixit ne absolueretur. Queritur quid iuris.

- 1 Multa in hoc casu concurrunt, ob quæ præfata matrem deceret, & perdeceret misereri prædicti Antonij, & mollire cor suum ad uolendû, & faciendû, quæ ab eo tam submitte, tantaq; cum reuerentia petuntur; quale est illud Matthæi 5. *Diligite inimicos vestros, & benefacite eis.* & quale illud Ioannis 3. *Non diligamus lingua & verbo, sed opere & veritate.* qualia sunt multa, quæ adducit Gratianus per totam 90. dist. præsertim in cap. si quis contristatus. ibi. *Si quis contristatus noluerit reconciliari patri suo, satisfaciente eo, qui contristauit, acerrimis maceretur inedijs, usque dum gratanti animo satisfactionem recipiat.* Et super omnia illud orationis dominicæ, quod prædicta mater quotidie dicit Deo, *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*
- 2 Quod autem de necessitate salutis, & præcepti, & sub pœna peccati moriferi non teneatur, & quod possit absolui à confessorio, licet nolit facere præfata, quæ ab ipsa petuntur, facit, quod licet iniuriam passus teneatur remittere odium, & rancorem, quem concepit in iniuriantem, non tamen teneatur remittere actionem iniuriantum, vel alia remedia, quæ iura et tribuunt ad querendam satisfactionem debitam tibi, iuxta glol. sing. & receptam in d. c. si quis contristatus. & quod licet iniuriam passus teneatur diligere iniuriantem in genere, ita quod non eximat ab amore generali, quo prosequitur in communi omnes, nec ab oratione generali, qua orat pro omnibus in communi; non tamen teneatur de necessitate salutis amare illum speciali amore, neque orare pro ipso speciali oratione, neque monstrare illi signa specialis amoris, loquendo, conuersando, & alia similia exhibendo extra casum necessitatis extremæ, vt firma ratione concludit S. Thomas communiter receptus 2.2. q. 25. art. 8. & 9.
- 4 vbi Caiet. admonet Confessarios, ne facile deagent absolute. n. iniuriam.

riam passis nolentibus alloqui eos, qui sibi fuerunt iniurij; nisi ex eo scandalum aliquod oriretur, ob quod euitandum huiusmodi iniuriam passus teneretur de necessitate salutis illa exhibere; quale non videtur occurrere in hoc casu, in quo nulla necessitas extrema id exigit, nec ullū tale scandalum imminere videtur: attento quod prædicta mater remisit acculationem, quam habebat aduersus prædictum Antonium cum certis pactis, & modis, quæ obseruari possunt sine legis diuinæ violatione.

5 Admonenda tamen est prædicta mater, difficile sibi esse, & futurum eximere se ab omni odio, & rancore prædicti Antonij, nolendo annuere petitioni tam honestæ post tantam satisfactionem, & tantorum malorum passionem tam submisse & reuerenter factam; & quod, si expeitur tentari se a deo à spiritu maligno ad prædictum odium, & rancorem concipiendum, quod probabiliter credit se uictum iri à tentatione, nisi huic petitioni, annuat, tenetur ad annuendum: & quod nolentem id facere

6 confessarius non debet absolueri, arg. eorum, quæ S. Thom. receptus ait in 2. 2. q. 147. ar. 3. nempe quod iure naturali tenetur ieiunare is, qui probabiliter credit se uictum iri à tentatione carnis, nisi se ieiunio pramuniat. An autem tanta tentatione prædicta mater agiteur, an non, conscientia ipsius, & confessarij eius relinquendum est, arg. gloss. singul. in §. sed et alia. Iust. de actionibus, & cap. significasti. de homicid. Salua. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Locare meretrici operas, seu domum, absque consensu in peccatum, licet.*
- 2 *Peccatrici inserviens, non cooperando in peccato, non peccat.*
- 3 *Peccatori seruire, consentiendo aliquo ex nouem modis, non licet.*
- 4 *Peccatori seruire licet etiam ijs, sine quibus non peccaret.*
- 5 *Peccatori obsequium exhibere ob bonum finem licet.*

CONSILIVM VI.

AN quæ, cum meliorem non reperiat conditionem, cogitur, conuen-
ta mercede menstrua, tanquam serua meretrici publicæ inseruire,
possit sine peccato mortali eidem exposite peccato præstare infra scripta
obsequia: supposito, quod in peccatum dominæ nullo modo consentiat,
nec ei placeat, sed maxime displiceat?

Primo, an Amasio venienti, quem scit ideo venire, vt cum domina
peccet, possit ostium domus aperire?

Secundo, an eandem ad vineam, vel domum Amasij euntem comita-
ri possit, sciens quod ibidem solent peccare?

N n 2 Ter-

Tertio, an iubente domina possit lectum iterne, quem scit ideo ster-
ni, vt in eodem cum Amasio dormiat?

Quarto, an, possit Amasio literas deferre, per quas domina eundem
Amasium rogat, vt ad se veniat, sciens ideo vocari, vt simul peccent?

Quinto, an iubente domina possit dicere Amasio, domina mea te ex-
pectat, vt secum hac nocte cœnes, sciens futurum, vt dormiat cum illa?

Sexto, An idem circa prædicta sit dicendū de illa, quæ dictæ meretrici
non locauit absolute operas suas menstruas, sed particulariter rogata
præstat modo unum, modo aliud ex supradiçtis obsequijs?

Septimo, An, quæ inferuit in illa domo, in qua dominus domus tenet
concubinam publice loco vxoris, possit prædicta seruitia præstare?

1 Respondeo primo, quod hi casus non videntur esse minus graues,
quã quondam, & quod habent quandam cognationem cum quibusdã,
quæ ipse tango in Manuali confess. in c. 17. num. 195. in quibus est illud,
an quis possit iuste locare domum suam ei, quem credit illa male usurũ,
puta ad exercendas vsuras, ad meretricandum, & ad similia. Vbi tandem
conclusi, quod quamuis non liceat cuiquam locare domum suam usurario
ad exercendas vsuras, nec meretrici ad meretricandum, nec periuro ad
periurandum, neque alicui peccatori ad peccandum; licet tamen loca-
re ipsis ad viuendum, sine tamen vlllo consensu in peccato.

2 Secundo, quod huic videtur consonans, posse quem inferuire pec-
catori in alium finem, quam peccandi, vt vsurario seruit rusticus in
colendis agris, medicus in curando eum à morbo, sartor in singen-
do ei vestes, coquendo panem, vendendo carnes, & id genus alia
faciendo.

3 Tertio, quod nemo potest alteri inferuire consentiendo peccato, &
quia sunt nouem modi consentiendi ei, vt diximus in d. Manual. c. 11.
num. 13. & cap. 17. num. 17. & 130. ideo oportet ad hoc, vt seruiens
peccatori non peccet, caueat ne consentiat vlllo illorum nouem mo-
dorum contentorum in illis duobus fenarijs.

Iussio, consilium, consentus, palpo, recursus,

Participans, mutus, non obitans, non manifestans.

In quibus includitur qui iuuat, & fert opem, vt in d. cap. 11. nume.
13. exprimimus. Et ita omnis, qui adiuuat ad peccandum, videtur pec-
care, etiã si pigeat peccati, & displiceat, quod peccet is, quẽ iuuat. Quod
plurimum viget ad damnandum peccati omnes, de quibus hic quæ-
ritur: quia omnes hi videntur consentire iuuando.

4 Quarto, quod per suprascripta de locante domum meretrici, quæ in d.
Man. cap. 17. latius traduntur, dicendum videtur, non omnem qui iuuat
eũ, qui peccat, iuuare peccati, ita vt peccet, etiã si iuuat in eo, sine quo
non peccaret: licet enim meretrix non meretricaretur, si non ederet,
biberet, vel haberet habitaculum, vel illas, vel illas vestes, non tamen

per

per ibi dicta peccat, qui locat ei domum, vel vendit carnes, vel vinum, aut fingit vestes, modo non faciat hæc illi ad finem, vt peccet, sed ad alium honestum finem, puta, vt de re, & opera, & industria sua, quærat sibi pretium, vel iustam mercedem, ex qua uiuat honeste.

- 5 Quinto, quod ex his uidetur coligi ratio defendēdi omnes prædictos à peccato, saltē mortifero, modo, ut in casu pponitur, nō placeat eis peccatum, & faciant obsequia prædicta ob aliquē bonū finē, puta, eo quod debent illa causa officij sui, uel ob iustam mercedē: licet enim hæc officia, & obsequia sint ualde coniuncta peccato, non tamen sunt in sese, & suapte natura peccata; & ideo seiungi possunt à peccato per finem diuersum, & seiunctum. Aperire enim ostium, sternere lectum, deferre literas inuitatorias ad cœnam, non est suapte natura peccatum, licet scribere illas, ut post cœnam peccet, sit peccatum, ob circumstantiam mali finis. Salua quæ iustior fuerit sententia.

S V M M A R I V M.

- 1 Balneatores, qui nudas mulieres lauant, non sunt absoluedi.
- 2 Maritus sodomiticum actum cum uxore tentans absque animo consummandi, peccat.
- 3 Peccatum vnum committit pluries post fornicationem osculans.

C O N S I L I V M VII.

Quæritur primo, magister balnei habet duo hypocaustra seu balnea, in quorum altero admittit mulieres, quas tamē nudas per iuuenes nudos, opertis tantum membris genitalibus, mandat lauari; dubitatur an sit absoluedus. Nam pœnitens adducit per se consuetudinem & permissionem. Item & quod dicti iuuenes eius pueri asserunt ex usu non solere iam amplius nisi raro eas concupiscere, uel de tactu luxuriose delectari. Et quid de illis qui utuntur opera puerorum incipientium, qui in principio solent quasi semper mortaliter peccare, dum dictum exercent ministerium.

Secundo quæritur, uxoratus, dum uult ab uxore debitum exigere, ut magis delectetur, incipit cum uxore actum sodomiticum citra animum illud perficiendi, prout nec perficit, immo tandem seminat in legitimo uase; dubitatur an hæc actio sit peccatum mortale, & an sufficiat, si pœnitens dicat, tetigi meam coniugem tactu illicito, uel teneatur explicare factum clarius.

Tertio quæritur, quidam fornicatur cum amica, & postea delectationis causa multoties eam deosculatur cum intentione iterum non fornicandi, an unum dicatur peccatum, uel multiplex.

- 1 AD PRIMAM QUÆSTIONEM respondeo quod non videntur absoluedi, & quod non est consuetudo, sed corruptela contra legem naturalem, & diuinam, & quod ea, quæ allegantur contra hoc, sunt excusationes ad excusandas excusationes in peccatis, per ea quæ insinuantur in Manu. confic. 4. num. 31. vsque ad 36.
- 2 AD SECUNDAM quæstionem responderetur, scilicet, quod in casu illius videtur tantum esse peccatum tactus illiciti.
- 3 AD TERTIAM quæstionem responderetur, quod semel tantum videtur peccare quo ad necessitatem confitendi numerum, qui post vnâ fornicationem cum amica habitam, eam vigesies osculatur, non ad iterandam fornicationem, sed ad maiorem delectationem: quia illa omnia oscula videntur consequentia fornicationis iam habitæ, vt in vltima editione nostri Man. confel. cap. 6. num. 18. diximus. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Scire quæ quisque teneatur Christianus explicite.
- 2 Ignorantiæ inris excusat, nisi sit diuini, vel humani, quod quis scire tenetur.
- 3 Consulens superiores, credens eos habere sufficientem scientiam, etiam si erret, non peccat.
- 4 Consulens virum communiter pro bono, & docto habito, satisfacit.
- 5 Opinionem eligens, quam putat rationi conformem, satisfacit.
- 6 Consulens doctorem, vbi sunt diuersæ opiniones, cogitur sequi, quam doctor diffinit.
- 7 Dubitans, agere nequit, nisi ex aliquibus rationibus in alteram partem inclinet.
- 8 Scrupulus à dubio vt discernatur.

C O N S I L I V M VIII.

Primo quæritur, quid generaliter debeat quilibet Christianus scire sub pœna peccati mortalis, maxime vir nobilis, cui familiam, & vassallos gubernare incumbit.

Secundo quæritur, dato quod scit omnia requisita etiam ad suum statum, an si faciat aliquem actum, qui est peccatum mortale, tamen ille eum fecit ex ignorantia, nesciens esse mortale, excusetur à mortali?

Tertio quæritur, an subditus, qui dubitat aliquem actum esse mortalem, satisfaciatur de hoc interrogando aliquem eius superiorem, videlicet episcopum, eius vicariû, vel parochû, & an si illi constasset prædictos suos superiores esse ignorantes, & illiteratos, sequendo eorum consilium, eo quod

eo quod sunt sui superiores, satisfaciat, etiam si in illa ciuitate sint alij doctiores, quos posset consulere?

Quarto quæritur, an si noller in præcedenti casu consulere superiores, si satisfaceret suæ conscientiæ sequendo consilium alicuius Theologi in dicta ciuitate communiter pro docto reputati, & bonæ famæ, sine eo, quod aliam diligentiam, & inquisitionem faciat de sua doctrina, vel bonitate, præter vniuersalem de eo opinionem, & famam?

Quinto quæritur, an si interrogando duos exprædictis Theologis, in quibus non cognoscitur notabilis excessus in doctrina, vel virtute, & illi essent contrariæ opinionis, si tenetur alium tertium consulere, an poterit vnam illarum opinionum sequi? & an possit sequi illam, quæ minus suo iudicio satisfacit, cuius contraria ei conformior cõmuni videtur, eo quod ei videtur temeraria arrogancia, cum sit laicus, & illiteratus, velle se iudicem constituere inter duas duorum Theologorum literatorum opiniones?

Sexto quæritur, an si prædictus Theologus, quem de dubio consulit, dicat ei prædictam opinionem esse cõmunem Theologorum, quamuis alij viri docti contrarium teneant, possit consulens cui maluerit se opinioni conformare? cum Doctori illi graui, & virtuoso permittitur dictam opinionem scribere, tenere, sustentare, & docere.

Septimo quæritur, an qui vult aliquam actionem facere, & tempus illi desit ad consulendum aliquem Theologum de modo, quo debeat illam sine Dei offensa facere, quem nequit consulere sine iactura aliquorum bonorum, vel magna suæ domus incommoditate, &c. si potest tuta conscientia dictam actionem executioni mandare secundum dictam suæ rationis post factam orationem, qua Deum deprecetur, ne permittat, vt sua diuina bonitas in ea offendatur, an teneatur prædictam occasionem, in qua suæ familiæ, ac statui maximum commodum euenire potest, relinquere potius, quam sine prædicto consilio aliquid facere, in quo dubitat aliquod peccatum fore posse?

Octauo quæritur super differētia inter scrupulū, & rationabile dubium, nempe, quod scrupulum potest quis, & debet à se abijcere, & contra eum facere, dubium autem tenetur consulere: quæritur in quo cogoscetur aliquid esse scrupulum, vel dubium: nam alias idem etset teneri quem consulere, an talis actus sit ne scrupulus, vel dubium, ac teneri consulere omnes scrupulos, qui se suę conscientiæ obtulerint. & in omnibus prædictis dubijs præsupponitur solum quæri, quid teneatur quilibet facere sub pœna peccati mortalis.

Ad omnes has octo quæstiones in generali respondeo, quod sicut ipse sunt generales, ita earum responsa generalia erunt, in quorum applicatione ad casus particulares tanta erit difficultas, quod ex responsione nesciet quilibet decisionem dubij colligere in omni casu particulari.

- 1 AD PRIMAM respondeo, quod quilibet Christianus, ut Christianus, etiam si Papa, vel Rex sit, debet, & sufficit scire 12. vel 14. articulos nostræ fidei, & 10. decalogi præcepta, & sancta generalia ecclesiæ præcepta: quamvis si aliud habeat officium, vel statum, teneatur ea discere; quæ ad suum prædictum vel officium, vel statum necessaria sunt de præcepto sciri, vel secum habere viros doctos, & consiliarios literatos quo ad illas res, in quibus alienum consilium sufficit.
- 2 AD SECUNDAM dico primo esse vnam ex difficilioribus iuris quæstionibus humani, scripti, & diuini in materia morali; & quod potest super illa bonus aliquis liber componi super eius radicibus, ac ramis non parui valoris, & necessitatis, descendendo ad particularia. Secundo, quod communiter ignorantia, de qua loquitur quæstio, excusat coram Deo, & in foro conscientiæ, nisi fuerit alicuius iuris naturalis, vel humani, quod omnes suæ conditionis, artis, & status sciunt, vel scire teneantur.
- 3 AD TERTIAM dico, quod non satisfacit suæ conscientiæ, si credit, quod suus ordinarius, parochus, vel confessor sunt ita ignorantes, ut dubio eius nesciant satisfacere; sed si ipse bona fide coram domino crederet, quod ipsi habent sufficientem scientiam, satisfaciet, etsi dubiū suum ab alijs peritioribus non interroget, casu etiam, quod reperitur; quia nemo tenetur in dubijs suis doctiores consulere, sed sufficit cōsultare idoneos ad ea dissoluenda, maxime, si superiores sint; quia pauci sunt eminentes reperti: & quamvis esset melius istos consulere, sed deus ex præcepto non obligat ad melius bonum, licet circa illud consilium det; quia ipse contentus est bonitatis præceptæ, etiam si alia maior detur ex consilio ipsius.
- 4 AD QUARTAM respondeo, quod satisfaciet talem virum consulere, si ipse bona fide credit esse talem, quem fama publica indicat: quia sufficienter satisfacit præcepto, quod habet circa dubia sua consulenda; & multæ circumstantiæ dari possunt, quibus ei non expediat suum ordinarium, vel parochum in dubijs suis consulere.
- 5 AD QUINTAM respondeo, quod satisfaciet eligendo vnam ex dictis opinionibus, eam tamen eligendo, non quia gustui suo placet, sed quia ei cōformior rationi videtur, ut in quæstione proponitur, propter rationem ibi allegatam; & quia non tenetur ex præcepto melius consilium mundi inuestigare, nec etiam doctiores illius provinciæ consulere, sed sufficit consulere idoneum, secundum suum, & communiter aliorum iudicium.
- 6 AD SEXTAM respondeo, quod dupliciter potest respondere doctor consultus dubio alicui, in quo duæ sunt opiniones contrariæ, quarum vna est communis, & altera grauissimorum doctorum. Primo faciendo, quod vtra illarum potest iuste teneri. Secundo, dicendo, quod iudi-

iudicio suo vna earum est vera, alia vero non, etiam si sit communis. Si respondit primo modo, potest consulens, quam voluerit illarum, sequi. Si autem respondit secundo modo, non potest sequi, nisi eam, quam doctor consultus definit esse veram, si aliunde ipsi non constat contrarium; quia cum consilium petat ad illud sequendum, si aliud non inuenerit melius, non poterit suo iudicio opinionem, quam ipse iudicat falsam, tenere, & sequi.

7 AD SEPTIMAM dico, quod si reuera dubitat talem actum esse mortalem, necne, non debet illum facere, donec ab illo dubio exeat. nam alias, vt ait D. Tho. anteponeret, ac præferret amicitiam creaturæ amicitie creatoris. Dixi *si reuera dubitat*, id est, si non inclinatur magis ad credendum vnum, quam aliud: nam si ex aliquibus rationibus inclinaret magis ad credendum esse bonum, quam esse malum, poterit per illas scrupulum deponere, & quodlibet aliud dubium, & facere id, quod sibi bonum videbitur sine alia consultatione, defectu comoditatis ad consulendum.

8 AD OCTAVAM dico, quod vni eius parti satis responsum est in questione præcedenti. & ad aliam respondeo, quod regula vera ad discernendum scrupulum à dubio, est, quod dubium est, quando intellectus non magis in vnam, quam in aliam partem inclinatur, & scrupulus est argumentum vel apparentia, quæ intellectui representatur contra id, quod scit, quod latine vocatur, scientia; vel contra id, quod firmiter creditur esse, quod latine dicitur fides, aut credulitas; vel contra id, quod ipse cogitat verum esse, etiam si id firmiter non credat, quod latine dicitur opinio; vel contra id, quod intellectus nec tenet pro vero, nec pro falso, quod latine dicitur dubietas, vel dubitatio; sicut nos clarius, quam alij, in multis locis diximus, in nostro Man. cap. 27. nu. 279. & in cap. nouit. de iudicijs in rub. nu. 43. & de pœnit. dist. 7. cap. si quis autem. à num. 9. vsque ad 15. inferendo, quod licet nulli horum quatuor, scilicet scientie, fidei, opinioni, & dubio alie compatiantur, scrupulus tamen comparitur omnibus, & singulis earum, eo quod non est, nisi argumentum vel apparentia, quæ contra illa quatuor potest haberi. Salua. &c.

S V M M A R I V M.

1 Confessiones vt iterabit pœnitens, quando confessor non habuit facultatem eum absoluedi.

CON

CONSILIVM IX.

A Sacerdos audiebat multorum confessiones. B. persuadens sibi illū habere potestatem audiendi confessiones, eidem sæpius confessus est: inde ad plures dies declaravit A. ipsi B. non habuisse iurisdictionem ad audiendas ipsius confessiones. *Quæritur, an, postquam hoc rescit B. teneatur ad reiterandas confessiones factas ipsi A.?*

- I** *Respondeo, quod est obligatus ad reiterandas prædictas confessiones, potest autem facile reiterare illas, si ambo sunt in eadem ciuitate, vel possunt conuenire in eodem loco, procurando, quod prædicto confessario fiat facultas audiendi confessionem prædicti pœnitentis, quod facillime faciet vicarius Pape, vel Pœnitentiarius Maior, vel proprius parochus pœnitentis, & facta ista facultate reconfitetur ei dicendo, Ego confiteor tibi hac vice omnia peccata, quæ confessus sum tibi alijs tribus vicibus, & præterea illa, & illa, quæ postea commisi, &c. Et sufficit quod confessarius prædictus meminerit illa peccata, vel pœnitentiam, quam pro eis imposuit, vel quod paulo plus, vel minus recordetur statum vite ipsius, quem ei significauit in prædictis confessionibus, per ea quæ habentur in nostro Man. confess. c. 9. num. 16.*

S V M M A R I V M.

- 1** *Absoluendus an sit ab omnibus, qui vnum, vel alterum peccatū ob ignorantiam lingue nouit confiteri.*
- 2** *Confessor periclitantes in nauī audiens, nisi integre confessos, non absoluat.*

CONSILIVM X.

Quæsitū fuit primo, an absoluendus sit ab omnibus peccatis Aethiops in Brasilia provincia seruiens, qui solum vnum, vel duo confitentur peccata, ita vt à confessore intelligatur, & omnia vult, & conatur confiteri, licet propter lingue impedimentum non possit?

Secundo, an confessarius, periclitantium confessiones in nauī audiens, licite possit eos absoluere, interrogationibus debitis non præmissis, & forte minus integre confessos.

- I** **AD PRIMAM QUÆSTIONEM** respondetur affirmatiue, quod Aethiops seruiens in provincia Brasilica potest absolui sacramentaliter ab omnibus peccatis suis, si solum vnum vel alterum tantum confitea-

teatur, ita vt intelligatur à confessario, & omnia velit confiteri, & conetur id facere, licet non possit proferre propter ignorantiam lingue, ita vt confessarius alia intelligere nequeat, per ea quę tradimus de mutis & alijs ignorantibus linguam confessariorum terrarum, in quibus degunt, in Manu. Confess. cap. 21. num. 36.

- 2 AD SECUNDAM. responderetur primo, quod non licet sacerdoti audienti confessiones nauarum & rectorum periclitantium in navi fluctibus iactata confitentes sibi peccata, priusquam perficiant confessiones, aut saltem confiteantur omnia peccata mortifera sibi tum occurrentia, absolueret, vt audiant etiam alios periclitantes. Tum quia confessarius est iudex, vt definit Cõcil. Trid. ca. 6. sess. 14. & iudex nõ debet ferre sententiam de rebus, quas minime nouit, l. de qua re. ff. de iudi. Tum quia confessio, quę non est integra omnium peccatorum, non est legitima, cap. omnis. de pœnit. & remiss. & confessio integra est vna trium partium principalium ad Sacramentum pœnitentię requisitarum, sine quibus illud subsistere nequit. Tum quia faceret contra monita illius distichon. *Qui binos lepores vna factabitur hora. Vno quandoque, & quandoque carebit vtroque.* Secundo, quod neque debet omittere interrogationes, quas de pœcepto tenetur facere, vt breuius possit audire confessionem alterius, per easdem rationes supradictas: quamuis sic eas, ad quas faciendas de consilio tantum tenetur.

S V M M A R I V M.

- 1 Confessarius vt debet impedire ne peccatum sibi confessum iterum committatur.

C O N S I L I V M. XI.

Mulier tacito nomine conuentum, in quem veste virili religiosa introducta ad malos fines fuerat, confessa fuit cuidam confessario, qui admonuit pœlatum illius conuentus pœlatum modum peccandi, vt illi obuiaret, & ille pœlata dixit suo conuentui, confitentis & confessarij nomine tacito. Queritur an in hoc fuerit peccatum aliquod admissum?

1 Responderetur primo, quod illa mulier discrete tacuit conuentum, in quem introducta fuit veste religiosa virili obducta, & induta. Secundo, quod pœlatus confessarius non peccauit, immo bonum opus fecit, monēdo pœlatum pœlatum illud peccandi modum in suo monasterio consuetum, ut obuiaret illi: quia, vt diximus in cap. sacerdos, de pœnit. dist. 6. num.

6.num.124. confessorius potest, immo debet impedire ne peccatum sibi confessum iterum committatur, sine reuelatione tamen confitentis: & prefatus confessor ita fecit: quia non reuelauit personam confitentis, & procurauit ne peccatum sibi confessum iterum, vel pluries in illo monasterio committeretur. Tertio, quod nec prælatus, qui prefata dixit suo conuentui ad impediendâ iterationem tam fædi peccati, ullatenus peccauit, immo bonum opus operatus fuit dicendo illa secreto sine prefate mulieris, & prefati confessorij reuelatione: & ita de bono opere nõ debet lapidari, iuxta illud Ioan. cap. 10. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Episcopus approbatum confessorem eligit, si per Iobelæum absolui vult.*
- 2 *Confessorius virtute Iobelæi à confidentia & alijs censuris reseruatis absolueri potest.*
- 3 *Episcopus examen sibi à Papa commissum per alium exequi potest.*

CONSILIVM XII.

E piscopus potest eligere confessorem, quem voluerit: est quæstio vtrû hoc poterit facere, non obstantibus verbis Iobelæi, quæ dicunt, & *eligant confessores approbatos*, si hæc verba eos comprehendant? Secundo si possunt confessores absolueri virtute Iobelæi in foro animæ ab excommunicationibus incurfis propter ea, quæ continentur in motibus Pij V. de confidentia, & alijs, & in motu Gregorij X I I I. de conuentione, & alijs rebus, quæ feruntur pro habenda gratia, vel iustitia à Papa &c. Tertio, si episcopus potest committere examen à Papa sibi commissum per hæc verba (*oneramus conscientiam tuam &c.*) sed non exprimitur nomen proprium?

- 1 **RESPONDEO** primæ quæstioni. Episcopus prædictus virtute Iobelæi non potest eligere confessorium, nisi approbatum, esto iure communi possit quemcunque prouidum, & discretum, cap. fin. de pœnit. & remis. tamen forma Iobelæi seruanda est, cap. cum dilecta, de refer. cum annot. ei max. à Fel.
- 2 **SECUNDAE** respondeo, quod confessorius probatus, & electus potest absolueri virtute huius à censuris prædictis, videlicet bullæ confidentiæ, & extrauag. de da. & promif. Sanctiss. D.N.
- 3 **TERCIA**, super quâ multi multa, variaque, & contraria dixerunt, vt videre est, recitata est à Fel. cap. fin. §. his autem, de officio deleg. qui visus fuit

fuit conciliare opiniones contrarias, secundum cuius concordiam uidentur prædicta uerba posita in vim monitionis potius, quam in vim formæ delegatio; & consequenter poterit per alium expedire negotium commissum. & si in casu proposito iure ordinario conueniret prædicto episcopo, magis aptaretur ei hæc decisio Rotæ in decisione 14. de off. delega. in nouis, quæ in ordine omnium est 368. Salua. &c.

S V M M A R I V M.

1. Pœnitentiarius maior occulto presbytericide publicam pœnitentiam imponere nequit, nec filijs eius inhabilitatem ad beneficia. num. 2.
3. Confessor pro occulto crimine publicam pœnitentiam imponens, deponendus.
3. Confessor de consensu iusto pœnitentis sicut potest confessionem reuelare, sic & pro occulto peccato publicam pœnitentiam imponere.

C O N S I L I V M XIII.

AN clausula, qua Pœnitentiarius Maior solebat olim absoluere presbytericidas, sit iuri consona?

Dico primo illam secum pugnare, quatenus cõtinet, vt presbytericida sic absoluatur, vt crimen eius nõ detegatur, & postea vt ipsemet factis, & verbis confiteatur crimen suum.

Secundo, quod nullo canone pœnitentialem ponitur huiusmodi pœnitentia presbytericide: canon enim pœnitentialis super hoc crimine, qui ponitur in cap. 2. de pœnitent. & remiss. solum habet, vt pœniteat 12. annis, & quod non contrahat matrimonium, & à militia deponatur.

Tertio, quod nullo canone imponitur ei pœna ipso iure perditionis iurispat. ecclesiæ, vel feudî, vel aliorum bonorum; & quod licet summi Pœnitentiarij potestas sit maxima, tamen est ordinaria, & inferior Papali; & ita iure communi non extenditur illa ad imponendam tam grandem pœnam, quæ non potest imponi, nisi expresso iure caueatur, iuxta gloss. singu. & recept. quæ penult. est, cap. fin. de iure patr.

Quarto, quod longe minus potest summus Pœnitentiarius imponere pœnam inhabilitatis ad beneficia ecclesiastica liberis huiusmodi presbytericide, cum etiam propter crimen hereseos non imponatur illa pœna, nisi filijs usque ad secundam generationem per lineam masculinam.

Quinto, quod qui confessarius huiusmodi pœnitentiam imponeret alicui presbytericide sibi confesso, dignus esset depositione, & in carcerem perpe-

perpetuum inclusione per cap. sacerdos. de pœnitent. dist. 6. & cap. omnis. de pœnitent. & remissio.

Sexto, quod Confessarius, qui huiusmodi pœnitentiam imponeret, deberet legere d. cap. omnis. ibi, *caucat autem*: quamvis de consensu eius iusta de causa præstito, sicut posset reuelare confessionem secundum Sanctum Thomam communiter recep. contra Scotum, Ioan. Maior. & sequaces eorum, posset etiam pœnitentiam prædictam imponere: quam tamen iustam causam in crimine occulto nunquam, aut raro arbitror inuentum iri.

S V M M A R I V M.

- I *Absoluere nequeunt mendicantes à reseruatīs episcopis pœnitentium, etiā si in vrbe confessiones audiant.*

CONSILIVM XIII.

AN mendicantes Romæ commorantes, vbi à Pontifice, nec eius vicario nulli sunt casus episcopales nec eis, nec alijs reseruati, possunt absoluere extraneum venientem ad ipsos à casibus episcopalibus, qui de iure episcopis reseruantur, ac quos extra illos ordinarius dicti pœnitentis sibi reseruauit, tenendo opinionem Dominationis tuæ in Manual, Confess. c. 27. num. 263?

- I Respondeo, quod mea sententia non possunt. Tum quia secundum communem, quam contra Syluestrum in questione citata sequutus fui, non possunt mendicantes præsentati iuxta clem. Dudum. de sepulchris. absoluere à peccatis reseruatīs Episcopo, cui sunt præsentati, nisi facultas fiat in id ab eo. Ergo à fortiori non poterunt absoluere à peccatis extero Episcopo reseruatīs. Tum quia magno labore ibidem sustineo, quod præfati præsentati habentes casus episcopales Episcoporum, quibus præsentantur, possunt absoluere à casibus episcopalibus, alijs episcopis reseruatīs. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Absolui plene potest quisque in articulo mortis à quolibet sacerdote, sed consulte à proprio, si haberi potest. num. 3.*
 2 *Absoluendi in articulo mortis limitationem tollit Concilium.*
 3 *Mortis in articulo nulla est reseruatō.*

4 *Obe*

- 4 *Obediendum superiori possidenti, lite super proprietate pendente.*
 4 *Interdictus ab episcopo possessore, non potest, eo presente, etiam in mortis articulo ab alio absolui.*
 5 *Interdictus ut vnus de Capitulo cur potest in sacro sepeliri.*
 6 *Interdicto Capitulo non censentur singuli eius nominatim interdicti.*
 7 *Excommunicatus notorie ob clerici percussione, perinde vitandus, ac denunciatus.*
 7 *Notorium non est, quod aliqua tergiversatione celari potest.*
 8 *Interdictus, nisi prius citetur, denunciari nequit.*

CONSILIUM XV.

Vtrum in mortis articulo absolui quis à quocumque sacerdote, proprio etiam præsente, possit.

- 1 Communis conclusio est, quod existens in mortis articulo potest absolui à peccatis, & à censuris, etiam referuatis, à quocumque sacerdote simplici, argu. c. quem pœnitet. de pœnit. dist. 1. c. quod in dubijs, de sententia excommunic. iuncto c. si quis suadente. 17. q. 4. & alijs similibus. sed clarius, quam alibi, nouissime tradit Concilium Triden. c. 7. sess. 14. declaratum à nobis in Manua. c. 27. nu. 272. & melius in c. 26. num. 26. vbi tamen insinuamus intelligendum esse, quando non est præsens superior, vel proprius sacerdos, secund. Innocen. in c. 1. de sententia excomm. prope finē, vbi tenet, quod absoluedus à Papa ob percussione clericī, possit absolui à quocumque sacerdote, si aliquo impedimento corporali, vel alio impediatore ad ipsum, requisito tamen prius episcopo, si haberi potest. sequitur Syluester verbo confessor. 3. q. 6. & So. us in 4. dist. 18. q. 4. ar. 4. cessat enim eo casu necessitas recurrendi ad alienum, vel simplicē sacerdotē, dum præsens est proprius sacerdos, vel superior. arg. c. cum sacerdote.
- 2 de appellat. Nunc vero, alius re inspecta, videntur contra istam limitationem facere verba præfati Concilij Triden. scilicet, *in articulo mortis nullā esse referuationem*, & paulo inferius, *quod omnes*, & c. Moueor etiam, quod nullus clauicus auctor posuit hanc limitationem vsque ad Syluestrum, qui obscure loquitur; In. oc. vero non loquitur de articulo mortis, sed de alijs impedimentis non tam prouilegiatis: & verba Concilij Triden. non solum sunt generalia, sed etiam vniuersalia, ibi, *omnes sacerdotes* & ibi, *quoscumque pœnitentes*, & ibi, *quibusuis peccatis*. & ita generaliter, & vniuersaliter sunt intelligenda, l. de pretio. ff. de publici. in rem actio. cum siml. Propter quæ puto conclusionem prædictam tenendam esse sine præfata limitatione post Concilium Triden. quod determinat, quod in articulo mortis nulla est referuatio. quæ conclusio fauorabilis est animarū salutis: quamuis crederem consulte facturum, qui præsentē suo parochō, vel superiore, faciat se potius ab eo absolui, quam ab alijs.

Quid autem, si est in articulo mortis interdictus ab episcopo, qui præ-

tendi-

tenditur ab eo esse incompetens iudex, & pendet lis super proprietate, & non super possessione, & videtur idem dicendum de tali ep̄o, ac de illo, qui iurisdictionem habet pacificam: quia obediendum est superiori possidentis, donec lis pendet super proprietate, c. 1. vt lite pen. c. cum non liceat, de præscrip. c. nonne. 8. q. 4. & ideo, si moriatur absolutus à simplici sacerdote, non requisito episcopo, qui præfens erat, non est bene absolutus.

4 An autē potuit in sacro sepeliri canonicus sic interdictus tanquā vnus de capitulo ab heredibus, vel cognatis, vel amicis; arbitror quod sic. Tū quia, qui non est nominatim interdictus, iuste potest sepeliri, glos. notabilis in clement. 1. verbo nominatim, & ibi textus de sepult. Tum quia per extrauagan. ad euitanda scandala. Martini V. nemo tenetur euitare excommunicatos, nec interdictos, nisi fuerint denunciati. At hic, super quo consultatio vertitur, nec fuerat denunciatus, nec nominatim interdictus: quia aliud est capitulū, aliud singuli de capitulo, c. eam te, de rescri. vbi late Felin. col. 1. 1. vers. aliud capitulum. Vnde licet denunciatum sit capitulum pro interdicto, non tamen sunt denunciati singuli de capitulo.

5 Non obstat dicere, quod interdicto capitulo, sunt interdicti singuli de capitulo, vt in c. romana. §. vniuersitatē, iuxta glos. de sententia excomm. lib. 6. & interdicto populo, censentur interdicti singuli de populo, & interdicto clero singuli de clero. c. si sententia, de senten. excom. lib. 6. quia non propterea singuli de populo, vel clero, censentur denunciati, vel nominatim interdicti.

6 Non etiam obstat, quod aliquando tenuerim in c. 1. §. labore. de penit. dist. 6. nu. 2. 7. declarando præfatam extrauag. quod exceptio illius in fine posita, qua excipitur excommunicatus ita notorie, vt nulla tergiversatione possit celari ob manuum iniectiōem in clericum, extenditur ad omnes alios notorie excommunicatos, & etiam ad interdictos, & suspensos notorie, ad hoc, vt ante denunciationem euitari debeant: quoniam iste non erat ita notorie interdictus, etiam si notorium esset capitulum esse interdictū: quia potuit esse absolutus particulariter, & potuit esse priuilegiatus, ne interdicti posset ab ordinario, vel ne generali personarum, vel capitulorum interdicto comprehenderetur; maxime quia illa qualis qualis absolutio, & illa litis pendentia efficiunt, ne res adeo esset notoria, vt nulla tergiversatione possit celari, prout requirit finis prædictæ extrauag. & adeo notorietas ista tergiversatione aliqua celari potest, vt cuilibet prætorio negotium faciat.

7 Non etiā obstat, quod facile dictus canonicus potest denunciari interdictus, & minime absolutus: quoniam hoc non potest fieri sine partis citatione, glos. in clem. 1. verbo constitit, de censib. & nec cū illa, nec sine illa facta est facilis denuntiatio; quod si fieret, postquam facta esset, posset ex humari sepultus, arg. c. sane. il. 1. & c. sane. il. 2. 4. q. 2. & c. sacris, de sepult. sicut illicitum fuisset eum sepelire, si antea denuntiatio facta fuisset.

Non

Non etiam obstat dicere, quod præfatus canonicus peccauit corâ Deo, iubendo quod in sacro sepeliretur: quia potuit excusari per ignorantiam inductam ex absolute præfata, iuncta vulgari conclusione, quæ habet posse simplicem sacerdotem absoluere ab omnibus censuris in articulo mortis, gloss. in cap. nobis, il. 2. de sententia excommun. quæ dixit etiam laicum id facere posse: & limitatio supradicta, quod intelligatur in absentia superioris, nunquam, vel raro inuenitur per aliquem textum expressa. Denique, licet ille canonicus male iussisset, potuit tamen ab hæredibus, cognatis, & alijs bene sepeliri: quia diuersa est in eis ratio, arg. præfata extrauag. quatenus habet, per eam multum faueri, consuli, & prouideri communicantibus ijs, qui sunt ligati censuris, nihil autem ipsis ligatis. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Damnatis ad mortem pœnitentiæ sacramenta non neganda, & abusus est contraria consuetudo.*
- 2 *Sententiæ executio in criminalibus statim facienda, & cur. num. 12.*
- 3 *Eucharistia damnato statim morituro ob reuerentiam negatur.*
- 3 *Corpus Christi manere, donec species digerantur, verius.*
- 4 *Communicare semel in vita iure diuino tenemur, humano semel in anno. num. 8.*
- 5 *Damnatorum cadauera non sunt necessario ad sepeliendum concedenda.*
- 6 *Consuetudo negandi Eucharistiã ad mortem damnatis iuri diuino non refragatur.*
- 7 *Communicare an possit post cibum ægrotus, cuius vita an duratura sit in crastinum dubitatur.*
- 7 *Præceptis duobus concurrentibus, minus maiori credere debet.*
- 8 *Confiteri cur tenemur in articulo mortis, & non communicare.*
- 9 *Lex negatiua fortior affirmatiua cum illa concurrente.*
- 10 *Infirmus post cibum communicare potest, sed non damnatus ad mortem.*
- 11 *Damnatis ad mortem ministrari Eucharistiã lege nec vetatur, nec necessario concluditur.*
- 12 *Eucharistiã post sententiã intimatã, etiam vna tantum hora ante mortem, ministrari licet, nisi consuetudo vigeat contraria.*
- 13 *Eucharistia damnato iniuncto non ministranda.*

CONSILIVM XVI.

QUæritur primo, an damnatis ad mortem sit Eucharistia post latam, & intimatam sententiam ministranda.

Secundo an eisdem ministrari possit vna, duabus, vel tribus horis, ante quam occidantur.

Tertio, an saltem ministrari possit pridie eius diei, quo occidendi sunt, licet iam cibum sumplerint.

1. Responsum his aptius præmitto primo, quod iure communi damnato ad mortem, si petat, debet ministrari sacramentum Pœnitentiæ per clem. 1. de pœnitent. & remiss. & etiam Eucharistiæ, secundum eius gloss. verbo pœnitentia, communiter receptam, arg. cap. quod in te. de pœnit. & remiss. immo & cadauera suspensa, si petantur, ad sepeliendum debent concedi, cap. quæsitum. 13. q. 2. adeo quidem, vt Rauen. in tractatu, qui incipit valere, adiecto sine alphabeti sui aurei, concludit iure diuino, canonico, & ciuili hoc deberi; & ita consuetudinem contrariam non valere. Secundo, quod nos legendo dictam clem. 1. Salmantica probauimus primo, pœnitentiam quidem esse dandam pœniti omni iure, etiam diuino; & consequenter contrariam consuetudinem non valere per cap. mala, & cap. frustra. 8. dist. & per dict. clem. 1. quæ declarat eam, esse abusum; & ideo compellendos esse iudices ad concedendum
2. eam: non obstante consuetudine, vt illa disponit. Tertio, quod consuetudo Galliarum, & Hispaniarum, vbi sententia vltimi supplicij non datur, vel saltem non notificatur vsque ad diem, quo illud subeundum est, & statim executioni datur, videtur conformis iuris rationi statuenti, vt ex quoque sententiæ in criminalibus fiat statim, iuxta gloss. in cap. cum apud. 11. q. 3. & in cap. quærenti. de offic. deleg. & ita non videtur contra ius, saltem diuinum, nec consequenter est contra illud consuetudo. Quæ consequitur, hanc de non ministranda Eucharistia post notificatam sententiã, etiam si petatur, valere, iuxta quam negata fuit Ludouico Lucemburgo Connestabili Franciæ anno 1475. Rege Ludouico X. licet eam vehementer petisset, auctore Ruberto Gaguino in vita eius. cuius consuetudinis ratio desumitur ex reuerentia, quæ tanto sacramento debetur. Tum
3. quia nonnulla species irreuerentiæ est ducere ad mortem eum, qui credi potest habere Reuerendissimam Christi humanitatem eius diuinitati vnitam, quæ omnium vita est, intra se latentem contra gloss. cap. tribus gradibus. de consecr. dist. 2. quatenus habet, corpus Christi desinere esse sub speciebus panis, & vini, simulatque ore sumitur: manet enim secundum veram sententiam, donec species digerantur, quæque non digeruntur citius, quam digerentur, si vera substantia panis eis subesset, vt probat illud met cap. tribus, & D. Thomas. 3. p. q. 80. art. 8. & commun.

in 4. dist. 9. Tum quia licet fumentes illud non liberentur à potestate ministrorum iustitiæ, sicut confugientes ad illud, iuxta gloss. memorabilem c. quæsitum. 13. q. 2. recept. ibi à Turrecre. & ab Hostien. & alijs communiter in cap. sane. de celeb. miss. & in summ. de pœnitent. & remiss. §. in tantum, col. 3. decet tamen, ne quis post illius sumptionem statim ab executore occidatur; attentio, quod non videtur iuris diuini præceptum, vt eiusmodi damnatus communicet ante mortem; quoniam, vt recte ait Sotus in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 8. col. penult. licet teneamus obligari quemlibet de præcepto diuino ad communicandum saltem semel in vita, cuius contrarium tamen aliqui tenent, & posse sustentari ait Caiet. 3. par. q. 80. art. 11. non tamen tenetur ad communicandum semper in articulo mortis iure diuino: quia licite ob defectum hostiæ consecratæ, vomitus, &c. omitti potest, quorum de numero potest esse executio mortis illico facienda; nam nec iure humano tenetur, nisi semel in anno, vt Caiet. supra tradit, & quicquid contendat Panorm. in d. tract. non est præceptum de iure diuino, vt cadauera damnatorum, si perantur, tradantur ad sepeliendum: quia, vt vbi supra probauimus, iuste possunt iudices negare aliquorum damnatorum corpora petita ad sepeliendum, quo maneant ad terrorem in aliquibus locis publicis suspensa, quia textus sacræ Scripturæ, quos ad hoc citat, continent ad summum præcepta iudicialia, quæ à passione Christi expirarunt, & non moralia, siue naturalia, quæ etiam nunc durant. §. fin. dist. 6. & cap. 1. de purific. post. par. cum eis adnot. & per D. Thom. 1. 2. q. 103. art. 3. de cœremoniali quæst. 104. art. 3. de iudicial. & 94. art. 5. de moralibus, & communem in 3. senten. 37. dist. Quarto, quod per prædicta patet consuetudinem prædictam denegandi Eucharistiã damnato mox occidendo non esse contra præceptum iuris diuini: quod etiam colligitur ex d. clem. quatenus solum damnat consuetudinem denegandi Pœnitentiã, & non Eucharistiã, quæ non est sacramentum adeo necessarium, vt D. Thom. tradit 3. par. vbi supra, licet iuxta gloss. cap. veniens. de transact. sit de quinque quodammodo necessarijs.

7 His præsuppositis, respondeo ad primam, quod pro eius parte affirmatiua vrget, quod infirmus, de quo dubitatur, an in crastinum sit victurus, potest communicare vesperi post cibum sumptum, secundum D. Thom. & communem in 4. dist. 9. & 12. pro quo facit cap. presby. de consecr. dist. 2. & cap. sane de celebr. miss. & cap. quod in te, de pœnit. & remiss. Secundo, quod Ioan. Maior in dict. dit. 9. q. 2. tradit posse sacerdotem post prandium consecrare panem sine vino, etiam absque vestibus sacris, & sumptione sacramenti, ne infirmus vesperi, & sic post cibum sine viatico moriatur. Tertio, quod concurrenibus duobus præceptis incompatilibus, minus debet cedere maiori, arg. c. sicut. de consecr. dist. 11. contra pupillum. §. is qui ad maius. ff. de re iudic. & apertius in c. si

dominus, & cap. Iulianus. 1. q. 3. at fortius videtur præceptum de communicando, quam de non communicando præsumpto cibo; ergo. &c.

- 8 Pro parte vero negatiua facit primo, quod nullum præceptum ecclesiæ potissimum videtur religiosius seruari, quam præceptum de non celebrando, & non communicando præsumpto cibo, vt experientia, quæ est rerum magistra, cap. quam fir. de elect. lib. 6. docet. Secundo, quod prædictus Sotus reprehendit vbi supra prædictum Ioannem Maio. qui nõ esset reprehendendus, nisi lex de non celebrando, vel non communicando post cibum, esset fortior lege de communicando in articulo mortis. Tertio, quod esto lex diuina præcipiat semel communicare in vita, & lex ecclesiæ cõmunicare semel in anno, neutra tamen videtur obligare eum, qui semel cõmunicauit in illo anno ad communicandum in articulo mortis. Nec obstat, quod præceptum de confitendo obligat in articulo mortis secundum omnes: quia id verum est de habente peccatum mortale non confessum; quia cum obligetur ad confitendum illud semel in vita iure diuino, & semel in anno iure humano, & videat sibi tunc finiri vitã, tenetur illud confiteri; quæ ratio cessat in communione, & consequenter in tali damnato, qui aliquando communicauit: & ita concurrendo effectum lex consultiua de communicando cum lege præceptiua de non communicando præsumpto cibo. ergo illa debet huic cedere. cap. quod præcipitur. 14. q. 1. §. fin. 4. dist. Quarto, quod lex negatiua fortior est affirmatiua cum ea concurrente, l. 3. §. liberti. ff. de suspect. tut. vnde hoc ibi colligit Bart. & gloss. sing. secundum Cardin. ibi in cap. cum dilectus, verbo suspensus, de consecr. dum ait, plus tollere negatiuam, quam ponat affirmatiua. vnde & præcepta negatiua plus obligant, quia semper, & pro semper, quam affirmatiua, quæ ligant semper, sed non pro semper, secundum Archid. & vtrumque Card. in cap. si peccauerit. 2. q. 1. quem sequuntur Panor. Felin. Dec. & omnes in cap. nouit. de Iudic. & ante illos omnes D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 3. & lex prohibitiua fortior est, quam permissiua, secundum Panorm. & latius Dec. in cap. nam. de constit. At lex de cõmunicando in articulo mortis, etiam si foret præceptiua, esset affirmatiua, & lex de non communicando præsumpto cibo est negatiua; ergo illa debet huic cedere.

- 10 Per hæc videtur tenenda hæc pars. Ad primum in contrariũ respondeo primo, quod infirmus excipitur ab illa regula negatiua satis expresse per iura in eo citata, damnatus autem ad mortem nusquã. Secundo, quod non est eadem ratio, quia damnatus ad mortẽ poterat præuidere se damnandũ, idque sibi sua culpa euenturũ; & ita manere paratus ad damnationẽ secundã; non autem potest infirmus regulariter id præuidere. Ad secundũ, quod Io. Maior. ibi multa falsa cõgerit, vt recte prædictus Sotus aduertit. Ad tertiũ, quod assumptũ in eo facit pro hac parte; nã, vt supra probatum est, lex de cõmunicando in articulo mortis est lex consultiua; & quãuis esset

set præceptiua, est affirmatiua; lex uero de non communicando est præceptiua, & receptissima, & negatiua, quæ duplici ratione est fortior altera; & ideo illi præferenda, iuxta assumptum argumenti, scilicet, legem fortio- rem præferendam infirmiori.

11 AD SECUNDAM respondeo, quod pro parte affirmatiua eius facit primo, quod non est discedendum à regula, nisi cum expresse excipitur casus ab illa, vel ratio necessaria concludit esse excipiendum, iuxta gloss. solennem in l. omnis definitio. ff. de reg. iur. & in rub. eod. tit. lib. 6. quæ probatur in l. 1. ff. eod. in cap. dominus. 32. q. 7. & quod regulati- ter omni fidei discreto potest ministrari Eucharistia, cap. omnis utrius- que. de pœnitentia, & remiss. & nulla est lex, quæ vetet eam damnato ad mortem ministrari. Secundo, quod nulla etiam ratio est, quæ id neces- sario concludat; siqua enim esset, maxime foret illa, quod per sumptio- nem eius liberaretur à potestate iustitiæ, quod non est verum, iuxta gloss. cap. questum. 13. q. 2. & alia supra citata; sed neque illa, quod tam cito morituro non debet ministrari: quia etiam id falsum est, & contra cap. is cui. 16. q. 6. & cap. quod in te. de pœnitent. & remiss. per quæ pro- batur quod non solum potest licite ministrari cito morituris, sed etiam debet, etiam tempore interdicti. Tertio, quod d. cap. questum. probat eis, qui pro suis sceleribus furca suspenduntur, tradendam esse commu- nionem post confessionem suorum peccatorum, esseque orandum pro eis, eorumque cadauera sepelienda: quod & iam intelligendum esse ui- detur post condemnationem eis notificaram.

12 Pro parte autem negatiua facit consuetudo supradicta Hispaniarum, & Galliarum de non concedenda communionem damnato eadem die occi- dendo. Iustificando uero illam consuetudinem facit, quod pœna mortis statim est exequenda regulariter, iuxta supradicta; & lex, & consuetudo statim exequendi sententiam mortis, vel aliam valde indecoram iustifi- catur ex eo, quod per mortem daretur occasio damnato consciscendi sibi mortem gladio, vel veneno, & cognatis eius molendi mortem eius, ante- quam educatur è carcere, & machinandi alia, per quæ prece, pretio, vi, vel amore ab illa infamia publica liberetur. Quare arbitror licere, iure solo scripto attento, damnato adhuc ieiuno ministrare Cômunionem eo- dem mane, quo occidendus est, ante tres, vel quatuor horas, immo & an- te unam, sed non attenda consuetudine contraria in terris, in quibus illa viget, quia per prædicta nulli iuri diuino est contraria, & est rationabi- lis, ac consequenter seruanda, etiam si sit legi humanæ contraria, cap. fin. de consuetud. l. minime. ff. de leg. & l. 2. C. quæ sit longa consuetudo.

13 AD TERTIAM respondeo, quod ex decisione præcedentium colligitur illius resolutio, videlicet, quod pridie eius diei, quo est occidē- dus, non est tradenda ei communio, si iam pransus est, nec ipso mane diei, quo est occidendus, vbi consuetudo de non dando legitime viget

praescripta . vbi vero talis consuetudo non est , crederem licere quidem de rigore iuris dare, licere item denegare ex causa reuerentiae tanto sacramento debita, de qua supra . Salua, &c.

S V M M A R I V M .

- 1 *Scrupulosus confessorio suo probo, & docto credere debet .*
- 2 *Poenitens confessorio suo docto credens à culpa, & poena excusatur, licet ipse erraret . ann. 4.*
- 3 *Excommunicatus per contritionem si fratribus generalibus gaudet .*
- 4 *Scrupulosus confessori probo, & docto non credens peccat, & habitum virtuosum se inquietandi facit .*
- 5 *Poenitens tam in ijs, quae sunt facti, quam iuris, confessorio probo, & docto se submittat .*
- 6 *Scrupulosus credendo confessorio satisfacit, & sibi medetur .*

CONSILIVM XVII.

Quidam scrupulosus iudicat iuxta suum iudicium, se esse excommunicatum, & quampluribus excommunicationibus innodatum, & à iure, & ab homine &c. & etiam Bulla Cęnę Domini referuans, consuluit super his suum confessorium virum habitum pro docto, & probo.

Primo queritur, an iste consulens tuta conscientia possit, & debeat acquiescere, ac credere responsis, & dictis sui confessorij, etiam si dictus suus confessorius circa hæc quęstia erraret, eo quod in rei veritate iste consulens, vt ipse iudicat, sit excommunicatus? &c.

Secundo, posito, quod in rei veritate confessorius circa hæc erraret, & esset iste consulens in rei veritate, vt ipse iudicat, excommunicatus, &c. quid dicendam sit?

Tertio, quod si ita sit, vt supra narratur, virum iste consulens subiciens se prædicto responso sui confessorij, & faciens quod ei confessorius dixerit, sit in statu salutis, & sit paterfamilias omnium bonorum? &c.

- 1 **R**espondeo, quod si confessorius est vir eruditus egregie, & pius insigniter, quales solent esse magistri, & doctores, & confessorij illustrissimę Societatis IESV, proculdubio, & sine aliquo scrupulo potest, immo & debet credere, adeo quidem, vt mea sententia non credendo, & non se eius auctoritate tranquillando, peccaret . Ratio est, quia, qui vbi, quando, & cur oportet, nõ acquiescit consilij penitentium, non potest esse immunis ab aliqua culpa per multa iura naturalia, diuina, & humana, quę

quæ in hoc facile adduci possunt. Vnde ad primam questionem respon-
deo, quod consulens debet tranquillare conscientiam suam, subdiciendo
se humiliter iudicio prædicti confessarij.

2 AD SECUNDAM, quod huiusmodi penitens esset omnino sal-
uus, & liber ab omni pœna, quam mereretur propter dicta peccata, &
censuras: licet in veritate eis irretitus esset; quia probabiliter credit se
non esse ijs irretitum: non enim obligat nos Deus ad habendam sciētiam,
quæ non potest haberi à nobis, nec requirit illam in moralibus, sed est
contentus, ut operemur bene secundum probabilem credulitatem, quam
habet etiam si penitens credendo suo confessario, & magistro perdocto,
perpio, & perbono; nam & qui credit abj viro bono prudenti bona
fide, excusatur ab omni peccato secundum omnes regulas.

AD TERTIAM dico primo, quod huiusmodi penitens est in
bono statu salutis, & gratiæ, & quod participat in omnibus bonis, quæ
3 sunt in tota ecclesia, perinde ac alij, qui non sunt excommunicati: quo-
niam etiam vere, & iuste excommunicatus post habitam contritionem
gaudet suffragijs generalibus totius ecclesiæ, & communicat in omnibus
bonis spiritualibus bonorum, perinde ac si non esset excommunicatus, ut
post D. Thom. dixi in Manua. cap. 17. num. 17. & 18. nam solum pec-
catum mortale quem excludit à communicatione illa æterna. Nec ob-
stat, quod ibi additur, id esse verum, quando satagit querere absolu-
tionem: quod hic verum est; non enim aliter facit, quam viri doctissimi
consulunt, nec tenetur querere absolutionem, quam ei consulunt non ef-
se querendam, et si coram Deo male consulerent, eo quod eorum au-
4 thoritas excuset ipsum ab omni culpa negligentia. Secundo, quod erit
immunis ab omni culpa, & pœna in hoc seculo, & altero, credendo, &
parendo consilijs prædictorum confessariorum, etiam si illi errarent. Ter-
tio, quod non tenetur querere alios: quia sufficit consilium unius confes-
sarij talis; immo & mea sententia peccaret, saltem venialiter, queren-
do alios. Tum quia eadem ratione teneretur querere alios, & alios in in-
finitum, quod esset stultitia fere mortifera. Tum quia, atenta sua condi-
tione naturali scrupulosa, faceret habitum vitiosum inquietandi se in om-
nibus, & separandi se ab illa tranquillitate, & pace Dei, quæ exuperat om-
nem sensum, & quietat spiritum amantem Deum: & contra procurare huius-
modi vitiosum, est peccatum, saltem veniale; & contra procurare tran-
quillare se, subdendo suum iudicium humiliter iudicio peccatorum, & pro-
rum, est querere habitum quietandi animum, per quem per prædicti
paulatim acquiretur. quod mea sententia in domibus tenetur, id est in
pœna venialis culpæ, procurare, assuefaciendo se ad parendum iudicio
5 eorum, quibus ratio recta dicit esse parendum. Quarto, quod non so-
lum tenemur acquiescere iudicio eruditorum magistrorum, & doctorum
confessariorum in ijs, quæ sunt iuris, sed etiam in ijs, quæ sunt facti, quæ-

do miscetur aliquid iuris super modo faciendi, vel non faciendi ea: & ideo doctoribus, & confessoribus iudicantibus satis explicatum esse hūc, vel illum casum, & non esse plus temporis, nec diligentiae adhibendum super eius explicatione, credendum est; & male facit, immo superbe, qui non vult humiliare se ad credendum medico (spirituali, praeterim tali, qui non accipit alia stipendia, quam dirigere animam consulentis in viam pacis: & ideo arbitror illum, sub poena peccati venialis superbiae, debere acquiescere praedictis confessoribus consulentibus ei, satis esse explicata quae proposuit, & non debere proponere similia, terendo tempus in occupando mentem siliquis, & quitquilijs, cum possit eam occupare in cogitando de Deo, & diuinis, & diuis in amando eum, & eos sedato animo, & quieto. quod si ceperit facere, facile cognoscet, quam puerilia sint, quae tractat, collata dulcoribus alloquijs, quae cum eis tractare deberet. **6** Quinto, quod proculdubio consulens satisfacit conscientiae credendo praedicto confessorio, & secundum eius consilium audiendo missas quolibet die, & credendo humiliter, quod ipse habet animam agrotam scrupulis agitatum, & quod eius curatio, & salus dependet ex implemento praceptorum medici spiritualis, & non ex implemento sui appetitus, & credendo, quod ipse non est tam rectus iudex in sua propria causa, quam est talis confessorius liber à tali aegritudine, credendo item, quod fallitur credendo, quod confessorius doctus, & pius sit iudicaturus aliter, quam iudicat, si eius scrupulos audiret, cum debeat credere, quod nullatenus id diceret condemnando animam suam, nisi pro comperto haberet consulentem decipi, & falli credendo, suadente diabolo, & sua conditione scrupulosa, esse aliquid, quod nihil est, & esse grata Deo, quae displicent ei, saltem venialiter, Equidem ex his propositis clare colligo eum laborare nimia curiositate, & modo quod aiunt, *nodū in scirpo querit*. Quare consulo ei amantissime, vt dissidat suo iudicio, & credulitati, & submittat se omnino vt agrotus medico suo spirituali, tamquam Vicario Dei, & ipsius pracepta, & consilia seruet, vt pracepta, & consilia Dei, qui nos saluet aeternum. Amen.

S V M M A R I V M.

- 1 *Scrupulum vt quis tute deponere possit.*
- 1 *Mendax non est affirmans quod putat esse verum.*
- 2 *Credeve potest quis quod firmiter opinatur.*

CONSILIVM XVIII.

Quæritur, an consulens alicui, quod potest scrupulum deponere, eo quod quidam ei dixit, sibi esse dictum posse consulere eidem, quod potest deponere illum, si dicat te non adeo firmiter credere, vt habeat pro certissimo, & indubitato, sed quod putat ita sibi esse dictum, & quod magis inclinatur in partem affirmatiuam, quam negatiuam, an possit scrupulum illum deponere?

Respondeo primo, quod subtilis, & ingeniosa est hæc interrogatio, & cui forte non respondiſſem, nisi me ad id auctoritas interrogantis coegisset.

- 1 Secundo respondetur affirmatiue, quod potest deponere scrupulum. Tum quia ex parte interrogantis nulla fuit facta surreptio exprimendo aliquod falsum, vel tacendo aliquod verum necessario exprimendum; quia qui dicit simpliciter aliquid esse verum, non censetur dicere, ita credere illud esse verum, quod habet pro indubitato, sed solum quod putat id esse verum, & qui magis putat, & inclinatur aliquid esse verum, quam contrarium, videtur dicere se putare id esse verum, & sic nullum falsum exprimit, neque tacet verum necessario exprimendum: nam, vt diximus nos in Manu. nostro Confess. cap. 27. num. 279. aliud est scire, & aliud credere firmiter, aliud opinari, & aliud dubitare: & qui putat verius esse aliquid, quam contrarium eius, licet non sciat, neque firmiter credat, opinatur tamen, & sufficit opinio, qua magis putat aliquid esse verum, quam contrarium, quia, vt traditur in locis prædictis, qui dubitat, non inclinatur magis in vnam partem, quam in aliam. Tum quia consulens, qui consulit alicui posse scrupulum deponere, eo quod dixit sibi esse aliquid dictum, non solum videtur consulere in casu, quo firmiter credit ita esse, & proculdubio habere, sed etiam si opinetur ita esse, siue quod idem est, & magis putat esse verum, quam contrarium. Tum quia in lib. post. Arist. tam ipse, quam commentatores eius docent, quod fides, & indubia persuasio producitur à motiuo, & libera voluntate; & ita qui habet opinionem ob aliquod motiuum, potest facile, si vult, firmiter illud credere: & ita dominus consulens potest, si vellet, credere firmiter id, quod opinatur. Tum denique, quod dominus consulens potest deponere prædictam scrupulum, etiam si non opinaretur amicis illum sibi dixisse contentum in informatione, propterea ignorat quosdam fecisse aliquid de rogatis ab eo, & quod nihil soluit eis, & tanto tempore remansit in illa bona fide credendi nihil per rogatum eius factum fuisse, & quod facile credere potest, quod si aliquid fuisset impensum pro ipso, vel in patiendo labores, fuisset præta solutio. Itaque mea sententia D. Consulens sine scrupulo potest præfatam scrupulum deponere. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Dispositio exorbitans à iure communi restringenda.*
- 2 *Præilegium, dato aliquo, quod operetur, in alijs restringendum.*
- 3 *Facultas per iobeleum eligendi confessarium ad regulares extenditur.*
- 4 *Lex, per quam reditur ad ius antiquum favorabilis, & amplianda.*
- 5 *Confitendi facultas alij, quam proprio, aliquoties utilis.*
- 6 *Parochus negans licentiam confitendi alioi peccat.*
- 7 *Lex etiam odiosa includit omnes casus, quos eius verba.*

C O N S I L I V M X I X.

AN regulares ex facultate concessa instar iobelei omnibus Christi fidelibus eligendi idoneos presbyteros seculares, vel cuiusvis ordinis regulares ab ordinario approbatos, quibus peccata sua confiteatur, possint secularibus sacerdotibus confiteri?

- 1 Pro parte negante facit primo, quod dispositio exorbitans à iure communi est restringenda, cap. quæ à iure cum similib. de regul. iuris lib. 6. & concessio prædicta exorbitat ab illo iure communi, cap. placuit, de pæn. dist. 6. & ca. omnis, de pæn. & remissio. quibus cauetur, vt suo quisq; pro
- 2 prio parochi sua peccata confiteatur. Secundo, quod præilegium licet ita sit intelligendum, vt aliquid operetur contra ius commune, cap. in his, de præileg. & l. si quando. C. de inofficio. testa. dato tamè aliquo effectu, quem operetur, debet restringi quo ad alios, secundum Panor. in cap. certificar. col. 3. de sepult. quem, & alios relatos à se sequitur Decius in cap. 1. col. 5. de rescript. At concessio prædicta est præilegiatiua, & derogatiua iuris communis, & potest operari quo ad regulares aliquem effectum, scilicet confitendi quibuscumque regularibus, ergo non est extendenda quo ad alium effectum, scilicet, quod possint confiteri secularibus.
- 3 Pro affirmante autem facit primo, quod concessio prædicta est generalis, & consequenter generaliter intelligenda, l. de pretio. ff. de publi. in rem actio. & cap. solite. §. fin. de maiori. & obed. etiam si aliqua maior ratio inueniatur in vna specie, quam in alia, l. 1. §. quod autem, de alea lusu, & alea. & tradit post alios Decius in consil. 66 §. num. 3. & concessio prædicta est generalis confitendi secularibus, vel regularibus approbatis, et
- 4 go generaliter est intelligenda. Secundo, quod lex, per quam reditur ad ius antiquum, est favorabilis, & amplianda: quia res facile reuertitur ad suam pristinam, & antiquam naturam, cap. ab exordio. 3 §. distin. & l. si vnus. §. pactus ne peteret. ff. de pactis. vbi lason adducit pulchra exempla,

pla, quæ defumere potuit à Felix in cap. cum accessissent, & cap. cum omnes, num. 7. & seq. de co. n. r. in quibus est illud Federici Senen. cōsil. 14. scilicet, quod licet exemptus non possit se subdere alteri prelati sine consensu sui proprii regulariter, fallit tamen, quando se subderet prelati, cui secundum ius antiquum subest. Cum ergo secundum iura antiqua quilibet Christianus cuiuslibet sacerdoti potuisset cōfiteri, arg. §. ecce. 16. q. 1. & ca 2. 5. Concil. Trid. de refor. test. 2. 3. & tradimus huc nos in d. ca. placuit. num. 2. ad quod predicta concessio facit redire subditos, censenda est fauorabilis, ut nos ubi supra nu. 37. dicimus. Tertio, quod vale est populo Christiano, ut aliquoties detur facultas confitendi alijs, quam ordinarijs confessorijs. vnde Cōsil. Triden. ca. 10. test. 2. 5. de regularib. statuit, ut superiores Monialium, quas exhortatur, ut singulis mensibus sacramenta Eucharistiæ assumant, de it bis, vel ter in anno cōfessorios extraordinarios, quibus possint illæ confiteri. Quarto, quod D. Thomas in 4. lib. sentent. dist. 17. q. 3. art. 3. quæstionculâ 4. quem referimus post alios ubi supra num. 119. communiter receperunt sic ait, *Peccat ret sacerdos, si non esset facilis ad prebendam licentiam confitendi alteri: quia multi sunt adeo infirmi, qui potius sine confessione morerentur, quam tali sacerdoti confiteri: vnde illi qui sunt nimis solliciti, ut conscientias subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis iniiciunt, & consequenter sibi ipsis.* Per quæ posteriora opinor hanc partem affirmantem esse iure veriore.

7 Non obstant opposita ad quorum prius responderetur primo, quod licet lex à iure communi exorbitans sit restringenda, ita quod ad alios casus non extendatur, includit tamen omnes, ad quos verba eius secundam propriam significationem extenduntur, l. cum lege, adiuncta glos. & doctrina Francisci Aretini. ff. de testa. quam Decius, Alciatus, & alij multos in locis sequuntur: & verba predictæ clausulæ secundam propriam significationem comprehendunt hanc casum, ut palam est. Secundo respondetur, quod illud intelligendum est de lege exorbitanti odiosa, non autem de fauorabili: qualis est illa, per quam reuertitur ad pristinum ius; & talis est concessio contenta in prefata clausula.

Ad posterius responderetur primo, intelligendum esse illud de odioso privilegio, & prejudiciali, quale non est hoc. Secundo, quod id procedit, quando verba eius per proprium significatum non extenderentur ad omnes alios effectus, & esset multo maior ratio, quare non deberent extendi ad eos. At concessio predicta est fauorabilis, nemini prejudicialis, saltem notabiliter: & eadem ratio suadet, ut extendatur ad seculares approbatos, ac ad regulares approbatos: quia utriusque iure communi sunt aliam sacerdotibus, & utriusque sunt approbati, & clausula predicta utroque pariter ratione approbationis. Adde quod tempore Iobela: omni occurrit magna multitudo confiteri volentium, cui vix potest satisfacere quamlibet magna multitudo confessorum approbatorum: quod Papa concedens Iobela:

læa optime nouit.& ita vel hoc solo nomine, quod fauet animarum salu-
ti, est fauorabilis concessio prædicta, iuxta glos. memorab. cap. sciant cun-
cti. de electio. lib. 6. & consequenter amplianda, & non restringenda, cap.
odia. de reg. iu. lib. 6.

S V M M A R I V M.

- 1 *Facultas edendi carnes in diebus ieiuniorum dicenti se nobile, & infirmū,
ualet, licet non sit nobilis.*

C O N S I L I V M X X.

Vtrum dispensatio de comedendo carnes diebus ieiuniorum, cum
adiectione, extra Quadragesimam, & de consilio vtriusque me-
dici, dicenti se nobilem, & infirmum, valeat, esto quod non sit nobilis?

- 1 Respondetur primo, quod facile quis posset defendere non valere,
arg. cap. super literis, de rescrip. & l. eisi legib. C. si contrarius, vel vtilit.
publ. Secundo, quod defendi potest quod valeat, saltem de æquitate.
Tum quod S. Sanctitas omnibus petentibus, cuiuscunq; conditionis sint,
videtur concedere illam cum prædictis conditionibus. Tum quod clausu-
la illa, de consilio vtriusque medici, nõ potest verificari per nobilitatem,
sed tantum per solam infirmitatem. Tum quod in aliquo libello, commif-
sione, vel priuilegio ponuntur multæ causæ, etiam copulatiue ad operan-
dum aliquem effectum, in quibus sufficit, vt vna illarum, quæ illum ope-
rari potest, sit vera, iuxta glossam, & ea, quæ latissime adducit Felinus
super ea in cap. 2. de rescrip. à num. 22. At constat, quod sola causa
infirmitatis in casu proposito sufficiebat ad obinendum hoc priuile-
gium. ergo, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Confessor secundus per Cruciatam electus potest ex causa penitentiam
à primo positam mutare, non auditis peccatis, pro quibus posi-
ta est.*

CONSILIVM. XXI.

Vtrum secundus confessarius per bullam Cruciatæ electus possit commutare pœnitentiam impositam à primo, non auditis peccatis, pro quibus imposita fuit.

Responderetur quod sic, iuxta gloss. iuris optimam in cap. tempora. 26. q. 7. cui aliquas similes allegat Dec. in cap. ac si clerici. §. de adulterijs, col. 3. de iudic. & hoc tenet simpliciter Ludou. Roman. per illam gloss. & l. si hominem. ff. mand. in sing. 460. cuius apostillator allegat multos idem tenentes: Quod tamen videtur limitandum, vt procedat concurrente iusta causa id faciendi, & non alias, vt satis resoluit præfatus Dec. vbi supra, quem ea ratione sequor, quod minor non potest dispensare super lege maioris, nisi iusta causa interueniat; etiam si Papa concesserit potestatem dispensandi: quia dispensatio legis superioris requirit causam, iuxta text. adiuncta gloss. in §. nisi rigor. 1. q. 7. & addita à nobis in Manu. confess. prælud. 9. num. 15. Non autem arbitror cognitionem peccatorum confessorum primo confessario esse necessariam, sed satis est cognitio causæ, quæ ad pœnitentiam commutandam iusta videatur, nec requiritur probatio quo ad forum conscientiæ, licet sic quo ad forum exterius. Salua quæ iustior fuerit sententia.

S V M M A R I V M.

- 1 Cruciatam præsentis anni suscipiens gaudet etiam gratijs in præcedentis anni bulla concessis, nisi & c.
- 2 Oua, & lactinia, aut pisces adere possunt habentes Cruciatam, alternis diebus, nisi veniat contra corporis salutem.
- 3 Ieiunare qui non tenetur, potest per Cruciatam in prandio pisces, & in cœna ova edere, sed non vtrumque in vno prandio, seu cœna.

CONSILIVM XXII.

AN suscipientes Bullam Cruciatæ in isto præsentis anno gaudeant indulgentijs, & gratijs per Bullam Cruciatæ in præterito anno concessis?

- 1 Respondeo, quod poterit frui priori Bulla quo ad illas clausulas, quæ non sunt sublata per bullam posteriorem. Tum quia gratia semel facta durat, donec reuocetur, vel suspendatur, c. si super gratia de officio deleg. lib. 6. Tum quia si suspendatur, sublata suspensione, remanet tam efficax, quam

quam erat ante suspensionem, arg. c. pastoralis. de caus. posse. & proprie. & per posita in casu per posteriorem bullam acceptam tollitur suspensio priorum bullarum.

BULLAM prædictam Cruciatæ habentes an licite valeant simul pisces, & ova, ac lactinia comedere?

- 2 Respondeo, quod poterunt interpollatis diebus, ita quod vno die comedant pisces, & alio ova, & lactinia: quia quis potest renunciare favori, & privilegio suo. quatenus ius humanum tangit, l. quod favore. C. de legib. cap. quod ob gratiam. de reg. iur. lib. 6. & privilegium, & licentia huiusmodi datur in fauorem eius. Dixi *quatenus tangit ius humanum*: quia si eiusmodi piscium esus esset ei mortifer, vel notabile salutis damnum, peccaret comedendo, non quidem eo quod transgreditur tenorem bullæ continentis humanum præceptum, vel privilegium, sed quia contraueniret naturali legi diuinæ, qua prohibemur edere mortifera, vel notabiliter valde læsura, potentes iuste edere alia, vt tradimus in Man. confess. ca. 15. num. 13. post Innoc. recep. in c. tua, de homicidio.

Secundo respondeo, quod non licet ei comedere pisces cum ouis, vel lactinijs in eodem prandio, vel in eadem cœna. Quia uel non potest vesci piscibus sine damno notabili, vel potest: si non potest, peccat illos comedendo; si vero potest, caret necessitate comedendi ea; & consequenter non potest comedere illa licite per tenorem bullæ, ergo nullatenus iuste potest comedere illa simul in eodem prandio, vel cœna: quamuis non putarem esum mortifere peccaturum, si comederet ova, vel lactinia cum necessitate ea comedendi, & comederet tam parum piscium, quod solum ei parum noceret, & non sufficeret ad excusandam necessitatem comedendi ova, & lactinia: peccaret autem venialiter, eo quod superflue, & cum aliquo damno sine necessitate illos comedendi, immo cum aliqua necessitate nocendi, ob gulam ederet illos.

- 3 Tertio, quod si excusatur à ieiunio, & licet ei prandere, & cenare, posset aliquando iuste comedere eodem die in prandio pisces, comedendo in cœna lactinia, vel contra comedendo lactinia in prandio, & pisces in cœna: quia contingere potest, quod in altera illarum comestione habeat necessitatem comedendi lactinia, & non in altera: sed qua vice non haberet necessitatem comedendi illa, & commode posset vesci piscibus, non deberet ea comedere: quia celsat causa edendi in bulla expressa. Salua. &c.

S U M M A R I V M.

- 1 Excommunicatus generaliter ab homine non denunciatus, sicut si à iure, absolui potest.

2 Ex

2 *Excommunicatus ab homine, & denunciatus, parte satisfacta, per priuilegium absolui potest.*

3 *Absolutio per Cruciatam in foro conscientie tantum consulit, nisi &c.*

3 *Absolutio ab excommunicatione quo ad forum Dei quid operetur.*

4 *Absolutus, quo ad Deum ab excommunicatione, etiam in iudicio vitari non debet, nisi id aduersarius petat.*

5 *Boni viri est nulli nocendo alicui prodesse, vel certe velle.*

CONSILIVM XXIII.

AN mendicantes Religiosi ex priuilegijs suis, vel confessarij ordinarij ex priuilegio bullæ cruciatæ, possint absoluere ab excommunicatione imposita ab homine? Et quid possint cum pœnitente, qui esset denunciatus, vel notorius percussor clerici? Et si aliquis dictorum confessorum huiusmodi excommunicatos absolueret, quid operaretur talis absolutio, saltem in foro conscientie?

Secundo quæritur, cum quis incidit publice in censuram aliquam Pontifici referuatam, & satisfacit etiam publice, an sufficiat tunc absolutio confessarij, qui alias habet facultatem absoluendi à tali censura, cum declaratione, quod talis pœnitens iam satisfecit, & absolutus est?

Respondeo primo, quod excommunicatus generaliter ab homine, & nondum denunciatus, perinde potest absolui, ac excommunicatus à iure, per ea, quæ in hoc ipse cito in *Manu. confess. cap. 27. num. 44.* Secundo, quod etiam excommunicatus specialiter ab homine, etiam denunciatus, & percussor notorius clerici, post iustam satisfactionem potest absolui per præfata priuilegia, & bullas quo ad forum conscientie tantum; quia per præfatas bullas, & etiam, vt credo, per præfata priuilegia datur potestas generalis indefinita absoluendi excommunicatos à iure, vel ab homine, præuia satisfactione, absque vlla exceptione; & ita æquipollet vniuersali, iuxta glossam solemnem c. vt circa. de elect. lib. 6. & ita comprehendit omnes, cap. solitæ. sub si. de maio. & obed. cum concord. quia & nos credimus sufficere veram impotentiam satisfaciendi, præstita cautione sibi possibili, saltem iuratoria, iuxta ea quæ diximus in præfato cap. 27. nu. 48. quamuis Sotus contra teneat.

AD SECUNDAM respondeo, quod absolutio præfata non videtur prodesse, nisi quo ad forum conscientie tantum, nisi cruciata, vel priuilegium expresse daret facultatem absoluendi quo ad vtrumque forum, per ea quæ diximus in dicto *Manu. c. 26. nu. 31. & cap. 27. num. 150.* Operabitur autem illa absolutio, vt possit diuina recipere Sacramenta, & beneficia sibi canonicè collata; & poterunt omnes, qui sunt cerni de illa absolutione, licite ei communicare quo ad forum conscientie; quin etiam, quod maius est, nec ab alio, quod sciam, satis proditum, Episcopus, & alij

lij Iudices fori exterioris possunt etiam quo ad forum exterius commu-
nicare eius factis, dictis, & conuersationi publicæ, & tractare ipsum qua-
si absolutum, & dissimulare eius excommunicationem, nisi aliquis aduer-
sarius peteret eum arceri, & castigari tanquam peccantem in leges pro-
hibentes excommunicatis illos actus exteriores. Tum quia hoc modo ab-
solutus non est vere excommunicatus, nec consequenter communicatur
s excommunicatio. argum. l. in delictis. §. 1. ff. de noxalibus. Tum quia boni
viri est, nemini nocendo, alicui prodesse, vel velle prodesse, arg. cap. 2. de
postul. Tum quia hæc faciunt, vt priuatæ personæ, & vt tales sciunt ip-
sum esse absolutum, & ita nihil contra conscientiam faciunt, nec conse-
quenter obuiant, c. fin. de præscrip. Tum quia non tenentur ad arcendum
eum tanquam Iudices, & ex officio Iudicis nobilis, nulla parte petente:
quia non interest Reip. vt id faciant, cum vere tales absoluti non delin-
quant, eo quod iudices non tenentur ad vtilitatem priuatam, nisi parte
petente, procedere, l. 4. §. hoc autem iudicium. ff. de dam. infec. Tum quia,
frequenter sacra Pœnitentiaria committit absolutiones, & dispensatio-
nes in foro conscientie tantum Episcopis, vt ipsimet absoluant, & dispē-
sent: & ita scientes scientia priuata tales esse absolutos, vel dispensatos,
non inquietent, neq; castigent vt Iudices, ignorantes id scientia publica,
quæ habetur per allegata, & probata, qua debent duci, quatenus sunt ta-
les, l. illicitas. §. veritas ff. de officio præsid. cap. pastoralis. §. quia vero. de
off. deleg. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Cruciata suspendens priuilegia piorum locorum, an concessa in ordine ad proximos suspendat.*
- 2 *Cruciata priuilegia eorum, qui bullas accipiunt, non suspendit.*
- 3 *Priuilegium edendi oua, & lacticia in ieiunijs, per Cruciatam non tollitur.*

C O N S I L I V M XXIIII.

Quæritur primo, quia in bulla cruciatæ datur facultas commissario, vt possit suspendere facultates, & priuilegia concessa monasterijs, & locis pijs, &c. an ex hac commissione censeantur suspen-
sa priuilegia dictis locis concessa in ordine ad proximos?

Secundo, quia dictus commissarius bullæ suspenderat dicta priuilegia quo ad illos solum, qui non darent eleemosynam pro dicta bulla, & respectu aliorum, qui darent eleemosynam, illa non suspendebat, quæri-
tur

tur, an sit satis ad dicta priuilegia consequenda, quod religiosus confessorius det dictam eleemosynam pro bulla, an vero sit opus, quod poenitens eleemosynam dictam faciat?

Tertio, circa dictam bullam Cruciatæ, quæ suspendit omnia priuilegia concessa quibuscunque locis, personis, &c. quo ad illos tantum, qui non dederint eleemosynam pro dicta bulla, dubitatur, an in India, vbi ex antiquo priuilegio omnes etiam Religiosi, & Sacerdotes vtebantur lacticiis in quadagesima, vigiliis, &c. modo possint post publicationem dictæ bullæ Cruciatæ uti eodem priuilegio, dando eleemosynam pro dicta bulla?

1 AD PRIMAM respondeo primo, quod quæstio videtur nimium generalis ad hoc, vt ei categorice responderi possit. Secundo, quod tale potest esse priuilegium Religiosi, quod uti posset eo erga poenitentem, & tale, quod non posset. Si enim Religiosus haberet priuilegium audiendi confessionem omnium, qui eum elegerint in confessorem, posset accepta bulla omnes audire, qui eum eligerent; si autem haberet priuilegium audiendi omnes, qui eligerent eum de licentia ordinarij, non posset, nisi habentes illam, vel accipientes bullam, quæ eam saltem eminenter continet; nam tenor priuilegij est seruandus, & non extendendus, c. Abbate. de verb. sign. c. porro. de priuil.

2 AD SECUNDAM respondeo, quod omnia priuilegia religiosorum, & aliorum, ad quæ potestas suspendendi extenditur, erunt suspensa, facta suspensione à commissario, & desinent esse suspensa priuilegia eorum, qui bullas acceperunt; quia id sonant verba bullæ, à quibus non est recedendum, l. non aliter. ff. de legat. 3.

3 AD TERTIAM respondeo affirmatiue, & quod recte intellecta est bulla ab illis, qui dixerunt posse clericos, & religiosos virtute priuilegij antiqui, & generalis, adiuncta reualidatione reualidationis, comedere oua, & lactinia diebus ieiuniorum. Quia meo iudicio non fuit intentio concedentis Cruciatam noue præcipere, ne clerici, & religiosi comedant ea, sed tantum quod non comedant virtute priuilegij huius Cruciatæ, etiam si accipiant bullam: & mens disponentis est attendenda, c. si. de præb. l. in conditionibus. ff. de cond. & demonstr.

S V M M A R I V M.

1 Gratia quæ per Cruciatam suspendantur, declarandum à Papa. numero 2.

1 Priuilegium, dato aliquo, quod operetur in alijs, restringendum.

2 Cruciatæ commissarius suspendit tantum gratias, quæ Bullæ acceptionem, aliquo respectu impedire possunt.

AN per bullam Cruciatę suspendantur gratiæ, & facultates concessę sę hospitali. Netiam si sint aliarum rerum, quam indulgentiarũ, & remissionum peccatorum.

1 Pro parte negante facit primo, quod per prædictam bullam non videntur suspendi omnes facultates concessę à Sede Apost. in vniuersum, sed tã um illæ, quæ uidentur esse similes gratis per eam concessis; licet aliquantulum differant ab eis. Tum quia priuilegium, licet ita sit interpretandum, vt operetur aliquid contra ius commune, cap. in his. de priuileg. & l. 1. ff. ad municipa. dato tamen aliquo, in quo id operetur, restringendum est, ne operetur alia, in quibus saltem non esset eadem ratio, secundum Panor. cap. certificari. num. 10. de sepultu. & resoluit Deci. post alios cap. 2. de rescript. Secundo, quod ex affirmante sequeretur, quod facultas habendi altare portatile concessa episcopis in c. 1. de priuileg. lib. 6. & missam ante auroram, uel paulo post meridiem Dominicis, cap. in his. eodem tit. & alię facultates concessę episcopis per c. quia periculofum. de sententia excom. lib. 6. & alia cap. citata per glo. d. c. vlt. essent suspensę: facultates item mutandi officium diuinum alicuius diei in aliud alterius diei: facultas item audiendi leges facta monacho, uel personę dignitatẽ habenti: & facultas faciendi mane in die ieiunientaculum siue collationem, quam licet facere differendo cœnam in noctem: facultas item concessa Legatis Apostolicis, & Comitibus Palatinis conferendi gradus, & faciendi notarios; & omnis facultas dispensandi, immo & conferendi beneficia, portatilia, & lucri faciendi indulgentias concessas recitantibus rosarium, uel tertiam partem eius; & facultas concessa Academicis conferendi gradus: & facultates prædicandi, & audiendi confessiones factę multis religiosis, & aliquot clericis sęcularibus eruditis, & dignitate ornatis: & facultas ne possit excommunicari, nec iudicari ab ordinario suo, & exemptionis: & denique omnia fere Apostolica priuilegia; cum omnia illa sint gratiæ indulgentiæ, uel facultates similes, uel differentes à gratiis, quæ per cruciatam conceduntur. quod uidetur absurdum, & ita non dicendum, l. nam quod absurdum. ff. de bono liberto.

Pro parte uero affirmante facit, quod cõtextus bullę Cruciatę habet, quod Commissarius eius generalis possit suspendere gratias, indulgentias, & facultates à Sancta Sede Apostolica, & à quibuscumque maximis Pontificibus, uel eorum auctoritate concessas alijs, siue sint similes eis, quæ conferuntur per Cruciatam, siue differentes ab eis. Et constat prædictum Commissarium suspendisse omnes illas, iuxta formam facultatis sibi factę. At omnes indulgentiæ, & facultates concessę à Sede Apostolica

lica prædicto hospitali N. sunt similes, vel differentes eis, quæ conceduntur per Cruciatam; ergo omnes illæ sunt suspensæ.

2 His pro utraque parte perpenſis, & multis aliis, quæ in utranque partem perpendi poſſunt omiſſis, arbitror omnino huius reſolutionem ſpectare ad S. D. N. qui Cruciatam conceſſit: quem tamen arbitror non reſolutorum eam facile, niſi audita Maieſtate Regia, ad cuius petitionem illa conceſſa eſt. Secundo, quod eius reſolutio non pertinet ad ſummum Penitentiarium, neque ad eius prætorium, niſi ſpecialiter ei à Sua Sanctitate committatur. Tum quia id ex priori dicto ſequitur. Tum quia facultates eius nullatenus ad hoc ſe extendunt. Tertio, quod interim colorate poſſet teneri, quod non omnes facultates à Sede Apoſtolica quibuscunque conceſſe ſuſpenduntur, ſed ſolum illæ, quæ ſunt ſimiles eis, quas Bullæ Cruciatæ conceſſit, & aliæ, quæ licet non ſint ſimiles, & aliqua ex parte ſint differentes, non tamen adeo ſunt ſeparatæ, ut aliquo reſpectu propinquo non poſſint impedire bullæ Cruciatæ acceptionem. Quarto, ex his inferri, quod ad reſpondendum certius huic quæſtioni, oporteret exprimere præiulia, & facultates conceſſas hospitali prædicto, de quibus dubitatur, an per Cruciatam ſuſpendantur, ut reſponſurus poſſet arbitrari, quæ illorum comprehendantur ſub clauſula ſuſpenſionis, & quæ non. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Punendus pro culpa alterius regulariter nemo. & num. 9.
- 2 Mereri, ſeu demereri poſt mortem, nemo poteſt. & num. 10.
- 3 Negligentia heredis cauſare poteſt, ut anima teſtatoris in purgatorio detineatur. num. 3. 4. & vlt.
- 5 Intellectus cap. in literis. de raptoribus. num. 5. & 6.
- 7 Mortuus detrimentum ſentire poteſt ex eo, quod eleemoſynæ, quas mandauit, non ſoluuntur.
- 8 Puniri, & impediri, diuerſa.

C O N S I L I V M XXVI.

Quæſtio eſt, an, qui teſtatus, ut centum, vel mille miſſæ celebrarentur pro liberatione animæ ſuæ à pœnis Purgatorij poſt mortem ſuam, tardius ab eis liberetur propter negligentiam executorum tarde celebrari facere procurantium dictas miſſas, quam ſi maturius ſtatim poſt mortem fierent.

1 Reſpondeo, pro parte affirmante facere primo, quod pro culpa vnius

alter non est puniendus, cap. quæsiuit, de his, quæ fiunt à mai. par. & l. san-
 cimus. C. de pœnis. Ergo pro culpa, & negligentia executorum non est
 retardanda relaxatio pœnæ, quam anima testatoris patitur in Purgato-
 2 rio. Secundo, quod licet remissio aliquorum peccatorum fiat post mor-
 tem, meritum tamen, nec pœna non crescit post illam, iuxta cap. qualis,
 2 5. dist. ibi, *Qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio apparebit.* & iuxta
 illud Eccles. 2. *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumq;
 loco ceciderit, ibi erit.* Ergo testator prædictus ante mortem suam meruit,
 quidquid iubendo celebrationem prædictarum missarum meruit; & per
 diligentiam, vel negligentiam hæredis non crescit, nec decrescit meritum
 eius: & cōsequenter remissio pœnæ, quam meruit per prædictum iussu,
 non debet retardari per negligentiam hæredis post ipsius mortem ad-
 missam.

His tamē nō obstantibus, dico partem affirmatiuam esse veram. Primo
 quidem per ca. in literis, de raptorib. in illis verbis, *vt à peccato suo valeat
 liberari.* per illa enim ibi Papa iussit, vt hæredes cuiusdam mortui cog-
 3 erentur restituere quædam ab eo erepta, vt à peccatis suis ipse valeret li-
 4 berari, non obscure significans, quod negligentia hæredis in restituendo
 debita defuncti potest esse causa longioris detentionis animæ eius in pur-
 4 gatorio. Secundo, quod per d. c. in literis. videtur confirmari id, quod
 vulgus suspicatur, & affirmavit Angelus, scilicet, animas debentium ali-
 qua non solari à pœnis Purgatorij, donec illorum debita soluantur; & con-
 sequenter, quod negligentia hæredum, vel executorum præmortui potest
 5 retardare exitum animæ luentis pœnas à Purgatorio. Tertio, quod non
 videtur obstare huic argumento secundo id, quod alias respondisse me
 refero Salmanticæ in Manua. c. 17. num. 68. videlicet loco verbi, *valeat,*
 quod refertur ad defunctum, debet legi, *valeant,* quod referatur ad hæ-
 redes. Ita quod significat per restitutionem debitorum defuncti hæredes
 liberari à peccato suæ negligentie. Non inquam hoc videtur obstare: quia,
 licet illa emendatio satis arriserit, & verissimum sensum faciat, non tamē
 satis germanum videtur præbere intellectu, vt ibidem refero, & est noua;
 non enim memini legisse aliquē, qui ante me illum locum sic emendavit:
 6 & ideo aliud responsum insinuaui ad illum locum. Quarto, quod ex illa
 responsione, quam ego ibi ad confirmandum communem intellectum
 insinuo, colligitur, quod negligentia hæredum, vel executorum, licet non
 possit officere defuncto, diminuendo meritum gratie, vel pœnæ, quod ip-
 se meruit iubendo aliqua opera pia, potest tamen officere illi minuendo,
 vel tardando opem, quæ ei superuentura est ex illorum operum executio-
 ne, quam missantes, & alias preces per eum ordinatas facientes, essent la-
 7 tati. Quinto, quod Angelicus Doctor D. Thom. determinat in quolib.
 6. artic. 13. expresse, quod mortuus aliquod detrimentum sentire potest ex
 eo, quod eleemosynæ, quas mandauit dari, retardantur, ea ratione, quod
 pro.

propter huiusmodi tardationes retardantur orationes, & sacrificia, quæ fierent pro anima defuncti, ex quibus plurimum iuaretur.

Ad primum autem eorum, quæ sunt adducta in contrarium, responsurus, præmitto, quod aliud est puniri quem pro alterius culpa, & aliud impediri per culpam alterius, ne veniat alteri bonum, quod evenisset ei, si culpa alterius non intercessisset: filius enim innocens non punitur pœna criminis læsæ maiestatis diuinæ, vel humanæ à parentibus suis commisi, at tamen impeditur euentus bonorum eorum, quæ propter illud fuerunt publicata, vel confiscata, iuxta. l. quisquis. C. ad l. iul. Marc. & cap. cū secundū leges, de hered. lib. 6. filius item aleatoris non punitur ob culpam patris aleæ ludentis; sed, si pater sua bona sic ludendo perdat, impeditur euentus eorum in filium, qui eius erat futurus heres. Hoc præmisso, respondeo, concedendo, quod nemo est puniendus pro culpa alterius vera pœna: sed nego, quod frequenter non impediatur euentus aliquorum bonorum in aliquē innocentem propter alterius culpam: & ita concedo, quod pœna anime læntis in Purgatorio non possit augeri ob culpam heredis, vel executorum: sed nego, quod bonum liberationis eius non possit impedi per culpam illorum.

Ad Secundum vero respondetur, concedendo quidem, quod nemo post mortem bene, vel male mereri possit: & consequenter, quod prædicti testatoris anima nō potest mereri augmentū, vel diminutionē meriti, vel pœnæ: sed nego, quod ex hoc sequatur, quod non possit applicari, vel impediti remedium suæ liberationis, quod alia via, quam meriti sui, ipsi euenire poterat per sacrificia, preces, vel indulgētiās, quas ab ei tenebantur, vel poterant applicare. Ex quibus infertur, quod licet verum sit quod nos dicimus in d. c. 12. num. 68. videlicet, quod defunctus non detineatur in Purgatorio, donec eius debita soluantur; quia fieri potest, ut moriatur martyr, vel statim post baptismum, quæ recta ire in cælum docet fides Catholica, c. baptismi rei com. de cōse. dist. 4. c. cum marthæ. de celeb. missarū, & cap. debitū de baptis. vel cum contritione ad omnē pœnā delendā sufficenti iuxta. c. mensuram, adiunct. glo. de pœn. dist. 1. vel absolutus virtute iobelei ad id efficacia, extraua. 1. de pœn. & remis. potest tamen eius liberatio tardari ex eo, quod hæredes eorum debita, præterim pia, non soluant: quoniam fieri potest, ut creditores, quibus soluerentur debita, orarent, vel alia pia opera pro eo facerent, quæ liberationē eius maturarent.

Sequitur, quod negligētia hæredis, vel executoris in soluēdo debita, vel exequēdo pia opera, nocet quidē defuncto, impediēdo remedia prædicta accidētalia, sed multo magis sibi met, incurrēdo peccata mortifera: ex quo subinfertur, risu, aut potius cōmiseratione dignos esse filios, & alios hæredes, qui miserētes plurimū defunctis, quod pro debita tenerentur in purgatorio, nō miserētur sibi, quod tenentur in statu infernali, nonabiliter eorū solutiones differētes, aut negligētes: quod plus satis contingit, ut vbi supra memini. &c.

DE SENT. EXCOMM.

S V M M A R I V M.

- 1 Excommunicari à solo notario, etiam ecclesiastico, quamuis ex pacto processerit, nemo potest.
- 2 Laici coram Iudice ecclesiastico competente conueniri possunt, ubi per legem non prohibentur, renunciare suo foro .num. 2. & 3.
- 4 Hispani laici non possunt suo foro renunciare, nec iurare contractus, qui ad suum valorem iuramentum non requirunt.
- 5 Lex prohibens laicos foro suo renunciare est iusta, & libertati ecclesiasticæ non contraria.
- 6 Reges iuste laicos defendunt, ne per tales contractus excōmunicari possint.

C O N S I L I V M I.

Quæritur, an laici in regnis Lusitaniæ, Castellæ, Nauarræ, præsertim in Ciuitate Dolæ, possint suos contractus inire, adiecta clausula, nisi couenta intra constitutum diem adimpleuerint, excommunicari possint.

- 1 Respondetur primo, quod non, etiam inter clericos coram solo tabellione, siue notario etiam ecclesiastico: quia excommunicatio ferri non potest in aliquem sine iurisdictione ecclesiastica secundum omnes, cap. L. & G. de officio delegati. & notarius etiam ecclesiasticus, quatenus est talis, non est iudex, nec vllam habet iurisdictionem, argumento legis priuatorum. C. de iurisdictione omnium iud. & ita nec absolute, nec sub conditione, si vsque ad talem diem non soluerit, potest debitorem excommunicare. quo fit, vt obligatio in forma Cameræ cum huiusmodi excommunicatione conditionali, etiam in vrbe fieri non possit coram solo notario, vt Ant. Mass. Galleus in libello formulæ cameralis oblig. 2. p. ad 3. particulam q. 3. tradit.
- 2 Secundo, quod fieri potest etiam inter laicos coram iudice ecclesiastico competenti iure communi, vel per iustam renuntiationem proprii fori, & iustam submissionem, qua se debitores submittunt illi, quod passim fit in vrbe, partibus renunciantibus suis foris, & submittentibus se quibuscūque iudicibus ecclesiasticis, & confitentibus debitum, & obligantibus se ad soluendum in certum diem, suscipiendo sponte præceptum iudicis iubentis, vt impleant promissionem sub pœna excommunicationis latae sententiæ.

sententia, vt concludit Panor. contra communem in cap. P. & G. num. 6. de officio deleg.

3 Tercio, quod hoc fieri non potest inter laicos in regnis, in quibus non permittuntur laici renunciare foro sæculari, nec submittere se ecclesiastico. Quia non potest fieri nisi coram iudice ecclesiastico competenti, vt dictum est in 2. dicto: & iudex ecclesiasticus non est competens super contractibus eorum iure communi, & in illis regnis non potest fieri per renunciationem fori sæcularis, nec per submissionem, qua se debitores submitunt ecclesiastico, cum nullatenus illa in præfatis regnis permittantur laicis.

4 Quarto huic esse consequens, non posse hoc fieri in Regnis Castella, Lusitanæ, & Nauarræ à 60. circiter annis: quoniam lege Regia cautum est, ne quis laicus possit renunciare foro suo sæculari, nec submittere se ecclesiastico, immo nec iurare contractum, qui ad sui valorem vtroque iure non requirit iuramentum, quæ lex, vt puto, destinata fuit primum in Castella, deinde in Lusitania ex aliqua lege, vel consuetudine, quæ visa est in eis iustificari à necessitate tollendi fraudem, qua iurisdictio sæcularis fraudabatur ex eo, quod ratione renunciationis, & submissionis, omnes fere causæ contractuum laicorum deferbantur ad curias ecclesiasticas, quibus renunciat foro suo debitores se submittebant, immo, & iurabant, vt ratione iuramenti, de quo vti de re spirituali iudex ecclesiasticus debet cognoscere, iuxta cap. cum. C. de foro compet. conuenirentur coram ecclesiastico, vt conueniebantur, adeo quidem, quod abhinc 70. annis frequentior erat litigatoribus curia Episcopalis Pampilonem, quam tota curia regia. nunc autem, prohibitis renunciatione, & submissione prædictis, & iuramenti adiectione, cum vix vlla causa laicorum ad eam deferatur, quod adeo rigide seruetur, vt nullum instrumentum à notario ecclesiastico inter laicos factum, quidquam fidei faciat in foro sæculari, & qui notarius regius addiderit contractui laicorum iuramentum, vel submissionem partium ad forum ecclesiasticum, castigetur, & deponatur ab officio: quamuis in Regnis Aragoniæ, & Valentiniæ mos ille antiquus etiam nunc, vt audio, seruetur, & ita in illis possint fieri contractus propofiti: quin, vt audio, fiunt aliqui fere similes illis per quos ecclesiastici iudices laicos non soluentes ad statutum diem, excommunicant, monitione tamen præmissa.

5 Quinto, quod si lege regia statutum est in Comitatu Burgundiæ, in quo videtur esse Dola, quod laici non possint renunciare suo foro sæculari, & se submittere ecclesiastico, quod esse statutum suspicor, eo quod subiacet Regi Catholico, in cuius Regnorum bona parte, vt dictum est, id seruetur; si inquam id statutum est, non poterunt huiusmodi contractus fieri inter laicos; quia non poterunt se submittere ecclesiastico, sine qua submissione huiusmodi excommunicatio fieri non potest, vt prædictum est.

Sexto, quod maioris questionis est, an iustæ sint huiusmodi leges sæculares vetantes huiusmodi renunciaciones, submissiones, & iuramenti adiectiones. Ad quod responderetur, eas videri iustas in prædictis Regnis Castellæ, Lusitanie, & Nauarre, ratione fraudis præfatæ vitandæ regibus, & consilijs regijs eorum, & difficile eas sublatum iri: quin, licet pro contraria parte faciat, quod libertari ecclesiasticæ videantur obuiare, pro eis tamen facit, quod ecclesia est cultrix iustitiæ, & non debet alienæ iactura locupletari, nec velle, vt iurisdicção sæcularis defraudetur, arg. cap. licet. cum gloss. de foro compet. & quod Papa non intendit iurisdictioni Regum præiudicare, cap. nouit. de iudicijs. & quod fraus sua nemini debet prodesse, cap. sedis. de rescript. cum alijs similibus.

Septimo, quod qui reges, vel populi tenuerint præfatas leges esse iustas, à fortiori defendent non posse laicos in suis terris contractus præfatos excommunicationis vallo munitos efficere: & quod Concilium Tridentinum, de quo in cap. 3. de reformat. sess. 25. & ratio eius neruose in suam partem induci posset; sed quia non proponitur in quæstione de huiusmodi legibus, an sint, vel non sint, neque si sint, quales sint, sufficiat præfata dixisse latius, quam putaram, sed tumultuario studio. Saluæ domini mei iubentis censura.

S V M M A R I V M.

1 Irregularis est celebrans missam in altari interdicto, sicut si in ecclesia interdicta.

C O N S I L I V M II.

AN celebrans in altari interdicto sit irregularis, sicut celebrans in ecclesia interdicta?

1 Respondeo, quod sic: quia contextus cap. is qui, de sentent. excomm. lib. 6. expresse ait, esse irregularem, qui celebrat in loco interdicto, non se restringendo ad ecclesiã: & altare est locus, immo locus, vbi celebratur.

S V M M A R I V M.

1 Monitorium, aut sub pœna excommunicationis simpliciter, aut lata sententia.

2 Monitorium

- 2 *Monitus sub pœna excommunicationis lata sententiæ est excommunicatus, non tamen est euitandus, antequam audiatur.*
- 3 *Pœnitentiarius excommunicatos per monitorium, absoluerè potest in foro conscientiæ.*

CONSILIUM III.

Regulares per edictum sub excommunicationis pœna certum peccatū cōmittere prohibiti, illud publice perpetrarūt. Dubitatur primo utrum sint excōmunicati. Secūdo, an si Episcopus eos mandet euitare ante aliam declarationem, seu nunciationem, teneamur euitare. Tertio, an pœnitentiarius possit eos in foro conscientię absoluerè.

1 Subijciam aliqua, ex quibus quæstionis solutio colligi possit. Primum, quod certum est, non incurri excommunicationem ipso iure contraveniendo mandato, vel legi iubenti, vel prohibenti aliquid sub pœna excōmunicationis, si non addantur verba illa *lata sententiæ*, vel illa *ipso iure incurrende*, vel alia similia, quæ declarent intentionem mandantis, vel legē ferentis fuisse, ut ipso iure, siue ipso facto incurratur, per gloss. celebrem, & ab omnibus receptam cap. 1. de sagitt. & consequenter certum est præfatos Patres non incurrisse excommunicationem per præfatam bullam Alex. VI. si est verum quod proponitur in casu.

2 Secundo, quod esto præfati patres incurrisset excommunicationem, non tamen possunt, nec debent euitari ab Episcopo, nec ab alio, donec citati, & auditi denunciantur esse excommunicati per suum iudicem competentem, iuxta extrauag. ad euitanda. quam etiam nos post alios referimus, & declaramus in Manu. Confess. cap. 27. num. 35. & manifestū est, Episcopum præfatum non esse iudicem competentem ad denunciandos præfatos fratres esse excommunicatos: quia non est iudex eorum, cum sint notorie exempti ab huiusmodi iurisdictione.

3 Tertio, quod Illustrissimus Pœnitentiarius potest eos absoluerè quo ad forum conscientię tantum, quo ad quod ipsi non indigent tali absolutione, si vera sunt, quæ proponuntur.

Quarto, quod eius D. Illustrissima poterit absoluerè, vel mandare absoluerè eos, si & quatenus opus est, quo ad forum conscientię tantum, nõ obstante, quod factum sit publicum: quia id in prima, vel secunda clausula suarum facultatum continetur. Salua quæ fuerit. &c.

SUMMARIUM.

1 *Excommunicatio maior pro præterita culpa sine monitione non ferenda.*

2 *Excom-*

- 2 *Excommunicatio sine monitione lata est iniusta, sed valida, nisi in casibus à iure expressis . num 2. & si.*
 3 *Condemnatio sine monitione lata est nulla, & consequenter accessoria excommunicatio, & illius declaratio .*

CONSILIVM IIII.

Vicarius generalis Episcopi excommunicavit quendam sibi subditū sine vlla monitione præmissa, eo quod non soluit id, quod vere debebat, & terminus soluendi lapsus erat. Quæsitum est, an prædicta excommunicatio non solum esset iniusta, sed etiam nulla, & inualida?

- 1 Pro responsione dico primo, quod in Manuali nostro Confess. ca. 27. vers. 4. num. 2. diximus, excommunicationem, saltem maiorem, non esse ferendam pro culpa præterita sine monitione, & prius num. 9. non debere ferri, nisi propter contumaciam eius, qui est excommunicandus, & consequenter nisi quum monitus non paret momenti.

Vnde inferitur primo, quod Caietan. 2. 2. q. 69. art. 2. incaute certe loquitur, dum diserte ait, quod absolute, sicut ante factum potest excommunicari quicumque furtum, vel incendium commiserit, & huiusmodi, ita post factum potest excommunicari quicumque fecit: id enim non solum est contra Concil. Trid. sess. 25. de reformat. cap. 3. sed etiam contra cap. omnes. 16. q. 7. & cap. sacro: de sent. excom. c. Romana. §. caueant de sent. excom. lib. 6.

Secundo inferitur, quod D. Sotus in lib. 4. sent. dist. 22. q. 1. art. 2. proculdubio iuste loquitur, quatenus ait, excommunicationem non debere ferri pro culpa præterita sine monitione.

- 2 Tertio, quod falsū est regulariter id, quod subijcit Sotus, scilicet, excommunicationem latam ob culpam præteritā sine monitione esse ipso iure nullā, quoniā contrarium tenet, gl. 2. d. cap. sacro, & gl. in sum. 2. q. 1. & in summa 11. q. 3. & in ca. 1. de excess. prælat. & gl. 2. in c. reprehensibilis de appellat. quam allegando alia sequitur ibi Panor. & longe latius Decampians eam ad sententiam excommunicationis etiam à delegato datam, nisi specialis forma excommunicandi in delegatione esset posita, & illa omitteretur, concilians per hoc duas decisiones Rotæ à se ibi citatas, & proculdubio hoc videtur tenendum non tantum propter auctoritatem prædictas, quantum per contextum cap. si Episcopus. 11. q. 3. & cap. sacro. de sent. excomm. in quibus ita excommunicatus iubetur absolvi: & absolutio præsupponit valorem eius, quod soluit, argum. cap. ad dissolueudum: de despons. impub. & l. manumissiones. ff. de iustitia, & iur. & per cap. statuimus de sentent. excomm. lib. 6. quod in id efficaciter inducit Panor. super prædicta gloss. 2. cap. reprehensibilis, de appell. Et mirum, quod doctissimus Sotus hæc non aduerterit, cum pro contraria opinione

opinionem duas pulchras rationes ultra alios adduxerit, cuius tamen opinio potest procedere in illis quatuor casibus, in quibus gloss. prædicti c. reprehensibilis. ait, excommunicationem latam sine monitione esse nullam. quibus quintum addimus in d. Manuali ubi supra. num. 11. scilicet, cum iudex fert excommunicationem in eum, cui sine causa cognitione præcepit, ut solueret, vel condemnauit, non præmissa citatione, vel clausula iustificatiua, dando terminum ad allegandum iustas causas, si quas habuerit, per quam præceptum, vel condemnatio resoluitur in vim simplicis citationis, vel monitionis, iuxta gloss. solen. & ab aliquibus putata sing. in c. ex parte. 1. de verb. signific. & l. de pupillo. §. meminisse. ff. de nou. oper. num. & sicut illa condemnatio, est nulla, ita etiam excommunicatio, tanquam ei accessoria est nulla, ut tradunt Innoc. & alij ibi citati. Procedit etiam eius opinio in declaratione, qua quis declaratur incidisse in excommunicationem ipso iure, vel alias sine citatione illius, qui est declarandus; quia etiam illa est ipso iure nulla, iuxta gloss. solennem in clem. præsentis, verbo confiterit, de cens. & gloss. in cle. 2. in eod. verbo. de pœn. & alia, quæ Dec. in hoc citat sup. d. gloss. d. c. reprehensibilis. & Felin. in cap. Rodolphus. num. 41. de rescript.

Quarto dico, ex prædictis inferri solutionem quæstionis, scilicet, excommunicationem prædictam valuisse, nisi lata fuisset in aliquo prædictorum casuum, in quibus lata sine monitione est nulla, & consequenter quod excommunicatus sub prædicta culpa sine monitione regulariter indiget absolutione, & si antequam absolueretur, celebraret, esset irregularis.

S V M M A R I V M .

- 1 In ius vocare, vel excommunicare animalia irrationalia, vanum. & nu. 2. & 3.
- 3 Excommunicatio in solos fertur Christianos. & nu. 5.
- 4 In veteri testamento per anathema non intelligitur excommunicatio.
- 5 Anathema duo significat, actum, scilicet faciendi, & rem iam factam.
- 6 Maledici, & anathematizare an differant.
- 7 Sententiæ late à quibusdam contra animalia irrationalia principia habuerunt laude digna, fines tamen supersticiosos.
- 8 Superstitionis species quatuor, & quæ illæ sint.
- 9 Adiurare Deum, Diabolum ut inimicum, homines ut amicos, licet, non tamen irrationalem creaturam.
- 10 Adiuratio, vel incantatio irrationalis creaturæ, cui admiscetur aliquid falsum, est tacita demonis inuocatio.

- 11 *Modus exercendi exorcismos contra irrationalem creaturam qualis . & num. 13.*
 12 *Sententiæ contra animalia liberant potius virtute malorum Angelorum, quam bonorum.*
 14 *Sacerdos adiuraturus animalia irrationalia , quid faciet . & numero 15. & 16.*
 15 *Orationis magna vis , & quatuor cum comitibus sæpe impetrat . & numero 16.*

CONSILIVM V.

Quid iure fieri potest aduersus pisces grandes, quos Terones uocant Surrentini, & à paucis annis in eorum maris Hadriatici districtu inferentes multa damna reibus, & aliis rebus piscatorū, & ut aiunt, in personis eorum.

Ad quæstiones ex hoc facto resultantes dico primo, legisse me, vel certe audiuisse alio legente omnia, quæ Bartholomæus Cassaneus, vir quidē eruditus, scripsit in quindecim folijs magni marginis in cons. 1. quo integrius, & aptius parerem iubenti mihi iure suo respondere.

Secundo, inuenisse me in eis multa laboriose quidem, & prolixè exarata, sed parū mea sententia rei, quæ quærebatur, necessaria, sed digna, quæ confutarentur, ne male decipiant, & in superstitiones ducant ea legentes. Primo enim disputat de nomine, quo vocabantur animalia illa nocentia, contra quæ remediū petebatur. Secundo, an deberent in ius vocari, siue citari. Tertio, an sufficeret citare procuratores eorum, & possent procuratores comparere. Quarto, quis esset Iudex ad id competens. Quæ omnia potuerant omitti, considerando uanum esse in ius vocare vel citare, excommunicare, uel anathematizare animalia irrationalia propter propriū actū. Tum quod, ut ait S. Thom. 2. 2. q. 90. ar. 3. praua res est etiā adiurare creaturam irrationalem ad agendum proprium actum: quia, cum illa non moueatur à se ipsa, sed à Deo, uel permissū eius à diabolo ad nocendum homini, adiurandus est diabolus, iuxta illud Luca 10. *Ecce dedi uobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & supra omnem uirtutem inimici, & nihil uobis nocebit.* Tum quod, ut nos post alios resoluimus paucis in Manu. nostro Confes. cap. 27. nu. 1 3. nemo excommunicari potest, nisi homo baptizatus, mortalis, habens superiorem. Itaque uanum erat quærere, quo nomine uocarentur animalia præfata, de quibus rogatus fuit Cassaneus, & an citari poterant, & tenerentur personaliter citari, uel comparere, & quis esset Iudex competens, uel incompetens: quia quocunq; nomine uocarentur, & siue citarentur, uel non citarentur, siue personaliter, siue uerbaliter, siue à Iudice competente, siue ab incompetente, nullatenus poterant excommunicari, uel anathematizari, ut præ-

vt prædictum est; & probatur irrefragabiliter, eo quod solus Christianus est capax excommunicationis passivæ, cap. omnis Christianus. 1. 1. q. 3. omissis, quod excommunicatio in hac materia est eiectione alicuius ab ecclesia Christiana, & eius communione, vt patet ex definitione excommunicationis data ab omnibus lib. 4. sent. dist. 18. & à nostris in rubr. de sent. 4. excom. & quod nulla irrationabilia animalia, nec rationalia, præter baptizata, sunt intra ecclesiam Christi, nec participant communionem illius, præsertim sacramentalem. Nec obstat, quod Iosue cap. 6. multa irrationabilia fuerunt anathemata, siue anathematizata: quia non est intelligendum illud de anathemate, prout accipitur à viribus canonicis, & ab eorum peritis, sed pro rebus separatis à communi consortio aliarum finilium, vt palam dicit S. Thom. recept. in cap. 2. ad Galat. vt etiam accipitur in omnibus locis veteris Testamenti, in cuius tempore nondum erant in uentæ tres illæ censuræ, de quibus in cap. querenti. de verborum signific. quarum maxima est excommunicatio, præsertim maior, quæ vocatur anathematizatio, de qua in hac quæstione agitur. Et ita nullatenus est dicendum montes Gelboe à David fuisse excommunicatos: licet potuissent dici separati à dono diuino alijs montibus coniuncti.

5 Tercio principaliter dico, quod etiam illa, quæ ad probandum irrationabilia nõ posse anathematizari late adducit, satius fuisset omittere: quoniam etiam ipse cum communi præsupponit, anathematizationem esse excommunicationem: & cum nemo possit excommunicari, nisi homo baptizatus, &c. vt prædictum est, consequenter palam erat non posse irrationabilia anathematizari, cum non possint excommunicari, iuxta supradicta, & alia, quæ nos partitius, & resolutius scripsimus in commen. extr. uag. ab ipso S. D. N. not. 4. num. 10. scilicet, quod verbum, *Anathema*, Canonum peritis duo significat. Alterum est actus faciendi, siue separandi Christianum à Christianorum communione, vt probatur efficaciter in cap. nemo. 1. 1. q. 3. ibi, *Anathema est mortis æternæ damnatio. &c.* Alterum, quod significat, est Christianus sic separatus: quod efficaciter probatur per sexdecim cap. Concilij Gangrensis posita in dist. 30. qua parte habet, vt, qui illud, aut illud fecerit, sit anathema; in qua significatione etiam accipitur Iosue 6. ad Roma. 9. ad Galat. 1. & alibi sæpe.

6 Quarto, quod etiam poterat Cassaneus omittere illa, quæ multiplicauit de dictione Maledicere: quia ipse asserit in sua materia, & quæstione, Maledicere accipi pro anathematizare; & cum ipse magis concludat irrationabilia non posse anathematizari, quam quod possint, licet aliquot rationes adducat in contrariam partem parum neruosas, absque alia frustranea probatione poterat concludere, Ergo neque maledici, & anathematizati, adducendo in hoc textus, & iura Bibliorum, & aliorum librorum, quæ non loquuntur de anathemate, de quo iura Pontificia loquuntur, sed de rebus separatis à quibusdam commerciis, honoribus, & priui-

legijs,

legijs, quibus communiter alia similia gaudent, vt dictum est.

- 7 Quinto, quod quatuor exempla, quæ Cassaneus refert, sententiarum latarum solenniter à Vicarijs, & prouisoribus quarundam dicecesum Gallicanarum contra quædam animalia irrationalia, licet habeant exordia laude digna, fines tamen habent superstitiosos, quibus excommunicant, & anathematizant ea. Quarum similes audiuius fuisse latas etiam in Hispanijs contra mures, scorices, & locustas, & quædam alia animalia destruentia segetes, & alia virentia; præferim illam, quam tulit quidam episcopus ex quodam summo promontorio, per quam iussit muribus exire terras, quas habitabant, intra tres horas, intra quas maximus eorum numerus exiuit natando per mare Oceanum in quandam insulam sterilem, quo per excommunicationem, & anathematizationem iussi fuerant exire. Cum etiam omnes prædicti intenderent uere excommunicare, & anathematizare animalia irrationalia, quæ incapacia erant talium poenarum, certum est eos ad expulsionem eorum accepisse media, & remedia, quæ nec naturaliter, siue naturali ratione, nec supernaturaliter, siue super naturali reuelatione, neque vlla Ecclesiæ Christianæ Romanæ institutione habebant virtutem expellendi ea eo modo: & ita censenda sunt superstitiosa aliqua specie superstitionis illarum quatuor, quas post alios referimus nos in nostro Manu. confel. cap. 11. num. 23. vel inuocationis tacitæ Dæmonum: quæ, vt referimus ibidem num. 25. toties fiunt, quoties aliquis enititur efficere aliquid per causas, quæ nec virtute sua naturali, nec ex diuina, aut ecclesiastica dispositione possunt illud efficere, aut sunt ad illud ordinatæ, vel quando huiusmodi causæ tanquam necessariæ adiunguntur alijs, quæ possunt talem effectum producere, iuxta mentem S. Th. 2. 2. q. 96. art. 1. & in multis ar. q. 95. cuius definitionis exempla possunt esse quidam rami, quos posuit Caiet. in summa verb. incantatio. præsertim vsus causæ naturalis ad effectum supernaturalem, uel miscere falsa veris, ueluti dicendo Christum habuisse febres: in prædictis enim exemplis assumuntur excommunicatio, & anathematizatio, quæ nulla dispositione supernaturali, nec Ecclesiastica Christiana Romana possunt operari effectus illos supernaturales expellendi, uel occidendi subito prædicta irrationalia, & misceri veris, & sanctis institutis ecclesiæ exorcismis, adiurionibus, & cõiurationibus, aliqua falsa, & uana. citationes, respõsiones, & allegationes eorum fictas, & monitiones, excõiurationes, & anathematizationes factas contra ea illarum incapacia. Quæ infirmantur ex eo, quod
- 9 S. Thom. posteaquam in 2. 2. q. 90. art. 1. concludit licere adiurare Deum, & hominem, & amicos, & in 2. ar. licet etiam Dæmonem adiurare tanquam hostem ad compellendum, uel expellendum, iuxta illud iam dictum Lucæ 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* non tamen vt amicum, vel socium ad habendum ab eo aliquod adiutorium, uel bonum;

num. postea in ar. 3. determinat vanū esse adiurare irrationalē creaturam ad aliquē actū, tanquā procedentē ab ipsa: quia non est eius domina, sed eius, qui mouet eam, scilicet Dei, cuius dispositione omnia reguntur, & mouetur, vel Dæmonis, quatenus permisso eius utitur ea ad nocendum nobis.

10 Et cum omnis adiuratio & incantatio irrationalis creaturæ, cui miscetur aliquid vanum, falsum, vel apocryphum, censeatur tacita inuocatio Dæmonis, vti amici & socijs; consequitur, omnem adiurationem, vel coniurationem, per quam adiuratur, vel coniuratur creatura irrationalis, esse superstitionem, & uanitatem, & consequenter peccatum etiam mortale, si fiat scienter: quod vitandum est omnino ab exorcismis, adiurationibus, & coniurationibus Christianorum.

11 Sexto, quod ex prædictis inferitur, S. D. N. nec vllum alium Pontificem, uel sacerdotem debere consulere, vel mandare, uel vti processibus, & finibus sententiarum relatarum à præfato Cassaneo, nec aliarum similiarum relatarum in Hispanijs, sed sic coniurationibus, & adiurationibus, & alijs remedijs ecclesiasticis ab omni sorde superstitionis, & inuocationis Dæmonum, & falsitate mundis, & alienis, iuxta S. Thomam in d. ar. 3. in corp. dicentem, coniurationem, uel adiurationem huiusmodi non esse faciendam, referendo illam ad irrationalia nocentia, sed ad ipsum Deū, qui ea mouet, humillime obsecrando eum, vt dignetur ea compescere aliquo modo suæ diuinæ Maiestati grato, vel referendo ad diabolum, & præcipiendo ei potestate præfata à Deo tradita ecclesiæ, vt cesset à mouendo, & ducendo, & dirigendo illa contra nos: nihil tamen amice, vel socialiter petendo, vel accipiendo ab eo, etiam si ipse, uel alius spiritu eius afflatus promitteret certo liberationem, quæ percipitur. Nec obstat, quod præfate sententiæ operatę fuerint liberationē à vexatione prædictorum animalium: quia illa non prouenit ex bonitate, & virtute sententiarum, sed ex potestate Diaboli, qui abstulit illa animalia de terris, quibus nocebant, vel occidit ea etiā subito in eis, ad persuadendum cupientibus illā liberationem prouenire ex bonitate præfatorum processuum, & sententiarum, & sic continere & manu tenere confidentes in eis in peruersis superstitionibus, & inuocationibus, & amicitia Dæmonum, qui plurimum cupiunt haberi, & adorari pro dijs, & benefactoribus, cum tamen sint malefactores maximi. pro quo facit, quod plures incantationes superstitiosę fortiuntur effectum, quam bonæ, procurant: Diabolo magis vt malæ fortiantur effectum ad nos decipiendum, quam Angelo bono ad nos adiuvandum, eo quod aliqua de causa occulta non conuenit nobis earum effectus.

12 Septimo, quod sancta, & bona coniuratio contra præfatos pisces posset confici. Primo quidem consulendo, & iubendo, vt fiat aliquod ieiunium vnius, vel pluriū dierum à prædicto populo Surrentino, & vicis seu pagis eius. Deinde consulendo, vt poeniteat eos vere peccatorum omnium suorum.

rum, saltem mortalium, & confiteantur illa sacerdotibus idoneis, & approbatis. Tertio etiam consulendo, ut satagant precibus, & supplicationibus humillimis augere suam fidem Catholicam, & spem sanctam perueniendi ad gloriam æternam, & caritatem in Deum, & proximos necessariam.

¶ Quarto, quod coniurator, vel adiurator, qui coniuraturus est præfatos piscis, siue cacodæmones eis in nocumentum præfatæ ciuitatis, & pagorum eius vrentes, faciat id vestitus sacris, & præ cæteris mundet fidem suam ab omni sorde superstitionum, credendo actu, & recitando firmiter, & deuote symbolum Athanasij, & præmissa oratione Dominica, & salutatione Angelica, obsecret ex animo Deum omnipotentem, ut propter semetipsum, & infinitam bonitatem suam, & per sanctissimam incarnationem, natiuitatem, passionem, mortem, & resurrectionem suam dignetur concedere sibi, & præfatis populis id, quod postulant, & iuuet eum ad præcipiendum, ut præcipit, dure, ac rigide, virtute potestatis præfatæ à D. N. IESU Christo accepta, præfatis cacodæmonibus piscibus prædictis in præfatum nocumentum vrentibus, ut abstineant à tali vñu damnofo, & permittant pisces illos redire in loca, vnde venerunt, & fugiant à facie sacrosanctæ Crucis, quæ ostendatur eis, & uirtute eius iubeantur fugere, & relinquere sua maleficia ad gloriam eiusdem D. N. IESU Christi, &c. quæ desumi possunt ex præfatarum sententiarum exordijs, & alijs partibus earum, ommissa tamen mentione excommunicationis, & anathematizationis, quarum nec pisces, nec ipsi Dæmones capaces sunt, ut prædictum est in secundo principali dicto.

¶ Quinto, quod, si primæ coniurationi non paruerint, repetatur, donec paruerint, cum firma fide, quod oratio est magnæ virtutis, magnarumq; virium, ut probauimus in Enchir. de oratio. cap. 1. num. 5. vbi citamus B. Hieronymum asserentem, Deum ipsum per eam quadamtenus cogi, & vinci, & D. Bernard. affirmantem ex duobus vnum orantem indubitanter sperare debere, scilicet quod obtinebit quod petit, aut quod ei fuerit vtilius. Quin etiam in cap. 19. eiusdem Enchir. num. 162. dicimus post S. Thom. 2.2. q. 83. ar. 15. ad 2. orationem etiam peccatoris semper impetrare, quoties eam quatuor committantur, scilicet ut orans petat pro se bono fine necessaria ad suam salutem, & cum perseverantia debita, ponendo fiduciam in illo Euangelij Ioan. 18. *quæcumq; petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam.* & illo 14. *Quodcumq; petieritis patrem.* Quæ omnia, & singula supradicta, quæ multis proluxa videri possunt, sed reuera pro dignitate materiæ sunt pauca, subiijcimus in primis emunctis. S. D. N. censuræ, & deinde cuiuslibet alius melius sentientis iudicio. In gloriam D. N. IESU Christi, qui nos omnes saluet. Amen.

S V M M A R I V M.

- 1 *Responsum certum sine certa informatione dari non potest.*
- 2 *Excommunicationem vt citatus per monitorium incurrat.*
- 3 *Excommunicatus ab homine nominatim per cruciatam, partē nō satisfacta, non potest absolui.*
- 4 *Excommunicatus beneficium, antequam absoluat, acceptare non debet.*
- 5 *Excommunicatus ab homine à quo absolui possit.*
- 6 *Absolui à Legato Papæ vt possit excommunicatus, quādo longe à Iudice competente distat.*
- 7 *Beneficium impetrare valet ab excommunicatione ad reincidentiam absolutus, saltem antequam reincidat.*

C O N S I L I V M VI.

Quidam in loco longissimo ab eo, in quo moratur, citatus à scholastico iudice competenti non comparuit, & fuit excommunicatus, & absolutus à confessorio virtute bullæ Cruciatæ, absque solutione debiti, & comparitione coram iudice.

Quæritur primo, an præfata excommunicatio teneat.

Secundo, an absolutio fuerit iuridica, & valida.

- 1 Respondetur primo, quod ad certam determinationem eorum, quæ quærentur, oportebat scire formam citationis, & etiam excommunicationis latæ ob contumaciam, & etiam clausulam bullæ Cruciatæ huc pertinentem.
- 2 Secundo, quod præfatus Magister scholasticus solet frequentissime incipere iudicium ab executione cum dicta iustificatiua, præcipiendo citato, vt soluat sub excommunicatione latæ sententiæ, aut intra certum tēpus compareat allegaturus causam, quare non debeat id facere; & interdum citat sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vel ferendę, vt compareat responsurus petenti eum citari; & postea contumacem declarat incurrisse excommunicationem, vel excommunicat, prout requirit citatio præcedens: & quocunque horum modorum citatus fuerit D. Consulens, iuste fuit excommunicatus, quia non soluit, nec comparuit intra terminum ei præfixum.
- 3 Tertio, quod clausula bullæ Cruciatę, de qua nos alibi meminimus, & etiam Sotus meminit, facit confessorio facultatem absoluendi, præmissa satisfactione. & ideo præfatus D. Consulens non potuit absolui virtute illius bullæ, quia non satisfecit parti aduersæ, nec soluendo debitum, nec

comparendo coram iudice; cui consequens est eum indigere noua abso-
lutione. Quandoquidem excommunicatio non tollitur, nisi per abso-
lutionem à potente absolueri factam.

- 4 Quarto, quod pie, prudenterque facit D. Consulens, differendo accep-
tationem beneficij, donec absoluator.
- 5 Quinto, quod cum ab excommunicatione specialiter ab homine lata
non possit absolueri, nisi lator eius, vel successor, vel superior, neque illi
possunt id facere, nisi satisfacta, vel consentiente parte aduersa: nam ne-
que Papa id facit, neque est facile illam habere, siue impetrare ab alio,
satisfactione non premissa.
- 6 Sexto, quod remedium facilius mihi nunc occurrens est, quod D. Con-
sulens longissime absens à loco, in quo fuit excommunicatus, adeat Epi-
scopum, vel Legatum, & ob absentiam, & impedimentum adeundi ex-
communicatorem, vel successorem eius, petat absolutionem, ne moriatur
in excommunicatione, iuxta c. quatenus fronte. de appellat. promittendo
se, quam cito commode poterit per se, vel per alium petiturum ab excō-
municatore absolutionem, & eius mandatis pariturum, iuxta ea, quæ nos
scribimus in Manu. Confess. cap. 27. num. 46. & accepta absolutione hu-
iusmodi illico, quam optimo modo poterit, mittat, vel scribat Salmanti-
cam, vt pareat iudici, & impetret absolutionem, vel ratificet eam, quam
obtinuit in Italia ob impedimentum comparandi coram illo; & hoc facto
potest optime acceptare beneficium, antequam nuncius, vel epistola
perueniat Salmanticam; sed diligenter procurare debet, vt pareatur lu-
dici Salmanticensi: quia, nisi faciat id, quam cito commode poterit, re-
incidet in eandem excommunicationem, iuxta cap. eos. de sent. excom.
lib. 6 & ea quæ diximus vbi supra: quamuis collatio beneficij, & acce-
ptio facta post prædictam absolutionem, antequam reincidat, non desi-
nent esse validæ propter reincidentiam subtequentem.

AD SECVNDAM quæstionem respondetur, confessorium illum
male absoluisse præfatum D. Consulentem, ideoque debere iptum cura-
re, vt absoluator ab ordinario, vel delegato modo supradicto, & adhibe-
re diligentiam supradictam, ne reincidat in illam.

S V M M A R I V M.

- 1 Excommunicatus non est per monitorium, qui non reuelat, quando scit pe-
tentem non habere ius.
- 2 Fruetus beneficij non debentur ei, qui ius non habet.
- 3 Excommunicatio non obligat ad soluendum non domino, nec solutio ei fa-
cta liberat.

4 Scire

- 4 *Scire, & probabiliter credere, paria sunt.*
 5 *Scientia sicut excusat, ita & iusta credulitas, & secus si ex leui causa du-
 bitat. num. 6.*
 7 *Absolui virtute cruciate potest excommunicatus, quando res est dubia,
 etiam parte non satisfacta.*
 8 *Absolutio ab excommunicatione, etiam si sit iniusta, tenet.*
 9 *Excommunicatus, collectam in choro, vel hebdomadarius cantans, effici-
 tur irregularis, non alius.*
 10 *Excommunicatus, ubi absolutio non tenuit, fructus beneficiorum non fa-
 cit suos.*
 11 *Excommunicatus, qui ob inaduertentiam non petit absolutionem, sicut su-
 spensus, & depositus, de victu prouidetur.*

CONSILIVM VII.

AN si alter ex colligantibus super beneficio possideat, & alter sciat, vel credat eum non habere ius, & non reddat, vel non reuelet fructus ad illud beneficium pertinentes, sciens ad instantiam possessoris publicatas esse literas monitorias, vt sub pœna excommunicationis latæ sententiæ reddat, vel reuelet quicumque tenet, vel scit res ad illud beneficium pertinentes intra certum terminum, incurrat excommunicationem?

Quæstio hæc rem quotidianam, sed parum explicatam, & explicatu difficilem continet. Respondeo tamen ad eam primo, quod videtur consulentem non incidisse in excommunicationem, licet habuisset notitiam sufficientem prædictarum literarum monitorialium, si sciebat aduer-
 1 fatium non habere canonicum titulum: quia nemo tenetur reuela-
 re ob literas eiusmodi monitorias ea, quæ iuste credit esse sua, vel perti-
 nere ad se, vel ad alterum, & non ad eum, ad cuius instantiam illæ sunt da-
 2 tæ: quod in repetit. cap. inter verba. 11. q. 3. conclus. 6. coroll. 65. neruose
 probauimus post Franciscum de Ripa, & alios, quos ipse citat, licet debi-
 liter probando in tracta. de peste, fol. 81. maioris formæ 4. col. in princip.
 2 §. in super. At ei, qui caret titulo canonico beneficij ecclesiastici, non debet
 tur fructus eius. Tum argu. cap. 1. de reg. iur. lib. 6. & cap. gratis. de restit.
 spoliat. cum eis ad nota. ergo neque qui tenet eos, reddere tenetur illi, ne-
 que qui nouit illos ab alio teneri, reuelare ei. Tum quod D. Anton. in 3.
 parte titulo 15. cap. 1. §. 2. quem sequitur Sylæst. verb. beneficium. 3. ait,
 quod, qui scit possessorem Ecclesiæ, vel dignitatis non esse verum prela-
 tum, eo quod aliquem defectum tituli patitur, licet subiiciatur illi eccle-
 3 siæ, vel dignitati, tamen in foro conscientiæ non tenetur ei obedire, nec ei
 soluere debet, quod ecclesiæ, vel dignitati debet, nec soluendo liberatur,
 arg. cap. inquisitioni. de sentent. excommunicationis, quatenus loquitur
 de sciente impedimentum. Secundo, quod idem videtur dicendum, si
 consulens firmiter credebat probabili ratione, vel auctoritate, quod ad-

- 4 rius non habebat ius: quia quo ad hoc paria videntur esse, scire aliquem non habere ius in beneficio, quod possidet, vel credere probabiliter ratione probabili, eum illud non habere, arg. l. illud: ff. de petit. hæred. quatenus probat eum, qui credit ius aliquod esse suum, non debere illud relinquere indiscussum, sed quia illa lex habet locum etiam in dubitante, melius facit, quod nos declarando quædam dicta Sancti Thomæ, & Caiet. diximus nuper in rubr. de iudic. num. 47. parificando iudicium conceptum per scientiam, & conceptum per iustam causam credendi. Secundo, quod sicut sciens, quod res est sua, ita credens iuste, quod est sua, excusatur à restituendo per ea, quæ tradimus in Manual. confess. cap. 17. nu. 82. cum duobus seq. Tertio, quod post præfatum Ripam in dicta repetitione cap. inter verba. ubi supra diximus, eum, qui scit aliqua bona eius, ad cuius instantiam talis monitio est publicata, esse penes aliquem, qui tamen monstrat apocham, per quam ille donauit ei, non teneri ad reuelandum ea, qui tamen vere nescit ea fuisse sibi donata, sed solum credit: & ita sicut scientia, quod res non est impetrantis talem monitionem excusat, ita fides, & credulitas probabiliter, & iuste concepta, argu. gloss. singularis, quæ secunda est, cap. capellanus, de ferijs. adiuncta doct. Panor al' egantis ibidem alias, & S. Antonin. 1. p. titulo 3. cap. 10. §. 10. titu. 6.
- 4 Quarto, quod sicut paria sunt scire, & debere scire ad obligandum, l. quod re. ff. de rebus cred. sic paria dicuntur esse ad excusandum, ignorare, & non debere scire, argumento cap. sciendum. §. q. 1. & l. & si contra tabulas. ff. de vulg. & qui iuste credit aliquid, non debet contrarium scire.
- 5 Quinto, quod sicut scientia mortis coniugis excusat secundo nubentem, ita etiam fides, siue credulitas iusta, qua creditur mors illa, excusat, cap. in præsentia, de sponsal. & cap. dominus. de secundi. nup. cum eis adnot.
- 6 Sexto, quod fides, & credulitas iustitiæ causæ appellationis excusat ab excommunicatione, sicut scientia iustitiæ, cap. solet. iuncta gloss. penul. de sent. excom. lib. 6.

Tertio, principaliter dico, quod si consulens non credebatur principaliter ex auctoritate alicuius doctoris iusta scientia, & conscientia præditi, sed leui ratione, vel auctoritate, aut dubitabat, an sibi, vel alij esset ius, incidit in excommunicationem: quia in dubio credendum est fructus pertinere ad possessorem bonæ fidei, arg. rex. singularis in d. l. illud.

Quarto, quod perpensis his tribus dictis, consulat seipsum consulens, an tempore prædictæ monitionis sciret, vel probabili ratione, uel auctoritate firmiter crederet non fuisse ius aduersario, an dubitaret, vel leuiter crederet deesse id ius: primis duobus casibus credat se non fuisse excommunicatum, & communiter non esse locum quæstionibus sequentibus; in tertio vero casu credat se fuisse excommunicatum, & consequenter esse locum quæstionibus sequentibus.

AD SECVNDAM, quæ habet locum præsupposito, quod incurrisset

risset excommunicationē, an scilicet potuit absolui à Pœnitentiarijs iobe-
 7 lej, Respondeo, quod sic, præmissa satisfactione, & etiam non præmissa, at-
 tento, quod erat dubia, & non manifesta offensa, per cap. venerabilibus.
 8 §. porro de sentent. excommun. lib. 6. facit, quod etiam absolutio iniusta
 excommunicati, facta ab habente potestatem absoluendi, valet, §. sane.
 eiusdem ca. & ita consulens non fuit absolutus à Pœnitentiaro cum pro-
 posito faciendi, quæ debebat; fuisset vero absolutus, etiã si de hoc expres-
 se non fuisset confessus, iuxta ea, quæ nos tradimus in Manu. cap. 26. num.
 12. & seq.

9 AD TERTIAM Respondeo primo, quod non incurrit irregula-
 ritatem, propterea quod se ingererit diuinis, etiam pfallendo in choro, si
 tanquam presbyter hebdomadarius non dixit capitulum, & collectam.
 Secundo, quod si non valuit absolutio, non quæsiuit fructus aliorum be-
 10 neficiorum, secundum glos. celeb. quam Panor. d. c. & communis sequun-
 tur in c. pastoralis. §. verum, de appell. nisi forte quo ad sustentationem
 suam, secundum vnã opinionem, quam tetigit glos. ibidem, quæ com-
 munitè reprobatur: sed procedere posse videtur pro tempore, quo ex-
 communicatus non posset habere absolutionem, secundum Card. in Cle.
 vi hi qui. §. 1. q. 20. de ætat. & qualitat. quem sequitur Decius in d. §. verū.
 11 & merito: quia ratio, quare secundum omnes non debeat prouideri de
 victu excommunicato per prædictam glos. & deposito, & suspensio sic
 per eandem glo. & meliorem in cap. studeat. 50. distinct. illa est, quod ex-
 communicatus potest petere absolutionem, depositus autem, & suspensus
 ob crimen, non. At excommunicatus, qui ignorat, vel non aduertit se ex-
 communicatum, non potest moraliter petere absolutionem; & licet forte
 peccet ignorando, vel non aduertendo, non tamen peccat non petendo
 absolutionem, arg. glos. notabilis in ea. quia diuersitatem. de concess. præ-
 ben. verb. suspensionis, adiuncto textu ibi, à qua & si sua culpa fuerit suspen-
 sus. & c. Salua, & c.

S V M M A R I V M.

- 1 Denunciandi sunt complices ex vi verborum extrauag. Greg. XIII. prin-
cipaliores vero tantum ex mente legislatoris.
- 2 Denunciandi tantum complices in culpa existentes, obligatio remis-
sue.
- 3 Denunciandi non sunt complices absque fraterna correptione.
- 4 Principales raro, vel nunquam alios tenentur denunciare.

- 4 *Complices dantes pro gratia, non denunciante, pœnam non incurrunt, quia non est extrauag. quo ad hoc recepta.*
- 4 *Lex noua per desuetudinem minorem decem annorum derogatur, quando legislator scit, & tolerat.*

CONSILIVM VIII.

Quidam petit absolutionem à summo Pœnitentiario ab excommunicatione incurſa ob transgressionem extrauag. bo. me. Gregorij xij. quæ incipit, ab ipſo. & fit ei difficultas, eo quod non reuelat complices.

Primo quæritur, an teneatur reuelare illos.

Secundo, an esto ipſe teneatur reuelare, etiam omnes ſcientes id facere teneantur.

Tertio, an, qui tenetur id facere, teneatur statim, atque interrogabitur, reuelare.

- 1 Pro parte negante primæ quæſtionis facit primo, quod regulariter nemo est interrogandus de crimine aliorum, nec interrogato, & confessio est credendum, exceptis crimine læſæ maiestatis, & quibusdam alijs, cap. 1. de confes. & cap. nemini. 15. q. 3. Secundo, quod pœnæ sunt restringenda, quæ non continet qualem qualem, sed maximam pœnam: at illa non videtur præcipere, vt quis denunciaret complices; quia ibi solum statuitur impunitas reuelanti; ergo per illam nemo tenetur ad denunciandos illos. Tertio, quod non obſtat finis eius, quatenus loquitur de denunciante complices: quia ibi solum statuitur impunitas reuelanti complices, & non imponitur neceſſitas reuelandi eos, quod longe est diuerſum, & à diuerſis non fit illatio, l. Papinianus. ff. de minorib.
- 2 Pro parte vero affirmante facit primo, quod contextus extrauagantis præfatæ obligat ad denunciandum omnes, qui ſciunt aliquem eſſe in culpa transgressionis illius. At petens præfatam absolutionem ſcit complices ſuos eſſe in culpa. ergo, &c. Secundo, quod prædicta extrauag. obligat innocentes ad denunciandos illos, qui peccauerunt: & qui peccauit, non debet eſſe melioris conditionis, quam innocens, cap. 1. de poſtul. prælato. ergo qui petit absolutionem, eo quod peccauerit, tenetur ad denunciandos participes ſui peccati. Tertio, quod ad oppoſita reſponderi poteſt, concedendo quidem, quod regulariter non eſt interrogandus de ſe confessus, sed quod fallit in caſibus expreſſis, de quibus vnus eſt in prædicta extrauag. concedendo item, quod illa nullam de complicitibus formaliter facit quo ad hoc mentionem, sed ſatis eſſe, quod faciat virtualiter, quatenus generaliter obligat ad denunciandum eum, qui ſcit aliquem eſſe in culpa transgressionis eius.

Per

Per quæ omnia perpenſa arbitror primo, partem affirmatiuam eſſe de rigore iuris verbis extrauag. conformiorem. Secundo, partem negatiuam videri conformiorem intentioni, & menti auctoris, quatenus videtur voluiſſe eſſe contentus notitia principalis tranſgreſſoris, eo quod non eſt vſus verbis obligantibus expreſſe ad denunciandum omnes, qui aliquo modo eſſent culpæ participes, ſed ſolum indefinite, & in ſingulari numero eum, quem in culpa eſſe ſcirent, ſignificando ſe contentum iri notitia principalis auctoris: & quoniam mens, & intentio auctoris magis eſt attendenda, quam verba, cap. Marchion. 1. q. 1. ibi, *Nec putemus Euangelium eſſe in verbis ſcripturarum, ſed in ſenſu, non in ſuperficie, ſed in medulla, non in ſermonum folijs, ſed in radice rationis.* & quia, cum lex dupliciter apte intelligi poteſt, benignior ſenſus eſt amplectendus, l. benignitas. ff. de legib. & quia præfata extrauag. eſt maxime pœnalis, & ideo maxime reſtringenda; pars negatiua videtur magis amplectenda, ſcilicet, quod præfatus petens abſolutionem, ſi eſt principalis auctor tranſgreſſionis, eo quod promiſit, dedit, uel accepit pecuniam, uel donum, non tenetur omnes participes, & ſciētes denunciare, ſed ad ſummum ſolos alios, qui fuerunt principales auctores in dando, uel accipiendo.

AD SĒCVNDVM dubium reſpondeo id, quod ſcripſi in Commentario prædictæ extrauag. nu. 37. in illa verba, Addo primo, quæ ibi poſſunt videri.

3 AD TERTIVM dubium reſpondeo, quod non tenetur indicare ante fraternam correptionem, vt vbi ſupra ſcripſimus in illa verba. Secundo quod dubitari poteſt, uſque in finem illius numeri. Ex qua reſponſione inferri poteſt, raro, vel nunquam illum, qui fuerit principalis tranſgreſſor, obligatum iri ad denunciandos complices: raro enim, vel nunquā contingit, quod principales, & adiutores tranſgreſſoris principalis non pœniteat adiuuiſe illum, ſi moniti fuerint tam graue peccatum, & tam graues pœnas incurriſſe, & quod oportet eos denunciari Pape, ſi non pœnituerit tanti peccati, quando ſaltem ſola contritione, & confeſſione, nulla facta reſtitutione; deleri poſſet eorum peccatum, & nulla ex eo vtilitas eis proueniet, quod fere ſemper contingit in alijs omnibus, qui nihil ex participatione eius criminis acceperant.

Addi poſſet & quarta quæſtio, an præfata extrauag. deſuerit iam obligare quemquam ad denunciandum: & videtur, quod ſic. Tum quia lex non recepta moribus deſinit obligare. §. leges. 4. diſtin. & gloſ. recept. per omnes in cap. 1. de treug. & pace. Tum quia nullibi, vt puto, legitur, quod extrauag. Bonifacij VIII. per hanc innouata fuerit vnquam recepta quo ad hoc, vt ſcientes denunciarent. Tum quia etiam iam ſextus annus agitur, poſteaquam illa edita fuit, & nemo hactenus videtur fuiſſe, qui denunciauerit vllum tranſgreſſorem eius. Tum quia extrauag. 2. de ſimo. qua parte viſum fuit, vt ſcientes aliquem admiſiſſe ſimoniam in ordine, vel be

neficio, denuntiarent illum, & antea non possent absolui, nusquam fuit quo ad hoc recepta, neque hodie ligat, vt nos diximus in Manua. Conf. cap. 27. nu. 106. post D. Anto. Caiet. & Syluest. ibidem citatos. Tum quia præceptum huiusmodi denūciandi peccatum iam præteritum, quod nõ vergit in læsionem diuinæ, vel humanæ maiestatis, vel Reipub. vel proximi, videtur durum, & parui effectus. Durum quidem, quia nouum, & parum iure naturali, diuino, vel humano antiquo fulcitum, & quia est grande seminarium inimicitiarum inter huiusmodi denunciantes, & denunciatos. parui effectus autem: quia cum, vt prædictum est, per illud præceptum humanum non possit tolli præceptum diuinum de correptione fraterna, & habente illa effectum hoc non potest profequi; quia, cum sit humanum, cedit diuino maiori. Tum quia hoc certum esset, si iam essent elapsi decem anni ab eius editione, secundum Anton. Card. & Imol. in cap. 1. de treug. & pace, quos firma ratione corroborat Fel. ibidem nume. 13. considerando, quod aliud est dicendum de sublatione legis iam receptæ consuetudinis, quæ requirit 40. annos, iuxta cap. fina. de consuetud. & aliud de impeditioe obligationis legis nouæ nondum receptæ, iuxta §. leges. dist. 4. qui tria requirit ad hoc, vt lex noua obliget, scilicet, quod sit constituta, promulgata, & recepta. Tum quia desuetudo minoris temporis, quam decem annorū, sufficit ad impediendam obligationem nouæ legis, si legislator scit eam non seruari, & tolerat, vt clare colligitur ex citatis ibidem per Felinum, & arbitror scire S. D. N. quod prædicta extrauag. non est quo ad hanc denunciationem seruata post eius editionem in his sex annis. Tum quia aut negandus est textus receptus ab omnibus Canonistis in d. §. leges. 4. distin. aut concedendum, quod lex, quæ à principio à nullis est recepta, non ligat, etiam si legislator id ignoret, quomodo §. ille expresse habet, non ligare legem, etiam constitutam, & publicatam, nisi fuerit recepta. Vnde Domin. singulariter dicit ibi, quod omnis lex noua videtur quo ad effectum obligandi lata sub conditione, si moribus vtentium approbata fuerit: & compertum est, dispositionem conditionalem non sortiri effectum, deficiente conditione, §. omnis, & §. ex conditionalis, In tit. de verb. oblig. & cap. si pro te, de rescript. lib. 6. Salua. &c.

S V M M A R I V M.

1. *Excommunicatio lata à delegato, qui copiam suæ commissionis petenti non dedit, est nulla.*

CONSILIVM IX.

EXcommunicatio lata à delegato, qui copiam commissionis suæ petenti noluit dare, non solum est iniusta, sed etiam nulla, secundum Innocentium in cap. venerabilis. num. 5. de censib. quem refert, & sequitur Felin. in cap. cum in iure peritus. num. 3. de offi. deleg. & in cap. factor. de sent. excom. & idem tenet Panor. in d. cap. cum in iure peritus. col. 2. nemine ad hoc citato. Et idem sentit, dubitando tamen, per verbum forte, Rota decisio. 15. de dolo, & contum. nouæ impress. & merito dubitauit: quoniam nullus tex. neque gloss. hoc exprimit, nec is casus ponitur inter eos, in quibus excommunicatio est ipso iure nulla, quos reulit gloss. in cap. præsent. verbo ad cautelam. de sentent. excomm. lib. 6. nec Ioann. And. nec Ioann. Monach. nec Probus in additionibus ad eum, ponunt hunc casum. Et regula est in contrarium, videlicet, quod sententia excomm. siue iuste, siue iniuste lata, tenet, cap. 1. 11. q. 3. & à regula non disceditur, nisi expresse id excipiatur, gloss. in l. omnis definitio. de reg. iur. & in rubr. eod. tit. lib. 6. & ipsemet Innocent. fatetur in d. cap. venerabilis. excommunicationem non præcedente monitione latam, licet sit iniusta, valere. & Panor. in cap. fin. de præb. num. 5. firma ratione tenet, non esse nulla omnia, quæ facit iniuste delegatus, licet sint facta contra intentionem delegantis: sed solum illa, quo ad quæ non extenditur eius potestas. æqua tamen videtur determinatio Innocentij, quæ potius auctoritate eius, & vsu, quam iure, defendi potest.

S V M M A R I V M.

- 1 Declaratoria excommunicationis eam non continet, sed quod factum est declarat.
- 2 Iudex citatum sub excommunicationis pœna declarans excommunicatum, prius tacite excommunicare censetur.
- 3 Error, seu ignorantia iuris subtilis excusat.
- 4 Monitus sub pœna excommunicationis credere potuit ante declarationem non fuisse excommunicatum.

CONSILIVM X.

Quidam iudices monent debitores ad soluendum sub pœna excommunicationis, & postea non soluentes, neque comparentes, nec allegantes, cur nõ debeant soluere, iubent decerni declaratoriam, qua

qua iubeantur denunciari, & declarari excommunicati, nullo alio modo sententia excommunicationis lata. Quæritur, an declaratus debeat se reputare excommunicatum?

- 1 Respondeo primo, pro parte negante vrgere multum, quod primum monitorium non continet excommunicationem, sed comminationem eius, iuxta gloss. cap. 1. de sagittar. neque mandatum declaratorium, quia declarans nil noue facit, sed quod factum est, denunciat, l. hæredes palam, §. 1. ff. de testam.

Pro parte autem affirmante facit, quod libellus, quo petitur à Iudice, vt cogat debitorem ad soluendum, dicitur actus, eo quod videtur peti tacite, vt reus prius condemnetur, & postea restituere cogatur: & quod Iudex iubens expresse alicui per suam sententiam, vt aliquid reddat, videtur tacite prius condemnare ipsum; & consequenter Iudex, qui declarat excommunicatum aliquem à se vocatum sub pœna excommunicationis, videtur prius eum tacite excommunicare.

- 2 Iudex iubens expresse alicui per suam sententiam, vt aliquid reddat, videtur tacite prius condemnare ipsum; & consequenter Iudex, qui declarat excommunicatum aliquem à se vocatum sub pœna excommunicationis, videtur prius eum tacite excommunicare.
- 3 Respondeo secundo, quod qui partem negantem crederet esse veram, non peccaret, saltem mortifere, per theoriam Innoc. in cap. per tuas, 2. de simonia. dum sensit, quod error, & ignorantia iuris humani subtilis excusat à culpa mortali: quem in hoc sequitur Bald. in l. ab eo. C. quomodo, & quando iudex. & vtrumque Felin. in cap. 1. limitat. 7. de re iud. vbi ad hoc cumulat alia.
- 4 Respondeo tertio, quod quis, etiam tenendo partem affirmantem, satis iuste posset credere se non esse excommunicatum: eo quod certum est, eum non fuisse excommunicatum ante declarationem, per ea, quæ ipse ex Felino, & alijs adduco in Manual. Confess. cap. 23. num. 104. quæ ibi possunt videri.

S V M M A R I V M.

- 1 Absolutio virtute Cruciate inuat in foro interiori, non in exteriori.
2 Absolui nominatim excommunicatus virtute Cruciate sine precedente satisfactione non potest.

C O N S I L I V M XI.

LAta sententia prima in Rotæ Auditorio in fauorem B. & odium A. super quodam beneficio litigantium, fuit appositum sequestrum super possessione, & fructibus illius, quod per quosdam annos sæpius violauit A. & percepit fructus; vnde incurrit excommunicationem, à qua nulla facta restitutione, fuit virtute bullæ Cruciatæ absolutus. Quæritur, an ab

an absolutio valeat, & quid ei faciendum sit.

Respondeo primo, quod circa quæstionem hanc multa dicere posset is, cui satis temporis ad id faciendum esset. Secundo, quod præfatus D. Consulens non est censendus absolutus quo ad forum exterius: quoniam absolutio, quam habuit per bullam Cruciatæ sacramentalem, non potest probari, nec facit fidem quo ad forum exterius: cum etiam absolutio data in foro sacre Penitentiariæ non profit quo ad forum exterius. Tertio, quod non est absolutus etiam quo ad forum interius. Tum quia non præcessit satisfactio, quam bulla Cruciatæ requirit. Tum quia excommunicatio præfata non potest dici tam posita à iure, quam ab homine, cum sit posita, & declarata ab Auditore Rotæ, à quo debebat absolui. Tum quia inforiduit in excommunicatione, & quotannis incurrebat illam, etiam si absolutus fuisset absolute valide semel. Quarto, quod qui absolvens est bene ab excommunicatione, debet absolui prius à peccato mortali, propter quod est excommunicatus; quamvis frequenter ipso iure valeat absolutio ab excommunicatione, licet absolutio à peccato non valeat. Quinto, quod D. Consulens (quod dolenter dico) multa debet facere, ut sit tutus quo ad vtrumque forum. Primo quidem, quod eum peniteat tot transgressionum sequestri, & tot retentionum fructuum sequestratorum. Deinde, quod restituat fructus male perceptos, qui sunt restituendi, vel obtineat remissionem, siue condonationem, aut legitimam compositionem, aut concordiam cum eo, quem res tangit. Tertio, quod impetret absolutionem à præfato D. Auditore, aut ab eius successore. Quarto, quod obtineat dispensationem ab irregularitate, si manens in excommunicatione celebravit, dolens plurimum de suo malo statu tan to tempore continuato. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Vicarius generalis Episcopi excommunicati non est excommunicatus, nec evitandus.
- 2 Appellatio suspendit declarationem excommunicationis.
- 3 Excommunicatus super declaratione, durante lite, non est evitandus.

CONSILIVM XII.

EPiscopus ob præfensam innovationem excommunicatus, & nominatim declaratus fuerat, & à tali declaratione appellauerat, & Vicarius illius, & alij ministri cum eo communicabant. Quæritur, an Vicarius Episcopi

scopi ab alijs vitari debeat, & an alios communicantes cum Episcopo eui-
tare Vicarius teneatur.

- Respondeo, præfatum D. Consulentem, licet sit Vicarius præfati D. Epi-
scopi, & vt talis exerceat vices eius, & communicauerit Episcopo in actis,
1 quæ Dominus eius dicitur innouando fecisse, non debere vitari ab alijs,
nec teneri ad vitandum alios propter excommunicationem, quam præfatus
Episcopus dicitur, & declaratus est incurrisse. Tum quia, excommunicato
Episcopo, non censetur excommunicatus Vicarius eius, c. 1. de offic. vi-
car. lib. 6. Tum quia Episcopus negat innouasse quidquam contra inhibi-
tionem Rotæ, allegans, quod non pendebat lis super his, quæ dicuntur
esse ab ipso innouata: quoniam solum continuauit possessionem, quam
habebat ante litem inchoatam, quod ei licebat cap. 1. & 2. vt hic pen-
dent. Tum quia præfatus Episcopus appellauit à declaratione, qua fuit
2 declaratus excommunicatus: & ita declaratio fuit suspensa: quia licet ex-
communicatio non suspendatur per appellationem, cap. pastoralis. §. vo-
cum. de appell. declaratio tamen, qua declaratur aliquis incidisse in
excommunicationem, suspenditur per appellationem, iuxta gloss. singu-
larem, & recept. in cap. cupientes. §. quod si per viginti. in verb. priua-
3 tus. de elect. lib. 6. Et ita præfatus Episcopus non debet vitari, nec tene-
tur vitare, durante lite super declaratione, vt post alios, quos ipse copiose
citatur, tenet Decius in cap. peruenit, de appellatio. & colligitur late ex Fel.
in cap. Rodolphus. de rescript. num. 43. & Archiepiscopus non tenetur
alios vitare, nec alij eum, durante lite super appellatione; fortiori ratio-
ne non tenetur vitare, nec debet ab alijs vitari Vicarius eius propter ip-
sius excommunicationem, cap. cum in cunctis. de electio. & auth. multo
magis. C. de sacrosanct. eccles.

S V M M A R I V M.

- 1 *Communicans cum excommunicato non denunciato nullam censuram incurrit.*
- 2 *Excommunicatos ante denunciationem, etiã notorios, vitare non tenemur, nisi ob notoriam clerici percussionem.*
- 3 *Communicans cum excommunicato denunciato in ijs, quæ ad salutem pertinent, non est excommunicatus.*
- 4 *Aduocatus pro consilio ab heretico pecunias accipiens non est excommunicatus.*
- 5 *Iudices ab hereticis pecunias pretium officij recipientes excommunicati sunt, secus, si alio respectu.*

CONSILIUM XIII.

Iuris peritus, qui & Vicarius Episcopi erat, pro constituta in carcere hæresis causa accepto pretio informationem scripsit. Queritur, an mittens copiam informationis, vel scribens ad eam epistolam, in qua monita salutis, & alia ad urbanitatem pertinentia continebantur, vel etiam propter pecunias vltro oblatas, & acceptas, censetur præfatus consultor & Vicarius excommunicatus.

Respondeo primo, præfatū consultorē nullas incurrisse censuras, eo quod prædictam epistolam scripserit ad prædictam nobilem in carcere detentā.

1 Primo quidem, quod nemo tenetur hodie ad vitandum excommunicatum à iure, vel ab homine generaliter, antequam denunciatur, per extrauag. ad euitanda, quā nos quoque post alios referimus in cap. 1. §. labor. de pœnit. dist. 6. & in Manu. Confess. cap. 27. num. 35. & prædicta nobilis vel nullatenus est excommunicata, vel non saltem nisi generaliter à iure.

2 Secundo, quod non obstat dicere, quod finis prædictæ extrauag. habet non iuuare ad vitandos excōmunicatos notorie. Tum quia id restringendum est ad excommunicationem cap. si quis suadente. 17. q. 4. vt vbi supra probamus. Tum quia adeo prædicta nobilis non est excommunicata propter hæresim notoriam, quod est dubium adhuc an inciderit in illam, vt ex facto proponitur.

3 Tertio, quod non incurrit quis vllam excommunicationem, etiam minorem, communicando excommunicato etiam denunciato in eis, quæ pertinet ad salutem animæ, & ad aliqua alia incidenter, quæ vt magis proficiat intentio fuerit, cap. cum voluntate. de sent. excomm. At præfatus consultor in prædicta epistola prædictam nobilem principaliter alloquitur in pertinentibus ad suæ animæ salutem, licet etiam quædam alia de urbanitate adiecerit; ergo nullam censuram etiam minoris excommunicationis incurrit.

4 Quarto, quod prædictus Consultor non incurrit etiam vllam censuram ob prædictas pecunias acceptas, si non erat iudex causæ; quia licitum est iurisperito pro consilio ab se dato accipere pecuniam, cap. non liceat. 11. q. 3. præsertim vltro absque vlla exactione oblationis, & cum reuolutione librorum reddito, vt colligitur ex gloss. & scribentibus in d. cap. non liceat. immo nec si erat iudex: quia clem. 2. §. 1. de hæret. quæ excommunicat Inquisitores, & Iudices hæreticorum accipientes pecuniam, solum excommunicat eos, qui accipiunt eam tamquam pretium officij, non autem eos, qui accipiunt alio respectu, etiam si accipiant illicite, vt contextus illius habet expresse, & declarat gloss. in verb. pretium, & Card. notab. 1. at præfatus consultor non accipit illud præ-

textus

textu officij, & eo quod esset Vicarius, & Iudex, sed prætextu consilij à se redditi, & tamquam consultor; & ideo, licet forte peccauerit accipiendo pecuniam, vel quia quod debet Iudex communiter non debet ut est consultor, vel alia ratione, quam prætextu sui officij, vt in facto proponitur, non incurrit illam excommunicationem.

S V M M A R I V M.

- 1 *Absoluere ab excommunicatione Papæ reseruata potest Episcopus pauperes mendicare non assuetos. & nu. 2.*
- 3 *Absolui qui propter impedimentum veniendi Romam potest à percussione clerici, poterit à quacunque alia excommunicatione reseruata.*
- 4 *Absolutus ab Episcopo propter impedimentū veniendi Romam, non manet obligatus ad veniendum Romam.*

C O N S I L I V M X I I I I .

Q Vædam mulier actu cuiusdam monachi introducta fuit in cellam eius: vterque incurrit in excommunicationem extrauag. Pij V. & illa est castigata per Episcopum, & est pauper; quæritur, an possit absolui ab Episcopo?

- 1 Pro parte affirmante facit, quod mulieres percutientes clericum per cap. si quis suadente. i 6. quæst. 4. possunt absolui ab hac excommunicatione, quæ est reseruata Papæ, ab Episcopo propter fragilitatem: eadem autem ratio videtur suadere absolutionem etiam in hoc casu, quia mulier est, argum. l. illud. ff. de ad l. Aqu. & cap. dudum. 2. de elect. quod nullæ mulieres cogi videntur per Sedem Apostolicam ad ueniendum personaliter ad eam, nempe ad absolutionem quærendam, licet viros percussores clericorum quotidie ad id cogat.
- 2 Pro negante facit, quod concessa affirmatiua parte, consequeretur, nullam excommunicationem Papæ esse reseruataam quo ad mulieres, quod apud neminem legi; deinde, quod quotidie videmus eas mitti Romam pro absolutione excommunicationum Papæ reseruatarum, etiam in casu proposito.
- 3 Rationibus vtriusque partis perpenfis, respondeo primo, prædictas mulieres posse absolui ab Episcopo propter impedimentum paupertatis, quo impediuntur venire ad urbem, arg. c. quod de his, & cap. quâuis de sententia excom. & cap. eos. eod. tit. lib. 6. Nec obstat c. ea noscitur. eod. tit. quia illud habet locū in paupere medicare assueto, qui potest prouidere sibi medicando alibi per viam, sicut vbi degit, & nõ de paupere qui viuut ex suo officio,

ficio, vel opera sine mendicatione, qualis hæc est. Secundo, quod longe maior est difficultas, an, sicut mulier percutiens clericum propter sexus fragilitatem potest absolui ab excommunicatione cap. si quis suadente, non imposito ei onere veniendi ad Sedem Apostolicam, possit absolui ab excommunicatione ita simpliciter, ut non teneatur venire per se, vel saltem per alium ad Sedem Apostolicam pro mandato eius suscipiendo. Nã pro negante facit, quod alioqui nulla erit excommunicatio Papalis mulieribus, quod videtur iuxta cap. mulieres. de sentent. excomm. & sicut impubes percutiens clericum simili modo potest absolui, iuxta ca. 1. eod. tit. & cap. ult. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Facultas episcopis per Concil. Trident. c. 6. sess. 24. concessa, per bullam Cœne an sit derogata.*
- 2 *Absolutus in foro tantum conscientie in exteriori pro non absoluto declarandus.*
- 2 *Episcopi per c. 6. sess. 24. extra confessionem absolvere possunt.*
- 3 *Vicarius Episcopi ut talis c. 6. sess. 24. facultate uti non potest.*
- 4 *Facultas ex delegatione propter industriam competens est indelegabilis; secus, si ex privilegio dignitati concessa.*
- 5 *Episcopi per alios d. c. 6. facultate uti possunt.*

C O N S I L I V M X V.

Primo queritur, utrum facultas concessa Episcopis absoluendi ab hæresi in foro conscientie tantum in Concilio Tridentino sess. 24. ca. 6. sit abrogata per Bullam Cœnæ Domini ibi, ac cuiusvis concilij decreta. maxime in remotioribus partibus, ubi accessus est difficilis ad Summum Pontificem?

Secundo queritur circa dictum cap. 6. Concilij, An illa verba, *in foro conscientie tantum*, intelligantur solum in foro sacramenti Pœnitentiæ, an vero possint intelligi in foro secreto, ita ut possit Episcopus à sola censura absolvere, & alteri remittere pœnitentem, ut illi confiteatur, & hoc maxime, quando est Episcopus absens?

Tertio queritur, an illa verba prædicti cap. 6. scilicet, *eis tantum, non eorum vicarijs sit permissum*, intelligantur solum de ordinario Episcopi vicario, an vero debeant intelligi de quocunque alio, cui Episcopus in casu aliquo particulari occurrenti committeret vices suas?

AD PRIMAM QVÆSTIONEM respondeo, quod quidam Illustrissimus fecit me certior, quod in quibusdam Illustrissimorum

Car-

Cardinalium Congregationibus fuit conclusa pars affirmatiua, scilicet, quod per prædictam Bullam abrogata sit prædicta potestas Episcopis, cui tamen in hanc, quæ sequitur, formam scripsimus.

Illuſtriffime & Reuerendiſſime Domine, Gratias ago D. V. Illuſtriffime, quod tam benigne, ac large dignatus fuerit facere me cernorem de conſuſione, quam ait fuiſſe à Congregatione Illuſtriffima receptam ſu- per non permittenda Episcopis facultate abſoluendi ab hæreſi in foro conſcientiæ, quam eis Concilium Triden. fecerat, eamque vulgo eſſe re- ceptam. Et quamuis ad perſuadendum illam mihi ſufficiat, quod illa con- cluſit, iuxta illud, ipſe dixit; interrogatus tamen multas quæſtiones à qui- buſdam eruditiffimis orbis noui conſeſarijs, quorum quidam præſuppo- nunt habere illos hanc potestatem, vix audebo eis reſpondere. Tum quia difficile credetur ab eis, quod multis, & validiffimis rationibus conclu- ſum fuerit, non conuenire, vt relinquatur Episcopis facultas præſata, cum nuper Concilio vniuerſali apparuerit id conuenientiffimum. Tum quia, vt audio, Episcopi cæperunt ea vti, & non facile à ſuo vſu tanti Concilij auctoritate nitente retrahentur. Tum quia vident apparuiſſe in vrbe con- ueniens, vt conſeſarij per Cruciatam electi abſoluant ab omnibus caſi- bus Bullæ Cœnæ, quorum vnus eſt hæreſis, quando in Cruciatata non ex- cipitur. Tum quia moleſte ferent omnes episcopi omnium regnorum Caſtellæ, & ei annexorum, qui ſunt plurimi, vt eis auferatur præſata pote- ſtas, & eadem concedatur omnibus conſeſarijs ſubditis eorum per Cru- ciatam electis, qui ſunt innumerati. Tum quia, licet Episcopi Italiæ, qui pro- ximi ſunt vrbi, ſatis æquo animo ob præſentiam Sanctiſſimi Domini No- ſtri illam ſint laturi, Episcopi tamen Germaniæ, Belgiæ, Galliæ, & Hiſpaniæ, & orbis noui, qui longius à ſua Sanctitate, abſunt non videntur tam facile laturi. Tum quia audio quosdam in Hiſpania in libris auctoritate Con- cilij ſupremi Regis typis excuſſis præſupponere illam facultatem Episco- pis in eſſe. Tum quia, vt audio, ſunt, qui dicant per Bullam Cœnæ non de- rogari ei, eo quod videant non derogari potestati Inquiſitorum, qui, non obſtan. illa, paſſim abſoluant ab hæreſi, & non excipiuntur in præſata Bul- la pluſquam Episcopis & conſtat potestatem illam non fuiſſe datam eis à maiore, quam episcopis: cum fuerit data à ſolo Papa, & episcopis à Papa, & toto Concilio. Tum quia, ſicut non omnes deciſiones Rotæ, quæ placent vrbi, placent toti orbi, ita forre non omnes rationes, quæ viden- tur validiffimæ aliquot Congregationibus Vrbiſ, videbuntur tales omni- bus Academijs, & Regum prætorijs, quæ parlamenta, vel Cancellarias vo- cant. Quæ omnia tumultuarie ſcripta non in hoc mitto V. D. Illuſtriffimæ, vt velim mihi reſponderi, ſed tantum vt aliquando, ſi ei videbitur, & oc- currerit opportunitas, aliquid horum inſinuetur Sanctiſſimo D. N. cuius Sanctitatem ampliffimam, & V. D. Illuſtriffimam Dominus Ieſus quam diutiſſime ſeruet incolumes. Amen.

Ex hac

Ex hac responsione facile colligi potest id, quod ego respondere deberim ad præfatam quæstionem.

AD SECUNDAM respondeo primo, quod verba illa, *absolvere quo ad forum conscientie tantum*, & illa, *dare potestatem absolvendi quo ad forum conscientie*, significant, quod absolutio data, vel facta nihil profit quo ad forum exterius, in quo perinde iudicabitur de illo, ac si non esset absolutus, secundum rigorem iuris, iuxta omnium mentem. Secundo, quod Episcopus, habens potestatem absolvendi ab excommunicatione ob hæresim incurta, potest absolvere etiam extra confessionem sacramentalem. Tum quia absolutio ab excommunicatione non est absolutio sacramentalis secundum omnes. Tum quia stylus sacre Pœnitentiariæ habet, ut aliqui eorum, qui interfunt ei, absoluant sine literis præsentibus à censuris extra confessionem per facultatem eis factam à summo Pœnitentiaro, & suis officarijs ad absolvendum eos in foro conscientie. Tum quia vicarius Episcopi minorum ordinum tantum potest excommunicare, & absolvere, secundum S. Tho. lib. 4. sentent. dist. 18. q. 2. ar. 2. & est glo. recepta c. canonica. verb. presbyter. de sente. excom. licet non posset absolvere à culpa, propter quam illa incurritur, nisi fuerit sacerdos, & id faciat audita confessione sacramentali, ut paulo latius diximus in Manu. confess. ca. 27. num. 41. & sequen. Tertio, quod hæc consequitur posse Episcopum extra confessionem absolvere in casibus particularibus occurrentibus.

AD TERTIAM, quod verba illa Concilij, *Non eorum vicarijs*, intelliguntur de Vicarijs generalibus, ita quod sit sensus, quod sicut Vicarius Episcopi generali ratione solum vicariatus non habet potestatem conferendi beneficia, c. fin. de offi. vic. lib. 6. ita non habet potestatem utendi hac facultate. An autem Episcopi possint committere hanc potestatem absolvendi alijs, maior quæstio est. Tum quia videtur ei commissa huiusmodi potestas propter suam industriam, quale commissum est indelegabile, cap. fin. §. ceterum. de offic. deleg. & cap. is cui. eodem titulo, lib. 6. Tum quia pro hac parte videtur casus expressus in d. cap. fin. de deleg. qua parte habet, eum, cui commissa est potestas absolvendi etiam à Papa, non posse illam alteri subdelegare.

Pro parte tamen affirmativa videtur etiam casus expressus cap. fin. de offic. ordin. qua parte habet, eum, cui competit ex officio absolvere, posse id per alium facere; & idem, si illud ex privilegio suæ dignitatis ei competit, secundum glo. illius receptam: at Episcopis ex officio, & privilegio suæ dignitatis competit absolvere ab hæresi virtute canonum Concilij Trid. tenendo, quod non derogetur illi per Bullam Cœnæ, quod est maius, quam si competeret ex privilegio personæ: & mihi quidem videtur indubie hæc pars verior, intelligendo de potestate absolvendi nuda, ita quod Episcopus informatus recte de casu arbitretur modum, pœnitentiæ, & onus imponendum ei, qui absolvendus est, & committat nudam pote-

statem absoluendi cum illo modo, nullo arbitrio postea remisso ei, qui est absoluturus. Satis etiam videtur vera, intelligendo de commissione absolutionis cum facultate arbitrarij pœnitentiam, modum, & onus imponendum à confessario absoluturo: quoniam responderi potest præf. §. cæterum. quod ille procedit in eo, qui ex delegatione & commissione habet potestatem absoluendi, & non in eo, qui habet illam ex officio, & priuilegio suæ dignitatis: de quo loquitur præf. cap. fin. de offic. ordin. Ex qua solenni, & recepta concordia sequitur, quod valde perpendendum est, an Episcopus possit, & velit absoluere ex officio suo, & priuilegio confesso suæ dignitati à Conc. Trident. an ex noua commissione Papæ, ita quod fiat delegatus: nam priore casu poterit committere absolutionem utroque modo prædicto, posteriore vero non poterit, nisi ad summum priore, scilicet nudum ministerium ad absoluendum sine aliquo arbitrio.

S V M M A R I V M.

- I *Episcopus excommunicatis declaratis, quando excommunicatio est reseruata, facultatem diuinis interessendi dare nulla via potest.*

C O N S I L I V M XVI.

Vtrum Episcopus, vel Vicarius generalis, qui declarauit aliquas mulieres incurrisse excommunicationem latam à Pio V. ob ingressum monasteriorum regularium, possit facere illis facultatem audiendi missas & alia diuina officia, & communicandi cum alijs.

- I Responderetur partem negantem esse veram. Tum quia absolutio excommunicationis prædictæ est reseruata soli Papæ, vt habet præfata extrauagans Pij V. quæ incipit regularium. sub finem, cuius tenorem referimus nos in commentar. 4. de regul. super cap. statuimus. 19. q. 3. num. 62. & ita non potest ordinarius facere illis facultatem prædictam per viam absolutionis. Tum quia non potest etiam facere per viam suspensionis: quia licet alia censure, scilicet suspensionis, & interdicti, suspendi possint, etiã sine absolutione formali, excommunicatio tamen nõ potest suspendi; sed oportet, vt absolutio interueniat, iux. cap. ad hæc quoniam. de appell. vt Ioann. And. Panor. & alij, quos refert, & sequitur Decius, tenent. Tum quia sunt, qui dubitauerint, an etiam ipsemet Papa possit dispensare cū excommunicato, vt manens excommunicatus licite communicare possit: tantum abest, vt ordinario id concedatur. Tum quia ratio supra pro contraria parte adducta nihil valet; quoniam extrauag. ad euitanda. Martini V. confirmata à Concil. Lateranen. sub Leone X. finito, cuius tenorem referimus

ferimus in cap. 27. num. 3 5. Manu. confess. per quam conceditur facultas communicandi excommunicato, donec denunciatur, nihil prodest ipsi excommunicato: quia ille tenetur euitare communionem aliorum, etiam ante denunciationem, iux. cap. illud. de cleri. excomm. ministr. per quod declaratur maius peccatum committere excommunicatum non vitando alios, quam alios non vitando eum. Tum quia non obstat, ordinarios aliquos contrarium fecisse; quia id fecerunt per ignorantiam crassam veri intellectu. prædictæ extrauag. quæ habet expressè illam nihil prodesse excommunicatis.

V M M A R I V M.

- 1 *Dispositio conditionalis ante impletam conditionem inefficax est.*
- 2 *Absolutus ab excommunicatione sub forma, si prius cauerit, & cum citatione, & monitione, censetur absolutus sub conditione si ante tempus cauerit.*
- 2 *Monitio, & citatio ex intervallo data, perinde ac si simul data fuissent, operantur.*
- 2 *Clausula vitimo loco posita ad omnia superiora refertur.*
- 2 *Cautionis præstatio re non integra non prodest.*
- 3 *Fraus, & dolus nemini commodare debet.*
- 4 *Irregularis efficitur excommunicatus, coram se auctoritative celebrare faciens.*
- 5 *Excommunicatus notorius irregularis efficitur, non tamen absoluitur ab excommunicatione, antequam pro notoria offensa caueat.*

CONSILIVM XVII.

Q Vidam parochus excommunicatus obtinuit absolui, data prius cautione de parendo iuri; qui, antequam illam præstaret, gessit se pro absoluto; & post moram in cauendo factam, monitus, vt intra certum terminum præstaret cautionem, non præstauit eam intra illum: & accusata contumacia, iudex reinuulsi illum in excommunicatione, qui postea dedit cautionem. *Queritur, an censetur absolui.*

- 1 *Videur dicendum, quod non. Primo quidem, quod dispositio conditionalis non est efficax, donec adimpleatur conditio. §. omnis, & §. ex condituali. Inlti. de verbo. oblig. cap. si pro te. de rescrip. lib. 6. cum iuribus ibi per glos. citatis: & cautio non fuit præstita intra terminum, intra quem erat præstanda. Non obstat dicere, quod paruit conditioni: quia eo prius cauit, quam absolueretur: quoniam non cauit intra terminum*

2 num ad cauendum præfixum: nam per absolutionem datam sub conditione, si prius cauerit, adiuncta monitione, & citatione, vt intra certum terminum præferant cautionem, videtur Iudex absolutionem dedisse, si intra terminum ad præsentandum cautionem præfixum eam daret: alioquin enim eluforia fuisset huiusmodi conditio, cuius implementum poterat differri in infinitum. Tum quia prædicta monitio, & citatio tantum operabantur ex interuallo data, quantum operata fuissent, si simul cum absolutione factæ fuissent; nihil enim mediavit inter illas, quod debilitaret earum virtutem, vt palam est: & regulariter paria sunt duo fieri eadem die, vel duabus interpollatis per viam adiectionis, & accessionis, arg. cap. accessoriū. de regul. lib. 6. & cap. de multa. sub finem. de præben. Tum quia, quod vltimo loco fit, ad omnia superiora refertur, cum eadem ratio idem iuris suadet in omnibus. cap. secundo requiris. de appella. vbi glos. & doctores, maxime Panor. & Decius resoluunt. At absolutio prædicta conditionalis, & præfixio termini ad præsentandum cautionem, sunt duo posita in duabus papyris per viam adiectionis, & accessionis, in quibus eadem ratio militat; immo secundū est declaratio, & limitatio absolutionis, quæ sine termino expresso lata fuit.

Secundo, quod iudex post terminum præfixum ad præsentandum cautionem, & accusata contumacia, non putans, eum in illam reintrusit; & ita, cum res non sit integra, non profuit ei præstatio cautionis post illā reintrusionem. Tum quia illa reintrusio fuit interlocutoria, quæ trāsiit in rem iudicatam non appellando ab ea intra decendium, iuxta cap. 1. de appella. lib. 6. quod habere locum in sententia excommunicationis simpliciter prolata, licet non sit definitiua, ait Archidia. in cap. venerabilibus. nu. 4. de senten. excom. lib. 6. & ibi Panor. nu. 2. Tum quia per illā reintrusionē additum fuit nouum viuiculum priori excommunicationi, & concedendo, vt absolueretur ab illa, data prius cautione, non poterat intelligi à reintrusione, quæ nondum erat facta, vt palam est.

3 Tertio, quod nemini debent sua fraus, & turpitudine commodare, c. Sedes Apostolica. de reſcrip. l. itaque fullo. ff. de furt. At per fraudem, & turpitudinē prædictus iussus absolui, intendens nunquā parere mandatis Ecclesiæ, ante quam daret cautionem, se gessit pro absoluto, ut patet ex actis, & non solum gessit se publice pro absoluto, sed etiam auctorizando tanquam Prior, & rector ecclesiæ parochialis insignis, interfuit diuinis officijs, & fecit ea celebrare coram se; per quod factus est irregularis, iuxta glos. singul. clem. Archiepiscopo. de priuileg. verb. celebrari. & cap. illud, de cler. excommun. quatenus probat, episcopum excōmunicatum, facientem celebrare auctoritative coram se, fieri irregularem, vt anno aut Panor. communiter recep. ibi, & Bonifa. Roæ auditor clarissimus generaliter colligit in prædicta glos. quod excōmunicatus faciens celebrare corā se fit irregularis: & Cardinalis ibidem nu. 6. & q. 9. dicit

tria:

tria: distincta esse excommunicatum celebrare, & facere celebrare quasi auctorizando, & simpliciter audire diuina officia: & quod faciens duo priora est irregularis. idem tenet Archid. in cap. 1. de senten. excom. lib. 6. ibi nu. 5. Ioannes Alexa. videtur exæquare quo ad hoc Rectores ecclesiarum parochialium alijs prælatis, dicens, eos esse iudices in foro animarum:

Quarto, quod non debet quis ex eo commodum consequi, quod nisi extitit impugnare, regula ex eo. de regul. iuris lib. 6. cum cõcord. & frustra legis implorat auxilium, qui committit in legem. At prædictus commisit in decretum.

5 Quinto, quod licet excommunicatus absolui possit ab excommunicatione, manente ipso in irregularitate prius contracta, cum sint diuersa; sitamen offensa, ob quam incurrit irregularitatem, est manifesta, vt in hoc casu, non possit absolui regulariter ab excomunicatione, etiam data cautione de parèdo iuri, antequam satisfaceret pro illa offensa notoria, vel manifesta, iuxta cap. ex parte. 1. de verb. sign. & cap. venerabilibus. §. porro de senten. excom. lib. 6. & tradit Decius cum alijs in cap. qua fronte. de appell.

S V M M A R I V M.

- 1 Legatorum apostolicorum facultas excommunicatos absoluendi qualis, de qua est eis credendum.
- 2 Episcopus in iuste impeditis absoluere potest ab excommunicatione à iure, vel ab homine reseruata.
- 3 Celebratio excommunicati, nisi sit mortifera, non inducit irregularitatem, qua sine dolo, & contemptu non incurritur.

C O N S I L I V M X V I I I.

Quidam ab Auditore Rotæ declaratus excommunicatus de consensu procuratoris aduersarij fuit absolutus à Nuncio Sedis Apostolicæ ad quatuor menses, deposita pecunia debita apud bancarium, eo quod creditor erat Romæ, ne tamdiu maneret excommunicatus, faciendo quod in ipso erat, & soluit intra tempus à Nuncio præfixum, & Nuncius testatus fuit se habere potestatem ad illum absoluendum auctoritate Apostolica, & absolutus celebravit.

Quæritur, an incidit in irregularitatem, & fecerit fructus beneficij suos?

Respondeo, quod non. Tum quia legati solent habere potestatem absoluendi, saltem ad tempus, in huiusmodi casibus, propter absentiam

eius, ad quem pertinet absolutio, vt colligitur ex cap. eos. §. idem statuimus. de sent. excomm. lib. 6. quem etiam nos referimus in Manu. confess. c. 27. nu. 46. Tum quia legatus præfatus asseruit in literis, se habere facultatem id faciendi, cui quo ad id credendum est; quoniam communiter habent ad id specialem facultatem ad ponendam illam clausulã, ne cogantur inferre facultates suas; & ideo creditur eis, donec contrarium probetur, iuxta notata c. sicut, de sent. excomm. & cap. nobilissimu. 97. dist. Tum quia etiam Episcopi possunt absoluere excommunicatum à iure, vel ab homine alij referuata, propter morbum, vel impedimentum eundi ad quaerendam absolutionem, vt colligitur ex principio d. cap. eos. & existens in Hispania habet impedimentum satis iustum maximi, & periculosi itineris ad eundem Romam ad hoc, vt faciendo quod potest ad parendum, absoluatur ad tempus, quo eget tanto itinere faciendo, ne moriatur excommunicatus, quod iura horrent, c. qua fronte. de appella. Tum quia auctoritas Legati dicentis se habere illam potestatem, & facientis facultatem celebrandi per tempus ab eo præfixum, dedit iustam causam credendi te bene absolutum, & vt bona fide celebraret, & excusant ab omni malo dolo, & contemptu, sine quo non incurritur irregularitas, vt definit Panor. à quo ibi nemo recedit, c. pasto ralis. §. verum. de appella. & Domi. in cap. solet. de sententia excomm. lib. 6. pro quibus est ibi gloss. memorabilis penult. Facit quod contraueniens Canoni, & legi dubiæ, & errans circa iuris subtilitates non peccat mortifere, secundum Innoc. cap. per tuas il. 2. de simo. & alia multa, quæ adducit Felin. cap. 1. de re iudi. fallentia septima. & celebratio excommunicati, nisi sit mortifera, non inducit irregularitatem, sicut nec absque mortifero peccato non incurritur excommunicatio maior, cap. nemo, c. nullus. 1. 1. q. 3. nec consequenter consulens incurrit illam; quandoquidem non peccasset mortifere, credendo id sibi licere, etiam si Legatus errasset, qui tamen non errauit, immo pie, & erudite in absoluendo se gessit. &c.

S V M M A R I U M.

- 1 Episcopi procedere non possunt contra officiales, vel Nuncios Papæ.
- 1 Officiales Papæ appellantur rectores ciuitatum in terris Ecclesiæ, sed non sunt mon. 2. & 9.
- 3 Officialis vnde dicitur, & quid significet.
- 4 Officialis verbum generale, & restringitur per adiectionem genitiuorum, & aliorum æquipollentium.
- 5 Officialis est, qui immediate alicui in officio seruit.

Offi-

- 6 *Officialis Papæ non est institutus ab eo Potestas seu Gubernator, etiam si sit perpetuo institutus.*
- 8 *Officiales Papæ non sunt legati, seu subdelegati ad cognoscendum de causis instituti.*
- 9 *Rectores seu Potestates à ciuitatibus dicti, & à Papa confirmati, non sunt Officiales Papæ.*
- 10 *Officialis Papæ est, qui ei immediate seruit, non qui à Papa instituitur, vt alijs præsit.*
- 11 *Officiales Papæ non sunt, qui à Papa in ministerio Cardinalis, vel Principis ponuntur.*

C O N S I L I V M XIX.

AN Episcopus possit ferre sententiam excommunicationis aliqua iusta de causa, seruatis seruandis, in Potestatem, siue Rectorem positum in sua ciuitate à Sede Apostolica.

- 1 Pro parte negante facit extrauag. cum Matthæus. de hæret. inter communes, qua vetatur omnibus ordinarijs, ne procedant contra officiales, & nuncios Sedis Apосто. sine illius licentia, nec vllam in eos ferant censuram: & huiusmodi Potestates videntur esse officiales Sedis Apostolicę.
- 2 Secundo facit extrauag. ad regimen. de præben. inter communes, quæ inter officiales Sedis Apostolicę connumerat Rectores ciuitatum, & locorum: & Potestates prædicti appellantur Rectores in l. 1. C. si rector prouinciar. & multis alijs locis. Tertio, quod verbum, Officialis, est latum, descendens à verbo Officium, & significat omnes, qui seruiunt alicui in aliquo officio tanquam iudices, vel executores, vel ministri alius generis ministerij, argumento clem. 2. de rescrip. & cap. 2. de officarij. c. 3. de sent. excommunicationis. & cap. cum parau de appell.
- 4 Pro parte vero affirmante facit primo, quod verbum Officialis quamuis late pateat, vt prædictum est, & sit genus habens sub se multas species, restringitur tamen per additionem genitiuorum, vel aliorum nominum æquipollentium, vt cum dicimus Officialis Papæ, Cardinalis, Cancellarij, vel Vicecancellarij, Datarij, Magistrj, vel cum dicimus Officialis Regis, Ducis, Comitis, Prætoris. Et videtur definiti posse, quod officialis alicuius dicatur esse qui seruit ei immediate in aliquo officio: & quod Potestates prædicti non videntur seruire immediate Papæ, sed ciuitatibus, vel locis, vel Reipub. quibus præficiuntur. Secundo, quod hi Potestates habent iurisdictionem ordinariam à lege, iuxta l. fin. de iurisd. omnium iudicum. cap. cum ad ecclesiam. de off. ord. Tertio, quod ad hoc, vt dicatur officialis Papæ, non videtur sufficere, quod instituatur ab ipso; alioquin omnes Episcopi, & Archiepiscopi appellarentur eius officiales, immo & omnes, quibus ipse confert beneficia Ecclesiastica.

stica; quod videtur absurdum, & ita non dicendum, l. nam quod absurdum. ff. de bonis liber. quin etiam omnes confellarij, & prædicatores, quibus ille facit facultatem audiendi confessiones, & prædicandi ubique terrarū, vel in illo, aut illo Episcopatu; quod videtur absurdum. Quarto, quod delegati, & subdelegati Papæ dati ad cognoscendum de causis, non dicuntur officiales eius: nam omnia beneficia illorum essent referuata ei per d. extrauag. ad regimem. quod tamen non est verum, nec seruatur. At non potest negari, eos seruire Papæ in aliquo officio; quia dicuntur habere officium, per rubr. de off. deleg. & ff. de off. eius, cui mandata est iurisdictio. Sed quia non seruiunt immediate suæ Sanctitati, sed causis partium, quibus dantur iudices, non dicuntur officiales Papæ. Ergo neque Potestates terrarum, qui non seruiunt immediate Papæ, sed rebus pub. ad quarum gubernationem præficiuntur, non videntur dici officiales eius.

His pro vtraque parte consideratis videretur dicendum primo, quod si Potestates eligerentur ab ipsis ciuitatibus, & confirmarentur à Papa, non censerentur officiales eius; & minus si per solam electionem sine alia confirmatione possent administrare. Secundo, quod etiam Potestates, qui instituuntur perpetui, quemadmodum regulariter instituuntur beneficiarij ecclesiasticorum beneficiorum, non videntur dici officiales. Tertio, quod etiam qui à solo Papa ponuntur, & reuocantur pro sua sola voluntate, & arbitrio, ea ratione videri possunt non esse officiales Papæ, quod non videntur ei seruire immediate, & quod non facit eos Potestates principaliter propter seruitium suum, sed propter seruitium, quod præstaturi sunt illis Rebus publicis, quibus eos præfecit; & finis principalis & primarius est attendendus, l. et si non sint. §. perueniamus. ff. de auro, & arg. leg. & quod hac ratione delegati Papæ non videntur dici officiales eius, vt supra tactum est: & quod is, quem Papa daret alicui Cardinali, vel alteri nobili sæculari, vel ecclesiastico, vt seruiret ei, non diceretur officialis Papæ, si alias non seruiret ipsi, quamuis aliquod seruitium per quandam rei consequentiam ad S. Sanctitatem inde perueniret. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Excommunicatio generalis nisi ob mortale non incurritur.
- 2 Excommunicari non potest Capitulum, seu vniuersitas.
- 3 Excommunicatio in Capitulum, & culpabiles, culpabiles culpa mortali ligat.

- 4 *Declarari excommunicatus nemo potest, nisi citatus audiatur.*
- 5 *Appellatio declarationem, sed non excommunicationem suspendit.*
- 5 *Appellari non potest in notorijs, secus ab eorum declaratoria.*
- 6 *Debitum à Capitulo non est à singulis de Capitulo.*
- 6 *Fructus Capitulo obuientes etiam ante capitularium promotionem inter eos distribuendi.*
- 7 *Declarato nulliter excommunicato remedia optima,*
- 8 *Executio pœnæ fieri nequit, nisi iusta declaratione præuia.*
- 9 *Acta, & producta in iudicio sunt parti edenda.*
- 9 *Iura unde emanant, iniuria prodire non debet.*

C O N S I L I V M X X.

N Habens dignitatem, & canonicatum cum præbenda in quadam ecclēsia cathedrali venit ad urbem ad prosequendas quasdam lites ecclēsiæ suæ cum mandato ad id generali à Capitulo dato, & inuenit præfatum Capitulum excommunicatum, id est, denunciatum in loco solito pro excommunicato à iudice, vel subcollectore quindeniorum, qui rogatus ab ipso respondit id fuisse factum eo, quod præfatum Capitulum debebat ratione quindeniorum certam quantitatem scutorum: & illico scripsit id Capitulo; quod respondit, nolle se ut quidquam innouaret super hoc, donec mandatum speciale acciperet super eo quod ordinaret esse agendum. Intra quod tempus ipse N. missauit, & interfuit diuinis sine ullo scrupulo, putans se ob hoc nullam censuram incurrisse, nec incurere. Iudex autem prædictus processit ad vltiora, eo quod non soluebatur præfata quantitas scutorum, & tandem relaxauit literas, siue schedulas, & cedulones contra præfatos canonicos generaliter, & nominando præfatum N. specialiter, cui simile nunquam videtur fuisse factum: quia, præbenda suæ dignitatis non est prima post pontificalem, idque fecit nulla citatione, nec monitione facta specialiter ipsi N. ut vni de Capitulo, nec tamquam procuratori eius, nec ipsi Capitulo. Post quæ præfatus N. interfuit diuinis, non tamen missauit, neque ordine sacro alio usus est.

Quæritur quid oporteat præfatum N. facere, ne peccet, præsupposito, quod non habet mandatum sui capituli ad soluendum, & quod non fuit citatus, & quod nulla monitio est facta præfato capitulo, ut solueret præfata quindenia: & quod omnem curam, & diligentiam adhibuit, ut præfatum capitulum soluat quæ debet: & quod obtulit se soluturus pro rata eam partem, quæ pro sua præbenda ei contingit, quod paratus est facere: & quod non apparet vlla obligatio, qua præfatum capitulum teneatur soluere vlla quindenia, præterquam acceptatio an-

tio annexionis quorundam beneficiorum: & quod præfatus subcollector prima vice excommunicauit ob minorem quantitatem, & vltima vice pro maiori, quo videtur non satis constare de debito: & quod magna pars quãtitatis expressæ in secunda vice dicitur cepisse deberi ante 120. annos.

Huic quæstioni ægro animo respondeo, vt cuidam alij simili respondit Oldra conf. 20. nec vllatenus respondiſſem, nisi obligatio magna, qua teneor inferuire mittenti illam mihi, ad id me adigeret. Tum quia agimus Romæ, vbi sunt multi harum rerum expertissimi, & ipse non satis noui leges, nec mores Romanos, ex quibus eius decisio est haurienda, sicut & ille legum Cæsarearum peritissimus in materia censurarum fulminatarum à Papa vix fuit ausus respondere. Attamen submittens omnia censuræ Sanctiss. D. N. & me peritioris dicam sequentia.

- 1 Primum videri necessarium certa responsuro legisse, aut certe intellexisse primo tenorem scripturæ continentem vnionem, vel annexionem bonorum, ratione quorum huiusmodi quindenia debentur; secundo scripturam, qua procurator capituli obligauit ipsum ad soluenda quindenia; tertio tenore mandatorum, quibus procuratores, qui præfatas vniones, vel annexiones impetrarunt, poterant obligationes facere ad soluenda quindenia; quarto processum, quem fecit iudex, aut subcollector in procedendo ad declarationem, & denunciationem contentorum in ea, præfertim ad declarationem prædicti N. quorum nullius copia, vel summarium datur.

Secundo, certum esse neminem incurrere excommunicationem generaliter latam, nisi ob peccatum mortiferum, c. nemo, & c. nullus. l. i. q. 3. & cõsequenter cum excõmunicatio, de qua agitur, sit generaliter lata, nõ incurrit eam præfatus N. nisi peccauerit mortaliter circa præfatæ solutionis omissionem.

- 2 Tertio, quod si per bullas præfatarum vnionum fuit lata excommunicatio in capitulum simpliciter, & absolute, nihil valuit, & non obligauit capitulum, per cap. Romana. §. in vniuersitatem. de sentent. excomm. lib. 6. immo neque vllum canonicum: quia quidquid ibi gloss. dicat, & inter doct. controuertatur verior conclusio est, quod talis excommunicatio est ipso iure nulla propter verbum, penitus, in ipso appositum.

- 3 Quarto, quod si excommunicatio non fuit lata in vniuersum capitulum simpliciter, & absolute, sed cum additione, & in singulos eius canonicos, qui forent culpabiles, id est, quorum culpa omitteretur solutio quindeniorum, iudicandi essent excom. illi quorum culpa solutio fuisset omiſſa: quia licet excommunicatio non possit in vniuersitatem ferri propter rationes, quas diuersi in diuersis locis tradunt, vt in his Fel. in cap. eam te. de rescript. potest tamen ferri in singulos vniuersitatis, qui culpabiles forent per ipsum præfatum §. in vniuersitatem. in verbo culpabiles. & argum. cap. proposuit. de clerico excomm. minist. quod in hoc ante omnes

nes citauit Host. in summa de contumacia. §. fin. qui fuit discipulus, & Card. ipsiusmet Innoc. III. conditoris præfati cap. romana, & præfati sui §. in vniuersitatem. quæ sententia uetior nobis uidetur, quam contraria, saltem ad consulendum: quamquã disputando illa defendi poterit: limitando tamen ut procedat in illis singularibus canonicis, qui non quali quali culpa, sed mortifera forent culpabiles: quandoquidem, ut dictum est, nulla excommunicatio maior generaliter lata includit, & ligat aliquem, nisi mortifere peccantem.

4 Quinto, quod nemo debet declarari excommunicatus per excommunicationem generaliter latam, nisi res esset notoria, antequam citetur, & audiatur, iuxta gloss. celeb. adiuncto text. in clem. præfenti. verbo constitit. de censib. cui similis in clem. 2. eodem verb. de pœnis. quæ sunt receptæ communiter, & late tradit Felin. in ca. rodolph. de rescript. à nu. 41. ita quod declaratio facta sine citatione est nulla; sicut aliæ sententiæ læ sine citatione legitima sunt nullæ, quando illa requiritur. clem. pastoralis. §. ceterum. de re iud. quia contra inauditam partem etiam Papa non potest quidquam definire, ut ipsemet testatur in cap. 1. de causa pos. sess. & concordat cap. nos in quemquam. 2. q. 1.

5 Sexto, quod licet à sententia excommunicationis non possit appellari ad effectum suspendendi eam, cap. is qui. §. fin. de sentent. excommunicationis, lib. 6. à declaratione tamen, qua quis declaratur eam incurrisse, potest appellare, etiã ad effectum suspendendi eam: ita quod appellatione pendente nihil ei obstat, iuxta gloss. recep. in cap. cupientes. §. quod si per viginti. ver. priuatos. de elect. lib. 6. ut latius tradit Felin. in d. cap. rodolphus. num. 43. ubi adducit illud Panor. in cons. 100. quod quamuis in facto uero notorio non possit appellari, ut in cap. cum sit Romana. de appell. tamen à sententia iudicis declarantis factum esse notorium posset appellari, cum iudex posset iniuste declarasse, sicut in simili dicit gloss. in d. §. quod si per viginti. de elect. lib. 6. quod licet à sententia iuris non appelleretur, ut in cap. quia nos. de appella. à sententia tamen iudicis declarantis quem incidisse in pœnam legis bene potest appellari.

6 Septimo, quod debitum à capitulo non censetur debitum à singulis capituli: quia aliud est vniuersitas, siue collegium, & aliud singuli vniuersitatis, siue collegij, l. sed si hæc. §. qui manu mittitur. ff. de iuris. vocan. §. qui manu mittitur 12. q. 2. & aliud capitulum, & aliud singuli de capitulo cap. eam te de rescript. ubi late Fel. num. 17. & quo, & alijs determinat Cald. in tit. de præb. cons. 21. quod fructus obuenientes capitulo debent distribui canonicis uiuentibus nouis tempore distributionis faciendæ, licet obuenissent capitulo, antequam ipsi fierent contribuere noui canonici, etiam si debitum fuisset contractum à capitulo antequam illi noui fuissent facti canonici, & ita prætatis N. non uidetur debere quidquam ex quindenijs præfatis; sed suum capitulum, & consequenter illud est cogendum

cogendum ad soluendum, & non præfatus N. etiam pro parte ad quam soluendam possit cogi à capitulo ratione suæ præbendæ. quod confirmari potest per alia multa quæ citat Fel. in d. cap. eam te.

- 7 Octauo, quod ex præd. infertur primo solutio quæstionis, scilicet quid possit, vel debeat facere præfatus N. quo vitet offensam humanam, vel diuinam, & Sanctitatis Sanct. D. N. & capituli sui. Infertur enim primo, quod quia nemo debet alterius causa adeo prægruari, nec regulariter cogi ad soluendum alius debita, cap. non debet. de reg. iur. lib. 6. probabiliter potest allegare nihil se debere ob præfata quindemia, quippe quæ licet debeantur à suo capitulo, non tamen ob id debentur ab ipso: quamuis cogi possit à suo capitulo ad contribuendum partem, quæ suam præbendam contingeret, si capitulum deberet illa soluere, per proxime dicta. Secundo, quod etiam iuste possit allegare, se non esse excommunicatum, si excommunicatio lata fuit in capitulum absolute, per tertium dictum; immo nec si fuit lata in capitulum cum additione, & in omnes capitulares culpabiles, si ipse non fuit culpabilis culpa mortifera, per 4. dictum. Tertio infertur, quod etiam potest iuste allegare declarationem, qua est declaratus excommunicatus, non fuisse iudicam, immo fuisse nullam, si non fuit citatus ad videndum se declarari, per quantum dictum
- 8 & Oldr. conf. 20. num. 58. vbi concludit executionem pænæ incursum ipso iure non posse fieri antequam præcedat declaratio valida facta citata parte: pro quo est text. in cap. cum secundus. de hæret. lib. 6. quod habet quod quamuis bona hæreticorum ipso facto fisco acquirantur, non tamen fit executio, & occupatio ante sententiam declaratoriam. Quarto, quod præfatus N. non potest agere de nullitate præfate excommunicationis, & præfate declarationis ob causas sup. tactas in præf. 2. 3. & 4. dict. Quinto quod præfatus N. potest appellare à præfata declaratione ob causas etiam prædictas. Sexto, quod potest implorare officium iudicis computentis ad cognoscendum de causis quindeniorum, & à quibus factæ sunt declarationes prædictæ, iux. cap. 2. de offic. iudicis, & alia plurima, quæ post Panormitanum, & Involentem affert, & citat Felin. ibidem, & supplicare humiliter, vt iubeat sibi copiam fieri illorum quatuor, quæ in primo dicto desiderantur. Tum quia necessaria sunt ad hoc, vt ipse noscat an teneatur soluere, nec ne. Tum quia ipse est reus, & Reuer. Camera, siue fiscus tenet vicem actoris, siue accusatoris; & actore nõ probante, reus absolvitur. l. qui, accusat. C. de edendo. cum simil. Tum quia
- 9 acta in iudicio, tam ciuilia, quam criminalia, sunt edenda parti, & omnia alia instrumenta, saltem causa cognita offic. iud. l. 1. & 2. C. de edendo. Tum quia vnde iura emanant iniuria non debet prodire. l. meminert. C. vnde vi. & iniustum esset damnare præfatum N. non facta sibi copia eorum, in quibus præfata Reuer. Camera se fundat ad videndum si sint vera ea, quæ apud ipsam contra eum per subreptionem forte male allegantur.

allegantur. Septimo, quod consulendum videtur præfato N. vt adeat aliquem causidicum satis peritum styli curiæ, & roget eum, vt primo componat ei libellum, sine petitionem secundum formam quam illa seruat in implorando officio iudici: quod non proponitur pro actione, sed humiliter potest peti ante litem contestatam, ad hoc vt concedatur ei copia præfatorum quatuor, quæ diximus in primo dicto esse necessaria ad respondendum cum debita reuerentia. Secundo, vt componat ei alium libellum, vel aliud capitulum eiusdem libelli, in quo reuerenter dicat præfatam excommunicationem, & declarationem, qua ipse declaratur excommunicatus, esse inualidas, & nullas, & ideo reuocandas, vel certe declarandas esse tales ob causas sup. dictas. Tertio, quod componat alium libellum, vel aliud capitulum eiusdem, quo appellet à declaratione præfata, allegando eam esse nullam, & petendo eam declarari talem ob defectum citationis, & alia supradicta. Quarto, quod componat alium libellum, vel aliud capitulum eiusdem libelli, quo reuerenter petat absolutionem ad cautelam ab excommunicatione præfata, quam allegat esse nullam ex causis prædictis offerendo cautionem, quam in huiusmodi casibus mandat offerri Papa in cap. solet. de sententia excommunicationis, lib. 6. licet enim etiam absque tali absolutione deberet audiri, vt præfatus Oldra in præf. conf. 20. & 105. post alios consuluit; modestius tamen fuerit illam petere: & si stylus curiæ patitur, præfatus causidicus posset addere præfato suo libello, vel libellis appellationem à præfatorum positorum negatione.

Cæterum præfatus d. N. non debet se ob ea, quæ fecit, putare irregularem, neque abstinere necessario à diuinis in foro conscientiæ, neque in foro exteriori, durante lite super præfatis causis nullitatis appositionis, & iniustitiæ per ea quæ poterunt postea scribi. Salua saniori sententia.

S V M M A R I V M .

- 1 Intimatio facta Canonicis capitulariter non congregatis non est legitima, nec pro tali habenda, nisi apposita clausula, si non patet accessus. es num. 2.
- 3 Intimatio propriæ personæ facienda est, vt ei pariat præiudicium.
- 4 Actus consistens in mero facto, & ad Capitulum spectans, per canonicos singulariter expediri potest, & tenet. nu. 4. & 5.
- 6 Actus tradendi possessionem fieri iuriliter, & capitulariter debet.
- 6 Intimatio extra capitulum facta non sufficit ad pœnas incurrendas.

FVit relaxatum monitorium ab A.C. contra Capitulum ecclesiæ N. vt sub censuris, & alijs pœnis deberet immittere A. in possessionem Archidiaconatus eiusdem ecclesiæ. Quod monitorium fuit intimatum Priori, & aliquibus Canonicis, non capitulariter tamen repertis. Quæritur an intimatio huiusmodi valeat.

- 1 Respondeo primo præfatam intimationem non videri vere legitime factam Capitulo: quia vere Prior, & canonici, quibus facta fuit intimatio, non erant congregati in capitulo, neque in alio loco legitime vocati, vt requiritur ad hoc, vt faciât capitulum: quia non erant vocati absentes, nec erant ibi duæ partes vocandorum, neque erat locus, ad quem solent vocari ad agenda negotia capituli, licet sic ad officia diuina facienda, & ad reficienda corpora, & ad eundem à choro in refectorium, quod non est satis ad constituendum capitulum legitime congregatum, vt colligitur ex multis, quæ adducit Fel. in cap. eam re. de rescrip. & in cap. cum omnes. de constit. & franc. Pauin. in tracta. de offic. Capituli sede vacante, & alij in alijs locis ab eis allegati.
- 2 Secundo, quod nec potest dici, quod habenda sit fictæ pro legitima præfata intimatio, eo quod ad capitulum non esset tutus accessus, vel quod ipsum impediabat intimationem. Tum quia in snia declaratoria dicitur breue, virtute cuius fuit declaratio facta, fuisse legitime intimatum capitulo canonicis, & aduersario. Tum quia præfata declaratoria non continebat clausulam, vt haberetur pro satis intimata, si non esset tutus accessus, vel si capitulum & canonici impedirent intimationem, quod requiritur iuxta clem. 1. de iudic. & iuxta multa alia, quæ scripsit Fel. in cap. quoniam frequenter. §. porro. col. 3. & sequen. vt lite nõ contest. Tum quia nec notarius ipse, qui notificauit in loco incompetenti, dicit non fuisse tutum ei accessum ad capitulum, neque quod illud impediabat intimationem. Tum quia Prior, & hi, qui eum comitabantur, nihil dure responderunt: quia solum in summa dixerunt, eos non constituere ibi capitulum ad negotia facienda, & quod responderent cum in loco competenti eis intimaretur.
- 3 Tertio, quod certum est etiam non esse factam legitime intimationem certis, qui non aderant cum Priore, cum ei intimatia facta fuit: quia intimatia, quæ fit alicui ad interendum ei pia iudicium aliquod, si non obediatur contentis in insinuatione, facienda est personæ propriæ, vel procuratori eius ad id sufficiente mandato munito, clem. cautam quæ. de electio. & ipsi nõ erant præsentibus, nec qui erant præsentibus erant procuratores eorum.
- 4 Quarto, quod magis potest dubitari de iplo Priore, & alijs canonicis præsentibus, qui eum comitabantur. Pro parte enim affirmate facit, quod actus consistens circa merum factum, & pertinens ad capitulum, potest expediri

expediri per canonicos singulariter sine capituli congregatione: quæ communis est sententia Innocen. Compost. Ioann. And. Butr. & Imol. quos refert Felin cap. eam te. num. 13. de rescrip. & tandem sequitur eos, dicens, non esse ritum ab ea recedere. & in proposito agitur de actu continente merum factum, scilicet receptionem A. cui iam est questum ius per provisionem Pape.

- 5 Pro parte autem negante faciunt quædam Dominici dicta, quæ ipse ibi citat, & alia fortiora, quæ possunt eî confirmare, si adeo expediret nostro proposito, & sententiæ, in qua sui olim in illo cap. limitandam esse illam communem sententiæ, ut tantum procedat in actu facti, quem canonici possint singulariter sine capitulo facere, ut si iuberentur solvere aliquam summam pecuniæ, ad quam quilibet pro rata esset condemnatus solvere, non autem in actu, qui nequiret fieri vultur ab aliquo, vel aliquibus eorum, nisi maiorem partem capituli constituerent. & in casu proposito, in quo agitur de tradenda possessione sessionis in capitulo, & choro, & iurium ad Archidiaconatum pertineantium, occurrit actus, qui vultur à singularibus canonicis fieri non potest, nisi saltem conveniret maior pars eorum: & quia non constat, quod intimatio fuerit facta nisi Priori, & paucis canonicis, arbitror eos excusatum iri à censuris, saltem si non contradixerunt, quos non constat contradixisse: & ita inutilis videtur labor, qui assumeretur ad molestandos illos paucos. Salua saniore sententia, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Excommunicatio in capitulum simpliciter lata est nulla.
- 2 Excommunicatio lata in capitulum, & singulos culpabiles, culpabiles mortaliter tantum ligat. num. 3. & 4.
- 5 Suspenso capitulo, non censentur suspensi singuli de capitulo, etiã si suspensio sit ab ingressu ecclesiæ & num. vlt.

C O N S I L I V M XXII.

Quidam canonicus cuiusdam ecclesiæ collegiatae, quæ tenebatur solvere duo quindennia propter duo beneficia sibi ab Alexandro VI. vnita ante sex annos, accepit possessionem eius per Apostolicam provisionem, & vix tribus annis mansit in dicta ecclesia, & venit Romam quandam litem prosequiturus, & nūquam sicut hactenus illud debitū, nec cēsuras, sub quibus iubebatur solui ad octo diebus citra, & novit Commissarium Cameræ declarasse canonicos illius ecclesiæ excommunicatos ob cēsuras, sub quibus literæ vnioaum iubebant illa quinden-
nia

nia solui. *Quæritur*, an præfatus canonicus debeat abstinere à diuinis, tanquam excommunicatus, vel suspensus?

Respondeo primo, quod plurimum expediret legere tenorem vnionum, propter quas soluuntur quindennia relata, qui non ostenditur; cum de censuris ei adiectis sit respondendum, & inciuile sit iudicare de lege, nisi ea tota perspecta, l. inciuile. ff. de legibus.

- 1 Secundo, quod si per bullas præfatarum vnionum fuit lata excommunicatio in capitulum simpliciter, & absolute, nihil valuit, & non obligauit capitulum, per cap. romana. §. in vniuersitate, de sent. excomm. lib. 6. immo neque vllum negotiorum gestorem, neque vllum canonicum: quia quidquid ibi glossa dicat, & inter doctores controuertatur, verior conclusio est quod talis excommunicatio est ipso iure nulla propter verbum, penitus, in ipso appositum.
- 2 Tertio, quod si excommunicatio non fuit lata in vniuersum capitulum simpliciter, & absolute, sed cum additione, & in singulos eius canonicos, qui forent culpabiles, id est, quorum culpa omitteretur solutio quindenniorum, iudicandi essent excommunicati illi, quorum culpa fuisset omiſsa: quia, licet excommunicatio non possit in vniuersitatem ferri propter diuersas rationes, quas diuersi in diuersis locis tradunt, & in his Felin. in cap. eã te. de rescrip. potest tamen ferri in singulos vniuersitatis, qui culpabiles forent, per ipsum præfatum §. vniuersitatem, in verbo culpabiles,
- 3 & arg. cap. proposuit, de clerico excomm. ministr. quod in hoc ante omnes citauit Hostien. in summa de contumacia. §. fin. qui fuit discipulus, & Card. ipsiusmet Innoc. III. conditoris præfati cap. romana, & præfati sui §. vniuersitatem. quæ sententia verior nobis videtur, quam contraria, saltem ad consulendum: quanquam disputando illa defendi posset, limitando tamen, vt procedat in illis singularibus canonicis, qui non quali
- 4 li quali culpa, sed mortifera forent culpabiles: quandoquidem nulla excommunicatio maior generaliter lata includit, & ligat aliquem, nisi mortificare peccantem, vt dictum est, cap. nullus, & cap. nemo. 1. q. 3.

Quarto, quod præfata tria dicta necessario consequitur, præfatum dominum consulentem nullatenus esse excommunicatum, siue excommunicatio fuisset lata simpliciter, & absolute solum in capitulum, siue cum additione, & in canonicos, qui forent culpabiles, cum ipse non fuerit culpabilis, præsertim culpa mortifera, quo ad omissionem præfate solutionis, cum nec restiterit illis, nec sciuerit illam fuisse debitam, & probabiliter id potuit ignorare propter ea, quæ in casu narrantur.

- 5 Quinto, quod maius dubium est de suspensione ab ingressu ecclesie, quia illa potest ferri in vniuersitatem, capitula, & conuentum, vt probatur in cap. quia sepe, de elect. lib. 6. & dicimus nos in Man. confess. cap. 27. num. 16 §. autominus tamen idem videtur dicendum de illa: quoniam, vt nos diximus post Caiet. & alios in d. cap. 27. num. 152. non potest illa ferri, nisi

nisi ob culpam eius, in quem fertur, & consequenter suspenso capitulo, nõ censentur suspensi singulares eius, nisi sint culpabiles: at consulens in nulla culpa fuit propter ea, quæ narrantur in casu proposito; ergo neque suspensus. quæ conclusio iusta, æqua, & sancta videtur nobis per supradicta, omiſſis alijs, quæ pro, & contra adduci possent, quæ tamen non vacat adducere.

S V M M A R I V M.

- 1 Collationes beneficiorum factæ à capitulo suspenso, & non declarato, validæ sunt.
- 2 Declaratio legitima requiritur ad incurrendum pœnas ipso iure positas.
- 3 Citatio ante declarationem est parti legitime intimanda.
- 4 Gestæ à capitulo suspenso vt à persona publica valent.

CONSILIUM XXIII.

AN, stante suspensione, Capitulum possit conferre beneficia suæ præbendę in tali Ecclesia?

- 1 Quæstio hæc est nimis generaliter proposita, vt categorica responsio aptetur: sed credo, quod collationes beneficiorum factæ à capitulo non iudicabuntur inualidæ siue nullæ: attento quod requiritur legitima declaratio ad incurrendas pœnas, etiam ipso iure incurſas, iux. gloss. singu. & recep. clem. 1. de censib. quam, & alia plurima citat in hoc Felinus in c. Rodolphus, nu. 41. de rescrip. Attento item, quod citatio debet legitime intimari parti, & quod contra hanc declarationem poterunt allegari aliqua notata in clem. 1. de iudi. & clem. causam §. verum de elect. & adducta per Felin. c. quoniam. §. porro. num. 13. vt lit. non contest. & per eundem in cap. ad probandum. num. 6. de re iud. Attento item, cum sit vniuersitas, & non singularis persona; vna, vel alia de causa excusabitur collatio ab eo facta, eo quod illa fecit vt publica persona, cuius gesta valent, donec toleratur, l. Barbarius. ff. de officio præsid. & cap. ad probandũ. de re iudi. & difficile prætorium celeberrimum Rotæ iudicabit illud capitulum non esse tolerandum propter hanc solam intimationem suspensionis, si eruditissimi causarum Patroni Romanæ curię suscipiant defensionem eius, & illius, cui beneficium fuit collatum. Quare consulo, ne quis facile moueat litem aduersus eum, qui possederit beneficium collatum à prædicto capitulo, fundando se solum super præfata suspensione. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Excommunicatio contra Capitulum, vel Collegium lata, nil addito de singularibus, est nulla.*
- 2 *Excommunicatio lata contra Capitulum, & singulos culpabiles, non extenditur ad culpabiles venialiter.*
- 2 *Excommunicatus non est coram Deo, qui præsumptiue tantum inuenitur culpabilis.*
- 3 *Sepeliri in sacro Canonicus culpabilis potest, si non erat denunciatus.*
- 4 *Communicare cum excommunicato non denunciato licet, siue viuus sit, siue mortuus.*
- 5 *Aliter sentiendum de Capitulo excommunicato denunciato, & de eodem suspenso denunciato.*

CONSILIVM. XXIV.

QVaritur primo, an capitulo, vel collegio aliquo excommunicato, & denunciato pro tali, canonicus, vel collega illius capituli, vel collegij mortuus possit iuste in loco sacro sepeliri.

- 1 Ad quod responderetur primo, quod sic, si excommunicatio fuit absolute lata contra capitulum, vel collegium, nihil addito de singularibus eorū: quia excommunicatio fuit nulla, secundum omnes, per cap. Romana. §. in vniuersitatem, de sententia excomm. lib. 6. iuncta gloss. in verbo penitus. & late probatur ibi per Io. And. Domin. & communem. Secundo, quod
- 2 idem est dicendum, si excommunicatio lata fuisset contra vniuersitatem, & quoslibet singulare eius, qui fuerunt culpabiles in eo, pro quo excommunicatio fertur, & ipse mortuus non inueniatur culpabilis; quia non extenditur ad non culpabiles secundum omnes. Quibus addo primo, quod non extenditur etiam ad culpabiles venialiter tantum: quia nemo incurrit excommunicationem generaliter latam, nisi propter culpam mortalem, cap. nemo, cap. nullus 11. q. 3. & ita excommunicatio lata contra vniuersitatem, & singulares eius culpabiles, debet intelligi de culpabilibus mortaliter. Addo eidem secundo, quod licet inuenirentur culpabiles mortaliter præsumptiue quo ad forum exterius, non tamen includerentur quo ad forum Dei & conscientia sub tali excommunicatione: quia lex fundata super præsumptione non ligat eum, qui vere non facit coram Deo id, quod præsumitur fecisse, arg. cap. humanae aures. 22. q. 1. & cap. is qui, & cap. tua. de spons. cum eis adnotatis; quod est quotidianum & memorabi-

- 3 morabile. Tertio, respondetur, quod præfatus mortuus iuste posset sepeliri, etiam si excommunicatio lata fuisset ita, vt comprehenderet singulares, qui essent mortaliter culpabiles, si non fuit denunciatus talis: quia per dicta nemo hodie prohibetur communicare excommunicato viuo, nec mortuo, si non fuerit denunciatus talis, per extrauag. ad euitanda. rela
- 4 tam à nobis in nostro Man. confess. cap. 27. num. 35. Quarto, quod idem, quod dictum est de Canonico excommunicato sepeliendo, est dicendū de eodem viuo non vitando propter easdem rationes; quamuis ipse vitare seipsum debet à communione aliorum, si excommunicatio lata fuit cōtra capitulum, & singulares eius culpabiles, & ipse fuit mortaliter culpabilis: quoniam extrauag. prædicta licet multum profit communicantibus excommunicato non denunciato, nihil tamen prodest ipsimet excommunicato; & ita licet alij non teneantur eum vitare, ipse tamen tenetur vitare alios, arg. cap. illud. de clerico excommunicato ministr. quia præfata extrauag. id expresse habet. Qua ratione respōdemus, huiusmodi canonicū capituli denunciati excommunicati cum singularibus culpabilibus debuisse abstinere à celebrando, alioquin futuros esse irregulares quo ad forum conscientie, iuxta cap. clerici, & ca. latores, & cap. si celebrat, iuncta gloss. de clerico excomm. ministr.

QVAERITVR SECVNDO de canonico existēte Romæ post denunciationem suspensionis sui capituli ob non solutionem quinquenniorum soluendorum ab eo propter vnionem alicuius beneficij ei vniti.

- 5 AD SECVNDAM respondeo, quod nō videtur idem omnino dicendum quo ad hoc de canonico capituli suspēsi denunciati, quod dictū est in præcedenti quæstione de canonico capituli excommunicati, & denunciati: quia licet excommunicatio lata in capitulum absolute non valeat, per cap. Romana. §. in vniuersitatem. de sententia excommu. suspensio tamen contra illud absolute valet per cap. si sententia excommunicationis, lib. 6. Salua, &c.

S. V M M A R I V M.

- 1 *Francisci primi Gallie Regis dictum celebre.*
- 1 *Edictum, ne bulla Cæne in Gallia publicetur, & reuocandum, & ne iterū fiat, serio cavendum.*
- 2 *Ius dicere sine iurisdictione nemo potest, nullumque ius in ecclesiasticis habet Auditorium regium.*
- 2 *Imperator que religionem tangunt discere, & non docere debet.*
- 3 *Potestas ecclesiastica, & laica à Deo data vt differunt.*

- 4 Reges quo ad ea, quæ ad veram religionem, & animarum salutem spectat, Papæ subditi sunt, nihilque de his statuere possunt.
- 5 Edictum ne bulla Cænæ publicetur, quia super spirituali, iniustum; & quid spirituale.
- 6 Spiritualia sunt omnia sacramentalia, & sacramentis annexa.
- 7 Spiritualia omnia statuta ab ecclesia ad paranda, conficienda, conseruanda, & administranda sacramenta. num. 8. 13. & 14.
- 9 Potestas laica ratione naturali tantum nititur.
- 9 Bulla Cænæ, & omnia contenta in ea spiritualia.
- 10 Ecclesiæ potestas, assistente laica à 1500. annis, omnia spiritualia instituit, destituit, auxit, & minuit.
- 10 Potestas laica nec huius edicti iustitiam probare, nec absque privilegio Sedis Apostolicæ defendere potest facultatem cognoscendi de titulo possidendi spiritualia.
- 21 Rationes quinque, quibus coloratur hoc edictum.
- 12 Potestas laica, licet prius data sit, ecclesiasticam non continet.
- 14 Annexum non est idem cum eo, cui annectitur, nec nil simile idem identitate numerali, seu specifica, sed generica sic.
- 15 Bulla Cænæ fertur in laicos ratione peccati, cuius censura ad Papam pertinet.
- 16 Citatio iure naturæ necessaria; nisi & c.
- 17 Papa in bulla Cænæ non pro se, sed pro bono publico, & ecclesiæ, sententiam fert.
- 17 Papa, sicut Imperator, potest esse iudex in causa propria.

CONSILIVM XXV.

Summum Auditorium Regis Christianissimi edixit, ne bulla Cænæ in Francia publicaretur, statutis pœnis contrarium facientibus. Quæritur quid iuris?

- 1 Viso, & intellecto pro tenuitate mea hoc edicto Auditorij Regis Christianissimi in uocationum tempus instituti, primum demiratus dolui, & fleui, perpendens eius tenorem adeo à christiana erga summum totius Christianæ Ecclesiæ Principem habenda obseruantia, & obedientia alienum. Deinde orauit, quamuis indignus, Iesum Christum totius Ecclesiæ caput vnicum, vt suum Vicarium summum, Ecclesiamque sanctam, cui præest, aduersus portas inferi protegeret, & Angeli, atque Archangeli Regis Christianissimi, eiusque iudicij, præsertim Prætorij Parlamenti præfectorum tutelares eis persuaderent id, quod aliquando legimus Franciscum illum fortissimum, atque gloriosissimum Regum Francorum huius nominis primum dixisse, Regnum Francorum Christianissimum tamdiu posse durare, quamdiu in eo Christianismus catholice, iuxta formam à Pont.

Pont. Max. Ecclesie Sanctæ Romanæ summo præside datam coleretur. Ideoque Lutheranos, & omnes alios hereticos, qui suis heresibus illud inficere conarentur, censendos esse perduelles, & suæ, suique Regni Maiestatis violatores, eo quod in Regno suo machinarentur interitum. Tercio, quod non solum Sanctissimi D. N. sed etiam totius populi Christiani, & maxime Regis, qui nunc regnat, Christianissimi Henrici III. quamplurimum interest prædictam edictum nullius roboris esse iudicari, & ne unquam aliud simile edicatur grauiissime constitui: quod studio quidem tumultuario breuiter, sed efficaciter monstrabitur per hæc quæ sequuntur fundamenta.

2 Primum est, quod iuris naturalis per se noti est, non posse quem iuste sine iurisdictione ius dicere, l. vi. ff. de iurisd. omnium iudicum, cum similibus: & prædictum Auditorium nullam habeat iurisdictionem in Episcopos, & alios Prælatos, & ecclesiasticos, in quos per illud ius dictum est, per illud Ioannis Papæ in cap. nunquam. 96. dist. ibi. *Nunquam de pontificibus, nisi ecclesiam, iudicare debere, non esse humanarum legum de talibus ferre sententiam.* & illud eisdem in cap. si Imperator. eadem dist. *Si Imperator Christianus est, quod pace illius dicimus, filius est, non præsul Ecclesie: quod ad religionem competit discere ei, conuenit non docere.* & illud Nicolai, cap. cum ad verum. ead. *Cum ad verum ventum est, ultra sibi nec Imperator iura Pontificatus accipuit, nec Pontifex nomen Imperatoris: usurpauit: quoniam idem mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus actibus propriis, & dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusque discreuit.* cum alijs textentis, quæ id ipsum probant: at prædictum Auditorium non est maius suo Rege, qui in suo Regno imperator est; ergo non potuit Episcopos, Archiepiscopos, & alios ecclesiasticos in eo contentos iuste iudicare.

3 Secundum fundamentum sit, quod efficaci ratione probatur id, quod prædicti Summi Pontifices, & alij multi dixerunt, præsupponendo ea, quæ post longam de hac re disputationem efficaciter concludimus in repetitione, cap. nouit. de iud. notab. 3. præsertim num. 81. & 85. nempe quod potestas laica fuit immediate data à Deo mortalium communitati iam inde ab exordio eius ad sese gubernandum in rebus naturalibus, vt bene beateque viuat secundum naturalem rationem; potestas autem ecclesiastica est potestas instituta à Christo immediate, & supernaturaliter ad gubernandum fideles secundum legem Euangelicam in supernaturalibus, & quatenus ad id est opus, etiam in naturalibus: & quod hæc quæ potestates à se mutuo differunt penes causam materialem, formalem, finalem, & etiam quodammodo efficientem: Penes efficientem quidem non, quia potestas laica data fuit humano generi à Deo puro nondum homine facto ab exordio mundi, potestas vero ecclesiastica à Deo facto homine: penes autem materialem, quia laica data est ad gubernandum naturalia, ecclesiastica vero directo ad gubernandum supernaturalia: penes autem

finalem, quia ecclesiastica finis est status supernaturalis in hoc saeculo per gratiam, in altero per gloriam: finis autem laicae naturalis vita, nempe bona, seu virtuosa, quam faciunt virtutes morales secundum naturalem rationem, etiam sine gratia gratum faciente quæribiles: penes formalem, quia ecclesiastica principaliter dirigit secundum legem supernaturalem in sacris literis contentam, laica vero secundum legem, & rationem naturalem, & leges per eam conditas. Præsupponendo, quod ubi supra efficaciter probamus ex his colligi, quod omnes Reges nostri seculi, qua parte sunt solum tales, habent eandem, & non maiorem, nec minorem potestatem, & iurisdictionem, quam habuerunt Reges prædecessores eorum, qui etiam ante Christum passum regnarunt: quia potestas, sine iurisdictione laica ad humani generis gubernationem necessaria naturaliter æqualis fuit data populis ab eorum exordio, & per eos translata, aut certe in usum concessa Regibus, & Principibus, qui genus humanum gubernarent, & regerent circa res naturales, ad bene, seu virtuose viuendum per virtutes morales etiam per solam rectam rationem naturalem quæribiles: & quod ex his sequitur, quod cum Reges, qui ante passum Christum fuerunt, non habuerunt ecclesiasticam iurisdictionem, quam nunc habent Papa, & Ecclesia, quia illa (vt supra dictum est) à passio Christo cepit, neque Reges, qui modo sunt, habent illam. & coniequenter concluditur necessario, fremat licet Lutherani, verum esse id, quod Ioannes, & Nicolaus Pontifices Max. supra relati, & alij sexcenti Pontifices, & Doctores orthodoxi dixerunt, nempe Reges subesse Pontif. Max. quo ad ea, quæ attinent ad veram religionem, & suorum, suorumque subditorum animarum salutem, nec quicquam posse absque ipsorum priuilegio iudicare, neque statuere de illis: esto quod eorum regia potestas sit antiquior pontificia. Tum quia lex Mosaica fuit antiquior Christiana, sed hæc dignior illa. Tum quia antiquitas tum demum adijcit dignitatem, quando cetera sunt paria; qualia non sunt inter potestatem ecclesiasticam caelestia tractantem, & regiam tantum terrena respicientem.

5 Tertium fundamentum sit, quod prædictum edictum non solum est iniustum ea ratione, quod per illud est dictum ius in personas, in quas qui decreuerunt illud, non habebant iurisdictionem; sed etiam illa, quod decreuerunt super rebus à iurisdictione laica omnino exemptis. Quod monstratur præsupponendo primo, quod circa rerum spiritualium definitionem, de quibus loquimur, errauerunt multi catholici, eam nimium ampliando, & multi heretici, eam nimium angustando: quod prouenit ex eo, quod, vt quidam recentiores aiunt in 4 lib. senten. dist. 25. non est facile definire quid sit spirituale in hac materia: cuius dicti rationem licet ipsi non reddiderint, nos tamen pridem reddidimus in rub. de iudic. num. 23. & in Manua. confess. cap. 23. nu. 99. nempe quod spirituale, siue spirituale dicitur omne, quod pertinet ad spiritum: spiritus autem dicitur

dicitur proprie halitus, iuxta illud Iob 17. *Spiritus meus attenuabitur*: & per translationem, methonymiam, vel metaphoram, nunc anima, Ioan. 19. *Tradidit spiritum*: nunc ventus, Act. 1. *Tamquam aduenientis spiritus vehementis*: nunc omne incorporeum, iuxta illud Ioan. 4. *Spiritus est Deus*: nunc alia, ut ait D. Thomas 1. par. q. 41. art. 8. ad 4. necesse est, ut spirituale quoque multipliciter dicatur. & ita hæretici appellarunt spiritualia sola illa dona supernaturalia supernaturaliter data generi humano à Deo Opt. Max. ad suam salutem æternam, quæ Spiritui sancto attribuitur; quamvis æque à Patre & Filio darentur, cum omnia opera Trinitatis ab extra sint indiuisa. Panor. autem, Cardin. & multi alij nostri appellauerunt spiritualia omnia ad spiritum, quatenus sonat animam, pertinentia, & consequenter omnem sapientiam, scientiam, doctrinam, & id genus alia. Quorum vtraque via, quæ profecto inuia est, relicta, sequuntur viam regiam sacre scripturæ, sacrorumque canonum, & doctorum, præsertim S. Thomæ in 4. dist. 75. clarius alijs definiuimus, spirituale esse, ut huc pertinet, donum supernaturale à Deo immediate datum ad animarum salutem, vel institutum supernaturaliter ab eodem ad eam efficiendam, vel ab Ecclesia, potestate supernaturali sibi data ad conficiendum, vel conseruandum illud, quod dicitur annexum ei. Quæ satis colliguntur ex cap. gratia, & cap. qui studet. 1. q. 1. & cap. quam pro. 1. q. 2. & ex doctor. præsertim Durando in 4. dist. 25. q. 1. & S. Tho. 2. 2. q. 100. art. 1. 2. & 3. & Ioan. And. & Panor. in cap. consulere. de simon. Dixi, donum supernaturale: ad includendum spiritualia per essentiam, & excludendum dona naturalia. Dixi, ad salutem animarum: ad excludenda insignia seu arma, dotes, & victorias regibus & principibus aliquot, vel alijs in alium finem, quam salutem animarum, supernaturaliter concessa. Dixi, vel aliquid institutum supernaturaliter ab eodem ad eam efficiendam: ad includendum spirituale per causam; qualia sunt sacramenta, quæ ipse solus instituit, & sola efficiunt instrumentaliter gratiã, ut diximus, & probauimus in d. Manua. cap. 22. nu. 1. & 2. Dixi, vel ab Ecclesia, potestate supernaturali sibi data: ad includenda spiritualia, quæ quidam appellant spiritualia statuta, ut Ioan. And. & Panor. in d. cap. consulere. & communiter appellantur spiritualibus annexa, non quidem eo quod non sint spiritualia, sed quia non sunt tam spiritualia, quam instituta, & data supernaturaliter, & immediate ab ipso met Deo: & quod sunt instituta ob illa paranda, conficienda, conseruanda, & ministranda per potestatem supernaturalem supernaturaliter Ecclesie traditam, ut vbi supra declaramus. Nec recte infertur hæc non esse spiritualia, eo quod dicantur eis annexa, ut infra monstrabitur.

7 Præsupponendo secundo, esse consequens prædictis, quod sunt spiritualia omnia sacramentalia, & alia sacramentis annexa ab Ecclesia per prædictam potestatem supernaturalem supernaturaliter sibi collatam ad

paranda, conficienda, conferuanda, & administranda sacramenta, nempe consecratio, & benedictio ecclesie, vel altaris, vasorum, ornamentorum, aquæ baptismalis, vel benedictæ, exorcismus, catechismus, excommunicatio, suspensio, & interdictum, ius patronatus, beneficia, & eorum electiones, collationes, præsentationes, renunciationes, & id genus alia: & consequenter quædam esse spiritualia à solo Deo immediate creata, vel instituta, vt sunt gratia gratum faciens, septem dona Spiritus sancti, virtutes infusæ, & gratiæ, quas gratis datas appellant, & iurisdictio ecclesiastica supernaturaliter primum à Christo data, vt diximus in d. cap. nouit, de iudic. notab. 3. alia vero ab Ecclesia instituta, qualia sunt reliqua prædicta.

- 8 Præsupponendo tertio, quod prædicta omnia sacramentalia, & quæcunque sunt statuta ab Ecclesia ad paranda, conficienda, conferuanda, & administranda sacramenta, per quæ virtus passionis Christi ad salutem æternam nobis communicatur, sunt & dici debent spiritualia. Tum quia, vt habetur Ioan. 9. *Quod natum est ex spiritu, spiritus est*: & hæc omnia nata sunt, & effecta ab Ecclesia spiritualissima, & à summo ministro eius spiritualissimo per potestatem spiritualissimam, & supernaturaliter datam. Tum quia de annexis idem est iudicium iuxta illud Pauli ad Heb. 7. *Translato sacerdotio, necesse est, vt translatio legis fiat*, relatum in cap. translato. de constitu. & alia sexcenta, quæ probant accessorium sequi naturam sui principalis. Tum quia omnia iura vel sunt spiritualia summæ potestati spirituali subdita, vel laica, siue temporalia, summæ potestati laicæ subiecta: & non potest dici illa esse laica & temporalia; ergo dicendum est esse spiritualia, arg. à disiunctiua duarum partium ad alteram altera negata. cap. si enim. de pœnitent. dist. 2. Tum quia omnia iura, quæ subiiciuntur potestati summæ laicæ, possunt per eam constitui & destrui, arg. cap. 1. de reg. iuris. At prædicta sacramentalia, & ad sacramenta pertinentia non possunt constitui, nec destrui per potestatem laicam, vt omnes catholici fatentur; ergo non subiiciuntur ei, nec sunt laica; & consequenter sunt spiritualia. Tum quia nullus vnquam catholicus dixit, nec somniauit, vllum regem, qua parte solum est rex temporarius, & laicus, posse ordines conferre, excommunicare, ecclesias, & altaria consecrare, aquam benedicere, catechizare, exorcizare: & non alia ratione, quam quia sunt instituta per potestatem supernaturaliter B. Petro, & Ecclesie datam; ergo nec potuit instituere, destituere, nec disponere beneficia ecclesiastica, nec electiones, collationes, nec renunciationes eorum, neque alia ab Ecclesia per eandem potestatem supernaturalem instituta, arg. l. illud. ff. ad l. aquil. Tum quia Regia potestas, vt dictum est, non extenditur vltra ea, quæ cognitio, & ratio naturalis attingit, & dictat. At nulla cognitio, & ratio naturalis, etiam tanta, quanta fuit Platoni, & Aristoteli, potuit, nec potest cogno-
- icere

scere potestatem illam mirabilem supernaturalem, & omnem rationem naturalem excedentem datam ab omnipotenti Deo, eodemque summo Redemptore Iesu Christo B. Petro, & Ecclesiae ad salutem aeternam populi Christiani, neque officia, & effecta illius potestatis; ergo neque reges, quatenus solum sunt tales, neque eorum potestas, quae rationem naturaliter non excedit, potest illa constituere, nec destruere, nec de illis iuridice cognoscere, nec iudicare, nec statuere. Tum quia simonia tantum committitur circa venditionem & emptionem spiritualium, iuxta glos. recep. r. q. r. in summa. At in emptione & venditione omnium praedictorum committitur simonia, secundum omnes, & probatur in cap. de iure. de iurepat. & per totum titulum de simonia. ergo omnia praedicta sunt spiritualia. Nec obstat, quod simonia committitur etiam in annexis spiritualibus: quia infra monstrabitur. Non dixi ea spiritualibus annexa, eo quod non sunt spiritualia, sed quia non sunt tam spiritualia, quam alia, ob quae sunt instituta. Tum denique, quod laica potestas non potest cognoscere, neque iudicare de iurepatro. cap. quanto. de iudic. nec eadem ratione de alijs praedictis, nec alia de causa, quam spiritualitatis. ergo sunt spiritualia a laica iurisdictione exempta.

Tertium igitur fundamentum in praedictis tribus praesuppositis fundatum insolubiliter concludit praedictum edictum iniustum & nullius roboris esse hoc modo: Nulla potestas laica potest iudicare, vel statuere super vlla spiritualia; at praedicta bulla aeternae Domini, & omnia contenta in ea sunt spiritualia; ergo praedictum Auditorium, quod solum laicam potestatem habuit, non potuit praedictum edictum contra ea edere. Quod autem praedicta bulla, & omnia contenta in ea sint spiritualia primi, vel secundi generis, infra in solutione argumentorum pro edicto formandorum monstrabitur.

10 Quartum fundamentum sit; a mille circiter quingentis annis sola ecclesiastica potestas haec instituit, & destituit, construxit, & destruxit, auxit, diminuit, & mutavit, nulla laica, & catholica potestate reclamante, immo consentiente, assistente, & ut iustum erat, protegente illam, & favente; ergo ad eandem pertinet etiam nunc ea facere, nisi quis adeo desipiens responderet, possessionem, quae tot nominibus est immemorabilis, non debere prodesse summo Pontifici, & Principi; cum quaelibet simplex immemoralis cuius infamati profit, iuxta l. hoc iure. §. ductus aqua. ff. de aqua quoti. & aeti. & cap. super quibusdam. §. praeterea. de verb. signifi. Tum quia, quicquid voluant, reuoluant, & inuoluant aliquot iurisperiti latine & graece callentissimi, & in humanis literis praesertim ethnicis versatissimi, qui forsitan huiusmodi edicta procurant, plus intenti laicae potentiae armis, quam pie obedientiae mentis, non solum non probabunt iustitiam talium edictorum, sed nec satis defendere poterunt, quod absque privilegio sacro sanctae Sedis Apostolicae possit vlla potestas laica.

laica cognoscere, & iudicare de iure, & iustitia colorandi titulos posside. di prædicta spiritualia, cum illa, & iustitia colorandi eos sint eis annexa, & ita spiritualia, de quibus laica potestas absque Sedis Apostolicæ privilegio nec iudicare, nec cognoscere potest. Quare prædicti Auditorij potius erat gratias Sacrosanctæ Sedi Apostolicæ agere, quod patitur Regiam Francicam vti possessione privilegiorum Sedis Apostolicæ, quæ illa ei concessit, quam expellere à possessione ferendi prædictam bullam tam iure diuino, quam humano fundata, & vsu longissimo confirmata.

- 11 Quintum fundamentum sit, quod ratione, quibus prædictum edictum colorari potest, facile tolluntur: maxima enim illarum, & prima videtur esse, quod sicut summa potestas ecclesiastica immediate à Deo Ecclesiæ est data, & Pontificibus Maximis, ita summa potestas laica est data immediate Regibus ab eodem Deo optimo maximo, & longe prius, & antiquius, quam ecclesiastica Papæ; quoniam hæc, ut supra dictum est, multis & insolubilibus argumentis probatur in prædicta repetitione cap. nouit. notab. 3. de iudi. data fuisse à Deo Christo homine facto; illa vero iam inde ab exordio populorum cœpit.

Secunda, quæ quadamtenus lutheranismum sapit, quod contenta in prædicta bulla non sunt circa supernaturalia diuinitus, & supernaturaliter à Deo optimo maximo data, neque instituta, & consequenter nec spiritualia, quo ad quæ solum laici, præsertim Reges Pontifici maximo subiiciuntur.

Tertia, quod contenta in prædicta bulla, contra cuius executionem prædictum edictum est latum, feruntur in laicos regni quo ad temporalia Papæ minime subiectos.

Quarta, quod continet processum factum, non præmissa partium citatione, quæ est pars defensionis, quam iure naturali deberi declarat clem. pastoralis. §. cæterum. de re iudic.

Quinta, quod Sanct. D. N. videtur in ea in propria causa ius dicere contra legem naturalem, quæ id videtur vetare, l. 1. C. nequis in sua causa iudicet.

- 12 Ad quas rationes per dicta fundamenta facile responderi potest. Ad primam quidem concedendo summam potestatem laicam siue regiam datam esse generi humano regendo longe prius, quam summa potestas ecclesiastica Ecclesiæ Christianæ; sed negando ex hoc inferri, quod eam habebant Reges, immo contrarium, scilicet quod alia est potestas Regum laica, alia potestas pontificia spiritualis; & consequenter ex facultate vtendi illa non inferri facultatem vtendi hac, cum à diuersis non fiat illatio, l. Papinianus. ff. de minorib.

- 13 Ad secundam respondeo, negando solum illa dici, & esse spiritualia, quæ à solo Deo immediate induntur, vel instituntur, ut late probatum est in 3. fundamento pro nostra parte adducto, quo irrefragabiliter probatur omnia sacramentalia, & instituta ad sacramenta paranda, con-

ficienter

ficienda, conseruanda, & administranda, esse spiritualia, & spiritualibus annexa: de quibus idem est dicendum, quod de maxime spiritualibus, id est, à solo Deo inditis & collatis: quod quia non satis perpédunt aliqui hæretici, grauissime circa Ecclesiæ potestatem, & maiestatem errauerunt, nec unquam resipient, donec hanc, quæ verissima, & de sacris Christi fontibus hastua est, doctrinam receperint. Nec obstat, quod nullum annexum est idem cum eo, cui annexū est, sicut nihil simile est idē, l. quod

14. Nerva. iuncta glossa. ff. de positi. quia, vt pridem diximus in d. rubrica, illud verū est de identitate numerali, & indiuidua, vt Theologi loquuntur, siue specifica, sed non de identitate generica, vt Iurisperiti dicunt, nec specifica specie specialissima, vt Theologi, quam Iurisperiti genus appellant. nam Petrus potest esse similis Ioanni, & est idem genere, siue specie specialissima, quia est homo; licet non sit idem numero, & indiuiduo. & virtutes infusæ à Deo sunt similes in genere donis Spiritus Sancti, & sunt spiritualia à Deo immediate collata, sicut illa; non tamē sunt eadē numero, & indiuiduo secundum doctrinam S. Thomæ 1.2. q. 68. art. 1. ab omnibus catholicis recep. & ita omnia instituta ab Ecclesia per potestatem supernaturalē à Deo sibi supernaturaliter, & immediate traditā, sunt spiritualia, & in genere eadem his, quæ sunt spiritualia, propter quæ sunt instituta, & quibus connectuntur; licet non sint eadem numero, nec sint tam spiritualia, quam illa, quibus annectuntur: quia illa sunt data, vel instituta immediate à solo Deo, hæc autem ab Ecclesia per potestatem supernaturalem ab eodem immediate illi traditam.

15 Ad tertiam respondeo cōcedendo, nec Regem Franciæ, nec subditos eius esse quo ad temporalia subditos Papæ, negando tamen, quod non sint subiecti quo ad contenta in predicta bulla, cuius executio impeditur: quoniam omnes Christiani, cuiuscunque ordinis sint, subiiciuntur potestati & iurisdictioni Pontificis Max. cap. nouit. de iudic. in cuius nota. 6. ponderamus illud ad hoc, primo ibi, *Intendimus decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus, & debemus.* secundo ibi, *nullus, qui sit sane mentis, ignorat, quin ad officium nostrum spectet de quocunque peccato mortali corripere quēlibet Christianum, & si correptionē contempserit, per distinctionem ecclesiasticā coercere.* Per quæ palam fit posse Papam corripere de peccato mortali quoscunque Christianos, etiam Reges, de quibus illud cap. agit, & si nō se correxerint, censura ecclesiastica ad id cogere. At omnia contenta in predicta bulla sunt edicta ad vitanda, impedienda, & corrigēda peccata mortalia grauissima per fulminationem excommunicationis, quæ est medicinalis, cap. 1. de senten. excom. lib. 6. qua tanquam pius pater intendit conseruare salutem subditorum, & perditam restaurare; ergo quo ad illa subditi sunt ei laici, etiam non sint subditi quo ad temporalia.

16 Ad quartam respondeo concedendo citationem partis regularit et

in processu esse necessarium; fallere tamen, quando certum est nullam competere defensionem citando, vel cum certum est talem esse actum, quem non posset impedire citandus, si præsens esset, ut latissime per innumerata probat Felin. post Panor. in cap. cum olim. nu. 11. de sentent. & re iudic. & cap. causam quæ. de rescript. pro quibus omnibus facit, licet ipse non alleget, quod frustra expectatur euentus, cuius nullus sequitur effectus, cap. cum contingat. de offic. deleg. & omnia contenta in prædicta bulla sunt talia, contra quæ nulli vlla defensio competit; & talia, quæ nemo iure posset impedire, etiam si inueniretur præsens. fallit etiam in sententijs excommunicationis, quæ generaliter feruntur pro culpis futuris impediendis, & præteritis emendandis, vel occultis indicandis, vel alia de causa rationabili contra eos qui ignorantur, cap. 2. de constitu. lib. 6. vbi Ioan. Monach. id annotat, allegando stylum curiæ, & cap. ad nostram, il 3. de iureiuran. & cap. si sacerdos. de offic. ordin. & vtrique Panor. & communis. & omnes sententiæ contentæ in bulla generaliter feruntur in eos, qui ignorantur, ad impediendas futuras culpas, vel emendandas præteritas. ego sine vlla citatione poterunt illa edici.

- 17 Ad quintam respondeo primo, negando quod Sanctissimus D.N. in prædicta bulla tulerit sententias pro se: quia immo eas tulit pro salute animarum, pro Republica Christiana, pro libertate ecclesiastica, & pro conseruatione auctoritatis Apostolicæ, & vnitatis à Deo sibi cõmendatæ, quæ sunt bona Sedis Apostolicæ; & ita de illis potest iudicare, sicut episcopus de causa ecclesiæ suæ, iuxta gloss. iuncto textu in cap. si erga. 2. q. 7. & gloss. iuncto textu. in cap. cum venissent. de iudic. Secundo, quod Papa potest esse iudex in causa propria, secundum prædictas glossas recep. sicut Imperator in causa sui filii, l. proxime. ff. de his quæ in testam. delent. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Excommunicato expedit, fidem absolutionis obtenta in foro conscientia habere, & quomodo illam possit habere.

CONSILIVM XXVI.

AN absoluto ab excommunicatione, vel ab irregularitate quo ad forum conscientia tantum, expediat habere literas eiusmodi absolutionis, & quales possit habere sine violatione secreti?

- 1 Respondeo, expedire multum ad euandam pœnam, quæ posset ei imponi in exteriori foro propter contemptum excommunicationis, velle legis; posse autem sibi parare curando, ut confessarius, qui virtute literarum Pœnitentiariæ in foro tantum conscientia absoluit, coram notario, & testibus;

stibus tradat absolutam schedulam clausam, & signatam, dicendo, quod ipse absoluit illum confessum eo modo, & de eo, quod continetur in ea; notarius autem in dorso eius scribat, quod tali anno, mense, & die rogatus fuit coram talibus testibus à tali confessario, & absoluto, vt eiusdem rei fidem faceret, & poneret ibi suum signum publicum eo modo, quo in testamento in scriptis facto iure fieri debet, & fieri consuevit: quod longe cautius videtur, quam id, quod scio consultum fuisse à viro quodam per docto, videlicet, vt notarius duceretur ad confessarium, qui coram eo, & testibus absolueret: quia id cum periculo publicandi secreta fieret: cautius item, quam id, nempe quod confessarius faciat fidem per suam schedulam tantum: quoniam, licet vtrumque sustentari posset id sufficere, per cap. testimonium, iuncta gloss. de testib. quia tamen opponi posset, vel subscriptionē ipsius nō esse illius confessarij, maxime si esset mortuus, vel quod illa non fuit data quo tempore in ea dicitur, ideo securius videtur esse quod diximus. Salua. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Confessarius monere tenetur beneficiarum excommunicatum occulte, quod restituat distributiones.*
- 2 *Fructus ex beneficio in excommunicatione occulta perceptos beneficiarius absolutus restituere non tenetur,*

C O N S I L I V M XXVII.

- A**D quæstionem, quod scilicet confessarius debet monere beneficiarium excommunicatum occulte, qui ob excommunicationem non quæsiuit sibi distributiones quotidianas, vt restituat eas eis, quibus accreuerunt. Tum quia certum est, eas acquiri alijs interestedibus, dū ipsi excommunicati negligunt petere absolutionem, vt Cardin. & Decius determinant in cap. pastoralis. §. verum. de appella. super glossa, quæ ibi determinat beneficiarium excommunicatum non quætere sibi etiā alios fructus beneficij. Tum quia confessarius debet admonere confitentem ea, quæ sunt necessaria ad remissionem peccati sibi confessi, arg. cap. penul. §. sacerdos de pœnitent. dist. 6. & eorum, quæ ibi alias scripta sunt: & obligatio restituendi, quam scire debet pœnitens, est de his, quæ sunt ad salutem ei necessaria, vt palam est.
- 2 Quod autem excommunicatus satis iuste possit retinere fructus alios à distributionibus quotidianis sui beneficii receptos tempore excommunicationis, postquam fuerit absolutus ab ea, satis patet, arg. eorum, quæ præ omnibus alijs adducuntur à nobis in cap. non liceat Papæ. 2. q. 2. §.

10. num. 12. tractando intellectum cap. quia sepe. de elec. lib. 6. & ca. presententi, de officio ordi. eodem lib. & cap. cum vos. eod. tit.

S V M M A R I V M.

- 1 Licentia suscipiendi ordines per subsecutam excommunicationem non cessat.
- 2 Licentia excommunicato ab ordinario concessa, valida est. num. 2. cum seq.
- 5 Surrepto vitiat gratiam concessam à Papa, non vero ab ordinario.
- 6 Rescripti appellatione regulariter venit rescriptum à Principe concessum.
- 7 Rescripta principum etiam quo ad alios faciunt ius, secus inferiorum.
- 9 Intellectus c. 1. de rescrip. in 6. num. 2. vsque ad 9.
- 10 Interdictus ab officio, suspensus, & excommunicatus, minores ordines exercendo, an sit irregularis. num. 10. cum seq.
- 13 Pœna posita in assumente, seu vrente ordine sacro, non semper ad minores ordines assumentem extenditur. num. 12. cum seq.
- 14 Ordines minores sacramentalia, & non sacramenta sunt.
- 15 Minores ordines ante aetatem assumentes non sunt suspensi. num. 15. & 17.
- 16 Excommunicatus ingerens se diuinis est irregularis, sed non oïbus diuinis.
- 16 Excommunicatus minores ordines suscipiens non efficitur irregularis. num. 2. & vsque ad 16.
- 18 Collatio beneficij à Papa facta ei, qui in excommunicatione primam tonsuram accepit, valida est.
- 19 Confessarius à censuris extra confessionis Sacramentum absolueri non valet.
- 20 Absolutio ad cautelam à vicario Urbis facta ei, qui domicilium non habet, valida.
- 21 Clausula, Teque absoluentes ad effectũ, & c. tollit tantum impedimenta ex censuris ecclesiasticis proueniencia.

C O N S I L I V M XXVIII.

N Dum Romæ moraretur, nec tamen domicilium ibidem constituit, sed, innodatus censura ob clerici percussorem in patria contracta, à suo ordinario obtinuit licentiam, primam tonsuram, & ordines à quocunque antistite recipiendi, sicque innodatus Romæ primam accepit tonsuram, & à Pontifice beneficium obtinuit cum clausula, Teque absoluentes. Postea in patria ingressus confraternitatem Sanctissimi nominis Iesu,

Iesu, cuius privilegij confratres possunt à confessionijs certis diebus absolvi ab omnibus censuris, fuit à quodam Sacerdote, cui confessus est sollemni to dictam percussione, absolutus à dicta censura, & Romam rediens ab Episcopo ad id à Cardinali Sabello deputato accepit minores ordines, in quibus assumēdis hoc accidit, videlicet, quia ordinandi prius fuerunt moniti, ne excommunicati accederent ad illorum assumptionē. Postea vero idem Episcopus ordinans ad cautelam de more absoluit omnes ordināto, ab omni vinculo excommunicationis. Dictus vero N. hac audiens, credens se adhuc excommunicatum, ex quo inclinabat dictam absolutionem ei non prodetse, libenter recessisset, sed verecundia ductus persistit in suo loco, & ordines minores accepit, & demum aliud beneficium à Pontifice obtinuit cum dicta clausula, Absolventes, &c.

Dubatur primo, an dicta excommunicatio vitiet dictam licentiam obtentam ab Episcopo, vt possit à quocunque ordinari, & tonsuram accipere.

Dubatur secundo, an excommunicatus accipiens primam tonsuram contrahat aliquam irregularitatem, vel saltem aliquam inhabilitatem ad obtinenda beneficia, quæ ei obstat etiam post obtentam absolutionem à dicta excommunicatione.

Tertio, an impetratio à Pontifice de primo beneficio, vt præmittitur, obtenta, sit valida.

Quarto, an dicta absolutio obtenta virtute privilegiorum dictæ confraternitatis sit valida, ex quo licet bona fide, & sciente ipso confessario, integrum non fecit confessionem.

Quinto, an dictus Episcopus pro Cardinali Sabello hic Romæ ordines conferens valide absoluerit ipsum N. qui licet Romæ commoraretur, tamen domicilium ibi non contraxerat, à dicta excommunicatione, maxime cum dicta absolutio non fuerit in sacramentali pœnitentiæ foro facta, sed extra Sacramentum.

Sexto, an d. N. accipiendo minores ordines in excommunicatione excusetur ab irregularitate, ex eo quod, quando accessit ad accipiendos minores ordines, nullam fecit reflexionem super dicta excommunicatione, nisi postquam ante ordinantem cum cæteris ordinandis constitutus, fuit, vt præmittitur, monitus.

Septimo, an dicta clausula Pontificis, *Teque absolventes, &c.* licet non remoueat impedimentum procedentem ab irregularitate, remouet tamen aliud impedimentum procedentem ex eo, quod quis male ordinatus reperitur.

AD PRIMAM QVAESTIONEM respondeo primo, quod licentia assumendi ordines à quocunque voluerit, ab Episcopo concessa ante excommunicationem, non perimitur, nec perit per solam excommunicationem superuenientem ipso iure. Tum per ca. pia. de exceptio. lib. 6.

& per

- & per glossam eius, & per glossam cap. 1. de rescrip. lib. 6. Tum quod nulla pœna ipso iure incurritur, nisi aliquo iure id statuatur, iuxta glossã solennem, & receptam in cap. fin. de iure patronatus. pro qua est aptus textus in cap. consuluisti. 2. q. 4. vel 5. Cui consequens est, eum posse, ab-
 solutione ab excommunicatione obenta, uti licentia præfata Episcopi, licet non posset antea iuste id facere: quia, quamvis licentia præfata non pereat per excommunicationem, amen vsus eius impeditur, sicut & vsus alius cuiusque communicationis, cap. cū excommunicato. 11. q. 3. cū simil.
- 2 Secundo, quod non memini vllam quæstionem fuisse mihi propositam tota ætate mea, neque quo ad scholas, neque quo ad palatia, quæ præsupponeret quæstionem illam à paucis vel nullis tractatam, an prædictū cap. 1. de rescript. lib. 6. habeat locum in rescriptis & gratijs ab Episcopis, & alijs ordinarijs concessis: à qua pendet decisio huius quæstionis. Si. n. cap. illud non habet locum in eis, respondendum esset idem, quod responsum est de concessione præueniente excommunicationem superuenientem. Si autem dixerimus illud cap. 1. habere locum in gratijs ordinariorum, sicut habet in gratijs Pontificum, & Imperatorum, videri potest respondendum affirmatiue, scilicet præfatam licentiam impetratam per excommunicatum ab Episcopo, tempore quo erat excommunicatus, non valuisse ipso iure. Pro qua parte primo faciunt verba ipsius cap. quæ generaliter disponunt de rescriptis, nulla distinctione facta inter rescripta Principum, & inferiorum: & verbum rescriptum videtur genus ad vtrumque, ut sentit Felin. in rubr. de rescrip. quatenus distinguit rescripta inferiorum à rescriptis Principum. Facit etiam glossa eiusd. c. 1. de rescrip. lib. 6. in verbo processus. quatenus ait, processum excommunicati coram ordinario valere, & coram delegato ab eo non valere, seu legatum impetratum per excommunicatum ab ordinario ipso iure non
 4 valere. In contrariam autem partem inclino, scilicet, prædictum ca. 1. nunquam habuisse locum in rescriptis ordinariorum, vel certe desisset habere locum in illis per desuetudinem. Tum per clem. 2. de offi. ordin. quatenus habet, impetrationem beneficij factam à Papa, vel legato eius, sine
 5 mentione beneficij prius obtenti, esse subreptitiam, & ipso iure nullam, non autem collationem ab ordinario factam. Tum quia non videtur eadem ratio de impetratione rescripti à Papa facta, & de impetratione facta ab ordinario: quia facilius subripitur Papæ, & principi plurimis intentis, quam ordinario paucioribus occupato, arg. cap. quod dicitis. 16. dist. & cap. quosdam, de præsumptio. Cardinalis in clem. 2. de offic. ordin. q. 17. Tum quia nec Ioannes Monachus, neque alij commentantes illud ca. 1. de rescrip. lib. 6. faciunt mentionem vllam de nullitate gratiæ, vel rescripti impetrati ab ordinario propter excommunicationem. Tum quia de stylo Curie inferitur literis Apostolicis clautula illa, per quam absoluitur impetrans ab omnibus censuris ad effectum præsentium assequendū,
 per

per quam tollitur is effectus excommunicationis; & adeo quidem, quod si non ponatur illa clausula, est subintelligenda, aut certe reformari possunt literæ cum illa inserta, vt tradit Petrus Rebuffus in praxi benef. 1. parte, de declarat. bullæ nouæ prouisionis, §. teque absoluentes. Tum quod appellatione verbi rescripti generaliter in iure prolati solum Apostolicum, imperiale, siue regium includitur, vt colligere est ex tit. de rescript. tam decretalium, quam Sexti, & Clement. & ex l. rescripta, & l. quouies, & l. vlt. C. de precib. imp. offer. & l. fin. C. si contra ius, vel vtil. pub. cum alijs multis eorumdem titulorū, & aliorum multorum, præsertim cap. nec damnosa, & cap. rescripta. 2. §. q. 2. Tum quia rescripta Principum faciunt ius, etiam quo ad alios, quam nominatos in rescriptis pro similibus casibus, non autem rescripta inferiorum, vt post Ioan. And. tradit Felin. in rub. de rescrip. num. 1. Tum quia saltem quo ad forum conscientie defendi potest prædictum cap. fin. non obstare. Tum per prædicta. Tum quia est pœnale; & lex pœnalis, etiam si ipso iure inducat pœnam, non tamen regulariter ligat quo ad forū conscientie, vt sæpe diximus, præsertim in Man. confels. cap. 2. §. num. 66. secuti glossam solennem in cap. fraternitas. 1. 2. q. 2. & Sanct. Thom. 2. 2. q. 62. art. 3. & alios recentiores, quos ibidem citamus. Tum denique, quod Archid. in cap. 1. tenet valde serio, quod illud cap. non comprehendit excommunicatum occultum, sed solum publicum: quamuis contrarium ibidem teneat communis. Sed grandis eius auctoritas super lib. 6. adiunctis prædictis rationibus, multum me mouet in contrariam partem; præsertim quod prædictis addi potest id, quod addimus in Manu. confels. cap. 2. §. num. 59. & seq. posse vnā legem obligare quo ad vnā suam partem, & non quo ad aliam: eo quod sit recepta quo ad vnā, & non quo ad alteram; & quod prædictum cap. 1. etiam si à principio inclusisset rescripta, & gratias inferiorum, postea tamen desinit includere rescripta, & gratias inferiorum, de quibus nulli fere auctores meminerunt in illo cap. neque in alijs: & consequenter quod illud canon annihilat nunc gratias inferiorum, saltem quo ad forum conscientie, & quo ad pœnæ executionem, saltem si excommunicatio est occulta.

10 AD SECVNDAM respondetur, quod pro parte illius affirmante, scilicet, quod excommunicatus suscipiens ordines minores fiat irregularis, facit, quod suspensus, & interdictus simpliciter ab officio, non solum celebrando missam, sed etiam vtendo alijs minoribus ordinibus quo ad actus eis proprie deputatos, incurrit irregularitatem, vt notat Panor. per illum textum in cap. 2. de cler. excomm. minist. num. 7. & latius in cap. fin. de excess. prælat. num. 5. & Archid. in cap. si quis presbyter. 1. 1. q. 3. quod communiter teneri ait Angel. à Clauasio in verbo irregularitas. §. 1. 3. Syluester, & Tab. in eod. verbo, & multi alij, quos refert, & sequitur Francus in cap. 1. §. cantant. num. 3. vsque ad finem, de sentent. excomm. lib. 6. & constat excommunicationem esse tam grandem, immo fortiorem, quā

fit interdictum, vel suspensio; ergo & excommunicatus vtens ordine minore ad actum proprie illi deputatum incurrit irregularitatem.

In partem vero contrariam cogunt me inclinare sequentia. Primum, quod in nullo corporis iuris loco inuenitur pœna irregularitatis huiusmodi culpæ imposta; & pœna irregularitatis in solis casibus expressis à iure imponitur, cap. is qui. de sentent. excomm. lib. 6.

11 Secundo, quod iura, quibus mouetur communis opinio, id non probant efficaciter: nam cap. 2. de cleri. excomm. minist. ex quo Panorm. sequutus alios, & receptus communiter colligit omnem interdictum, qui celebrat, vel vtitur alijs ordinibus, etiam minoribus quo ad actus proprie deputatos eis, esse irregularem, quod ipsum latius annotauit in cap. vlt. de excess. prælat. num. 5. non probat: quia contextus illius cap. nullam mentionem facit de assumptione minorum ordinum, neque de vsu eorum. Neque etiam cap. vlt. de excess. prælat. supra citatum eadem ratione id probat: quia nullam de assumptione, aut vsu minorum ordinum mentionem facit: licet Innocent. aliquantulam faciat. Nec capitulum primū de re iudic. libro sexto, nec capitulum primū de sententia excomm. eodem lib. eadem ratione id probant: quia de assumptione, vel vsu ordinum minorum nulla in eis fit mentio. Nec cap. 1. de clerico per saltum prom. neque tria capitula de eo, qui ordin. fut. susc. id probant: quia loquuntur de male promotis ad ordines sacros, & non de male promotis ad ordines minores. et iura punientia illos non sunt extendenda ad hos. Tum quia longe minus peccant. Tum quia sunt longe alia ab ordinibus sacris, eo quod non sunt vere sacramenta, vt mox dicam, sed sacramentalia. & pœnæ non sunt extendendæ ad alium casum, præsertim in quo est minor ratio puniendi, arg. c. pœnæ. de pœnitent. dist. 1.

12 Tertio facit, quod non omnis pœna, etiam censuræ, posita in male asumentem, vel vtentem ordine sacro, extenditur ad male asumentem, & vtentem minoribus: quia, licet suscipiens ordines sacros ante legitimam ætatem, vel sine literis dimissorijs, vel extra tempora iuris, incurrat suspensionem, & si vtatur ordine, irregularitatem per extrauag. Pij II. quam referimus nos in Manu. Confess. cap. 2 5. num. 70. non tamen eas pœnas incurrit, qui minores ordines sic male suscipit, secundum communem sententiam, quam sequimur vbi supra, & cap. 27. num. 155.

13 Quarto, quod communis opinio suprascripta loquitur de vtente ordine minore, & non de asumente illum; & ideo non videtur extendenda quo ad asumentem: quia aliud est asumere ordinem, & aliud est male vti ordine assumpto. ergo opinio loquens de male vtente nõ debet extendi ad male asumentem, arg. cap. pœnæ. de pœnit. dist. 1.

14 Quinto, quod nobis semper visa est verior opinio Theologorum, quam Canonistarum, quæ habet, quatuor minores ordines non esse vere sacramenta, sed tantum sacramentalia, vt tradimus in Manu. confess. cap. 22. num.

- num. 18. & ita non est tanta ratio, cur incurrat suspensionem, vel irregularitatem excommunicatus assumens ordines minores, ac assumens ordines sacros; & consequenter iura, quæ faciunt irregularem assumentem, vel vrentē ordine sacro male, nō extēduntur ad assumentē ordines minores.
- 15 Sexto, quod assumens ordines minores ante legitimam ætatem, nō est ipso iure suspensus, sed suspendendus per sn̄iam, cap. vel non est compos. de tempor. ord. per quod communis opinio Doctorum obtinuit in tota Hispania, & Gallia, ordinatos ante legitimam ætatem, etiam ad sacros ordines, non esse ipso iure suspensos, antequam nos Salmanticæ ante sexaginta circiter annos publicaremus extrauag. Pij II. supradictā: quæ tamen non includit assumentes minores, vt tradimus in dict. nostro Manuali, cap. 27. num. 155.
- 16 Septimo, quod non obstant prædicta capitula prima de sent. & re iud. & sententia excomm. quatenus generaliter disponunt: suspensum incurre re irregularitatem, si diuinis se ingerat. At constat ordines minores esse res diuinas, & spirituales potestate diuinitus data constitutas, vt in definitione rei spiritualis data in nostro Manu. confes. cap. 23. num. 99. Non, inquam, hoc obstat: quia communis, & recepta omnium fere sententia fateatur, non esse intelligenda de ingerēte se oibus diuinis: nam oīum fere vna est opinio, quod non habent locum in ingerentibus se diuinis extra diuina officia; qualis est benedictio mensæ, auditio missæ, concionis sacræ, & communicatio in orationibus priuatis: immo neque in ingerentibus se diuinis officijs, etiam in choro, cantando Psalmos, vel faciendo alia, quæ etiam laici solent facere. Vnde illa eadem ratione, qua communis opinio eximit ab irregularitate suspensos, qui ingerunt se canendis Psalmis, etiā in choro & diuinis officijs, quod videtur esse officium primæ tonsuræ, possunt etiam saluari qui primam tonsuram assumunt, vel ea vtuntur.
- 17 Octauo, quod qui contrariam sententiam tenuerint, obligantur ad fatendum innumeros esse irregulares in Ecclesia Christiana, etiam Romanā: nā innumeri sunt, qui in pueritia, & adolescentia accipiunt ordines minores, præsertim primam tonsuram, cum parua cura faciendi confessionē sacramentalem cum legitima contritione, & omnium peccatorum ad memoriam reuocatione, ad hoc, vt absoluti ab excommunicationibus, suspensionsibus, & interdictis, assumant primam tonsuram, & ordines minores. & ideo credendum est, Pontifices max. & Cōcilia, præsertim œcumenica, ideo nusquam expressisse, vt excommunicati, suspensi, & interdicti incurterent ipso iure irregularitatem assumendo primam tonsuram, & alios ordines minores; & consequenter noluisse illos eam incurrere, cum expressum sit in d. cap. is qui. de sentent. excomm. lib. 6. quod per nullum crimen incurratur irregularitas ipso iure, nisi per aliquod ius id fuerit expressum.
- 18 AD TERTIAM respondeo primo, collationem priorem, de qua

loquitur, à Papa factam valuisse, etiam si facta fuisset absque illa clausula, *Teque absolventes, & c. ad effectum presentium assequendum.* tenendo opinionem, in qua me inclinare iupradixi contra communem sententiã, scilicet, excommunicatũ, accipiendo primam tonsuram, vel quatuor minores ordines, non fieri irregularem, neque inhabilem ipso iure ad assumendum beneficium. Secundo, quod etiam tenendo communem opinionem est respondendum, collationem prædictam cum prædicta clausula factam iudicandam validam, per ea, quæ tradit Rebuff. in praxi benefic. 1. parte in rub. de declar. bullæ nou. prou. §. teque absolventes. per totum. ita quod absolutus postea licite poterit illa vti, & beneficio per eam obtento potiri tanquam suo.

19 AD QUARTAM respondeo, absolutionem prædictam à Confessario electo virtute prædictæ bullæ nihil profuisse D. Consulenti. Tum quia non fuit facta ei virtute confessionis sacramentalis: quia, vt præsupponitur in facto, non fuit confessus sacramentaliter: & per prædictã, & similes bullas datur potestas absoluendi ei, qui electus audit bona fide sacramentaliter, vt alias respondimus.

20 AD QUINTAM respondetur, absolutionem illam à Vicario Sabelli datam ad cautelam æque valuisse D. Consulenti, ac alijs coordinatis: quia per habitationem, quam habuit & habebat Romæ, licet in ea domicilium non contraxisset, tamen submissionem, qua se iurisdictioni romanæ subiieceret, quæsiuit: attento quod non habebat domicilium propinquum, cuius iudici commode subijceretur, & quod consuetudo generalis orbis Christiani seruat, vt, qui causa studiorum, vel aliorum negotiorum, habitat in aliqua ciuitate à suo domicilio distante, possit agere, & conueniri sub iudice illius loci, tam circa spiritualia, quam temporalia, iuxta ea multa, quæ nos collegimus in cap. placuit. num. 96. & seq. de pœnit. dist. 6. quæ ibi posunt videri.

AD SEXTAM colligitur responsio ex responsõ ad secundam.

21 AD SEPTIMAM quæstionem respondetur, quod prædicta clausula, *Teque absolventes*, nullum aliud impedimentum, quod obster collationi, aufert, nisi solum id, quod producent solæ censuræ, scilicet excommunicatio, suspensio, & interdictum, vt satis colligitur ex eodem Rebuffo vbi supra, num. 1 §. & probatur irrefragabiliter per illa verba, *ad effectum presentium tantum.*

S V M M A R I V M.

1 Vicarius foraneus approbatum audire ex causa confessiones prohibens non peccat.

1 Vicarius

- 1 *Vicarius foraneus animarum periculis occurrere tenetur .*
- 1 *Procurator generalis contrauentre mandato Domini speciali ex iusta causa potest .*
- 2 *Excommunicantur impediētes executionem literarum Apostolicarum, nō quoquo modo contrauēientes .*
- 2 *Literis Apostolicis contrauēire, & earum executionem impedire, diuersa, & qui non dicuntur impedire .*
- 3 *Executionem literarum Apostolicarum auctoritatiue impediētes excommunicantur, & qui sic impediānt .*

C O N S I L I V M X X I X .

CVM in plebe de Viui esset quidam presbyter Caius ab ordinario per modum prouisionis in administratione curæ animarum loci N. tollētes, sed omnino ignarus, absoluens quouis tempore omnes ad se ueniētes, quantumuis scandalosos, grauibus delictis obstrictos, ad pia legata obligatos, & qualibet censura innodatos, nulla eis pro modo culpæ imposita satisfactione, vt publice constat, multi ex loco de Viui, prædictis peccatis, & scandalis implicati, ad eum pro facili absolute, quam à præposito de Viui iure obtinere non poterant, recurrerebant: quod cum præfato præposito, qui etiam illius plebis est Vicarius foraneus, fuisset renunciatum, præcepit præfato Caio, ne in posterum confessionem alicuius horum de Viui audiret. Accidit, quod anno 1578. fuerunt publicatæ literæ Sanctiss. D. N. Gregorij XIII. instar Iobelei, quo ampla facultas dabatur confessario ab ordinario approbato absoluendi quoscumque à quibuscumque casibus, censuris, & pijs legatis obnoxijis. Propter quod multiloci de Viui facinorosi publice delinquētes ad præfatum Caiū pro facili, & impuni absolute properabant. Quare idem præpositus non intendens perstringere auctoritatem Summi Pontificis, neque impedire dictarum literarum Apostolicarum executionem, sed potius, atenta eiusdē presbyteri notabili, atque manifesta ignorantia, prouidere saluti animarum suarum, scripsit eidem presbytero literas huius tenoris. *Non confes-
rete niuno delle mie anime de Deuione, etiam in virtù del giubileo di nouo
publicato.* quibus habitis, nullos de Viui in confessione audiuit.

Quæritur, an præpositus, pro eo quod literas suprascripti tenoris scripserit, iubendo, ne virtute Iobelei audiret cōfessiones hominum de Viui, executionem in Bulla Cœnæ Domini positam quo ad vtrumque forum incurrerit?

- 1 Respondeo quod non. Primo, quod nulla excommunicatio maior generaliter à iure, vel ab homine lata incurritur sine peccato mortifero, c. nemo. c. nullus. 1 1. q. 3. At præfatus Præpositus non peccauit mortifere, faciendo, quod fecit. Tum per illam regulam topicam: Cuius finis bonus

est, ipsum quoque bonum est: declaratum post alios etiam à nobis in cō-
 menta. cap. cum minister. 23. q. 5. & illud Aug. Linguam ream non facit,
 nisi rea mens. Tum quia etiam opus, quod operatus fuit, erat bonum:
 cum impedire proximum, ne peccet, sit bonum, & aliquando præceptū,
 cap. qui potest. 23. q. 3. c. quantē. de sentent. excommunic. Et qui exer-
 cet officium, quod nescit exercere, in probabile damnum proximi peccat,
 l. idem inris. ff. ad l. Aquil. cap. non est putandum. 1. q. 1. iuncta gloss.
 in verb. vires, quę citat illud Horatij, *Sumite materiam vestris, qui scribitis,
 aquam Viribus.* & præfatus Caius erat ignarus, & ineptus ad iacras con-
 fessiones audiendas, vt præsupponitur in facto. Tum quia gloss. cap. pla-
 cuit. de pœnitent. dist. 6. tenuit per illud cap. posse parochianum paro-
 chi nescij, & ighari, cōfiteri alieno paroco ob ignorantiam parochi pro-
 prij: quod quemadmodum sit intelligendum, ibidem tradimus. Tum
 quia non solum licite potuit, sed etiam debuit, eo quod erat Vicarius
 foraneus, occurrere periculis animarum, præsertim sibi subiectorum, argu-
 mento cap. irrefragabili. de offic. ord. & §. 1. 83. dist. & cap. ipsa pietas.
 23. q. 4. Tum quia procurator generalis potest contrauenire mandato
 speciali domini ex iusta causa, per text. sing. in l. si hominem. ff. mandati.
 & propterea præfatus præpositus Vicarius foraneus, licet esset quidam
 generalis procurator, vel delegatus ordinarij, potuit ex causis supra
 narratis prohibere Caio sacras confessiones, saltem pro aliquo loco, &
 tempore, saltem paruo, licet esset approbatus ad audiendas specialiter
 ab ipso.

2. Secundo specialiter facit, quod licet præfatus Præpositus peccasset mor-
 taliter, prohibendo, vt prohibuit, qui tamen profecto, nec venialiter
 peccauit, immo de Deo, deque suo Archiepiscopo, ac omnibus fuit be-
 nemeritus, non tamen incurrisset præfatam excommunicationem Bullæ
 Cœnæ Domini. Tum quia illa nō infertur contra omnes, qui quoquo mo-
 do non parent, vel contraueniunt literis vel mandatis Papæ, &c. sed solū
 contra illos, qui impediunt executionem earum. At præfatus Præpositus,
 esto quod contrauenisset literis Iobelei, non tamen impediuit execu-
 tionem eius, puta publicationem eius: ergo non incidit in illam: quia
 aliud est non parere, vel contrauenire literis, aut mandatis Papæ, vel a-
 liorum; & aliud impedire executionem earum non permittendo intima-
 re, vel vetando dare fidem de intimatione: & à diuersis, & separatis non
 fit illatio, l. Papinianus. ff. de minoribus. Tum quia possessor beneficij
 non obediens literis Papæ, vel eorum, quibus iubetur relinquere posses-
 sionem illius, non incurrit illam, etiam si incuriat aliam, sub cuius pœna
 iubetur relinquere illam, dummodo non impediatur executionem earum.
 Tum quia non incurrit illam, qui contenderet non posse per Iobeleum
 absolui ab aliquo peccato, voto, vel irregularitate: cum id non sit impe-
 dire executionē, sed solū impedire vnum intelligendi modum per aliud;
 quod

quod non vetat præfata Bulla Cœnæ Domini. Alioquin omnes, tam Procuratores, & Aduocati, quam principales partes, qui literas Papæ, & fuorum legatorum, vel delegatorum ab eis intelligunt, quam vero iure intelligi debeant, incidere in illam excommunicationem, quod est absurdum, & à nemine dictum, & ita nullatenus dicendum, si nam quod absurdum. ff. de bonis libert. Tum quia appellantes à iudicibus Sed. Apost. & supplicantes à provisionibus ipsiusmet Papæ, non incidunt in eam, modo supplicationes legitimæ persequantur, si bona fide putant legitime appellasse, & supplicasse, iuxta gloss. celeb. & recept. quæ penult. est in c. solet. de sentent. excomm. lib. 6. Tum quia etiam literis Papæ munitis clausula illa solenni, contradi. ecclesi. censura compell. potest iuste contradici de iure, iuxta gloss. solenn. in cap. pro illorum. de præbend. in verb. contradictores. recep. ibi per omnes, & Felin. & alios citatos ab eo in cap. causam. num. 10. de rescript. Immo & qui contradiceret iniuste, licet malefaceret, & incurreret forte aliam excommunicationem, non incurreret illam bullæ Cœnæ, si non impediret executionem literarum.

- 3 Tertio principaliter facit, quod clausula præfatæ bullæ Cœnæ, non excommunicat omnes impediētes quomodocunque executionem, sed solum eos, qui auctoritatiue impediunt, vsurpare volentes auctoritatē contra Sanctam Apostolicam auctoritatem: quia fertur per illa verba, *eos qui simpliciter, vel sine eorum beneplacito, consensu, vel examine, & forte asserto pretio soluto executionem demandare inbibent, &c.* Per quæ verba significantur hi, qui auctoritatiue id faciunt volentes quærere, vel conseruare aliquam auctoritatem super literis Apostol. & earum executione. At præfatus Præpositus non prohibuit præfato Caio, intendendo quærere, vel conseruare aliquam auctoritatem super literis præfatis Iobelei, sed solum intendendo declarare, quod mens Papæ non erat, vt presbyter adeo ignarus, & adeo male vtens officio confessarij, vteretur potestate illa grandi, quæ per illud Iobeleum dabatur confessarijs: quod certe fuit actio sancta, vt probatum est in primo argumento, & quando non fuisset omnino sancta, probabiliter, aut bona fide credebatur ea esse talis; & satis est, quod non prohibuit cum intentione quærendi, vel conseruandi auctoritatem super publicatione, prædicatione, & alijs, quæ diminuebant auctoritatem Papæ, vt palam est. Quare proculdubio prædictus Præpositus non incurrisse vllam censuram bullæ Cœnæ Domini, neque impediuisse vllam literarum Sedis Apost. executionem veritam in illa quo ad forum conscientia, neque quo ad forum exterius, concludendum est. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Excommunicatus est, per se, vel alium literarum executionum impediens, seu ratam habens.*
- 2 *Præsumptio ex delicto fratris non oritur contra fratrem.*
- 3 *Declaratio excommunicationis parte citata facta, est valida, nisi per viam attentatorum annihiletur.*

C O N S I L I V M XXX.

FVerunt relaxatæ literæ executoriales contra Titium, quarum executione per iudices seculares impediuit ipsius Titij frater Sempronius, promittens de rato. Quæritur ab Excell. vestra, cum non constet de mandato Titij id factum fuisse, an ipse Titius dici possit incurrisse excommunicationem, videlicet bullæ Cœnæ, quo ad vtrumque forum: an vero illa verba, per se, vel alium, posita in principio dict. excommunicationis habeant tantum locum in foro interiori, si non probetur mandatum; ita vt etiam si contraueniant illi coniunctæ personæ, præcipue frater, non præsumatur id mandato, consilio, & instigatione principalis fieri, ad hoc vt castigari possit ipse principalis, contra quem facienda erat executio literarum Apostolicarum; & an ipse, & alij impediens possint ab ordinario declarari.

1 Respondetur primo, non esse necessarium mandatum fratris Titij ad hoc, vt incurreret excommunicationem præfatam ob præfatum factum Sempronij: quia sufficit, quod nomine ipsius factum fuerit, & postea ipse ratificauerit, seu ratum habuerit, arg. cap. cum quis. de sentent. excom. lib. 6. & reg. ratihabitione. de reg. iur. lib. 6. & præfatus Sempronius promisit fratrem suum ratum habiturum. Quare si ratum habuit, certum est eum censuram præfatam incurrisse.

Secundo, quod illa verba (per se, vel per alium) in vtroque foro habent locum, si mandatum, vel ratificatio prædicta interuenerit, & interuenisse probatum fuerit: si autem non fuerit probatum mandatum, nec ratificatio, non habebunt locum in foro exteriori: habebunt tamen locum in interiori, si verum est, interuenisse mandatum, vel saltem ratificationem eius.

Tertio, quod non præsumetur interuenisse mandatum, neque ratificationem eius ex eo solo, quod fuerit frater is, qui contrauenit præfatæ bullæ: quia nemo præsumitur delinquere in dubio, neque approbare delictum alterius propter solam cognationem, l. merito. ff. pro socio. cap. 2. de reg.

de reg. iur. nisi approbauerit saltem tacite id quod fecerit cognatus, ut de facto eius, vel defendendo illud, licet expresse non dicat se id approbare.

- 3 Quarto, quod crederem, me colligere posse ex tenore executorialium, vel ex titulo, & materia tituli, ut lite pendente, vel ex reservatione absolutionis, quam solent aliquando saltem D. Auditores facere, vel ex aliquo alio capite, exceptionem declinatoriam fori contra ordinarium citantem, ut compareat coram ipso ad videndum se declarari. Sed, si ordinarius, nulla exceptione contra eum proposita, declarauerit legitima citatione præmissa, arbitror valituram declarationem, nisi per viam aliquo modo attentatorum annihiletur; quod tamen remitto ad tenorem executorialium, quas non vidi.

V M M A R I V M.

- 1 *Triremes fabricans pro Turcis coactus excusatur à peccato mortali, & excommunicatione, si non impendat plus operis, quam requirat conseruatio vite.*

CONSILIVM XXXI.

Captius coactus timore mortis triremes fabricans, quibus solent piratæ cōtra Christianos venire, an peccet mortaliter, & quomodo absolendus est?

- 1 Respondeo, quod pro parte affirmatiua facit: nam qui, ut inquit Saluator, peccando mortaliter animam suam in hoc mundo vult saluam facere, in eternum perdet eam: sed sic est, quod iste videtur mortaliter peccare; ergo in statu damnationis, nisi cesset, peribit; nec potest ei absolutionis beneficium, nisi corrigatur, impendi, cap. peccati venia. de reg. iur. in 6. Quod autem peccet mortaliter, supposito pro indubitato, quod dicti piratæ peccent mortaliter, secundum septimum Decalogi præceptum, deducitur ex Paul. ad Rom. I. in fine, *digni sunt morte non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* quo axiomate canones ubique videntur, cap. omnes ecclesiar. 13. q. 4. & alibi sepe, iuncta glos. in cap. votum. 2. q. 1. cap. 1. de offi. deleg. quæ declarando prædictum axioma inquit, peccato alterius consentire in materia nostra, & cooperando, seu auxilium ferendo: à qua cooperatione, seu auxilio non potest dictus consulens excusari, per tex. in l. in furti. ff. de fur. ibi, *opem fert, qui ministerium, atque adiutorium ad surripiendas res præbet*, puta, ut inquit tex. in l. si pignore. ff. eod. qui ferramentum ad effringendum ostium, vel scalas
- ad

ad ascendendum furi præbet: per quem tex. ait glos. in cap. qui aliorum. 24. q. 3. vt fur peccat, qui scalam, ferrum, vel aliud auxilium furi præbet, vnde Dominatio tua in simili materia in cap. 27. Man. num. 63. postquã remigantes in triremibus piratarum excusasset ab excõmunicatone, suo est tamen ausus, etsi valde cuperet, eisdem à peccato mortali excusare; immo subdit nec posse absolui, nisi firmiter proponant à similibus abstinere. & in materia nostra videtur tex. in cap. ita quorundam. de iudæis. vbi, qui Sarracenis subministrant arma, & galeas, quibus Christianos impugnant, Sarracenis ipsis deteriores, & magis culpabiles reputantur, per quem tex. Abb. in cap. significasti. num. 2. ad fin. de iudæ. inquit peccare eum. qui similia Sarracenis transmittit, & ad redemptionem captiuorum: cui opinioni etiam videtur adherere Cardinalis ibidem. Accedit etiam aliud. nam licet ego per opus indifferens, vt est constructio galearum, possim coöperari ei, qui est omnino peccaturus, vt dare cibum nolenti omnino ieiunare, Caiet. in opuscul. tom. 1. cap. 31. ref. 13. in 4. dub. & 2. 2. q. 147. & alibi sæpe; non tamen hoc licet, quando tendit in damnum tertij, Adrian. quolibeto 3. in 2. q. litera R. Contrariam opinionẽ cupio veriore esse; & quidem ratione: nam cum dicta ars sit de se bona, & vsui hominum vtilis, earum magistri possunt eam tuto exercere, etiam quod homines possint dictis rebus bene, & male vti, D. Tho. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 4. nisi, vt inquit Adria. vbi supra litera I. ex causa aliqua dicta actio prohibeatur, & reddatur mala; quæ causa, seu circumstantia si cesset, cessabit & peccatum. sed sic est quod nulla alia adest causa, quæ possit dictam actionem inficere, nisi quia vel peccatum tertij, cui cooperamur, nobis placet (quæ ratio cessat in hoc consulente, cui multum displicet dicta) vel quia cooperando facimus contra id, ad quod tenemur, vt colligitur ex eodem Adrian. litera O. adducente glos. in exceptione d. axiomatis Paul. ad Rom. 7. in fin. sed sic est, quod nullibi reperitur mihi præceptum, vt cum periculo vitæ meæ propter proximi damnum euitandum abstineam ab eo, quod mihi alias licet; ergo nec triremea cooperatio mihi ad peccatum imputanda est.

Facit pro hac opinione D. Tho. 4. d. 32. q. 2. qui quæstiuncula tertia ex dicto axioma Pauli primũ arguit mihi non licere reddere furioso gladiũ, ne se, vel aliũ occidat; & postea respondit, immo & hoc mihi licere, si ex denegatione timetur maius malum. & Adria. vbi supra ad fin. litera B. inquit, quod tunc furioso potest reddi gladius, quando ex non redditione imminerent maiora crimina sibi vel alij, vt est in casu nostro, in quo ipsi arifici imminet mors præfens, quæ præpõderat futuro timori, Dominatio tua in Man. cap. 17. nu. 63. post D. Ant. idem etiã affirmat. Hanc opinionem, & in fortioribus terminis tenet Inno. Io. And. Host. Anchar. c. significauit. de iud. qui omnes admittunt, quod, si aliter non possum redimere captiuos, possum redimere eos transmittendo Sarracenis

arma,

arma, quibus possunt Christianos impugnare; ergo multo magis huic captiuo licebit prædictum opus indifferens præstare dominis suis ad redimendam vitam propriam, & hoc, vt ibi inquit Anchar. citra culpam. Tertio, si hic faber peccat, hoc est, vel quia facit contra iustitiam, vel contra charitatem, vel contra præceptum superioris. Non tertium; quia, vt in simili ait Dominatio tua vbi supra, non est credendum, principem præcipere homini tam dura, vt esset hoc. Nō contra iustitiam; quia nullo iure prohibetur, ne quis iure suo viatur, licet inde tertius damnum patiatur, reg. l. *nemo damnum facit, nisi qui id facit, quod facere ius non habet.* ff. de reg. iur. immo & qui re ipsa damnum dat, cum aliter se tueri non possit, non dicitur damnum dedisse, l. scientiam. § qui cum aliter. ff. ad leg. Aquil. Non secundum: nam qui præcepit, vt diligamus proximos sicut nos ipsos, non dixit, vt eos, & eorum bona præferamus uitæ nostræ.

Ad contraria potest responderi. Et primo ad primum, de consensu procedente ex cooperatione, respondeo, vt videtur, posse colligi, ex gl. super dictis verbis Pauli, quod tunc quis cooperando consentit, quando omittit aliquid, ad quod tenetur, vel facit quod ei non licet: quod non est in casu nostro, in quo consulens facit id, quod ei licitum est, nec ex circumstantijs reprobatur. Ad simile, quod deducitur ex gl. in cap. qui aliorum, & ex l. in furtis. & l. si pignori. & dicto Dom. tuæ respondeo distinguendo, vt post Innoc. distinguit Io. And. in d. cap. significauit. nam aut istæ actiones cooperatiuæ sunt immediate directæ in oppugnationem Christianorum, seu damnum tertij; quod potest contingere dupliciter, scilicet, vel intentione cooperantis, qui cooperatur delinquenti ad hunc finem, vt loquitur tex. in d. l. in furtis. & hic talis non excusatur: vel ex ipsomet opere insurgit, vt opus ipsum sit immediate directum in delictum, quod perpetratur; vt quia in actu delinquendi opem præstat delinquenti, vt dando scalas, vel ferramenta furi, qui est in actu furandi: & tunc nec hic excusatur. & hoc modo procedit exemplum Dominationis tuæ de captiuo actu remigante in triremibus: aut actio cooperatiua non est immediate directa in perniciem Christianorū, vt est actio portantis, seu transmittentis arma, & triremes Turcis, licet eisdem Turcæ vti possint contra Christianos; & tunc hæc talis cooperatio non est tam mala, quia ex prædicta circumstantia euitanda mortis excusatur ex Innoc. & Io. And. Ad tex. in cap. ita quorundam. respondeo, procedere in eo, qui sine prædicta excusante causa Turcis contra Christianos fert opem; vel procedit in eo, qui immediate prædictis modis Turcis contra Christianos cooperatur. Ad auctoritatem Abb. & Card. respondeo, quod nō obitat: nam Abb. & Card. supponunt, eos, de quibus ipsi loquuntur, ideo peccare, non quia actio sit de se intrinsece mala, sed quia erat contra præceptum Pontificis, cui ex D. Paulo tenemur omnes obedire: sed sic est, quod nullibi reperitur prohibitum, ne captiuus in tali necessitate constitutus possint

possint prædictas artes exercere; ergo nec Abb. nec Car. conuincunt hunc consulentem peccare. Ad auctoritatem Adrian. respondeo, eius doctrinam procedere sub distinctione proximæ dictæ ex doct. Innoc. & Io. And. ad alias auctoritates, ex quibus cupio in prædicto casu admitti legem naturalem, cuius meminit Iob. *pellem cuiuscunque, & omnia quæ habet, homo dabit pro pelle, & vita sua conseruanda.*

IN CONFIRMATIONEM supra dictorum, quæ ad me transmissa fuerunt, respondeo primo, eum, qui prædicta scripsit, quisquis ille sit, claro iudicio, & egregia eruditione, ac pietate, dotatum videri. Secundo quod nos quoque proculdubio desideramus eius opinionem esse veram. Tertio, quod sua conclusio plurimum iuuari potest ex illa glos. sing. recepta in cap. de cætero. de homicid. quæ affirmat, quod qui remotam causam præbet homicidio, non est irregularis, & quod prædictus faber, fingendo triremes, causam valde remotam pugnandi contra Christianos videtur præbere, modo nõ fingat illas ea mente, immo nolit eas contra eos dirigi. Quarto, quod videtur tenenda prædicta conclusio, cum ea saltem moderatione, quod prædictus faber non impendat plus operæ nauibus fabricandis, quàm vitæ suæ conseruatio requirat. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Iurisdictionem laicus in dignitate ecclesiastica vsurpans, in Bullam Cænæ incidit.*
- 2 *Iurisdictionem temporalem pertinentem ad personam ecclesiasticam ratione patrimonij vsurpans non est excommunicatus.*
- 3 *Patronus laicus censetur clericus, quando ratione patrimonij ius habet præsentandi.*
- 4 *Ecclesiasticis personis onus insolitum imponens incidit in bullam Cænæ.*
- 5 *Onus impositum laicis subditis eidem censetur Abbati impositum, si onus compellitur subire.*
- 6 *Literarum Apostolicarum executor, seu defensor, iurisdictionem habet ad monendum sub excommunicationis pœna.*
- 7 *Ignorantia extranagantis, & ignorantia iuris humani dubij excusat a peccato mortali.*
- 8 *Iurisdictionem ordinariam, & delegatam habens, videtur procedere illa, qua magis firmatur processus.*

CONSILIVM XXXII.

PRætor, & magistratus incolas castri Turris Seuerini ad suum tribunal traxerunt, & eis imposuerunt onus soluendi singulis annis ce-
reum

reum in recognitionem dominij. Et, cum iurisdictione dicti castri pertineat ratione Abbatiæ ad Abbatem monasterij Sancti Seuerini, & cum indirecte onus Abbas, & monasterium soluere cogatur; quæritur, an prætor, & homines de magistratu in bullam Cœnæ inciderint.

Dubium prædictum videtur resoluendum affirmatiue, videlicet, prædictum prætorem, & prædictum magistratum incurrisse excommunicationem Bullæ Cœnæ domini duplici capite: vnum est, quod qui vsurpat iurisdictionem pertinentem ad personas ecclesiasticas, incidit in illam; & prædicti, vt præsupponitur in dubio, vsurparunt iurisdictionem pertinentem ad Abbatem Sancti Seuerini, qui est persona ecclesiastica: nam decreuerunt, & relaxarunt mandatum executorium contra subditos prædicti Abbatis, quos sciebant illi esse subiectos, & à iurisdictione sua exemptos. nec prodest illis dicere, quod non vsurparunt iurisdictionem ecclesiasticam, sed sæcularem tantum: quia ad incurrendam illam sufficit vsurpare iurisdictionem pertinentem ad personam ecclesiasticam, modo pertineat ratione dignitatis ecclesiasticæ, vt nos declaramus in septima declaratione decimæ quartæ excommunicationis in Man. cap. 17. num. 69. vbi dicimus dictum Caiet. ibi citatum intelligendum de vsurpante iurisdictionem sæcularem pertinentem ad personam ecclesiasticam ratione sui patrimonij separati à bonis ecclesiasticis, & non de pertinente ad personam ecclesiasticam ratione dignitatis, vel bonorum, quæ antea erant sæcularia, & per donationem, vel alias facta sunt ecclesiæ, quibus est annexa iurisdictione temporalis, vt in casu nostro: sicut in simili patronus clericus habet semestrem ad præsentandum, cap. cum autem. de iur. patr. & laicus quadrimestrem, cap. cum propter. eod. tit. & licet clericus, qui est patronus ratione patrimonij sui separati à bonis ecclesiasticis, censetur patronus laicus, cap. cum dilectus, adiuncta glos. & doctrina communi, de iure patr. qui tamen habet præsentationem ratione dignitatis suæ, censetur ecclesiasticus, etiã si eam habeat ratione bonorum sæcularium donatorum ecclesiæ suæ, vel beneficio, arg. 4 cap. 1. §. verum, de iur. patr. in 6. Alterum caput est, quod, qui imponit onus insolitum ecclesiasticis personis, incidunt in excommunicationem decimam quartam prædictæ Bullæ, vt ex ea patet. & licet prædicti prætor, & magistratus solis laicis directe, & immediate imposuerint onus insolitum recognoscendi in superiorem castrum Turris Sancti Seuerini Urbemuetanam, mediate tamen & indirecte imposuerunt illud Abbati, Monasterio, & monachis, qui sunt ecclesiasticæ personæ, etiã si non essent clerici, cap. non dubium. cap. de monialibus. de sententia excommunicationis. cum, si prædictum castrum deberet subire onus soluendi prædictum cereum in recognitionem dominij, Abbas, & monachi prædicti deberent recognoscere prædictam superioritatem quo ad prædictum castrum; & qui vult antecedens, vult etiã consequens, quod illud necessa-

necessario consequitur, l. illud. ff. de acqui. hæred. l. 2. ff. de iurisdic. om. iud. cum allatis ibi per Iasonem, & cap. præterea. de officio deleg. cū citatis ibi per Dec. & qui vassallo, & domestico facit iniuriam, videtur eam domino facere, clem. 1. de excess. prælat. in princ. vbi Car. not. 3.

VICARIUS episcopi Vrbeuetanensis, tanquā executor, & defensor immunitatis Abbati, & subditis concessit, monuit d. prætorem, & homines de magistratu sub excōmunicationis pœna deberent innouata deponere, & ne dictum Abbatem in sua iurisdictione inquietarent. Dubitatur, an vicarius iuste sub dicta censura potuit prætorem monere?

- 6 Addo, quod pro exoneratione prædicti vicarij, quæ tangitur in arg. facit multum, quod Episcopus Vrbeuetanus est executor, & defensor immunitatis, exemptionis, libertatis concessæ prædictis Abbati, & subditis suis, vt patet per literas Innoc. viij. & ita sine culpa, saltem graui, potuit credere sibi esse iurisdictionem ad faciendam illam, quam dicitur fecisse, monitione prædicto gubernatori. Tum quia potius fuit vrba, & quædã fraterna, christianaque, quam iudiciaria fundata in opinione, qua eum vere excommunicatum putabat. Tum quia extrauagans cum Matthæus. de hæret. quæ sola videtur ei obstare in hoc, est posita extra corpus iuris, & quamplurimis etiã doctis ignorata: & ignorantia iuris humani dubij excusat à peccato mortali, secundum Innoc. in cap. per tuas. 2. num. 4. de simonia. relatum à Baldo in l. ab eo. C. quomodo, & quando iud. & probatur à Felin. in cap. nam. de constit. & à nobis in comment. cap. nullam. 18. quæst. 2. nu. 32. Nec obstat, quod forsã nõ fuit protestatus se procedere auctoritate delegata. Tum quia habens iurisdictionem delegatam, & ordinariam, videtur in dubio procedere delegata, aut certe illa, qua magis firmatur processus, per resolutione Innoc. in cap. cum ex officij. de præscript. quo cum alijs multis relato, sic resoluit Felin. ibi num. 31. & quia licet delegatio facta Episcopo non transit in omnem Vicarium eius à se constitutum, secundum communem, quam alias defendit Dec. in cap. quoniam Abbas. de officio deleg. num. 15. sunt tamen qui contra putent. & poterat procedere saltem vt delegatus Episcopi, qualem se tacite datum ab eo forte præsentem credere corã Deo poterat; & consequenter per bonam fidem in prædictis fundatam excusari potest, et si non à tota culpa, certe à maxima eius parte.

S V M M A R I V M.

- 1 Factum legitime pœnam non meretur.
1 Prælatum religiosum fugientem, vel sine licentia recedentem, etiam extra territorium capere potest.

Reg^o

- 2 *Regularis curiam secularem animo nocendi adiens excommunicatur.*
- 3 *Literas ad Papam legitime directas aperiens non est excommunicatus.*
- 3 *Regulares simplices nec dare, nec accipere possunt literas sine licentia.*
- 4 *Literæ à regulari simplici scriptæ spectant ad monasterium.*
- 4 *Regulares ut sine licentia agere, petere, dare, & accipere literas possunt.*

CONSILIUM XXXIII.

Canicus regularis sine licentia Prælati ad curiam quandam sæcularem proficiscens literas scriptas ab alijs concanonicis ad Papam seculum deferēbat. Prælati autem eum capere, & carceribus mancipare fecit, literasque præfatas acceptas aperuit, & legit.

Quæritur primo an incarcerando, & ad præfatum curiam ire impediendo, aliquam censuram, vel pœnam incurrerit.

Secundo, quid dicendum sit, eo quod aperuit, & legit literas missas ad Papam.

AD HORVM dubiorum primū respondeo, quod nullam ecclesiasticā censuram, nec ullam pœnam temporalem incurrit. Primo quidem quia quod legitime factum est, pœnam non meretur, l. Gracchus. C. ad legem Iul. de adult. l. fancimus. C. de pœn. cap. 2. de constit. At prædicta captura iuste fieri potuit; quoniam prælati, & superior religiosi potest ipsum fugientem, vel sine licentia eius, & obedientia recedentem capere ubicunque, etiam extra territorium eius, & reducere ad monasterium, cui subiectus est, arg. l. 1. C. ubi curialis, vel cohortalis. quatenus habet curialem, vel cohortalem, hoc est, curiæ, vel cohorti obligatum, fugientem capi posse auctoritate curiæ, vel cohortis, cui obnoxius est, arg. item l. 1. C. ubi causa status. quatenus habet ancillam fugientem, & inuentam etiā extra prouinciam capi posse à domino, vel eius auctoritate.

Secundo, has leges habere locum in vxore fugiente maritum, & monacho, & canonico regulari fugiente Prælatum, & monasterium, affirmant ibi Bart. Bald. Salicet. & communis, & præsertim Bald. qui singulariter ad propositum nostrum in d. l. 1. C. ubi causa status. determinat de quodam canonico regulari fugiente, quem ait potuisse capi à prælato, etiam antequam monuisset eum redire sub pœna excommunicationis, & ob contumaciam excommunicasset, & antequam brachium sæculare implorasset.

2 Tertio, quod clem. 1. §. quia vero. de stat. monach. excommunicat monachum, & canonicum regularem, qui ad curias principum accedit animo nocendi monasterio. & Concil. Tridentinum in cap. 4. de regul. sess. 2. §. statuit ne quis regularis accedat ad superiores sine licentia superioris. Cum igitur is canonicus, de quo loquimur, sine licentia superioris portaret ad curiam literas ab alijs simplicibus canonicis temerarie conscriptas, iuste

iuste poterat eum capere, tanquam fugientem, delinquentem, & magis delinquere volentem, & adeuntem ad curiam Principis in damnum, de decus, & discordiam monasterij.

- 5 AD DVBIUM posterius respondeo idem, quod responsum est ad prius. Tum quia nullo iure pontificio censura vlla innodatur ipso iure aperiens literas, etiam legitime scriptas ad Papam, arg. cap. cum olim. il. 2. de offic. deleg. & eorum, quæ ibi gloss. & alij, quos Felin. refert, scribunt. Tum quia prædictæ literæ non fuerunt legitime ad Papam scriptæ, nec ab eo qui poterat eas dare; quia fuerunt confectæ à canonico regulati simplici, qui non potest accipere, nec dare literas sine consensu prælati, ut habetur in regula eorum, & transumptiue in cap. non dicatis. 12. q. 1. vbi
- 4 nos late id in 4. notab. tractamus. Tum quia literæ prædictæ erant sui monasterij, & suæ: quoniam omnia, quæ habent, & faciunt canonicis regulares simplices, pertinent ad monasterium, cap. non dicatis. 12. q. 1. & cap. cum ad. de stat. monach. & ad administrationem prælati, c. nullâ. 18. q. 2. vt in commentarijs vtriusque ca. late diximus. Nec obstat, quod canonici, & monachi possunt agere, petere, & scribere, & dare, & accipere literas super accusatione superioris, & alijs, super quibus possunt agere, & defendere sine superioris consensu, cap. ex parte. de accusat. cap. cû dilecta. de rescript. & tradita per Innoc. & alios in cap. cum te, & A. de re iudic. quod & nos defendimus in d. not. 4. Non inquam hoc obstat; quia hæc procedunt in his, quæ iuridice fiunt in necessitatem, & vtilitatem monasterij, non autem in alijs, quales fuerunt præfatæ literæ confectæ, datæ, & acceptæ contra ius, & eius ordinem, & contra vtilitatem, & auctoritatem monasterij. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Excommunicationem bullæ Cænæ non incurrit, qui fructus clerici debitoris sui stantes penes laicum per iudicem laicum sequestrari facit.
- 1 Bulla Cænæ, dispositio pœnalis, non extendenda.
- 2 Excommunicatio contra facientem non includit mandantem, nisi, &c.

CONSILIVM. XXXIV.

AN incidat in bullam Cænæ Domini, & cap. eius 17. qui laicus facit per laicum Iudicem sequestrare fructus clerici debitoris sui existentes apud laicum, sed pertinentes ad clericum ratione sui beneficij.

- 1 Respondeo, quod non. Tum quia bulla præfata est dispositio pœnalis, & non debet extendi ad alium casum, cap. pœnæ. de pœnit. dist. 1. & solum

lum excommunicat vsurpantem, & sequestrantem fructus ecclesiasticos sine licentia Papæ, vel alius, ad quem pertinet dare talem licentiam. & D. Consulens non vsurpauit eos, neque sequestrauit. Tum quia in Manual. Confess. cap. 27. num. 51. posuimus pro regula bene probata, quod excommunicatio, lata contra facientes aliquid, non includit consentientes in illo, nec procurantes illud, immo nec consulentes, & mandantes; nisi per alia iura id declaretur, quod non fit in hoc casu. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Fructus beneficij tamquam creditor capiens non est excommunicatus.
- 2 Fructus beneficiorum capientes vt sint excommunicati, quinque requiruntur.
- 3 Excommunicationis declaratio sine citatione est nulla.

C O N S I L I V M XXXV.

Quidam Episcopus cuidam nepoti suo ex fratre debebat 80. scuta, quæ multis vicibus rogatus noluit soluere. Nepos eius, qui extra suum Episcopatum debebat cum quibusdam alijs, adiuit quoddam oppidum Episcopatus prædicti sui patruï nocte, & accepit ex granario Episcopi granum pro scutis sibi debitis: quod cum rescisset Episcopus, declarauit nepotem incidisse in bullam Cœnæ Domini, & denunciatum eum excommunicatum. Quæritur, quid iuris?

- 1 Respondeo primo, quod præfatus nepos videtur male fecisse, accipiendo illud granum auctoritate propria, contra l. extat. ff. quod met. causa, & l. si quis in tantam. C. vnde vi. Secundo, quod tamen non incidit in excommunicationem bullæ Cœnæ contentâ in 14. cap. eius, vt annotauimus super ead. inserta in Manual. cap. 27. nu. 69. post Caieta. in summa verb. 2 excommunicatione. c. 27. de quinque requisitis ad hoc, vt capiens fructus Episcopatum, vel aliorum beneficiorum, incurrat illam excommunicationem. Tum quod vnus de quinque illis requisitis est, vt capiat eos auctoritative, vsurpando auctoritatem capiendi eos tamquam dominus, vel publica persona. At præfatus nepos non cepit illud vsurpando sibi vllam auctoritatem publicam ordinariam, vel delegatam capiendi illud, sed tamquam creditor, qui putabat sibi licere capere de bonis sui debitoris tantum, quantum sibi debebatur, vt multi putant, & aliquando licet, concurrentibus circumstantijs, quas nos ponimus in d. Manual. Confess. ca. 17. num. 114. Alterum, vt capiat eos vt fructus, & redditus ecclesiasticos. At præfatus non cepit illud tamquam res ecclesiasticas, sed tamquam

particulares sui debitoris, qui nullatenus illi soluere volebat. Tum quia, etiam si cepisset eos fructus tamquam fur, & latro, non incurrisset illam
 3 excommunicationem, vt Caietanus vbi supra recte determinat. Tertio, quod declaratio, qua præfatus Episcopus declarauit excommunicatum præfatum suum nepotem, fuit iniusta, & ipso iure nulla: quia fuit lata sine citatione legitima. Nam licet excommunicatio lata sine monitione regulariter valeat, iuxta cap. facto. de sentent. excomm. & appellatio non suspendat eam, cap. is qui. de sent. excommunicationis. lib. 6. declaratio tamen, quod quis est excommunicatus, non valet sine citatione, iux. glos. clem. 1. de censib. in verb. si confiterit. & appellari potest ab ea, & suspendit eam, iuxta glos. solen. in c. cupientes. in §. quod si per. il secondo. de elect. lib. 6. verb. priuatos. & declarat laius Felin. in cap. Rodolphus. de rescript. num. 41.

S V M M A R I V M.

1 *Promittens, & promissionem acceptans pro gratia temporaria à Papa obtinenda sunt excommunicati.*

C O N S I L I V M XXXVI.

Petrus notam fecit Ioanni quandam gratiam cuiusdam rei temporalis, eo pacto, vt dimidium vtilitatis illius perueniret ad Petrum: quam gratiam Ioannes obtinuit, & dimidium vtilitatis dedit Petto. Quæritur, an inciderit in pœnas extrauag. Gregorianæ, per quam Greg. innouauit extrauag. Bonif. VIII. quæ est 1. de sentent. excommunicationis inter communes, & quam nos iusto commentario donauimus sub tit. de reb. datis, & promissis.

1 Respondemus, præfatos Pet. & Ioannem ambos incurrisse in pœnas præfata extrauag. vt latius colligi potest ex commentario, quo nos illam donauimus sub tit. de datis, & promissis.

S V M M A R I V M.

- 1 *Episcopo verba iniuriosa dicens, & conatus percutere, non incurrit excommunicationem.*
- 2 *Conatus debet puniri, etiam non secuto effectu. fallit in censuris.*
- 3 *Excommunicationem, qui hostiliter insequitur Episcopum, modo incurrit.*
 4 *Insequi.*

- 4 *Insequitur, quando vnus priuatus post alium animo eum iniuriandi vadit. & num. vltimo.*
- 5 *Excommunicationem non incidit Episcopi domum adiens, postquam illam non fugit.*
- 6 *Excommunicationem non incurrit vadens ad domum Cardinalis ad dandum domui insultum.*

C O N S I L I V M XXXVII.

Quidam homines transeuntem episcopum per ciuitatis plateam offendere volebant, quos cum episcopus ita animatos vidisset, per aliam viam declinare cepit. Tunc homines illi, & cum eis turba de vniuersitate multa, cum armis, clamoribus iniuriosis, varijsq; contumelijs insecuti sunt ipsum Episcopum; alij, dum fugeret; alij, postquam se in locū receperat munitū, & quidem animo offendēdi, ac per insultum locum munitum, & ipsum episcopum capiendi. Dubitatur, an omnes illi de vniuersitate homines excommunicationem incurrerint.

- 1 Respondeo, primo certum esse, neminem prædictæ vniuersitatis incidisse in excommunicationem ca. si quis suadente. 17. q. 4. propter iniurias, quas in Episcopum dixit, vel fecit: quia nemo eum percussit; & ad incurrendam illam non sufficit voluntas percutiendi, neq; conatus ad percutiendum, quantumlibet fuerit percussioni proximus, secundum omnes, quos etiam nos sequimur in Manual. capite 27. numero 50.
- 2 & 51. Tum quia licet regulariter conatus ad delinquendum debeat puniri, iuxta cap. si forte. & alia multa. de pœnit. dist. 1. & alia, quæ tradit Felin. in tract. an conatus debeat puniri, non sequuto effectu, in principio; fallit tamen quo ad censuras: nam impositas contra facientem, non incurrit qui tantum conatur facere, per ea, quæ ipse Felin. citat ibidem fallentia 6. Secundo, quod iuxta sola iura decretalium, sexti, & clementinarum, & extrauag. impressarum, nemo prædictæ vniuersitatis incurrit excommunicationem propter insecutionem Episcopi: quia licet per illa iura incurrat excommunicationem, qui hostiliter insequitur Cardinalem, vt habet cap. felicis. de pœnis. lib. 6. non tamen incurrit eam per solam insecutionem Episcopi, nisi percuciat, capiat, vel banniat eum; iuxta clement. si quis suadente. de pœnis. Tertio, quod per Bullas Cœnæ Domini quas protulerunt Sanctiss. Dom. N. & Pius V. prædictum cap. felicis. fuit extantum ad omnes Episcopos ita quod, vt nos in d. cap. 27. nu. 67. & 97. declarauimus, Episcopi quo ad hoc sunt effecti pares Cardinalibus; eo quod, vt qui Cardinalem hostiliter insequitur, incidit in excommunicationem Bullæ Cœnæ, ita etiam qui sic insequitur Episcopum quemlibet.
- 4 Quarto, quod duo videntur debere concurrere ad hoc, vt per insecutionem incurratur prædicta excommunicatio. Vnum, quod sit exequutio, si-

ue sequutio, qua vnus post alium priuatim vadit : verbum enim, insequi, componitur ab in, & sequi, vt Archidiaconus, relatus ab Ancharano, & Dominico ait in d. cap. felicis. & ita non dicitur insequi, nisi qui sequitur. vnde Frachus ait, illum dici insequi, qui sequitur alterum, & qui hostili, & malo animo iniuriandi sequitur. Quinto, quod ex præcedenti dicto sequitur, quod illi soli prædictæ vniuersitatis videntur incidisse in excommunicationem, qui Episcopum præeuntem, & fugientem in domum suam, vel in partem tutiorem eius, vel in domum protectoris, à dorso sequuti fuerint, animo iniuriam ei inferendi ; & consequenter non illi, qui adierunt domum Episcopi, posteaquam ille non fugiebat, sed postquam se recepit ad eam, & in ea manebat, ad defensionem forte se præparans : neque qui adiuerunt domum protectoris, posteaquam se in eam recepit Episcopus.

6 Nam & secundum Ancharanum, & Dominicū, non videtur insequi Cardinalem ille, qui vadit etiam malo animo ad dandum insultum domui Cardinalis, quamuis meo iudicio Archidiaconus non loquitur ibi de excommunicatione, quæ incurritur per insequutionem, sed per capturam; quia fundat se super dicto Innocentij in cap. nuper. de sententia excommunicationis. qui non loquitur, nec potuit loqui de insequutione illius : decretalis longe post eum factæ; attamen ipsi videntur sic sensisse, & quidem recte: quandoquidem pœnæ sunt restringendæ, & nullatenus vltra propriam significationem verborum ampliandæ, cap. pœnæ. de pen. dist. 1. & verbum insequi, secundum originariam & primam significationem, vt dictum est, sequutionem, & motum vnus post alium significat, licet per translationem, & alias figuras, aliquando aliud significet. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Excommunicatus non est tangens Episcopum absque intentione mala.*
- 2 *Excommunicatio non incurritur sine peccato mortali, nec sine dolo.*
- 3 *Clericum retrahere & impedire potest laicus, vt futurum scandalum, seu peccatum impediatur.*
- 4 *Excommunicatus qui cum non esset, fuit absolutus cum iuramento Romæ veniendi, declarationem petet prudenter.*

CONSILIVM XXXVIII.

Quidam miles Hierosolym. bono zelo volens vitare scandalū, quod videbatur consequiturum verba cuiusdam Episcopi alloquentis arroganter Magistrum magnum ordinis, comprehendit eū iuxta extremitatem almuci partis posterioris, vt conuerteret faciem retro, & suade-

suadere silentium, & discessum. Quæritur, an inciderit in excommunicationem.

- 1 Arbitror, prædictum militem non incidisse in pœnam canonis si quis suadente. 17. q. 4. Tū quia illa non incurritur, nisi manus inrectio sit peccatum mortale, per ea, quæ nos citamus in Manu. Confessar. cap. 27. num. 78. & prædicta apprehensio, & tractio non fuit peccatum mortale, immo
- 2 neque veniale, sed potius meritum. Tum quia prædicta pœna non incurritur sine dolo, vt tradunt Panor. & Decius in cap. cum non ab homine. de iudi. & probatur per illa verba prædicti canonis, *Suadente Diabolo.* & prædictus miles nihil fecit dolo, sed bono fine: & à dolo excusat quælibet alia causa etiam iniusta, vt in hac ipsa specie dixit Decius ubi supra, nu.
- 3 10. per iura ibi citata. Tum quia potest etiam laicus retrahere, capere, & retinere clericum ad impediendum delictum, & scandalum futurum, ut ibidem Panor. & Decius cum communi affirmant per multa ibi per ipsos citata. & prædictus miles prehensionem prædictæ alamuciæ fecit ad impediendum delictum, & scandalum, quod ex prædicta alloquutione parum modesta probabiliter timebatur oriendum, & consequendum. At quoniam præfatus miles fuit ad cautelam absolutus propter impedimentum ueniendi ad Papam, & iurauit uenire ad ipsum, cessantibus impedimentis, prudentiæ fuerit perire à sua Sanctitate absolutionem ad cautelam, vel declarationem, quod non inciderit in prædicti can. pœnam; quod facile sua Sanctitas faciet, attentis prædictis, & quod prædicta prehensio, etiam si fuisset iniuriosa, erat leuis, & consequenter excommunicatio non erat reseruata Papæ, per textum singularem cap. peruenit. de sententia excommunicationis: quod nos declaramus in dicto Manua. cap. 27. num. 89.

S V M M A R I V M.

- 1 *Excommunicatus est percussus clericum aliter, quam pro defensione propria, vel proximis, & cum moderamine. & c.*
- 2 *Clerici percussio cum lapide, & magna sanguinis effusione, est enormis, & Papa reseruata.*
- 3 *Impeditus venire Romam, vt ab ordinario absolui possit, quando sit minor atas, patria potestas, vel paupertas.*

C O N S I L I V M XXXIX.

SVb patria potestate constitutus, & ætatis sexdecim annorum, & pauper, proximum suum defendere cupiens, clericum cum armis ueniens lapide in capite percussit, & ex percussione magna sanguinis copia

Par s ij.

Vu 3 ex. uir.

exiuit. Quæritur primo, an excoicationem referuatam inciderit. Secundo, an minor ætas, patria potestas, seu paupertas sit impedimentum iustū, vt possit ab ordinario in vtroque foro absolui.

- 1 Ad multa, quæ hic cumulate quærentur ex parte A. clerici, qui alterum clericum percussit lapide cum magna sanguinis effusione, respondetur primo, quod, si præfatus A. percussit aliter, quam pro defensione propria, vel proximi, cum moderamine inculpatæ tutelæ, incidit in excommunicationem ca. si quis suadente. 17. q. 4.
- 2 Secundo, quod videtur percussio prædicta grauis, & enormis: ita quod non peruenit absolutio excommunicationis inde exortæ ad Episcopū, per cap. peruenit de sent. excommunicationis, & per extrauag. quæ Pio II. ab aliquibus tribuitur, quam nos citamus in Manu. confess. cap. 27. num. 90. propter magnam effusionem sanguinis, & propter liuorem & maculam, quæ illa effecit.
- 3 Tertio, quod præfatus A. non excusatur à veniendo ad Papam pro absolutione propter ætatem: quia licet non sit maior 25. annis, est tamen maior impubere, qui solus videtur excusari per cap. vlt. de sent. excommunicationis.

Quarto, quod ratione paupertatis videtur posse excusari: quia nihil videtur habere, quod sufficiat ei ad accedendum ad Sedem Apostolicam, & non teneatur mendicare: quia non est solitus id facere, vt diximus vbi supra, num. 88. post Panorm. in cap. ea noscitur. de sentent. excommunicationis. Sed, si absoluatur ab episcopo propter hoc impedimentum temporarium, tenebitur præsentare se illi, cessante impedimento, per cap. quauis. de sent. excomm. & cap. eos. eod. tit. lib. 6.

Quinto, quod etiam excusari posset ratione patriæ potestatis, si absque præiudicio patris venire non posset: quod an facere possit, nec ne, quæstio est facti, quæ per narrata decidi non potest; & cessante præiudicio, oportebit eum venire, nisi aliud eum excuset per prædicta.

S V M M A R I V M.

- 1 *Excommunicatus publicus censendus est, qui coram maiori parte conuentus clericum à sede expulit, vel brachio violenter traxit.*

CONSILIVM XXXX.

Quesitum est, an monachus ante legitimam ætatem ordinatus presbyter, & solitus sedere vltimus presbyterorum, donec celebraret, & adeptus legitimam ætatem iussus celebrare, vel vltimus presbyterorum sedere, & parens alteri parti præcepti disiuncti sedendo in vltimo loco, cum post aliquot dies gratiæ agerentur in mensa, surrexit,

xit, & vt caperet locum inter sacerdotes sibi competentem iuxta tempus suæ professionis, manus intulit violentas in duos presbyteros superius sedentes, alterum brachio trahens, alterum à pectore excutiens, incidit in canonem si quis suadente.

I Respondeo primo, multis modis ipsum letaliter peccasse. Primum, volendo auctoritate priuata proximum à loco, quem possidebat, expellere in præsentia iudicis superioris vtriusque, à quo poterat petere restitui sibi eum, si ad se pertineret. Secundo, contraueniendo præcepto superioris à se acceptato. Tertio, gratias, quæ Deo pacifice agi cœperant, interturbando. Quarto, totum conuentum scandalizando. Quinto, manus iniurias in duos presbyteros iniiciendo: & proculdubio ipsum incurrisse, & grauissime præfatum canonem. Tum quia iniecit manus iniurias in presbyteros auctoritate priuata. Tū quia voluit possessionem sui loci contra superioris præceptum.

Secundo, quod non solū peccauit mortaliter omnibus modis supradictis, sed etiam incurrit excommunicationem maiorem per præfatum canonem fulminatam: & adeo quidem, quod sine alia iudicis auctoritate debuit ab omnibus vitari: quia licet excommunicatus à iure regulariter non debeat vitari, donec denunciatur, per extrauag. ad euitanda. Marti. V. cuius tenorem referimus nos in Manu. confes. cap. 27. num. 35. fallit tamen in iniiciente manus violētās notorie in clericū, vt ipse iniecit, cum id maior pars conuentus viderit; præsertim quod clerici, in quos iniecit, erant presbyteri; quod plurimum auget peccatum: quod vtiā ei, & mea mihi condonet Dominus noster Iesus Christus, qui peccantium miseretur. &c.

S V M M A R I V M.

I Clericum casu cum vxore inuentum occidens non est excommunicatus; secus, si ex præcedente maturo iudicio id faciat.

CONSILIVM XLI.

AN cap. si vero, il. 1. de sent. excomm. habeat locum in eo, qui occidit presbyterum inuentum cum vxore sua?

I Respondeo, quod sic, si casu inuenisset, & excontinenti occideret illum, non autem qui postea, & remisso dolore, id facit, secundum Ang. verb. excommunicatio 5. §. 9. Sed quid de marito, qui se abscondit domi, vt presbyter id ignorans veniret ad domum, & inuentum cum vxore occideret eum? Et videtur idem, cum contextus illius c. generaliter loquatur, arg. l. de pretio. ff. de publica. in rem act. & quia intentio Papæ videtur

V u 4 fuisse

fuisse, quod maritus non incideret in excommunicationem ob percussio-
nem clerici in casibus, in quibus liceret lege sæculari eum percutere.
Quicquid sentiat Fortunius in tractatu de ultimo fine, illatione 11. vers.
4. infero si in casu proposito, non occidit impetu subito doloris, sed præce-
dente maturo iudicio, tutius dicitur, quod sic, secundum mentem Ange-
li, verbo excommunicatio. §. 19.

S V M M A R I V M.

- 1 Prælati correctionis causa verberare subditos possunt per se, vel alios, etiam laicos ex consuetudine nu. 4. & 6.
- 2 Ignorantia facti, & non iuris excusat, nisi sit obscurum, seu parum frequentatum. num. 2. 5. & 7.
- 3 Error male intelligendi priuilegia, seu leges, excusat. num. 7. & vlt.
- 3 Ignorantia iuris probabilis æquiparatur ignorantie facti, & excusat à culpa & à pœna pro ea posita. num. 8. & 9.
- 9 Ignorantia iuris excusat religiosos, qui illud scire non tenentur.
- 10 Consuetudo à culpa & à pœna excusat, & humana legi derogat. num. 10. & 11.
- 11 Consuetudo est rationabilis, quando non est contra ius diuinum, & decen-
tia fauet.
- 12 Consuetudo etiam irrationabilis ab excommunicationis pœna excusat, licet non à peccato.

C O N S I L I V M - XLII.

Quidam Prælati ordinis Minorum, bona fide credens id sibi lice-
re, fecit causa iustæ correctionis verberare quendam religiosum
sibi subditum per laicum familiarem monasterij deferentem ha-
bitum tertij ordinis Minorum. Queritur, an sit excommunicatus.

- Respondeo primo, pro parte negante facere duo priuilegia Alexan-
dri vj. & Leonis X. quibus facta est Prælati fratrum Minorum facultas ca-
stigandi subditos suos per alios, non obstante c. vniuersitatis. de senten-
2 excommunicationis. Secundo, quod ignorantia excusat quem à pœna,
etiam in hac ipsa materia, c. si vera. de senten. excom. & aliquando etiam
à culpa, cap. 2. de const. & specialius quo ad materiam nostram in cap. 2.
3 eodem titulo lib. 6. Tertio, quod nemo incurrit excommunicationem
ipso iure ob aliquam dispositionem generaliter excōmunicatam, nisi pro-
pter peccatum mortale, c. nemo. & c. nullus. 1. 1. q. 3. At præfatus Præla-
tus non videtur peccasse mortaliter.

Pro.

4 Pro parte autē affirmante facit primo præfatum cap. vniuersitatis. quod habet in summa Abbates, & alios Prælatos inferiores Episcopis, posse quidē causa correctionis verberare suos subditos per alium, modo ille sit clericus, vel monachus: & in casu nostro verberatio fuit facta per alium, qui non erat clericus, nec monachus. Secundo, quod ignorantia iuris regulariter non excusat, cap. ignorantia facti, non iuris, excusat. de reg. iur. lib. 6. & constat, hanc, quæ prætenditur, ignorantiam esse iuris, & non facti.

6 Quibus præmissis, respondeo primo præfata priuilegia Alexandri, & Leonis nihil prodesse præfato D. Consulenti; quoniam intentio eorum solum fuit statuere, quod correctio posset fieri à Prælati per alium absolute, etiam si non vrgeret aliqua necessitas id faciendi per alium; modo ipse esset frater sibi subditus, vt exprimit Leo, cuius priuilegium videtur aliqua ex parte maius priuilegio Alexandri, ita quod solum ampliet illud cap. ad hoc, vt corrigere possit per alium, etiam si necessitas non urgeat; non tamen ampliauit ad hoc, vt possent id facere per laicum, etiam si necessitas vrgeret. Secundo quod error male intelligendi priuilegia illa posset excusare D. Consulentem, si ex illorum malo intellectu bona fide credidisset præfatum cap. ampliatum esse per illa, etiam ad id, quod proxime diximus non esse ampliatum secundum verum intellectū; quia transgrediens legem humanam, bona fide errado in intelligendo illam, non peccat mortaliter, vt singulariter dicit Innoc. cap. per tuas. 2. de simon. cōmend. à Bal. in l. ab eo. C. quomodo, & quando Iudex. dicens per illud, iudicem errantem in subtilitatibus iuris nō peccare mortaliter; quos sequitur alia multa congerens Felin. in c. 1. num. 25. de re iudic. & quod Ioannes Monach. recept. in reg. iuris ignorantia. de reg. iur. lib. 6. dicit, quod ignorantia iuris parum frequentati excusabiliter toleratur.

8 Tertio, quod etiam ignorantia præfati cap. vniuersitatis. excusauit eum, si fuit probabilis, & causa illius modi verberandi, id est, quod non verberasset sic, si sciisset contrariam legem. Tum quia ignorantia probabilis iuris æquiparatur ignorantia facti, iuxta gloss. recept. in c. unico, de postul. præla. lib. 6. verb. de cetero. ex qua id colligunt Ioannes And. Dom. & Franc. Tum quia ignorantia præfata non est contra ius naturale, neque diuinū; cum per sola illa non teneatur Prælaus ad corrigendū, & verberandum per se, neque per clericum, vel monachum, quando iuste potest verberare per aliū, vt palam est. Tum quia ignorantia statuti, immo & legis communis, imponentis aliquam pœnam facienti aliquid, etiam de se malum, & iure naturali, vel diuino prohibitum, excusat ab illa pœna, per ea, quæ latius dicimus in Manu. confess. cap. 27. nu. 274.

9 Quarto, quod dubitari potest, an ignorantia præfati D. Consulentis sit crassa, vel supina: nam ab vna parte videtur, quod sic: quia est igno-
rantia

rantia iuris cōmunis, quod omnes scire tenentur, l. leges. C. de legibus. Sed contrarium videtur verum. Tum quia prædicta lex continet ius humanum, vt supra insinuatum est: quod facilius ignoratur, quam ius naturale & diuinum, §. notandum. adiunct. gloss. nota. 1. q. 4. Tum quia hoc ius est satis remotum à iure naturali, & diuino; cum per illa parum referat an reus verberetur per laicum, vel clericum: eodem enim modo est verberandus per vnum, atque per alium, vt palam est. Tum quia religiosi, immo nec clerici, non tenentur scire iura huiusmodi humana: adeo quod opprobrium est illis, ostendere se peritos disceptationum forensium, l. consulta. C. de testa. & l. repetita. C. de episc. & cler. Tum per præfatum dictum Innoc. & alia in 2. dicto supra posita.

10 Quinto, quod in tota Gallia seruatior contrarium huius iuris per cōsuetudinem generalem, teste Stepha. Auferrio in repet. clem. 1. de offi. ordi. in reg. 3. fall. 2. quæ sub nomine tractatus de potest. secula. super eccles. est sita in volumine nono tractat. ita quod in curijs episcopali- bus passim torquentur, & causa correctionis verberantur, siue fustigan- tur clerici per laicos. quæ consuetudo, si est rationabilis, excusat à culpa, & pœna. arg. cap. fin. de consuet. & mea sententia est rationabilis, quid- quid sentiant Anton. Panor. & Felin. in d. cap. vniuersitatis. & Panor. & Felin. in cap. vt famæ. de sent. excommunicationis. Tum quia non est contra ius naturale, neque diuinum; & quia decens est & honestum, ne clerici, & monachi vtantur officio adeo vili, cuius exercitium etiam monachi, qui omnibus honoribus, saltem sæcularibus, renunciarunt, vile putant, & infame. quam consuetudinem etiam in Italiam penetrasse satis testatur Panor. in d. cap. vt famæ. dicens, Anton. consuluisse non de- bere id fieri: & tamen eius consilium non fuisse seruatum. immo, vt audio, in ipsamet vrbe laici executores, birri, & manigoldi, de licentia Illustrissimi Vicarij Papæ, torquent, & fustigant æque ipsos clericos, ac laicos.

11 Sexto, quod si hæc consuetudo est rationabilis, præfatus D. Con- sultens nec est excommunicatus, nec quidquam peccauit; quidquid Ant. Panor. Felin. & aliquot alij sentiant; illa firma ratione, quod consuetudo rationabilis tempore legitimo continuata derogat legi humanæ, cap. final. de consuet. cum sibi concord. & quod lex prædicta de verberando clericum per clericum & monachum, & non laicum, est humana, vt prædictum est. Quod autem consuetudo præfata sit rationabilis, conclu- dunt necessario duo, scilicet, quod non est contra ius naturale, neque diuinum: & quod decens est, & honestum, ne clerici, &c. & illud est decens, & honestum, quod non est contra ius naturale, neque diuinum: & iuris prudentibus, & bene moratis videtur tale, arg. cap. quo iure. 8. dist. & cap. quisquis. 41. dist. quod possit muniri multis, quæ tradun- tur per omnes, & præsertim Roch. in d. c. fin.

12 Septimo, quod consuetudo prædicta, etiam si esset irrationabilis, excusasset D. Contulentem ab excommunicatione, licet non à peccato; quoniam consuetudo, etiam irrationabilis, & quæ est contra ius naturale diuinum, excusat transgressorem legis à pœna humanitus posita, licet non ab æterna diuinitus constituta, iuxta gloss. celebrem, & rezeq. cap. denique. 4. dist. cui est satis similis à multis putata sing. in cap. cum venerabilis. de consue. ver. migrasse.

13 Itaque resoluendo responderetur primo, quod, licet præfatus D. Consulens non fuisset excusatus per præfata priuilegia Alex. & Leonis recte intellecta, tamen potuisset excusari per errorem intelligendi ea male, bona tamen fide. Secundo, quod ignorantia præfati cap. vniuersitatis. si sincera fuit, & causa præfati modi verberandi, excusauit eum, etiam si nulla esset consuetudo illi contraria. Tertio, quod excusauit eum consuetudo contraria, si qua est in Italia similis illi, quæ est in Gallia, qualem credimus esse, siue dicatur rationabilis, qualè arbitror esse, siue irrationabilis. Et quia per hæc dicta colligitur responsio clara oppositorum, non respondeatur ad ea.

S V M M A R I V M.

- 1 *Episcopi à casibus, & censuris, ante, & post Concilium Papæ reseruatis, absoluerunt in foro conscientie possunt.*
- 2 *Absolui pœnitentes possunt virtute Iobelei à reseruatis Papæ, etiam post Iobeleum concessum commissis.*
- 3 *Absoluerunt Episcopi possunt per Concilium Trid. etiam à casibus in bulla Cænæ reseruatis.*
- 4 *Bannitos receptantes, seu adiuuantes, Episcopi absoluerunt possunt, in foro saltem conscientie.*

C O N S I L I V M XXXXIII.

AN Episcopus possit vti facultate sibi data à Concil. Trid. sess. 24. c. Aliceat Episcopis. in absoluendo suos subditos in casibus Summo Pontif. & Sedi Apосто. reseruatis in Moribus proprijs, & alijs constitutionibus promulgatis etiam post ipsum Concil. & specialiter in constitutione contra receptatores bannitorum promulgata anno 1580. & an in casibus bullæ Cænæ Domini, excepta hæresi.

AD PRIMAM trium quæstionum, quæ in hoc dubio tanguntur, respondeo, quod sic, præterquam in casibus reseruatis cum clautula derogatoria, per quam sufficienter derogatur præfato Concil. Trid. Tum quia

- quia præfatam Concil. Trid. dat præfatam licentiam generaliter, non distinguendo inter referuationes præteritas, & futuras; & ita generaliter est intelligendum, l. de pretio. ff. de publi. in rem actio. cap. solitæ. §. fin. de maiorit. & obed. Tum quia indulgentia, & facultas absoluendi, quæ datur in lobeis, extenditur ad peccata futura, vr nos concludimus contra quosdam in tracta. de indulgentijs super §. in leuitico. not. 34. num. 4. vbi responderetur ad ea, quæ poterant contra hoc responsum obijci.
- 3 AD SECUNDAM, quæ etiam hic tangitur, responderetur, quod facultas facta Episcopis in prædicto ca. liceat. extenditur ad casus per bullam Cœnæ referuatos. Tum quia limitat illam quo ad hæresim, quæ est vnus casus bullæ Cœnæ: quod non conueniebat facere, nisi ad casus præfatæ bullæ extendere præfata facultas: quamuis propter bullam Cœnæ, quæ à paucis annis publicatur, videatur derogatum præfato cap. liceat. in totum quo ad hæresim; sed id nihil obstat huic responso.
- 4 AD TERTIAM, quæ hic tangitur, responderetur, quod præfata facultas extenditur ad præfatam extrauag. latam contra iuuantes, & receptantes bannitos, & alios in ea contentos. Tum per ea, quibus responso prima munitur. Tum quia præfata extrauag. nullam habet clausulam, quæ præfato cap. liceat. derogeret.

S V M M A R I V M.

- 1 Clericum arma portantem in Gallia iudex secularis punire virtute consuetudinis potest.
- 2 Clerici noctu arma portantes capi solent.
- 3 Clericos arma portantes in Hispania secularis iudex non punit.
- 3 Clericos arma portantes si apparitores capiant, non peccant, nec incurrunt excommunicationem. & seq.
- 4 Clericos arma portantes velle delinquere presumitur.
- 5 Apparitores clericos capientes. vt eos armis spoliunt, peccant.
- 5 Apparitores arma à clericis capta ante condemnationem restituere non tenentur.
- 6 Prætor est iudex competens ad armorum restitutionem clericis faciendam, & an sit Episcopus dubium.

CONSILIVM XXXIV.

Prefectus uigilum secularis, agens noctu excubias, inuenit clericum ordine sacro insignitum armatum, quem iuste possit capere, & deducere ad Episcopum, vel Proepiscopum. clericus autem tradidit ei sponte arma,

arma, ne duceretur ad Episcopum. Queritur primo, an præfatus Præfectus vigilum inciderit in excommunicationem ca. si quis suadente. 17. q. 4. Secundo, an saltem male fecerit, & peccauerit. Tertio, an puniri possit ab Episcopo?

Ad supradicta respondeo primo, quod in Gallia crimen, quod appellatur in ea portus armorum vetitus, iudex secularis potest punire clericum arma indebite portantem pœna civili, virtute consuetudinis immemorabilis, quæ habet vim priuilegij, iuxta l. hoc iure. §. aqueductus, ff. de aqua quotidiana, & æstiuâ. & cap. super quibusdam §. præterea. de verb. signific. vt late refert Steph. Aufre. in reperi. clem. 1. de officio ordinarij, regul. 1. fallentia 10. & consequenter possit in illo regno Præfectus vigilum, vel is, ad quem ea dere notio pertinet, punire eum pœna perditionis armorum, vel alia maiori, pro excessu qualitate.

Secundo, quod certum est apparitores, siue Algoziles iudicum secularium Hispaniæ frequenter capere clericos, etiam ordinum sacrorum, & scholasticos à iurisdictione seculari omnino exemptos, portantes arma noctu; & quod rogati ab eis, ne ducant eos ad manus Episcopi, vel ad magistratos scholarum, dimittunt illos, armis tamen sibi sponte dimissis, quod in vtrorumque vtilitatem cedit. Nam clerici, & scholastici non deducuntur ad iudices suos, & sequenti die pauca pecunia redimunt arma, & mox etiam aliquando nocte sequenti deferunt illa, & inuenti cum eis, iterum traditis illis apparitoribus, soluuntur, & sequenti mane iterum redimunt ea; ita, quod illa gestatio armorum sit quædam vindemia, & messis apparitorum.

Tertio, quod nusquam legi, nec audiui, quod iudices seculares, nec apparitores Hispaniæ allegarent pro se consuetudinem similem illi gallicanæ immemorabili, quæ priuilegium generaret in Hispania secularibus castigandi clericos super crimine portus armorum.

Quarto, quod credo, apparitores huiusmodi non incidere in excommunicationem præfati canonis si quis suadente. non quidem eo quod capiunt eos portantes arma; quia licet eis id facere ob rationem infra in §. fund. scriptâ: & ita non peccant in eo mortifere, quod requiritur ad incurrendam excommunicationem maiorem, cap. nemo, & cap. nullus. 11. q. 3. non etiam eo quod capiunt arma: quia non tollunt illa violenter, quod canon requirit, sed sponte data recipiunt. Nec obstat quod metu deductionis ad competentes iudices illa tradant. Tum quia ad incurrendam excommunicationem illius canonis non sufficit metum iniicere, neque metu iniecto bona capere, sed requiritur, vt violentia fiat personæ gaudenti priuilegio illius canonis: verba enim eius sic habent, *Si quis suadente Diabolo manus violentas, &c.* Tum quia apparitores non inferunt illum metum iniuste, sed iustissime: quia iuste possunt eos ducere ad suos iudices, & huiusmodi metus non inducit violentiam, immo neque metum,
ex quo

ex quo nascatur actio quod metus causa, vt est casus singularis in l. si mu-
li. ff. quo metus. causa iuncta sua gloss. in hoc apta.

Quinto, quod prefati apparitores non peccant eos capiendo: quia li-
cet neque iudex secularis, neque apparitores eius possint regulariter au-
cloritate propria clericos capere, fallit tamen quando id faciunt ad obui-
andum delicto committendo, siue constet, quod volunt committere de-
lictum, siue presumatur, iuxta gloss. adiuncto text. in cap. 2. de hereticis,
quam in hoc commendat Dec. in ca. cum non ab homine. de iudicijs. nu.
10. vbi, & in cap. vt famæ, de sententia excommunicat. dicit Panormit.
quod familia potestatis secularis potest capere clericum incedentem no-
cto cum armis, quia presumitur ire ad delinquendum.

¶ Sexto, quod arbitror prefatos apparitores peccare grauiter coram Deo,
capiendo eos principaliter, vt querant arma eorum, & eis acceptis eos
dimittant. Tum quod sine iusto titulo videntur ea capere, cum non de-
ducant eos ad iudices competentes; quia non faciunt id, ob quod acci-
piunt illam potestatem capiendi, quæ est causa capture, scilicet, dedu-
ctionem ad iudices competentes. Hoc tamen peccatum, quia non est pec-
catum violentiæ illatæ personæ clerici, vel scholastici, non videtur sufficiens
ad incurrendam prefati canonis censuram per prædicta.

Septimo, quod prefati apparitores possunt per iudices competentes
ob hoc peccatum, vel delictum puniri: quia interest reipubl. ita vulnera-
tus. ff. ad l. Aquil. cap. vt famæ. de sententia excom. Arbitror tamen non te-
neri eos ad restitutionem de præcepto in foro animæ, donec condemnen-
tur: quia arma prædicta videntur dari ob turpem causam, ne scilicet ius-
te capti deducantur ad iudices competentes, & ob turpem causam sunt
accepta, nempe ne deferant captos ad præfatos iudices, ob quam dedu-
ctionem data est illis potestas illa capiendi: & nos probamus efficaciter
in Manuali confessoriorum, cap. 17. num. 30. turpiter datum, & turpiter
acceptum non esse de præcepto restituendum.

Octauo, quod puto prefatos clericos non posse arma illa repetere, etiã
in foro exteriori, per l. vbi. & seq. ff. de condition. ob tur. cau. quæ ha-
bent expresse non posse repetere eum, qui turpiter dat, ab eo qui turpi-
ter accipit.

¶ Nono, quod certum est iudicem sæcularem, cuius est apparitor, esse iu-
dicem in hoc competentem. An autem idem dici possit de Episcopo, virum
sit iudex cõpetens, videtur dubium. Nam pro parte affirmante facit,
quod capiendo arma clericorum videntur capere res ecclesiasticas, & ita
facilegium committere, argumento cap. qui prædia. 12. q. 2. ratione cu-
ius possunt conueniri coram vtroque iudice, tam ecclesiastico, quam secu-
lari, cap. cum sit. de foro compet. Sed pars negans videtur verior. Tum
quod nec Rex Hispaniæ, nec iudices eius id paterentur. Tum quod, licet
clerici sint ecclesiastici, arma tamen eorum non sunt res ecclesiæ, nisi es-
sent

sent monachi, quorum omnia bona sunt ecclesiastica, cap. non dicatis. l. 2.
q. 1. quo casu de rigore iuris posset pars affirmans teneri. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

1 Subdiaconum incarcerans, & tamquam testem, & principalem examinans, in excommunicationem bullæ Cœnæ incidit.

C O N S I L I V M XXXV.

PRætor ad se accersiri fecit N. notorie subdiaconum, illique præcepit, ut ex quadam parte superiori palatij dicti Prætoris, sub pœna pecunia, non discederet, assignando illam partem pro carcere. Præterea prætor etiam dictum subdiaconum examinavit tamquam principalem quo ad se, & testem quo ad alios; & sic illum constituit tamquam reum: & facto dicto constituto, ulterius stetit in decretis, & illum retinuit per triduum, post quod tempus dictus subdiaconus ordinario ecclesiastico repetenti, ad cuius notitiam prius dicta detentio non venit, fuit, licet inuite, restitutus. Dubitatur, an dictus prætor ob prædicta, ultra excommunicationem ca. si quis suadente, in quam illum incurrisse dubium non est, etiam in bullam Cœnæ incidit.

1 Respondeo, quod videtur is prætor incidisse in censuram bullæ Cœnæ, per xj. vel xij. vel utramque clausulam, vel excommunicationem illius: quamvis ego nullam videar declaracionem specialem facere super hoc in illa bulla. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

1 Dantes seu promittentes ministris, ut pro gratia concedenda preces interponant, pœnas incurrunt; secus, si ut sollicitent, & reducant ad memoriam.

C O N S I L I V M XXXVI.

Volens Titius de aliquo beneficio, vel beneficijs provideri, dedit cuidam famulo cuiusdam ministri Papæ duo, vel forsan quatuor scuta, ad hoc, ut intercederet pro ipso Titio; & similiter alia munuscula, quæ forsan ad valorem duorum scutorum non ascendebant, substituto prædicti ministri

ministri dedit; & finaliter ipse Titius de beneficio quodam fuit prouisus valoris 16. scutorum. Queritur an incurrerit pœnas extrauag. de datis, & promissis.

- 1 Respondeo, q̄ si orator dedit prædicta scuta, & munuscula prædicto familio, vt intercederet, ita vt esset mediator ad concedendum beneficium, simoniam realem admisit; si autem dedit, vt dictum ministrum faceret memorem mandati facti, quo illud adimpleret, non addendo preces, quibus moneretur ad concedendum, posset dici non esse simoniam, vt videntur intellexisse, qui super fuerunt consulti. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Promittens extra curiam pro protonotariatu in ea obtinendo excommunicationem incurrit.
- 2 Ignorantia extrauagantis excusat existentes extra curiam à pœnis grauibus, & excedentibus delicti naturam.
- 3 Ignorantia excusat à pœnis per Bonif. VIII. positas, non tamen à pœna nullitatis.

CONSILIVM XLVII.

M Promisit 20. scuta cuidam familiari cuiusdam magnatis, sicut protonotarium impetratum traderet: ille impetrauit, & tradidit; & M. soluit illa, & aliquid amplius, ignorando penitus extrauagan. Gregorij XIII. de datis, & promissis. Queritur an inciderit in pœnas illius extrauagant.

- 1 Respondetur primo, quod D. Orator, & consulens non potest excusari, eo quod præfata consecutio gratiæ protonotariatus nõ sit facta apud Sedem Apostolicam, propter ea, quæ nos scripsimus in comment. præfate extrauag. notab. 17. quoniam assequutio præfate gratiæ fuit facta in ipsamet curia, & illa est gratia pertinens ad Sedem Apostolicam, siue Papam ratione Papatu, & potestatis ecclesiasticæ; quæ duo sufficiunt ad hoc, vt iustitia, vel gratia dicatur facta apud Sedem Apostolicam, per iura, & rationes late adductas ibidem.
- 2 Secundo, quod probabiliter responderi potest, præfatum D. consulentem excusari posse, saltem quo ad forum conscientiæ, saltem à pœnis extrauag. præfate Gregorij XIII. quas ipse addidit pœnis impositis à Bonifacio VIII. in extrauag. 2. de sentent. excomm. inter communes, per rationes, quas nos adducimus in d. commentario eiusdem extrauagantis, notab. 23. & neruosiùs per iura, & rationes adductas in nostro Manuali confess.

confess. cap. 27. num. 274. quoniam præsupponitur in casu proposito consulentem ignorasse penitus extrauagan. prædict. & in præfatis locis probatur, quod ignorantia talis excusat, saltem quo ad forum conscientie, à pœnis valde grauibus, & extraordinarijs, excedentibus naturam delicti; quales sunt profecto pœnæ, quas præfatus Sanctissimus Gregorius addidit extrauagan. præfati Bonifacij VIII. inductæ ad fugandam venalitatem gratiarum, & iustitiæ, quæ non solum in curia, sed etiam in toto orbe Christiano grassabatur. Pro quo ultra ibi scripta facit, quod extrauag. Bonif. VIII. fuerat olim reuocata, & non ligabat, donec fuisset à Gregorio innouata, vt in d. commentario prænotab. 2. nuu. 1. dicimus; & ideo facilius potuit ignorari.

- 3 Tertio, quod etiam probabiliter dici posset, præfatum D. consulentem excusari à pœnis contentis in prædicta extrauag. Gregorij XIII. quas imponerat Bonifacius VIII. excepta pœna excommunicationis, & annulationis gratiæ protonotariatus. An autem etiam ab ipsis excusetur, in præsentia nec affirmo, neque nego.

S V M M A R I V M.

Ignorantia excommunicationis ab ea excusat.

- 2 *Penas quatuor posteriores, dans, seu promittēs pro gratia, eas ignorans, non incurrit in foro conscientie.*
 3 *Gratia reuadationem, & remissionem petere debet, qui pro ea obtinenda promisit, seu aliquid dedit.*

C O N S I L I V M. XLVIII.

Quidam N. residens in Hispania, & ignorans extrauag. ab ipso Gregorij XIII. de rebus datis, & promissis, scripsit Romam ad Cæsare, rogans, vt expediret quandam prouisionem cuiusdam beneficij, ad quod erat nominatus à Rege, promissis 40. vel 20. pro strena, vel mâcia bonæ expeditionis; qui Cæsar expediuit bene literas, & ex pecunijs, quas per literas cambij misit, accepit sibi pro strena 25.

Quæritur, vter eorum, an vterque, an neuter incurrerit pœnas extrauag. præfatæ.

- 1 Respondeo primo, præfatum N. satis excusari posse à pœnis præfatæ extrauag. saltem quo ad forum conscientie, ob ignorantiam, donec sciuerit præfatam extrauag. & quod contra eius prohibitionem promissi, & accepti illi 25. ducati fuerunt, per quædam, quæ de ignorantia scripsimus ipsi in cap. 27. Manu. Confess. num. 274.

Pars ij.

Xx

2 Secun-

- 2 Secundo, quod non sunt mihi vires, quas multum desiderabā adesse ad defendendum Cæsarem, & liberandum ab incursione trium pœnarum de octo, quas ipse colligo in commentario prædictæ extrauag. notab. 3 1. quamuis quo ad primā & alias 4. postremas arbitror ipsum liberum esse quo ad forum conscientia, ad finem, vt non teneatur ipse illas per se absq; iudicis sententia subire.
- 3 Tertio, quod D. Consulens consulte facit seruādo hanc rem secretam, & petendo in sacra Pœnitentaria condonationem harum pœnarum, & reualidationem præfatæ prouisionis, nullius expressō nomine. & quatenus licuerit, nos quoque fauebimus ei, ad gloriam Dei, qui nos omnes saluet. Amen.

S V M M A R I V M.

- 1 Promittens per verba generalia talia, quæ ad licita non inducerent obligationem, peccat mortaliter, non tamen incurrit pœnas.

C O N S I L I V M XLIX.

AN promissio facta ab aliquo pro iustitia, vel gratia per verba generalia, per quæ in foro exteriori non obligaretur ad licita, sit mortalis, & incurrat pœnas impositas à Greg. XIII. & Bonifacio VIII. in extrauag. Ab ipso. de rebus dat. & promiss.

- 1 Quæ quæstio videtur omisa in nostro commentario super eadem extrauag. num. 2 1. & duobus sequentibus. Pro parte negante facit, quod, vt vbi supra determinatur, promissio, quæ sola intentione est illicita, non includitur sub illa extrauag. & quod ad incurrendam pœnam illicitam non sufficit intentio, siue voluntas dandi, paciscendi, vel promittendi, etiā illicite; sed oportet, quod sequatur datio, & actio, vel promissio illicita; qualis non videtur esse illa, quæ sola voluntate, & intentione est illicita.

Pro parte vero affirmante facit, quod ibidem determinatur, promissio, & pactionem non solum expressam, sed etiam tacitam contineri sub eadem, & quod voluntatem faciendi id quod est peccatum mortiferum, si est mortale, cap. si cui. de pœnit. dist. 1. facit etiam, quod simonia mentalis, licet sit mortifera, non tamen sufficit ad incurreadas pœnas impositas, cap. fin. de simonia. & quod voluntas pro facto reputatur, cap. dixi & cap. magnam. ead. dist.

S V M M A R I U M.

- 1 Promittentes in curia pro gratia, etiam ea non obtenta, excommunicantur
- 1 Auxilium dantes ad promittendum pro gratia, ea non obtenta, penas non incurrunt. & 4.
- 2 Promissio non est dicere, ille, vel ille tibi siue alij dabit, si facias hoc.
- 2 Promittens se ipsum non obligat proxenata, nec tenetur mandati.
- 3 Promissiones ipso iure nullæ in materia lata, non includuntur in extrauag. Greg. XIII.
- 4 Ignorantia excommunicationis excusat ab ea, licet non à peccato.

CONSILIVM L.

Titius dixit Sempronio, ego donarem centum ei, qui mihi impetraret dispensationem matrimonialem, quam habeo in hac supplicatione expressam. Sempronius accepit dictam supplicationem, & adiuit Seiũ, dicens ei: est data mihi hæc supplicatio; si amicus tuus obtinebit hanc gratiam, lucrabitur 100. scuta. Seius tradidit illam supplicationem Meuius, cui dixit eadem verba. Meuius tandem, accepta d. supplicatione, allocutus est seruitorem alicuius Illustrissimi pro dicta obtentione, à quo accepit responsum, quod ipse alias habuit pro manibus dictã supplicationẽ, & quod summus Pontifex nolebat gratiam facere. Quæritur, an dicti mediatores incurrerint censuras extrauag. S. D. N. ab ipso. Attento maxime, quod ipsi mediatores, licet diu Romæ permãserint, & olim audierint in generali, existere quandam bullam de datis & acceptis pro gratia, & iustitia; ignorabant tamen contenta specialiter in ea, & etiam penas.

- 1 Ad hanc quæstionẽ respondeo primo, multa posse pro vtraque parte adduci. Quandoquidem pro parte affirmante facit, quod ad incurrendas censuras præfatę extrauag. nõ requiritur, quod obtineatur gratia, vel iustitia: sed sufficit promittere, pacisci, vel dare aliquid pro ea obtinenda, vt nos probamus in comment. eius, notab. 8. nu. 11. Neque requiritur, quod promissio fiat pro iustitia, vel gratia obtinẽda in vtilitatem promittentis; sed sufficit, quod fiat in vtilitatẽ tertij, vt adnotamus in d. com. not. 12. nu. 27. Facit etiam pro hac parte, quod ad incurrendas censuras præfatas sufficit dare auxilium, consilium, vel fauorem.

- 2 His tamen non obstantibus, pars negans est verior. Primo quidem, quod nullus horum quidquam promittit: aliud enim est promittere aliquid alicui, & aliud est dicere illi, ille vel ille daret tibi centum, si faceres illud, aut illud: qui enim promittit, obligat seipsum, vel habet animum se

V u 2 obligan-

obligandi saltem naturali obligatione, iuxta l. primam, ff. de pollicita. & §. si scriptum, insti. de inutil. stipula. & proprius in l. 2. ff. de proxenet. que habet, proxenetam, & mediatorem, siue consiliatorem, non teneri mandato, vel obligatione descendenti ex illo contractu, qui fit inter alias partes, eo
 3 mediante, vel consulente. Secundo, quod prefata extrauagans non includit promissiones, que sunt ipso iure nullę; licet in materia minime vetita fierent, qualis est promissio iocosa, vel ab infante, vel furioso facta; & talis videtur esse illa, qua quis dixerit alicui, Petrus mihi scripsit, quod daret
 4 100. ei, qui sibi impetraret illam, vel illam gratiam. Tertio, quod ignorantia prefatorum mediatorum videtur exculare illos a pœnis prefatę extrauag. per ea, que breuiter tradimus in Manu. confess. cap. 23. nu. 47. vbi post alia, que in numero 45. scribuntur, tradimus, quod, licet ignorantia, etiam que est causa peccati, non excuset a peccato transgressionis legis naturalis vel diuinę, excusat tamen a pœna excommunicationis latę contra transgressores eius, & etiam ab alia valde extraordinaria, secundum Anton. cap. a nobis, il primo. de sentent. excomm. & D. Antoninũ, & alios citatos, pro quibus est textus in cap. 2. de constit. lib. 6. si illa ignorantia fuit causa peccandi, ita quod si sciissent tales pœnas fuisse impositas, nõ fuissent transgressi illam; & ex his que illis addimus in eod. Manu. ca. 27. num. 172. vbi paulo altius tanguntur seminaria rationum huius conclusionis. Et ita, licet prefati non excusentur a peccato transgressionis legis naturalis diuinę, qua prohibetur talis promissio, excusantur tamen a pœna excommunicationis, & alijs pœnis valde extraordinarijs prefatę extrauag. adiectis.

Ad primum oppositum respondetur, concedendo assumptum; negando tamen, quod prædicti mediatores fecerint vllam promissionem, præsertim talę, que obligasset eos, etiam si fuisset facta in materia debita, & iusta.

Ad secundum respondetur, concedendo assumptam, quando peruentum est ad obtentionem gratiæ; secus autem est, quando non est ad id peruentum, propter rationem neruosam, quam posuimus in dicto comm. not. 3. Salua. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Ignorantia pœne ab ea excusat in foro conscientię.
 - 2 Promissio ad incurrendas pœnas per extranag. Greg. XIII. positas non requiritur valida, nec pura, sed sufficit inualida, vel conditionata.
- & seq

4 Pro

- 4 *Promissionis acceptatio causa est impetrandi gratiam, eamque facit subreptitiam.*
 5 *Promissio conditionata, etsi ante euentum conditionis non obliget, mala esse potest.*
 6 *Promissio, quæ deficiente conditione est nulla, potest esse delictum.*

CONSILIVM LI.

Germanus ignorans ext rauag. Gregorij XIII. cuidam curiali, & secretario cuiusdam magnatis promisit 500. aureos, si infra annū 1580. à summo Pontifice impetraret dispensationem. is à mercatore creditum, seu literas obtinuit, & misit, vt ille posset dictam summā accipere, secretarius sollicitauit dictam gratiam, & post annum 1581. eam tandem obtinuit, & literas expediuit. Dubitatur, an promittens incurrerit pœnas per Greg. XIII. positas.

- 1 Perpenſis responsis ad quæſtiones prædictas redditus à viro pio, eodēque erudito, vt ipsa indicant, videtur prima, scilicet quod præfatus A. nō incurrit excommunicationem inflictam per extrauag. ab ipſo in foro conscientie, si vere coram Deo eius pœnas ignorabat, per ea, quæ ipse citat, & per ea, quæ nos addimus in Manu. confess. cap. 27. num. 274. Secunda vero responsio, quia concludit præfatam dispositionem valere ea ratione,
 2 quod non videtur impetrata per sordes, quia non fuit impetrata per promissionē validam, eo quod promissio fuit cōditionalis, si intra annū 1580. impetraret, & non fuit impetrata intra illum, sed postea, vt in facto proponitur, non videtur firma. Tum quia præfata extrauag. non requirit promissionem validam, ad incurrendas pœnas eius, immo præsupponit sufficere inuvalidam. præsupponit enim pacta, promissiones, & alia, quæ verat, esse quidem actiones malas, & ipſo iure nullas, attamen eas sufficere ad
 3 incurrendas pœnas prædictas. Tum quia præfata extrauagans non requirit promissionem, vel pactionem puram, vel conditionalē, sed solum in genere pactionem vel promissionem, quæ in casu proposito contigit. Tū quod ex prædicta responsione sequeretur, quod valeret omnis iustitia, vel gratia impetrata per promissionem conditionalem, si post lapsū tēporis ad impetrandum præstituti impetraretur: quod videtur inconueniens: quoniam aperiretur via fraudandi prædictam extrauagantem: si quidem omnis, qui vellet impetrare huiusmodi iustitias, vel gratias, posset promittere magnam summam alicui, si intra 20. dies impetraret eas illi, & ille impetraret post 20. dies, intra 30. vel 40. quia valeret impetratio, & non esset locus pœnis illius. Tum quod in casu proposito concurrunt omnia necessaria ad hoc, vt habeant locum pœnæ præfate extrauag. quoniam interuenit in eo pactum, & promissio dandæ pecuniæ, immo & datio, & receptio illius, quin etiam obtentio gratiæ. ergo etiam censendē

- 4 sunt pœnæ incurſæ, per ea quæ nos in d. extrauag. not. 20. diximus. Tum denique quod prædicta pactio, promiſſio, pecuniæ miſſio, & eius receptio fuerunt cauſa, ſine qua diſpoſitio non fuiſſet obienta: & cauſa obtentionis fuit illicita, ſaltem ex parte ſecretarij, qui ſciens non licere impetrationem gratiæ, vel iuſtitia factam ob pactum, vel promiſſionem, dationem, vel receptionem pecuniæ, eam fecit: & quod dici poteſt ſurreptitia, eo quod non expreſſit præfata interceſſiſſe: quia clarum eſt, difficilius Papæ conceſſurum fuiſſe, ſi ea ipſi expreſſa fuiſſent, argu. c. poſtulati. & c. ſuper literis. de reſcrip.
- 5 Non obſtat, quod promiſſio conditionalis neminem obligat ante conditionis aduentum. quia ex hoc non ſequitur, quod promiſſio conditionalis ante impletam conditionem non poſſit eſſe mala, & delictum dignum pœna & caſtigacione: ſi quis enim promitteret alteri centum, intra annum occideret aliquem, promiſſio quidem eſſet nulla ante, & poſt impletam conditionem, & non poſſet agi ex illa, l. generaliter. ff. de verb. oblig. & l. iuris gentium. §. generaliter. ff. de pactis. & cap. 1. de homic. lib. 6. at tamen ante & poſt impletam conditionem eſſet promiſſio mala, & digna pœna, vt palam eſt.
- 6 Non obſtant etiam ea, quæ citantur ex Panorm. in c. per tuas, de conditionibus appoſ. quoniam nec illud cap. nec aliud ex eo elicium ab eo, & à Praj o. & alijs probat, non poſſe dari promiſſionem ipſo iure nullam, quæ ſit delictum, & dignum pœna, & caſtigacione: nec conſequenter promiſſionem vllam, quæ nulla ſit, dignam pœna & caſtigacione. Tertia reſpõſio videtur firma per ea, quæ nos copioſe adduximus in commentario præf. extra. num. 28. not. 2 1.

S V M M A R I V M.

- 1 Promittens aliquid pro gratia in curia impetranda, licet promiſſio non fuerit acceptata, hæc conſideret. & num. ſeq.
- 2 Ignorantia licet non excuſet à tota culpa, excuſat tamen ab excommunicationis pœna. & num. 3.
- 3 Ignorantia licet excuſet à tanto, non tamen à toto.
- 4 Ignorantia pœna non excuſat à pœna, intelligitur de ordinaria, non de extraordinaria. & num. 5.
- 6 Extrauag. contra dantes & promittentes, non obligat non denuncianteſ. num. 9.
- 7 Ignorantia extrauag. in foro tantum conſcientiæ quo ad pœnas excuſat.

CONSILIVM LII.

Pro gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda quidam, constitutionis Greg. xiiij. ignarus, curiali promittebat ducatos duodecim dare, si gratiam impetrasset: curialis noluit, nisi dictos deponeret ducatos, acceptare, nec promittens voluit depositum facere. Quæritur, an pœnas incurrerit?

1 Respondeo primo, quod pro parte affirmante, quod prædictus dominus cōsulēs incurrerit prædictas cēluras, facit primo, quod videtur fecisse pactū de dandis duodecim scutis. Secundo, quod promittit dare illa. Tertio quod non denunciavit intra triduum eos, quos novit pactos fuisse de dando certo pretio.

Secundo respondeo, quod prædictus dominus consulens non incurrit prædictas censuras Bullæ, eo quod fecerit pactum de dando aliquid pro gratia obtinenda: quia non fuit pactum, licet voluisset illud facere: is enim, cum quo voluit pacisci, noluit facere, quod ipse petebat, nisi depositus in primis duodecim scutis; & illa non fuerunt deposita.

Tertio, quod maius dubium est, an incurrerit propter promissionem: quia, licet non peruenierit ad pactum, eo quod promissarius non consentit absolute, nec acceptavit illam, sed solum sub conditione, quæ non fuit adimpleta, tamen facta fuit promissio: & ad incurrendas pœnas illius extrauagantis sufficit promissio etiam sine pactione, vt colligitur ex prædicta extrauagante, vt diximus in eius commentario, not. 8. num. 1. 1.

2 Quarto, quod non est minus dubium, an prædictus dominus consulens possit excusari per ignorantiam. Nam pro parte negatæ facit primo, quod, licet ille probabiliter ignorasset prædictam, extrauagantem, & eius pœnas, non tamen probabiliter ignorabat esse peccatum obtinere huiusmodi gratiam per pecunias, vel per pactum, vel promissionem dandi eas: quia hoc iure naturali, diuino, & humano antiquiore, & præcedenti illam extrauagantem erat peccatum, probatur enim in prædicto cōmentario, not. 3. num. 5. quod omnia illa, quæ prohibentur in hac extrauagante, sunt prohibita iure naturali, diuino, & humano antiquiore illa. Secundo, quod, licet, qui facit aliquid, quod omnino probabiliter ignorat esse peccatum, excusetur omnino à pœna peccati, vt tenet D. Thomas receptus 1. 2. q. 76. art. 3. qui tamen scit, vel scire debet aliquid esse peccatū, sed ignorat aliquam circūstantiā, propter quā est maius peccatū, quam ipse putat, licet excusetur à tanto, non tamen à toto, id est, licet nō peccet tantum, quantum peccaret, si non ignorasset illam circūstantiam, peccat tamen tantam, ad quantum sufficit scientia, quam habebat, vel debebat habere: verbi gratia, putans quis probabiliter ho-

minem dormientem sub rupe alicuius montis esse ceruum vel hinnulum eius, occideret sagitta, nullatenus peccaret; quia ignorat omnino id esse peccatum; si tamen sciret, vel deberet scire eum esse hominē, ignoraret tamen probabiliter, & inuincibiliter eum esse suum patrem, excusaretur quidē à peccato parricidij, quod est maius, quā homicidiū simplex, non tamen à peccato homicidij simplicis: & ita, licet excusaretur à iāto, non tamen à toto, vt ex eodem D. Thoma recepto in dicto art. 3. & eadē quaestione colligitur. At prædictus dominus consulens sciebat, vel debebat scire, vt prædictum est, promissionem illam esse peccatum, licet nesciret esse adeo graue, adeoque Apostolicæ Sedi exosum, & adeo grauius ab ea puniendum. ergo, licet non peccauerit tantum, quantum peccasset, si sciisset eam esse tam grande peccatum, peccauit tamen tantum, ad quantum scientia sua sufficiebat. Tertio, quod non requiritur, ad hoc vt aliquis incurrat pœnam alicuius legis, vt sciat talem pœnam ab ea lege impostā, alioqui rustici, mulieres, monachi, præsertim inclusi, iniuste castigarentur pœnis canonū, & legum, quas nesciunt esse per illas statutas; cuius contrarium seruatur totus mundus, & tota Ecclesia Christiana, & probatur per regulam iuris, *ignorantia facti, non iuris excusat*, lib. 6. cum similibus.

Contrarium tamen arbitror esse verū, per ea, quæ breuiter tradimus in Manuali Confessoriorum, cap. 23. num. 47. vbi post alia, quæ à num. 45. scribuntur, tradimus, quod, licet ignorantia etiam, quæ est causā peccati, non excuset à peccato transgressionis legis naturalis, vel diuinæ, excusat tamen à pœna excommunicationis latæ contra transgressores eius, & etiam ab alia extraordinaria, secundam Antonium cap. à nobis. 1. de sent. excom. & Diuū Anton. & alios ibidem citatos, pro quibus est textus in ca. 2. de consti. lib. 6. & ex his, quæ illis addimus in d. Man. cap. 27. num. 174. vbi tanguntur paulo altius rationes huius conclusionis. Et ita, licet prædictus dominus consulens non excusetur à peccato transgressionis legis naturalis diuinæ, qua prohibetur talis promissio, excusatur tamen à pœna excommunicationis, & alijs pœnis valde extraordinarijs præfatæ extrauaganti adiectis.

Non obstant opposita. quia respondetur, concedendo quidem prædictum dominum consulentem non excusari omnino à toto peccato, sed sic à tanto, id est, quod peccauit promittendo, sed non tantū, quantum peccasset, si sciisset promissionem illam adeo esse grauem, & sub tam grauibus pœnis veritam: & quod, licet sciret, vel debuisset scire promissionem illam esse peccatum, quia iure naturali, diuino, & humano antiquiore illa extrauagante vetabatur, non tamen sciebat, nec tenebatur scire coram Deo, saltem quo ad forum conscientię, tam grandes, & extraordinarias pœnas esse adiectas contra illam promissionem: quoniam illæ iure humano tantum infliguntur; & ideo, licet incurrerit peccatum, & possit

& possit ob id iuste puniri, non tamen est puniendus illis pœnis grauibus, & extraordinarijs, & adiectis illi extrauaganti, quas in foro Dei, & cōscientiæ iuste potuit ignorare, vt bona pars hominum ignorat, licet in foro exteriori præsumeretur scire, quia fuit sollemniter publicata in locis ad id deputatis.

6 Quinto, quod prædicta extrauagans post innouationem suam non videtur esse recepta quo ad obligationem denunciandi transgressores eius, sicut etiam condita à Bon. viij. non videtur fuisse vnquam recepta; cuius rei rationes alias in sacro Pœnitentiariæ prætorio reddidimus; & ita quo ad illam partem iam non obligat, iuxta notata in c. leges. 4. distin. & glos. celebrem, & recept. in cap. 1. de treug. & pace. & ea, quæ latius adducimus in Man. Confess. cap. 23. num. 62. & mis. 47. num. 1.

Itaque, resoluendo dubium, dicimus, præfatum dominum consulentē peccasse quidem, volendo pacisci, & promittendo, sed non indicisse in pœnas extrauagantis. Tum quia, licet voluisset pacisci, non tamen fuit pactus. Tum quia, licet promississet, & debuisset scire promissionem illam esse peccatum, nesciebat tamen, nec tenebatur scire in foro conscientiæ tam graues pœnas contra eam facientes esse impositas; & ita quo ad forum Dei, & conscientię, non incurrit illas, licet quo ad forum exterius præsumeretur scientia, & consequenter incurso pœnarum. Salua, quæ iustior fuerit. &c.

S Y M M A R I V M.

- 1 Excommunicatus est res ecclesiæ alienans, & deportato equiparatur.
- 2 Excommunicatus non denunciatus administrare non impeditur, & licet repelli possit à petitione debiti, solutio tamen ei facta tenet.
- 3 Excommunicatus contrahere, & testamentum facere potest, nisi sit hæreticus. & num. 4.
- 5 Prælati res seu fructus ecclesiæ male alienans repetere potest. & nu. 6.
- 6 Prælato dissipatori est restitutio facienda, licet sit impediendus ministrare. num. 7.

CONSILIVM LIII.

Quidam Archiepiscopus ante duodecim annos alienauit bona ecclesiæ suæ; deinde fecit remissionem & liberationem quorundam fructuum sui Archiepiscopatus à quibusdā perceptorū. Quæritur an huiusmodi liberatio valeat, ita vt non possit ab eodem Archiepiscopo reuocari.

Respon-

- 1 Respondendum videtur negative, per sequentia fundamenta. Primum est, quod Archiepiscopus erat excommunicatus ob illam iniustam alienationem, per extrauag. 2. de reb. eccles. non alienan. & prelato excommunicato videtur prohibita administratio, cap. veritatis, de dol. & contum. cap. ad probandum, de re iudic. quia aequiparatur deportato, iuxta gloss. sing. §. minor. Infit. de cap. dimin. Sed hoc fundamentum non videtur satis firmum. Tum quia predictus Archiepiscopus erat excommunicatus toleratus, & non denunciatus: & post extrauag. ad euitanda. Martini V. de qua in
- 2 Manu. confess. cap. 27. num. 5. non impeditur excommunicatus administrare, & petere etiam in iudicio, donec denunciatur excommunicatus. Tum quod licet esset denunciatus, & per exceptionem obiectam repelli posset à petitione debiti, valet tamen petitio, & iudicium, donec obijciatur exceptio, per cap. pia. de excep. lib. 6. Tum quia, licet excommunicatus repelli possit à petendo debito in iudicio, cap. decernimus. de sentent. excomm. lib. 6. solutio tamen ipsi facta sponte liberat debitorem, & potest ab obligatione liberari, & quietari nam licet ipse peccet, non euitando alios, cap. illud. de cler. excomm. ministr. contractus tamen, & distractus ab eo facti tenent, immo etiam testamentum, vt diximus in Manua. confess. cap. 27. num. 36. & satis colligitur ex notat. in d. cap. veritatis. de dol. & contu. & ex Philipp. Franc. & relat. ab illo in rubr. de testam. n. 32. quidquid inuoluat gloss. in d. cap. decernimus. & ita non obstante excommunicatione, potuit accipere & petere omnes fructus sibi debitos, & dare liberationem, siue quietationem debitori, nisi insimularemus eum hereseos, eo quod octo annis manserit excommunicatus ante liberationem, & cum fecit liberationem, habuit voluntatem permanendi in illa, eo quod approbabat alienationem illam iniustam, & permanit in illa voluntate circiter 12. annos vsque ad mortem: & per annalem excommunicationem quis incidit in suspensionem hereseos, vt diximus in d. cap. 27. num. 72. citando in id Concil. Tridentin. sess. 25. cap. 3. de reform. & excommunicatus ob heresim non potest contrahere, nec testari, cap. excommunicamus. §. credentes, de heret. vt idem Philipp. Franc. vbi supra adnotauit; licet responderi possit, quod Concil. non loquitur de quolibet excommunicato annali, sed tantum de legitime monito non resipiscente, vt ibi patet. Et quamuis hoc fundamentum non concludat omnino intentionem illi istam, concludit tamen predictam liberationem fuisse abominabilem, & dignam, cui qua parte possit contradicatur, & que qua parte possit enervetur.
- 5 Secundum fundamentum est, quod, vt quidam dicunt, prelatus, qui male alienat bona, non potest petere, nec acceptos ferre fructus eorum. Pro quibus facit, quod prelato dissipatori non est facienda restitutio bonorum, vt ait Ceter. in summ. verb. restitutio, ca. 4. pro quo faciunt omnia, que post Alexan. & Aret. allegat Ias. in l. is cui. de verb. oblig. pro opinione eorum

eorum, qui a seuerant prodigo notorio ipso iure interdictam esse admi-
 nistrationem etiam ante iudicis decretum: & quod alienatio prædicta no-
 rie videtur fuisse mala, cum circiter 20. annos fuisset Archiepiscopus, &
 legatus; & sic dissipator bonorum ecclesiæ potuit haberi Hoc tamen fun-
 damentum non videtur esse satis firmum. Tum quia dictū Caiet. nullo iu-
 re probatur efficaciter. Tum quia prælatus male alienans bona, potest, im-
 mo tenetur, recuperare illa bona, & reddere rationem Deo de illis, cap. si
 6 quis presbyterorum, de rebus eccles. non alien. & etiam de fructibus eo-
 rum: quia vtraque sunt ecclesiastica, & destinata in sustentationem præ-
 lati, & pauperum, quorum sustentationi & iuri publico ea percipiendi
 non potest renunciare Prælatus, l. ius publicum. ff. de pactis. cap. si diligen-
 ti. de foro comper. Tum quia tam recuperatio fructuum, quam bonorum
 male alienatorum, pertinet ad Episcopum male alienantem, dum ipse vi-
 uit, & ipsi debent restitui, vt diximus in Manu. confess. cap. 17. num. 29.
 7 Tum quia receptor opinio habet, prodigo, & dissipatori bonorum non
 esse ipso iure interdictam administrationem, sed tantum interdicendam,
 vt probat prædictum cap. veritatis, de dol. & contum. & prædicta l. ius cui.
 ff. de verb. oblig. cum multis alijs adductis ibi per lat. à qua communi
 opinione non esse recedendum in consulendo tenent etiam ipsi, qui con-
 trarium probabiliter defendi posse asserunt. Hoc tamen fundamentum,
 licet omnino non concludat intentionem Illustrissimi, concludit tamen,
 vt & primum, prædictam liberationem quocumque modo iusto esse im-
 pediendam.

S V M M A R I V M.

1. *Consentiens alterius peccato peccat, eandem tamē non incurrit pœnam. & num. 5.*
2. *Consensus tripliciter præstatur; sed pœna non toties, quoties consentitur, incurritur. & num. 5.*
3. *Cadavera exenterantes, vel inhumaniter tractantes, seu mandantes, excommunicantur, non tamen consentientes.*
4. *Excommunicatio in facientes posita non ligat consentientes.*
5. *Ignorantia iuris positivi præsumitur, vbi non probatur scientia, & datur cum iuris diuini scientia & voluntate peccandi.*
5. *Præsumens lex puniens non ligat simpliciter facientes.*
5. *Ignorantia statuti, seu legis, ab excommunicatione excusatur.*
5. *Ignorantia iuris excusatur à pœna extraordinaria.*
6. *Ignorantia extraneæ iuris excusatur.*
6. *Cadavera à sepultura non ecclesiastica extrahere, & deportare licet.*

- 7 *Cadauera bona extrahentes fide non peccant, nec pœnam incurrunt.*
 8 *Cadauera de licentia secularis principis, ad alios, quam sepeliendi fines, scindere licet.*
 9 *Ignorantia iuris dubij, quantumuis diuini & naturalis, excusata.*

C O N S I L I V M LIIII.

Quidam nobilis Hispanus mortuus est, cuius corpus à suis consanguineis positum est in Ecclesia cuiusdam Monasterij sub nomine depositi, quo tempore congruo in Hispaniam transferre possent: cumque hoc facere voluissent, compertum est, corpus non esse bene consumptum, sed male olere, quoniam adhuc caro ossibus hærebat. Verum consanguinei, volentes ossa commode transferre, decreuerunt carnem ab ossibus separare, & petierunt locum à Priore conuentus, vbi hoc commode facere possent. Tandem Prior, ipsis morem gerere volens, extra claustra conuentus præbuit illis stabulum, in quo in feruētū aqua, igne supposito, fuit corpus positum: & caro (aliquantulum temporis Priore præsentē, sed ob fœtorē postmodū recessū) fuit cōsumpta, & ab ossibus separata. Modo dubitatur, an Prior sit excōmunicatus, cum ex dictis videatur operibus illorum consensisse.

Respondeo primo, quoniam extra narrata in casu proposito relatum est nobis, aliquos viros eruditissimos, & gymnastas in Academijis exercitatos respondiisse, præfatū Priore non incurrisse excoicationem, petij eorū responsa, quæ profecto magnopere voluissem legere, vt eorundem sententiam lætissime sequerer; sed responsum est, non haberi copiam eorum.

- 1 Secundo respondeo, quod contra Priorem facit primo illud Pauli, *Facientes, & consentientes digni sunt morte.* ad Rom. 1. & cap. notum. 2. q. 1. cap. 1. de offic. deleg. & quod Prior prædictus consensit illi maleficio. Nam ex narratione casus colligitur ipsum fuisse superiorem stabuli, in quo delictum factum fuit, & assignauit illud ad opportune illud faciendū: & quod præsens fuit actui, etsi non toti, saltem parti eius: & quod, si voluisset, poterat illum impedire, & prohibere, vt superior Monasterij.
- 2 Secundo, quod delinquenti videtur cōsentire quis tribus modis, ad hoc, vt puniatur sicut delinquens, vt ait glos. prædicti ca. notum. verbo consentientem. Primo, cooperando, cap. si quis episcopus. 2. q. 1. Secundo, non corrigendo, cum ex officio tenetur, & potest, cap. error. 83. dist. ibi, *Error cui non resistitur approbatur. Negligere quippe cum possis peruersos nihil est aliud, quam fouere. Nec caret scrupulo societatis occulta, qui manifesto facinori desinit obuiare.* Tertio, cum sit eius auctoritate, ca. qui aliorum. 24. q. 3. Et prædictus Prior videtur cooperatus fuisse, assignando locum, & stabulum, & non corrigendo, & impediendo delinquentes, cum posset, immo & auctoritatem delinquendi præstando. Tertio facit, quod extrauag.
- Bonifa-

3 Bonifacij de sepulturis, inter communes, non solum excommunicat facientem prædictum delictum, sed etiam attentantem, & pertractantem corpora humana tam inhumaniter, & facientem pertractare, & consequenter consentiendo per cooperationem vel auctorizationem. & difficile iuste negari potest, quod prædictus D. Prior non attentauerit, vel non fecerit aliquid ad pertractandum sic inhumaniter corpus humanum, vel quod non auctorizauerit, seu potestatem præstauerit illi actui.

Pro Priore tamen facit primo, quod lex excommunicans facientem aliquod delictum non videtur includere solum consentientem in illo, & desiderantem ut fiat, si aliud non cõcurrat, ut colligitur ex cap. cum quis. de sentent. excommuni. lib. 6. adiuncto cap. si quis suadente. 17. q. 4. & cl. 1. de consang. & affin. cum glos. Secundo, quod lex excommunicans facientem aliquod non includit consulentem, nec mandantem, nisi eadẽ lex, vel alia similis, cuius auctor id facere possit, illud exprimat, ut nos tradidimus in Manua. confels. cap. 27. num. 51. post Caiet. & alios. Tertio, quod non probatur ipsum sciuisse tam exorbitantem pœnam esse à iure impositam facienti huiusmodi delictum: & præsumitur ignorantia, ubi non probatur scientia, cap. præsumitur. de reg. iuris, lib. 6. & ignorantia legis excommunicantis videtur excusare ab excommunicatione, ca. 2. de constituti. lib. 6. & quod religiosi non tenentur scire huiusmodi leges de rebus ordini suo adeo extrarijs disponentes, cap. non magno ne cler. vel monachi. & cap. 2. adiuncta glos. de postula. Quarto, quod lex puniens præsumentem aliquid facere non videtur includere facientem illud simplici animo & bona fide absque dolo malo, iuxta doctrinam singul. Card. in clem. 1. de priuile. q. 39. quam post alios nos quoque applicauimus defensionem eorum, qui ordinantur bona fide simplici animo ante legitimam aetatem ordine sacro, in repetitione cap. accepta. de restit. spoli. oppos. 8. Et prædictus Prior non consensit prædicto delicto dolo malo, sed bona fide putans id esse licitum. Quinto, quod excusat ab excommunicatione ignorantia statuti imponentis pœnam illius, etiam pro facto de se illicito, per cap. 2. de constit. lib. 6. & quod idem dicendum est de excommunicatione imposita per legem Papæ, præsertim quo ad forum conscientie, ut nos dicimus in d. Manual. cap. 27. num. 16. Sexto quod licet ignorantia communiter nequeat esse iusta circa legem naturalem, vel diuinam quo ad eius dispositionem, & quatenus est talis, potest tamen esse iusta quo ad pœnam humanitus statutam, si illa est excommunicationis, secundum Anton. in cap. à nobis. 1. de sentent. excommuni. pro quo est casus in cap. 2. de constituti. lib. 6. Immo etiam si sit alia quælibet communiter non statuta, eadem ratione, ut efficaciter defendimus in cap. 2. de constit. post Sanctum Antoninum. 3. par. tit. 24. cap. 33. sub finem, cui consensit Angel. verbo ignorantia §. 4. & Sylu. verb. ignorantia, quæst. 8. & Caiet. 2. 2. q. 76. art. 3. col. 2. Quod maxime procedit in foro conscientie. Septimo facit ratio

ratio noua, per quam proximum præcedens fundamentum defendimus neruofissime in d. Manu. cap. 27. num. 274. scilicet, quod excusatur quis per ignorantiam iuris ab omni pœna valde extraordinaria, & exorbitante, & præsertim ab excommunicatione per statutum, & legem generalem. P. p. lara, etiam pro facto de se illicito, quod scit esse illicitum, sed ignorat illam pœnam extraordinariam & exorbitantem esse impositam, ut ibi dem videri potest, ad multorum seruorum Domini consolationem.

Octauo facit, quod ad opposita responderi potest. Ad primum quidè concedendo, omnes, qui consentiunt alicui facto, quod est peccatum, & sciunt illud esse tale, peccare venialiter quidem, si est veniale, & mortaliter, si est mortale; & consequenter prædictum Priorem, si sciebat præfatum factum esse peccatum mortale, mortaliter peccasse: negando tamen ex hoc inferri omnes, qui consentiunt peccato mortali, quod sciunt esse mortale, incurrere excommunicationem pro tali mortale latam, ut est casus adiuncta doctrina doctorum communi in cap. cum quis. de sentent. excommun. lib. 6. quod habet, eum, cui placet percussio clerici, peccare quidem mortaliter, sicut & percussorem, sed non incurrere excommunicationem, nisi percussio fuerit facta eius mandato, vel eius nomine, secuta ratificatione ipsius: & est exemplum clarius in d. clem. 1. de consanguini. adiuncta glos. quæ habet, contrahentes matrimonium intra gradum consanguinitatis prohibitum, vel contra uotum solenne ordinis, vel religionis, peccare mortaliter, incurrereque excommunicationem, sed non eos, quibus placent illa matrimonia, immo neque consulentes illa, & approbantes. Exemplum est etiam quotidianius in cap. si uero. de sentent. excommun. cum suis similibus, quæ habent, percutientem iniuste clericum, quem iuste putabat esse laicum, peccare quidem mortaliter, sed non incurrere excommunicationem propter ignorantiam, quæ excusat ab illa pœna, sed non à peccato.

Ad secundum respondetur eodem modo, quo ad primum, nempe concedendo tribus modis posse quem consentire peccato, ut puniatur sicut faciens; negando tamen, quod quoties consentiat peccato, toties incurrat pœnam impositam pro illo, ut per exempla prædicta patet; & consequenter negando, quod prædictus Prior, eo solo, quod consensisset ad effectum incurrendi peccatum, censendus sit excommunicatus, per responsionem ad primum, & alias rationes suprædictas, per quas, etiam si non excusaretur à peccato, excusatur tamen à sententia excommunicationis, quæ est omnium pœnarum spiritualium maxima, cap. corripitur. 24. q. 3.

Ad tertium autem respondetur primo, non probari, quod prædictus Prior sciebat illud factum fuisse peccatum mortale. Nec obstat, quod extrauagans prædicta significat illud esse peccatum contra ius naturale, quod nemini licet ignorare, arg. §. notandum. 1. q. 7. cum ei adnotatis: & quod ignorantia iuris non excusat, cap. ignorantia. de regul. iuris. lib. 6. Non inquam

- quam hoc obstat: quia multa concurrebant, propter quæ prædictus Prior probabiliter potuisset illud ignorare. Tum quia prædicta extrauagans non est posita intra corpus iuris communis, & multis etiam doctoribus vtriusque iuris est incognita. Tum quia non est directe contra illud præceptum Decalogi: quoniam non fuit occisio, neque mutilatio, neque percussio hominis, quæ directe vetantur per quintum præceptum Decalogi, sed quædam diuisio, & partitio cadaueris, quod palam est non esse hominem. Tū quia quotidie videmus cadauera mortuorum iudice mandante diuidi in quatuor, & multo plures partes, nō solum ad sepeliendum, quod est actus religionis, sed etiam ad suspendendum in compitis, & quadriuijs, & ad comburendum, & ad faciendum anatomias, & aliquot medicamēta, quæ medici, & pharmacopolæ frequenter componunt, & de licentia saltem
- 7 Papæ ministrant. Immo & chirurgi frequenter abscindunt membra hominum viuentium, vt viuant vitam corporalem. & poterat homini adeo spiritali videri, quod iustius poterant membra mortui diuidi quo ad suam vitam spirituales melius in alio loco consequendam. Tum quia prædicta extrauagans innuit illud factum per se, & intrinsece non esse malum, & quod fieri potest licite sine vlla licentia in terris, in quibus non sunt sepulture Christianæ sacræ: quoniam, vt & nos post alios adnotauimus in extrauag. prædicta relata in d. Manua. confels. cap. 27. num. 105. non habet illa locum in terris infidelium, vbi non sunt sacræ sepulture, neque in eo, qui facit illud alio fine, præsertim bono, neque si faceret de licentia Papæ; immo forte id fieret de licentia Regis sæcularis quo ad alium finem, quam ad sepeliendum in alio loco: & quod ministri illius facti erant catholici timentes Deum: & quod, vt fertur, Prouincialis religionis id sciuit, & ordinauit, cuius ordinationi, vt superioris, parere tenebatur Prior in dubio, capite quid culpatur. 23. quæst. 5. & quod factum fuit publice: & quod iudices neque sæculares, neque ecclesiastici punierunt eos ob illud factum: & quod Prior erat vir religiosissimus, & lucrum principale ipsius fuit facere quod in decreto depositionis iubebatur, & facere voluntatem expressam, vel tacitam Prouincialis, & sui conuentus: & quod etiam alij monachi dici poterant communicasse, vel consensisse illi facto.
- 9 Per quæ omnia, immo & maiorem partem eorum, profecto prædicto Priori iuranti se putasse id fuisse licitum, credendum videtur: & palam est apud omnes iuriconsultos, quos breuitatis gratia non citamus, ignorantiam non solum facti excusare, vt habet prædicta regula ignorantia, sed etiam ignorantiam iuris dubij, etiam naturalis, & diuini, quales sunt multe leges naturales, & diuinæ, quæ non sunt principia illorum, neque conclusiones proxime ex illis deductæ, quales sunt leges Decalogi, sed longe remotiores per doctorum discursus deriuatæ, qualis est prædicta extrauagans vetans prædictam exenterationem. Secundo respondemus ad prædictum argumentum tertium, quod præsupposito id, quod non putamus esse ve-

esse verum, scilicet præfatum Priorem peccasse, vt supra dictum est, consentiendo: negandum tamen est, eum incurrisse prædictam excommunicationem, neque ob eius incurfionem vnquam punicum iri à D. N. Iesu Christo, qui nos omnes saluet. Amen.

S V M M A R I V M.

- 1 *Monasterium ingredi cogens, ingressu non secuto, non est excommunicatus.*
- 2 *Consulens, fauens, & auxilians, subsecuto effectu, accessorie videntur excommunicari.*
- 3 *Consulentes appellare ad futurum concilium, etiam non secuta appellatione, excommunicantur.*

CONSILIVM LV.

CUm sacrum Conc. Trid. cap. 18. sess. 25. anathematizet cogentes mulierem ad ingrediendum Monasterium, atque præstantes consiliũ, auxilium, &c. Dubitatur, an cogens, & consilians sit excõmunicatus, effectu non subsecuto.

- 1 Respondeo primo, quod quæstio, quo ad cogentem, nullum videtur habere dubium: quia nemo potest dici cogens ingredi, siue quod coegerit ingredi, nisi secuto ingressu. Aliud enim est conari cogere ingredi, quod non potest constare sine ingressu, vt palam est. & ita certum est, conatẽm cogere ingredi non excommunicari, eo quod coegerit ingredi. Secundo, quod neque etiam consulens videtur excommunicari, nisi subsecuto effectu, & ingressu. Tum quia consulens, fauens, & auxilians videntur accessorie in d. cano. excommunicari. Tum per regulam, *In pœnis benignior interpretatio est facienda*, de reg. iur. lib. 6. cum suis concord. & cum ille canon 18. non exprimat expresse, nec tacite, an accessorie, an eque principaliter excommunicet consulentem, interpretandum est, quod excommunicet accessorie; quia illud est mitius, per resolut. positam in Manual. cap. 27. num. 51. per quam accessorie excommunicatus nõ incurrit excommunicationem, nisi consecuto effectu principalis excommunicationis. Tum quia Caiet. in sum. verbo excommunicatio, cap. 25. dixit, quod per constit. Pij II. qua excommunicauit appellantes ad futurum Concilium à Papa, cum consulentibus, auxiliantibus, &c. non fuit visus excommunicare consulentes & auxiliantes, nisi appellatione subsecuta. Tum etiam dicitur in Manu. cap. 27. num. 58. quod per Bullam Cœnæ, qua S. D. N. excõmunicauit appellantes huiusmodi, & consulentes, non videtur excommuni-

municatione; quãuis nec nos ibi, nec alius aliquis alibi reddiderit rationẽ fundamentalem, quam nos supra in prædicto fundamento reddimus. Tum quia Iulius Secundus extendit prædictam excommunicationem Pij Secundi ad eos, qui decreuerint esse appellandum, vel consuluerint licite posse appellari à Papa ad Concilium, vel consuluerint appellare, etiam non secuta appellatione; & ita clare significauit non comprehendere eos, nisi eam extensionem ipse fecisset. Tum quia S. D. N. Iuris callentissimus, excommunicans appellantes, & consulentes, vt excommunicauit Pius Secundus, non addidit se excommunicare decernentes, & consulentes licere appellare, &c. vt Iulius, significans se pro sua benignitate velle ab excommunicatione Bullæ Cœnæ eximere consulentes, & auxiliantes, non secuta appellatione, licet includantur in extrauag. Iulij Secundi, sed non quo ad hoc, vt censeantur excommunicati bulla Cœnæ. Salua. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Excommunicationem incurrunt quoquo modo cogentes puellas intrare monasterium. & seq.
- 1 Error iuris dubij & à culpa, & à pœna excusat.
- 1 Ingressus appellatione intelligitur ad habitum, & professionem.
- 2 Verba sunt proprie intelligenda, nisi de contraria loquentis mente constet.
- 3 Repetitio verbi in eadem dispositione mysterium denotat.

CONSILIUM LVI.

Religiosus quidam, habens neptem, ac timens, ne in aliquem errorẽ incideret (patre enim carebat) procurauit, vt monasterium ingrederetur, donec ad nubendi ætatem perueniret: quod totum effectum est, etiam ipsa, & matre nolentibus. Quæritur, an sit excommunicatus vigore Conc. Trid. sess. 2. c. 1. 8. vbi ait, *Anathemati subijcit prædicta Synodus, &c.* Deinde quæritur, an, si incidit in excommunicationem, id ignorans, celebrando incidit in irregularitatem?

Respondeo, quod D. cõsulens in foro exteriori iudicabitur excommunicatus, & si celebrauerit, irregularis: quamuis nos credimus eum nõ esse iudicandum irregularem in foro conscientie: quia, qui errat ob legem difficilem intellectam male intellectam, non peccat mortifere, secundum Innoc. in cap. per quas. num. 2. col. 2. de simo. probatum, & roboratum à Felin. in cap. 1. de re iudicat. col. 7. Et nemo cadit in excommu-

nicationem legis, vel canonis generaliter latam per actum, qui vere non est peccatum mortale, cap. nemo. & cap. nullus. 11. q. 3. quod in multis locis nos afferuimus, & nuper in Manual. cap. 27. num. 157. & 241. & negari non potest prædictum cap. 18. quo ad hoc esse difficile intellectu.

AN COGENS aliquam puellam minorē 12. ingredi monasteriū, non causa accipiendi habitum, nec faciendi professionem, sed vt maneret ibi honeste vsque ad ætatem nubendi, incidat in excommunicationem cap. 18. de regulat. fess. 25. Conc. Trid.

Respondeo, quod pro parte negatiua facit primo, quod in hac materia iuxta authent. ingressi. & ei annotata. C. de sacrosanctis ecclesijs. appellatione ingressus venit tantum ingressus ad suscipiendum habitum, quem appellant primum ingressum, & ad faciendam professionem, quem appellant secundum ingressum; ad quorum nullum prædicta puella est coacta in casu proposito. Secundo, quod, si de quolibet ingressu esset intelligendum illud cap. Concilij, sequeretur, quod etiam haberet locum in cogente ingredi ad audiendam missam, vel ad visendam quampiam cognatam: quod non est dicendum, quia absurdum, l. nam quod absurdum. ff. de bonis liber.

- 2 Pro parte affirmatiua vrget primo, quod verba proprie sunt intelligenda, nisi de contraria mente loquentis appareat, l. non aliter. ff. de legatis tertio. & verba illa disiunctim posita, *ad ingrediendum, vel ad habitum suscipiendum.* &c. proprie intellecta comprehendunt cogentem tantum ad ingrediendum; cum in alternatiuis sufficiat vnam partem earum esse veram, cap. in alternatiuis. de reg. iur. lib. 6. Secundo, quod bis repetit, illa tria verba, *ad ingrediendum, vel ad habitum suscipiendum, vel ad professionem faciendam.* & repetitio dictionis in ead. dispositione facta significat id esse cum mysterio factum, iuxta glos. memorabilem in clem. 1. de iure patron. verbo dicecesanis. Tertio, quod Conc. non abs re potuit considerare, quod, qui cogit intrare aliquam in aliquod monasterium, vt ibi educetur, indirecte videtur cogere, vt, cum tempus fuerit, accipiat habitum, & faciat professionem precibus, aut blanditijs monialium, aut minis eiusdem, qui coegit intrare, aut verecundia, & timore maledicorum; & ideo voluerit hanc viam indirectam cogēdi præcludere. & legislatorum est, non solum vias directas, sed etiam indirectas prohibere, cap. cum quid vna via prohibetur, non debet altera concedi. de reg. iur. lib. 6.

Per quæ videtur hæc pars literæ, & menti illius cap. et vsui intromittendi puellas ad educandum eas in monasterio germanior, & tutior, atque ideo tenenda. Salua, quæ melior. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Bannitos receptantes, seu quomodolibet adiuuantes, excommunicati, si vt tales adiuuent.
- 2 Communicantes scienter cum excommunicatis generaliter incurrebant olim excommunicationem. & num. 13.
- 3 Excommunicatio maior non fertur, nisi contra peccantes mortaliter.
- 4 Lex intendens vitare peccatum non intendit eius contrarium, quod esset vitare hominem, quando, & quomodo non debet.
- 5 Vitantes occultum peccatorem in aliorum praesentia, etiam ante extrauagantem ad euitanda. peccabant.
- 6 Legis intentio est bannitorum delicta arcere, qua cessante cessat lex.
- 7 Bannitos ad delicta perpetranda adiuuantes excommunicati.
- 8 Auxilium dantes hereticis, seu bannitis, intellige tanquam talibus. & nu. 11.
- 9 Verba sunt iuridice, secundum intentionem intelligenda, & non secundum rigorem verborum. & num. 12.
- 10 Bannitos, & hereticos in extrema necessitate adiuuare tenemur, & etiam extra eam.

C O N S I L I V M L V I I.

Quidam ob homicidium, & alia delicta, fuit bannitus cum omnibus complicibus suis; quorum tamen nullus fuit nominatus in sententia, neque processu.

Quæritur, an bulla Sanctiss. D. N. excommunicans receptatores bannitorum, & illis consilium, auxilium, & fauorem quomodolibet præstantes, includat eos, qui sciunt aliquos sibi notos fuisse complices illius, sed manent, & manserunt in suis domibus cum sua familia, & non fugerunt, sed communicant cum suis vicinis perinde, ac si non fuissent banniti.

- 1 Respondetur, quod pro parte affirmante facit primo, quod bulla excommunicat omnes receptantes bannitos, & quomodolibet eos iuuantes: & D. consulentes aliquo modo iuuant præfatos generaliter bannitos, qui vere sunt banniti, licet vulgus nesciat eos esse tales.
- 2 Secundo, quod ante extrauag. ad euitanda. Martini V. cuius verum tenorem nos tradimus in Manua. confess. cap. 27. num. 35. excommunicantes participantes cum excommunicatis, includebant participantes scienter cum excommunicatis generaliter, licet non essent nominati, neque denuuciati, cap. quoniam. 11. q. 3. cap. cum desideres. de sentent. excomm. cum eis adnot. ergo & hæc bulla excommunicans generaliter

iuuantes bannitos, includet iuuantes bannitos generaliter, etiam si non sint nominatim banniti.

- 3 Pro parte autem negante facit primo, quod excommunicatio maior non debet ferri, nisi contra peccantem mortaliter, cap. nemo, & cap. nullus. 11. q. 3. & quod dicti consulentes non videntur etiam venialiter peccasse comunicando cum eis, non mutando post illud bannum generale communicationem, quam ante illud habebant ad illos, qui nullam mutationem ob illud bannum fecerunt.
- 4 Secundo, quod S. D. N. qui intendit per bullam præfatam vitare peccata, non intendit inducere illa; cum intendens aliquid, non intendat contrarium eius, l. rem legatam. ff. de adimen. lega. ca. fin. de verb. signific. At si includeret dictos consulentes sua bulla, videretur inducere ad peccandum peccatum detractionis: quia, qui detegit peccatum alterius præter ordinem iuris, peccat infamando, cap. inter verba. 11. q. 3. & ca. quis aliquando. §. secreta. de pœnitent. dist. 1. cum eis adnot. & si præfati consulentes non communicarent, vt antea, præfatis bannitis, et si non verbis, saltem factis detegerent peccatum illorum, & infamarent. ergo non est intentio Sanctiss. vt se à consueta communione innominatorum, & se cretorum, siue ignotorum separent.
- 5 Tertio, quod qui vitabat in præsentia aliorum occultum excommunicatum, etiam ante præfatam extrauag. ad euitanda. peccabat: quia faciebat iniuriam ei, vt post Ioan. Maior. in 4. dist. 18. q. 2. col. 8. dicimus nos in Manual. Confess. cap. 27. num. 27. ergo à fortiori peccarent consulentes, significantes eos esse bannitos, separando se à communicatione illorum: quod sua Sanctitas nullatenus videtur intendisse.
- 6 Quarto, quod cessante ratione legis, & mente legislatoris, cessat dispositio legis, l. fin. ff. de hæred. instit. & l. quod dictum. ff. de pact. argum. cap. Marchion. 1. q. 1. cap. fin. de reg. iuris. lib. 6. At in casu proposito ratio, & mens præfate bullæ videtur cessare: quia ratio, & mens fuit necessitas arcendi homines in delinquendo contumaces; quales non fuerunt, nec sunt præfati banniti, cum non exercent sic contumaciter delicta, nec à tempore banni reliquerunt suas domos, & familias, nec habitationem pristinam.
- 7 Quinto, quod probabiliter dici potest, quod illa verba bullæ, *Receptatores, & quomodolibet auxilium, consilium, vel fauorem præstantes*, sunt intelligenda de his, qui receperunt, vel iuuant directe, vel indirecte bannitos, quoad delicta, quæ exercent, & non de alijs, qui neque directe, neque indirecte iuuant ad exercendum ea. Tum quia quadamtenus impium esset dicere, per præfatam bullam excommunicari confessariū, qui pie audiret bannitum pœnitentem, præsertim in articulo mortis, & qui cibaret, potaret, & hospitio susciperet eum egentem extreme, & qui oraret, immo & missaret pro eo, vt conuerteretur, & qui consuleret ei, vt cessaret

cessaret à grassatura, & alijs malis: eo quod nec directe, nec indirecte iu-
 uaret eum ad id, à quo intendit bulla arcere. Tum quia, vt ait Caietanus
 in summa verb. excommunicato, cap. 1. quem sequuti fuimus in d. Ma-
 8 nual. cap. 27. num. 55. proprie loquendo, fautor hæretici solus est, qui
 fauet hæretico vt hæretico; & similiter defensor hæretici solus est, qui de-
 fendit hæreticum, quatenus hæreticum. similiter receptator hæretici so-
 lus est, qui recipit hæreticum, quatenus hæreticum; quoniam ex intentio-
 9 ne; & proposito maleficia distinguuntur, iuxta cap. cum voluntate. de
 sententia excomm. quod ipse non citat: & quod, vt ipse ait, termini for-
 maliter sunt intelligendi apud sapientes in qualibet facultate; pro quo
 aptus textus in l. in delictis. §. 1. ff. de noxal. & ultra ipsam facit, quod te-
 netur quis hæretico extreme egenti subuenire, argum. cap. posse. 86. di-
 10 stinct. & quod potest quis, licet non teneatur, eidem etiam non extreme
 egenti subuenire, quatenus est homo, arg. cap. duo ista nomina. 23. quæst.
 4. ibi: *Quia peccator est, corripe; quia homo, miserere.* & ibi: *Nulli homini
 claudenda est misericordia, sicut nulli peccatori impunitas relaxanda est.* Tum
 quia alioquin omnes fere Catholici, etiam religiosi Germaniæ, Angliæ,
 Scotiæ, & bonæ partis Galliarum inciderent in censuras bullæ cœnæ: quip-
 pe qui habent commercium cum hæreticis, quatenus sunt homines, quod
 sine aliquo fauore, vel auxilio eis præstando, haberi nequit. Quare vide-
 tur concludendum, præfatos consulentes non incidisse in præfatam bul-
 lam quo ad forum conscientiæ, & verum Dei iudicium, neque quo ad fo-
 rum hominum exterius, si probauerint ea, quæ proponunt.

11 Ad primum oppositum responderi potest primo, negando, quod ver-
 ba præfatæ bullæ includant consulentes; quia licet communicent, & iu-
 uent aliquo modo, non tamen communicant, nec opitulantur eis, tam-
 quam bannitis, sed tamquam Christianis vicinis in suis domibus manen-
 tibus, vt non bannitus: & ita non dicuntur adiutores bannitorum, cum
 non iuuent eos tamquã bannitos per præfatã determinationem Caiet. vbi

12 sup. multis confirmatã. Secundo, quod verba bullæ accepta secundum ri-
 gorem logicum includerent consulentes: quia communicant eis, qui ve-
 re sunt banniti; sed non tamen, quod includant intellecta secundum ra-
 tionem bullæ, & mentem eam ferentis, per prædicta, secundum quas in-
 telligenda sunt iuridice. cap. *intelligentia dictorum ex causis est affirmenda
 dicendi: quia non sermoni res, sed sermo rei debet esse subiectus.* de verbor.
 signific.

13 Ad secundum responderi potest primo, quod nimium rigorosi visi fue-
 runt canones illi antiqui, iubentes vitare excómmunicatos generaliter, Mar-
 tino V. & Concil. Constantiensi: & ideo per præfatã extrauag. ad euitan-
 da. fuerunt temperati. & credendum est Sanctiis. D. N. qui temperan-
 tiam, & mediocritatem maxime colit, maluisse sequi mediocritatem Mar-
 tini V. quam extremitatem, & rigorem canonum antiquorum. Secundo

responderi potest, multo maiorem rationem dicere, ut vitetur excommunicatus generaliter, quam ut vitetur bannitus generaliter: siquidem excommunicatio iure diuino dicitur, & habet executionem suo iure innatam: ita quod nec appellatio iusta eam suspendit, cap. pastoralis. §. verum. de appellat. bannitio autem iudicis humano iure dicitur, & non habet executionem innatam, ut palam est.

S V M M A R I V M.

- 1 *Legislatoris mentem nemo melius, quam ipse, potest declarare.*
- 2 *Excommunicatio contra aliquod facientes, tantum includit peccantes mortaliter.*
- 3 *Edictum euitandi excommunicatos, non includit communicantes sine peccato.*
- 4 *Excommunicatio continens errorem intolerabilem non ligat.*
- 5 *Receptantes bannitos, seu adiuuantes ad delinquendum, excommunicati.*
- 6 *Banniti vxor cum eo communicare potest.*
- 7 *Consanguinei receptantes secundum leges minori pena puniuntur, & nulla, ubi de innocentia constat.*
- 8 *Bannitos adiuuantes sine scandalo, & violentia, vt facilius conuertantur, non excommunicantur.*

CONSILIVM LVIII.

AN excommunicatio bullæ Sanctiss. D. N. Greg. XIII. contra bannitos, afficiat patres, filios, vxores, fratres, & huiusmodi alios consanguineos, qui occultaerint bannitos, aut eis consilium, auxilium, seu etiam pecunias dederint ad aufugiendum, & discendum e territorio.

An vxores, aut alij propinqui debeant denegare cibaria, & alia, quæ petuntur ab illis bannitis ingredientibus domos eorum.

Quid in euentu, quod isti banniti laborarēt morbo, & esset periculum de vita illorum, & peterent ab vxoribus, aut propinquis auxilium, & alimenta.

An parochi debeant tunc eos visitare, siue requisiti, siue non requisiti, quando sciunt eos agrotare.

Quid, an qui inueniunt bannitos in via, & salutantur ab illis, & interrogantur de aliquibus rebus, debeant illos refalutare, & respondere ad eorum interrogata; & an literæ, quæ mittuntur à bannitis, possint acceptari à propinquis, siue etiam ab extraneis, & aperiri, & legi, & illis responsum dari.

Quia

Quia morbo castronico affectus firmiter deliberaui non respondere ad alia dubia, quam quæ D. N. & summus eius Pœnitentiarius iuberent, donec operum meorum recognitionem, & impressionem, quas frequenter promisi, Deo dante, finirem, eo quod vitæ meæ finem iam appropinquare, præfato morbo sum præmonitus, non deceat, nec possum satis ad hæc dubia in præsentia respondere. Sed quia maxime cupio inferre mittenti ea, dico sequentia.

- 1 Primum, quod cum interpretatio mentis legislatoris à nemine possit tam apte fieri, ac ab ipso met, si est præsens, vt est Sanctiss. D. N. qui præfata bullam tulit, videtur eorum declaratio ab eodem petenda.
- 2 Secundo, quod cuperem, vt Sua Sanctitas declararet solum fuisse sibi mentem, quo ad forum conscientie includere illos tantum, qui edicto suo circumscripto, & sublato, mortifere peccarent, faciendo ea erga bannitos, quæ sub pœna excommunicationis latæ sententie prohiber. Tum quia excommunicatio generaliter lata contra facientes aliquid, nõ videtur includere, nisi peccantes mortaliter, faciendo illud, vt habet communis opinio per
- 3 cap. nemo, & cap. nullus. 11. q. 3. Tum quia olim alius Pontifex Max. qui (vt Sanctiss. D. N.) appellabatur Gregorius, declarauit edictum de vitandis excommunicatis non includere multos, qui pie sine peccato eis comunicant, in cap. quoniam multos. 11. q. 3. & Innoc. III. declarauit in cap. inter alia. de sentent. excomm. quod, non obstante præfato edicto de vitandis excommunicatis, possunt communicare illis alij, faciendo eis ea,
- 4 quæ debent per obligationem contractam antequam excommunicarentur. Tum quia excommunicatio, quæ continet errorem intolerabilem, non valet, cap. venerabilibus. §. potest. de sentent. excomm. lib. 6. & illa dicitur talem errorem continere, quæ fertur contra facientem elemosynam, vel aliud opus genere suo bonum, vt singulariter ibi dicitur. Tum quia ex proœmio bullæ præfate videtur colligi, quod solos illos voluit excommunicare, qui vel præsumptiue receptarent, vel iuarent bannitos ad malefaciendum, vel in maleficio perseverandum; & non eos, qui iuarent ad saluandum eorum animas, vel vitas extrema necessitate pressas, ad finem se salubrius conuertendi, & pœnitendi, arg. cap. cum voluntate. de sentent. excommunicationis, & cap. pasce. 85. dist. & alia iura, quæ allegat Specul. in tit. de dote post diuort. resti. u. §. formatis. versic. quid
- 6 si ad afferendum, quod vxor banniti potest ei communicare. Tum quia legum Cæsarearum latores, decernendo, minori pœna esse afficiendo, cõ sanguineos receptantes, quam extraneos, eo quod præsumitur minus peccare, significant, eos, qui absque vilo peccato receptarent illos, nulla pœna puniendos, si eorum innocentia nota esset coram Deo; & consequenter, qui in foro conscientie, in quo nota sunt omnia, nihil peccauerunt, et nihil pœnæ mereri. Tum quia particula illa bullæ, quæ excommunicat eos, qui
- 7 cibus, commeatu, auxilio, consilio, vel fauore, vel quocumque alio modo,

8 etiam ut euadant, &c. posset quo ad forum conscientie restringi ad eos, qui inuarent bannitos ad euadendum manus iustitiæ sine scandalo, & violentia, ad finem se melius conuertendi, & pœnitendi. Tum quia, ut alibi post Cajetanum diximus, licet in foro conscientie capto fugere de carcere sine violentia, & fractiōe.

Tertio, quod si sua Sanctitas declararet præfatam mentem sibi fuisse, omnia supradicta dubia remanerent soluta in magnâ tam pœnitentium, quam confessorum consolationem. Salua, quæ iustior fuerit, sententia.

S V M M A R I V M.

- 1 *Excommunicatus non est receptans, quem dubitat esse bannitum famosum, & seq.*
- 2 *Banniti tantum famosi per bullam Greg. XIII. vitandi.*

C O N S I L I V M L I X.

Quidam iuuenis explosit archibusum in quendam inimicum suum, quem tamen non percussit, & post aliquot dies adiuit quoddam monasterium, cui erat maxime amicus, & rogauit Prelatum, ut eum hospitio susciperet; qui respondit, videri sibi non posse id facere propter bullam Gregorij XIII. contra bannitos, sed à quodam presbytero sæculari persuasus contrarium, suscepit eum. Quæritur, an inciderit in censuras bullæ.

- 1 Respondeo, verba quidem facere pro parte affirmante, quatenus lata est contra recipientes bannitos, & capitali crimine diffamatos. Sed contrarium videtur tenendum. Tum quia præfatus iuuenis non fecit id notorie. Tum quia præfatus D. Consulens, licet audiisset eum id fecisse, nesciebat tamen, an esset manifestum per famam: quia non quælibet auditio, & informatio facit aliquid esse famosum, sed illa tantum, quæ nascitur ex dicto alicuius, qui vidit rem fieri, & creditur à toto populo, vel collegio, vel maiore parte illius. Tum quia, licet rumor ille esset comitatus omnibus, quæ requiruntur ad consciendam infamiam, vel diffamationem; D. tamen consulens nesciebat illud; & ita ignorabat illum esse diffamatû
- 2 ea infamia, quæ iure ad id requiritur. Tum quia mens conditoris extrauagan. non fuit includendi omnes capitaliter delinquentes palam, vel occulte, sed eos tantum, qui ex professio exercent huiusmodi delicta. Tum quia usus, & consuetudo intelligendi eam id habet; alioquin sequeretur, quod nullus delinquens Romæ publice, vel occulte crimen capitale, contra quem esset fama, posset recipi ab aliquo

quo in domum suam . cuius contrarium notorie seruatur in ea , in qua quotidie parentes , cognati , chirurgi , & nobiles recipiunt , & a-lunt , donec à iudice iubeantur comprehendi ; immo & publice manent in asylis , siue franchisijs Cardinalium , & Legatorum , licet non solum diffamati sint de illo delicto , sed etiam sciatur ipsos id fecisse . Tum quia alioquin sequeretur , quod includeret omnes delinquentes capitaliter in toto statu Ecclesiæ : quod est absurdum . Itaque D. Conf. securus potest agere diuina ; eo quod nesciebat crimen eius esse iure famosum , licet aliam de illo informationem haberet ; & quod crimen iuuenis non inclu-debatur in præfata bulla secundum mentem eius , & usum intelligendi eam . &c.

S V M M A R I V M .

1. *Verba sunt intelligenda cum effectu extrinseco , quem intendit disponens .*
2. *Excommunicationem non incurrit , qui rem tentauit , non secuto effectu .*

C O N S I L I V M L X .

Prohibuit Gregorius XIII. sub pœna excommunicationis latæ senten-tia, ne cuiusdam ordinis fratres scriberent ad aliquas moniales sui or-dinis. quidam frater eius scripsit ad quandam , sed epistola non peruenit ad illam . Queritur , an sit excommunicatus .

1. Pro parte negante facit , quod verba cum effectu sunt intelligenda , l. 1. §. hæc autem verba . ff. quod quisque iuris . translatus in cap. hæc verba . de pœnit. dist. 1. Pro parte autem affirmante facit primo , quod verba Gregorij prohi-bent scripta mittere ; & præfatus frater scripta misit . Secundo , quod il-lud elogium , *verba cum effectu sunt intelligenda* , non debet intelligi de quocumque effectu extrinseco , sed solum de illo , quem verba proprie si-gnificant , vt nos nuper probauimus per multa in d. cap. hæc verba . num. 10. & verba præfate prohibitionis habent , vt nullus frater scripta mittat ; & ita solum requirit missionem scripturæ , quæ est effectus intrinsecus , quem significant illa verba .
2. Nihilominus prior pars negatiua videtur verior , non per illam ratio-nem solum , quod verba sunt intelligenda cum effectu , sed per illam , quod verba sunt intelligenda cum effectu etiam extrinseco , quem intendit le-gislator , vel alius disponens , de cuius mente , vel intentione constat expre-ssè , vel tacite . quod etiam vbi supra probamus per l. si. Balsatoram . C. de fideiusso . quæ habet , promittentem inuenire latronem . non satisfacere , nisi

nisi eum capiat, & iudici exhibeat; & per duo dicta Bart. de inueniente bannitos, & de inueniente aliquem cum armis, qui non dicuntur satisfacere, nisi capiant: licet enim verbum, inuenire, proprie non significet capere inuentum; ex mente tamen, & intentione statuentium præsumitur id voluisse significare. Licet ergo illa verba Gregorij, *nemo fratrum scripta mittere audeat*, proprie non requirant, vt scriptum perueniat; præsumitur tamen id voluisse: quia non nocere nullo scripturæ, nisi perueniret ad quam mitteretur. Itaque arbitror præfatum fratrem peccasse quidem, sed in excommunicationem non incidisse, nisi præfata scripta peruenissent ad quam mittebantur, saltem per relationem fide dignarum personarum. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Missam simoniaci non denunciati audiens non peccat.*
- 1 *Communicans cum excommunicato, specialiter seu nominatim non denunciato, non peccat.*
- 2 *Accusatus de simonia, ac de excommunicatione diffamatus olim erat vitandus, modo non.*
- 3 *Fama excommunicationis cum denunciatione sufficit ad hoc, quod denunciatus excommunicatos euitare teneamur.*

C O N S I L I V M L X I.

AN peccet mortaliter audiens missam eius, quem scit esse simoniaci, & per consequens excommunicatum per extrauag. 2. de simon.

- 1 Respondetur, quod non, si nondum erat denunciatus excommunicatus. nam, licet iure antiquo sciens aliquem esse excommunicatum tenebatur illum vitare etiam ante denunciationem, c. cum non ab homine. de sententia excommunicati, etiam si sciret excommunicatum per solam famam, c. illud. de cleric. excommunicat. ministr. iure tamen nouo per extrauag. ad euitanda scandala. Martini V. renouatam in Concilio Lateranensi sub Leone X. nemo tenetur vitare excommunicatum generaliter ante denunciationem, nec etiam excommunicatum specialiter ab homine nondum denunciatum; quod nos confirmamus in cap. 1. §. laborat. de pœnitent. dist. 6. num. 12. vbi inferimus tenorem alius extrauag. quem Butrius, & Felin. non habuerunt, vt etiam retulimus in Manual. cap. 27. num. 35.
- 2 Non obstat cap. accusatum. de simon. vbi habetur, accusatum de simonia prohibendum esse à celebrando; quia procedit secundum iura antiqua, secundum quæ etiam infamatus de excommunicatione erat vitandus, vt prædictum est. Adde tamen, quod, sicut olim fama sufficiebat de iure

iure antiquo ad euitandum excommunicatum, d. c. illud. de clerico excommunic. item nunc de iure nouo videtur sufficere fama de excommunicatione cum denunciatione: quia eadem ratio, & æquitas in vtroque casu mouere videtur, & ideo idem ius. l. illud. ff. ad l. Aquilianam. cap. dum. il. 2. de electione. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Suspensio non requirit certam verborum formam.*
- 2 *Suspendens verbo sine scriptura peccat.*
- 3 *Suspendere censetur prælatus, quando subditum in scriptis in ordinibus ministrare prohibet, & non quando tantum verbo.*

CONSILIVM LXII.

- A**N prohibitus à prælato ne celebret, videatur suspensus?
- 1 Pro parte affirmante facit primo, quod nulla forma verborum est præscripta ad ferendam, nec ad tollendam suspensionem: sed sufficiunt quæcumque id significantia, vt dicimus in Manual. confess. cap. 27. num. 161. Secundo, quod tota definitio suspensionis in d. Manu. serio cõcepta, & declarata vbi supra num. 151. videtur ei conuenire.
 - 2 Pro parte vero negante facit primo, quod suspendens verbo sine scriptura, delinquit, & punitur suspensione. c. 1. de sentent. excom. lib. 6. Secundo, quod magna cum prouidentia debet imponi, vt habetur in d. cap. 1. & per prohibitiones huiusmodi, cum prohibens non vtitur verbo suspensionis, videri potest nolle suspendere: & quod prohibitio de non communicando, vel non celebrando à confessario facta, non censetur suspensio, vt vbi supra dicitur, reddendo rationem cuiusdam dicti glossæ cap. is qui. de sentent. excomm. lib. 6.
 - 3 Pro concordia horum in præsentia occurrit dicendum, quod, si prælatus in scriptis faciat huiusmodi prohibitionem, censetur suspendere: quod probant argumenta pro parte affirmante adducta. prohibens autem verbo tantum præsumitur solam simplicem prohibitionem facere, argum. l. si procurator. ff. de conditio. indeb. cum suis concord. quatenus probant, in dubio neminem præsumi facere actum eo modo, quo sit delictum. At, qui prohibet celebrare sine scriptura, facit actum, qui potest iudicari delictum, & non delictum: nam, si facit animo suspendendi, delinquit, adeo quod ipso iure incurrat suspensionem: si vero facit animo non suspendendi, sed simpliciter prohibendi, non videtur delinquere; ergo præsumendus est nolle suspendere.

S V M M A R I V M.

Suspensio ab officio generalior est, quam suspensio à diuinis.

CONSILIVM LXIII.

AN suspensio à diuinis equipolleat suspensioni ob officio?
 1 Respondeo primo, de suspensione à diuinis agere textum cap. 1. de sententia excommun. lib. 6. Secundo, quod Innocentius, glossa, & alij omnes fenserunt hanc difficultatem, quæ certe non est parua: & communiter videtur recepta opinio Innocentij in cap. final. de excessu prælatorum. vt late refert Franchus in dict. ca. 1. §. caueat. num. 3. & sequimur nos in Manual. Conf. cap. 27. num. 163. Tertio, quod omnibus his perpenfis, potest categorice huic quæstioni responderi, quod suspensio ab officio est generalior, quam suspensio à diuinis; & consequenter quod suspensus à diuinis, interellendo diuinis, non incurrit irregularitatē plus quam suspensus ab officio.

S V M M A R I V M.

- 1 *Suspensus à diuinis episcopus diuina exercere prohibetur ex officio ea ministrando. seu auctorizando, non vero audiendo. & vlt.*
- 2 *Suspensus à diuinis, sicut prius potest confiteri, & communicare.*
- 3 *Suspensus à diuinis, ordinis actus exercendo, efficitur irregularis.*
- 4 *Suspensio à diuinis est censura ecclesiastica prohibens officij actus.*

CONSILIVM LXIV.

AN Episcopus suspensus à diuinis possit confiteri, & communicare corpori Domini, & audire missam?
 1 Pro parte negatiua facit, quod suspensus à diuinis non potest diuina exercere, cap. 1. de re iud. lib. 6. & cap. 1. & cap. is cui. de sentent. excommunicationis. eod. lib.
 2 Sed pars affirmatiua est tenenda. Tum quia suspensus à diuinis solum prohibetur in officio suo agere sicut prius, vel officium suum exercere, sicut prius, vt est text. in cap. 1. §. fin. de re iudic. lib. 6. & ibi gloss. expressa, quæ id notat. verb. sicut prius. & confirmat per cap. si quis episcopus in concilio.

concilio. 1. 1. q. 3. Tum quia tum demum suspensus à diuinis incurrit irregularitatem, quando exercet aliquem actum ordini suo specialiter deputatum, & sibi per suspensionem prohibitum, secundum Innocent. in cap. fin. de excess. prælat. communiter receptum ibi, & in cap. 1. §. fin. de re iud. lib. 6. & in cap. 1. §. fin. de sentent. excommunicat. eod. lib. vbi late resoluit

- 3 Phi. Franc. Tum quia suspensio, prout specialiter capitur, sicut in casu proposito pro censura ecclesiastica, definitur esse censura ecclesiastica, qua alicui personæ ecclesiasticæ prohibetur exercitium sui officij, vel beneficij ecclesiastici in totum, vel in partem, vt post alios tradimus nos in Manu. confess. cap. 27. num. 151. & ita non prohibetur illi quidquam, quod potest vt laicus exercere. Cum ergo confiteri, communicare, & audire missam, saltem non auctoritative eam coram se iubendo celebrari, possit facere vt laicus, non censentur illa ipsi prohibita; & consequenter faciendo illa non peccat, nec quidquam contra suspensionem à diuinis
- 4 facit. Tum denique quod suspensio à diuinis intelligitur ab eis ex officio exercendis, & non ab eis audiendis, nec suscipiendis, nec aliter, quam ex officio exercendis per prædicta: quo soluitur argumentum pro parte negatiua formatum. Ex quibus infertur, quod prædictus Episcopus potest audire diuina officia, non solum extra suam diocesim, sed etiam intra eam, & etiam intra Ecclesiam cathedralem, vt alius dominus laicus potest simpliciter audire, quãuis non auctoritative eam faciendo celebrari, iuxta gloss. sing. in clem. 2. verb. celebrari. de priuilegijs. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Suspensio vt valida, vel inualida declaretur, quæ explicanda.*
- 2 *Sententia excommunicationis, vel suspensionis iniusta, lata à iudice competente, valida est.*
- 3 *Suspensio sine præcedente correctione lata, est valida, nisi procedatur per viam denunciationis.*
- 4 *Excommunicati, suspensi, vel interdicti, ante denunciationem non sunt euitandi, & gesta per eos valida sunt.*
- 5 *Appellatio, licet non suspendat excommunicationem latam, suspendit tamen declarationem.*

C O N S I L I V M LXV.

IN quodam ordine regulari est constitutio, vt, si Prælati deliquerit, possit, correctione fraterna præuia, suspendi; fuit suspensus Prælati.

Quæ-

Quæritur primo, an huiusmodi suspensio teneat.

Secundo, an acta per Prælatum sic suspensum valeant.

- 1 AD QVAESTIONEM primam vix responderi potest, nisi declaretur, qui suspendit, qua auctoritate fungebatur, & quomodo sciebat defectus, ob quos suspendit, an cognitione priuata, an publica, & an notorietate, vel infamia, vel denunciatione, & an procederet per viam accusationis, denunciationis, vel inquisitionis: & qualis est tenor constitutionis, quæ iubet suspendere Prælatum post correctionem, an habeat clausulam irritantem.
- 2 Secundo, quod iure communi excommunicatio, & suspensio à iudice competente lata, etiam si sit iniusta, regulariter valet, & est seruanda saltem in foro exteriori; nisi in quinque, vel sex casibus, quos nos summam referimus in Manu. confess. cap. 27. num. 4. Et in propositione casus præsentis non narratur aliquid, ob quod suspensio prædicta debeat iudicari ipso iure nulla, quamuis esset iniusta: & ita habet locum cap. primum 11. q. 3. quod iuncta gloss. probat censuram timendam esse, ac seruandam, etiam si sit iniusta, modo non sit nulla, sed valida: & nullo iure cauetur, quod censura lata à iudice sit nulla ipso iure propter omissionem correctionem fraternam, nisi cum proceditur per viam denunciationis Evangelicæ, iux. cap. super his. de accusatio. & vt prædictum est, non narratur in casu, qualis esset iudex suspendens, nec quali via procederet, neque quis defectus fuit factus in processu, neque quales clausulæ irritantes habeantur in constitutione ordinis, quæ hac de re disponit.
- 4 AD SECVNDAM respondetur, quod non solum suspensus, sed etiam excommunicatus, & interdictus potest exercere iurisdictionem, quam habet publicam; & valent eà, quæ facit vt iudex, donec denunciatur, & declaretur excommunicatus, suspensus, vel interdictus: & non potest nec debet euitari, donec fuerit declaratus, & denunciatus per extrauag. cuius initium est, ad euitanda, relatam à nobis plenius, quam ab alijs, dicto cap. 27. num. 35. per quam limitantur omnia iura antiqua, tam decreti, quam decretalium, Sexti, & Clem. & omnium extrauag. impressarum, & non impressarum: adeo quod Illustrissimum Prætorium Rotæ ita hoc seruat, quod numquam pronunciat acta, quæ fiunt per episcopos, & alios Prælatos, & iudices, esse inualida, & nulla, propterea quod fuerunt facta ab excommunicato etiam per Auditorem Rotæ, si fuerint facta, ante quam per Rotam fuisset declaratus excommunicatus, vel suspensus, vt etiam Felin. qui fuit Auditor Rotæ, expressit in cap. ad probandum, de re iudica. num. 6. cuius verba aptissima huic negotio non transferimus hic ob festinantiam interrogantis, & quia videri possunt apud eum ibi. Cui addo id, quod proposito plurimum seruit, & quod licet excommunicatio, & aliq. censuræ late sine monitione valeant ipso iure secundum receptionem opinionem, & appellatio, & quæ ab eis fit, non suspendat eas, nec earum

earum effectum, licet deuoluat iurisdictionem ad superiorē, per ea, quæ habentur in cap. pastoralis. §. verum. de appellatio. & in cap. ad reprimendum. de off. ord. declaratio tamen, quod aliquis incurrit in illas, non potest fieri absque citatione eius, & antequam audiatur, vel contumax iudicetur: et, si fiat declaratio absque illa citatione, & auditione, est ipso iure nulla, & nullum impedimentum facit, quo minus facta per ligatum censuris valeant, per gloss. in cap. cupientes. §. quod si per. de electio. lib. 6. & multa, quæ ipsemet Felin. cumulat, & congerit in cap. Rodulphus. num. 9. de rescrip. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Irregularitas non tollitur per clausulam, *Absoluentes te à censuris. &c.*
- 2 *Suspensio ex notorio concubinato tollitur per pœnitentiam, sed non irregularitas.*
- 3 *Papa motu proprio conferens beneficium non dispensat.*

CONSILIUM LXVI.

DE eo, qui factus irregularis impetrauit à Papa beneficium.

Vnde quæsitum fuit primum, an per clausulam bullis inseri solitam, *teque à quibusuis, &c.* censeatur secum dispensatum super irregularitate.

Secundo, an per pœnitentiam illa tollatur.

Tertio, an per illa verba, *Animum suum mouentibus, &c.* videatur Papa dispensare.

- 1 AD PRIOREM quæstionem, scilicet, an collatio facta irregulari ob notoriam fornicationē, tollatur per illam clausulam solitā apponi in bullis, *Teque à quibusuis excommunicationibus*, respondetur quod non. Quia nunquam videtur Papa absolueri ab irregularitate, vel facere facultatē absoluedi ab ea, nisi id exprimat, vt diximus in Manu. cap. 27. nu. 254.
- 2 AD SECVNDAM, quod licet suspensio, quæ incurritur per notorium cōcubinatum, ipso iure tollatur per pœnitentiā, vt nos diximus in Manu. cap. 27. num. 154. irregularitas tamen orta ex celebratione publici fornicarij non tollitur ipso iure per pœnitentiam, vt nos satis exprimimus in d. Manu. cap. 25. nu. 77. immo nec irregularitas nata ex publico concubinato, vt habet gloss. Pragmatix sanctionis Gallicanæ tit. de concubinarijs. §. & nihil. verbo inhabiles. pro qua ibi bonus tex.
- 3 AD TERTIAM, quod non satis intelligo, quo modo illa clausula possit prodesse impetranti, si verbum *animum* referatur ad Papā, & minus si

si referatur ad impetrantem: & quod certum est, Papam, etiam si motu proprio scribat, non inducere dispensationem circa ea, quæ iure communi obstant, ut post alios scribit Philippus Fran. in cap. si motu proprio, de preben. lib. 6. num. 5. & ad recte iudicandum oporteret videre verba provisionis. Salua. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Irregularis non est clericus in minoribus, qui digitos pedum, exceptis pollicibus, in infirmitate amisit.
- 2 Irregularem non facit defectus partis membri, nisi causet deformitatem, aut impediatur usum ordinis.

CONSILIVM LXVII.

AN clericus minorum ordinum, qui per infirmitatem, & ægritudinē perdidit omnes digitos utriusque pedis, exceptis pollicibus, sit irregularis, & possit ordinari maioribus?

- 1 Respondeo, quod non est irregularis, & potest ascendere ad maiores ordines, & beneficium assecutum retinere. Tum per cap. qui partem, & cap. si quis à medicis, & cap. si quis in ægritudine. 55. dist. quatenus probant, eum, qui partem alicuius membri perdidit per languorem, vel cui à medicis pro ægritudine secta est pars membri, immo & virilia, quæ constituunt membrum, non esse irregularem. Tum per cap. 2. de corpo. vitiat. quatenus probat, ut ibi annotat Panor. ab omnibus receptus, quod defectus partis membri non facit quem irregularem, nisi induceret magnam deformitatem, aut redderet impotentem ad utendum ordinibus: & prædictus defectus nec inducit talem deformitatem, nec impotentiam, ut palam est. Tum per ea, quæ latius tradimus in Man. cap. 27. nu. 198. & sequenti, adiunctis eis, quæ tradimus in eodem cap. nu. 206. probando efficaciter, quod digitus non est membrum, sed pars membri. Salua meliori. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Irregularitatem dispensabilem incurrit, qui archibussum, rota non flexa, super scamno dimisit, & mors est secuta.
- 2 Homicidium casuale causa ad dispensandum.

Irr.

Irregularis diuinis horis, etiam canendo, interesse licite potest.
 Suspendus ab officio seu irregularis fructus beneficij, seu præbendæ percipere potest.

CONSILIVM LXVIII.

Ioannes Menaut presbyter, & Parochus Ecclesiæ Sancti Iacobi loci de Natuga Virgellen. diœcesis, ex eo, quod de anno 1583. Hugonoti ingressi fuerunt per montes Pyrenæos Comitatum Rosilionis, & Ceritanæ Virgellen. diœcesis in numero octingentorum, vel mille, occidendo, captiuando, ecclesias, seu templa diruendo, imagines Sanctorum abolendo, Sacramentum Eucharistiæ eijciendo, multaque alia facinora perpetrando, coactus fuit ipse, & alij sacerdotes, cæterique homines arma deferre ad patriæ defensionem; & inde euenit, quod quadam die, cum dictus Ioannes iret confessum, & domus illius per aliquod itineris spatium distaret, & segetes ante ostium permagnæ adessent, & redeundo secum tormentum manuale, siue archibusium attulit, & cum domum peruenisset, super quodam scamno posuit galito non flexo; & quidam puer, nescitur quo spiritu ductus, fibulam rotæ tetigit. Vnde alius puer occisus fuit, incio omnino, & nolente dicto oratore. Super quo sententiam reportauit à suo ordinario; à quo, donec absolutionem à Sede Apostolica obtineret, ab altaris ministerio suspendus, & ad Ecclesiam Beatæ Mariæ Virginis Montis Serrati pedester proficisci, ac ab officialatu Ceritanæ per annum exulare, eleemosynasque largiri, & patri pueri defuncti triginta aureos dare iussus fuit, vt in sententia prædicti officialis continetur. Quæ omnia prædictus orator adimpleuit, & per biennium, & quatuor menses suspendus ab altaris ministerio extitit. Quibus præmissis, à D. V. R. quæritur.

Primum, vtrum orator sit irregularis, & in quas pœnas incurrerit.

Secundum, casu quo sit irregularis, & in pœnas incurrerit, quibus rationibus orator possit facilius à Sanctissimo absolutionem obtinere; et si suspendus ab altaris ministerio, horis canonicis, & nullâ canendæ interesse possit.

Tertium, vtrum suspendus ab altaris ministerio, nulla mentione de fructuum receptione facta in sententiâ à suo ordinario, possit fructus percipere ex præbendâ.

Quartum, vtrum suscipiens suspendus de licentia sui ordinarij fructus præbendæ, indebite percipiat, præcipue cum aliud non habeat, vnde se alere possit.

A D PRIMAM quæstionem videtur dicendum D. Consulentem incurrisse irregularitatem, eo quod secuta fuit mors hominis ex facto
 Pars ij. Z z eius

eius illicito propter culpam, quam videtur incurrisse ob negligentiam commissam in non flectendo rotā, quando deposuit super scamno bombardulam prædictā, per ea, quæ nos tradimus post alios in Manu. Conf. cap. 27. num. 219. Sed non incurrit irregularitatem fluentem ex homicidio indispenfabili, de quo in eod. cap. nu. 239. sed fluentem ex homicidio casuali, de quo in eod. cap. nu. super quo passim dispensatur.

2 AD SECUNDAM respondetur, quod ratio, quæ maxime mouere potest Sanctissimum D. N. ad dispensandum, est, quod præfata irregularitas orta ex homicidio valde casuali, & ex opere, quod non videtur illicitum ex commissione delicti admissi in committendo, sed in omitendo, quod est longe leuius, quam quod admittitur in committendo, iuxta glo. solen. recep. in l. si mora. verb. facto. ff. soluto matr. non enim admittit dolum, sed culpam satis leuem, & quæ alicui iudici videri potuisset nõ sufficere ad inducendam tantam irregularitatem, attenda necessitate, quæ tunc erat, vtendi armis; de quo non disputo: quia sententia transiuit in rem iudicatam. Altera ratio, quæ mouere potest ad dispensandum, est, quod D. Consulens est Rector Ecclesiæ parochialis, & fuit valde obediens in adimplendo sententiam satis duram.

3 AD TERTIAM respondetur, quod sic: quia variæ, & diuersæ sunt suspensio ab altaris ministerio, & suspensio à beneficio, vel fructibus beneficij, iuxta glossam solen. quæ magna est, clem. cupient es. de pœnis. quæ probat, non esse extendendam suspensionem ad diuersa, qualia sunt ministerium altaris, & fructus beneficij: & à diuersis non fit illatio, l. Papianus. ff. de minoribus, præsertim ad ampliandam pœnam, cap. pœnæ. de pœnit. dist. 1.

AD QUARTAM respondetur, quod sic, præsertim in casu proposito, in quo agitur de fructibus beneficij ante irregularitatem quæstui, cuius nec titulum, nec administrationem fructuū tollit irregularitas superueniens, iuxta dictum Innoc. communiter recep. in cap. cum nostros. de concessio. præbendæ. Salua saniori sententia.

S V M M A R I V M.

- 1 *Episcopus in aliena diœcesi sine licentia corporalia benedicens, suspensus.*
- 2 *Episcopus bona fide in aliena diœcesi pontificalia exercens qualiter absoluenodus, & dispensandus.*

C O N S I L I V M LXIX.

Quidam Episcopus abhinc aliquibus annis in aliena diœcesi existens pontificalia exercuit sine licentia illius Episcopi, in cuius diœcesi morabatur: & hoc fuit consecrando calicem, vel corporalia fuit vnum, vel alterum, sed non recordatur quale id quod bona fide fecit, nec

nec habuit animum decretis Concil. Trid. aut sacrorum canonum contravenire, nec consideravit, id sibi non licere: post id temporis missas celebravit, & omnia alia munera episcopalia administrait, nihil ad hoc respiciens, sicut nec antea à principio adverterat. Queritur nunc, an Episcopus prædictus fecerit contra cap. 5. sess. 6. Conc. Trident. & incidit in pœnam in eo contentam, seu in alias pœnas à iure statutas, & si forte incidit, quomodo se in hoc casu gerere debeat?

- 1 Ad hoc dico primo, videri prædictum Episcopum incurrisse suspensionem, quam prædictum cap. 5. Concil. Trident. inducit, & consequenter incidisse per usum pontificalium postea subsequutum in irregularitatem. Secundo, data mihi facultate respondendi ad hunc casum à Summo Penitentiario, & à toto suo prætorio simul, & faciendi omnia, quæ Reverendissimo Episcopo consulenti sunt necessaria; ego, potestate mihi in hoc facta, absoluerem prædictum Episcopum à prædicta suspensione, & dispensarem super irregularitate ob eam contracta, eam omnino abolendo, attento quod consecrationem prædictam non fecit in prædicti cap. 5. contemptum, nec intendens illud transgredi, immo credens bene facere; & quod humili, & deuota mente se prædictæ Sedi Apostolicæ censuræ subijcit, imposita tamen pro incogitantia, & inaduerentia huiusmodi suspensione decem dierum ab exercitio pontificalium, non tamen presbyteralium; & quod inter illos coronam Virginis decies diceret, & decies largiretur elemosynam, quæ sibi placuerit, & duobus alijs diebus non præceptis ante Natalem Domini ieiunaret. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Irregularis non est diaconus, solenniter puerum baptizans tamquam diaconus.
- 2 Diaconus, qui ut talis, præsentè & annuente parochò, pro pace inter parentes firmanda, baptizauit, irregularis non est.

CONSILIVM LXX.

Baptizauit diaconus infantem solenniter, parochò suo præsentè, & annuente, & sibi tamquam diacono licere existimans, & pro vinculo pacis, & reconciliationis inter diaconi, & pueri parentes, & consanguineos; & postea ad presbyteratus ordinem ascendit bona fide, & in ordinibus ministravit. Dubitatur, an sit irregularis. Nam pro affirmatiua facit conclusio communis, quod ministrans solenniter in ordine, quo quis non est insignitus, irregularitatem incurrit, ut post alios scribit Dominatio tua

in Man. cap. 27. num. 242. & in tractatu de oratione, cap. 6. nu. 42. affirmat solennem baptismum esse actum proprium presbyterij ratione consecrationis: & de hoc est text. in cap. 1. de cleric. non ordin. ministr. Secundo, nam prædictus diaconus, exercendo actum presbyterij, nedum efficitur irregularis quo ad sacerdotium obtinendum, sed etiam ipso iure suspensus est ab ordine diaconatus, vt probatur in cap. 2. eod. titulo iuncta maxime doctrina Abbat. antiqui ibidem asserentis hunc ad hoc, vt possit in ante susceptis ministrare, egere misericordia Episcopi, quam faciet Episcopus, vt inquit ibi textus, postquã steterit arbitrio Episcopi biennio, vel triennio suspensus, tunc sic suspensus celebrans efficitur irregularis ex doctrina D. tue in d. c. 2 7. nu. 163. & alibi sæpe, adducendo c. primam de re iud. & de sententia excommunic. in 6. ergo & iste irregularis est. Tertio, si suspensus ab aliquo actu ordinis ministrans in eodem efficitur irregularis, vt supra dictum fuit, multo magis efficietur talis, si ministrat in eodem, cum illo omnino careat. quo argumento post alios vitur Abb. in d. cap. 2. de cleric. non ordin. ministr.

Ad secundam, contra consulentem facit, quod qui alieno negotio sponte se ingerit, seire tenetur omnia, quæ ad illum actum exercendum legitime sunt necessaria, ex D. Tho. 1. 2. q. 76. art. 2. in corpore, quæ si ignoret, non excusatur. Dominatio tua in suo Man. cap. 25. num. 47. argum. ca. innotuit, vbi gloss. verbo ignorantia. de elect. cum concor. Nec dictum prædicti sacerdotis, vel prædicti Archipresbyteri assistentia præbet iustam excusationem: nam tunc opinio doctoris excusat consulentem, quando consultus reputatur doctus, Alex. l. iuris ignorantia. C. qui admitti. qui nam. 3. inquit post Angelum in l. Plagij. C. ad l. Flauiam de Plagijs. qui consulit non peritum, excusatur quidem à dolo, sed non à temeritate: qualis non fuit dictus sacerdos; Archipresbyter autem nihil dixit, sed rogatus, vt hoc permitteret, permisit: quia actio non videtur præbere sufficientem excusationem, maxime in hac materia, quæ videtur potius referenda ad lucrum non faciendum, quam ad damnum euitandum; cum, vt Alex. vbi supra dixit in simili, hoc damnum non celebrandi habeat originem à lucro, scilicet à dono ecclesiæ, quæ donauit, seu donat per ordines facultatem ministrandi.

Contrariam autem partem tenere non omnino improbabile videtur, ex hoc vno argumento: Nec irregularitas, nec suspensio ipso iure est inducenda, nisi in casibus in iure expressis. De primo est text. in ca. is qui. de sententia excommunic. in 6. De secundo, cum sit priuatio iuris, quod quis habet, seu impedimentum, est gloss. in cap. fin. gloss. penult. de iur. patron. Roma. consil. 325. nu. 3. sed sic est, quod in casu nostro nullibi à iure hæc pœna imponitur; ergo nec imponenda est à nobis. Et ad contraria videtur posse responderi. Ad primum responderetur, quod procederet, si dictus consulens sollemniter tamquam sacerdos baptizasset.

ad hoc

ad hoc enim, vt incurratur irregularitas, non sufficit, vt quis solenniter baptizet, sed oportet, vt faciat sub nomine, seu sub persona presbyteri, fingens se, seu reputans se sacerdotem. hoc mihi probat Abb. antiquus, qui in d. cap. 1. de cleric. non ordin. ministr. inquit, Per totum istum titulum dicitur, quod non ordinatus celebrans vt ordinatus, deponitur. & gloss. text. in verbo, *baptizauit*, inquit, baptizauerit, supple, vt sacerdos. sed sic est, quod dictus consulens baptizauit quidem solenniter, sed non baptizauit vt sacerdos, sed vt diaconus, ad cuius ordinem credebatur spectare dictum actum exercere. Hoc idem mihi probat, & clarius Hostiensis ibidem, qui sequendo predictum doctorem inter cetera exemplificat dicendo, Vt, si diaconus vsurpet officium presbyteri, ac si talis esset, cum non sit. & paulo inferius exponendo verbum, *propter temeritatem*, inquit, Quin immo & falsitatem: nam gerit se pro milite, cum non sit. Eadem etiam expositio deducitur ex Panormit. in dict. cap. 1. qui in petitione casus loquitur de eo, qui, cum non esset ordinatus, ministrat, tamquam si esset ordinatus, & num. 1. inquit, quod tenetur poena falsi, sicut non habens dignitatem, qui simulat se eam habere, & vitur illius insignibus, subdens, Quod nota contra eos, qui ex remotis partibus venientes dicunt se esse doctores, cum non sint. Et hoc etiam innuit Dominatio tua dicto cap. 17. num. 242. qui duo in hoc casu requirit. Primum, vt exercuerit actum ordinis. Secundo, vt exercuerit illum tamquam dicto ordine insignitus. Sed sic est, quod dictus consulens exercuerit quidem actum ordinis sacerdotalis, sed tamen illum non exercuit vt sacerdos, nec gessit se pro sacerdote, sed exercuit illum vt diaconus, gerens se pro diacono; unde non dicitur comprehensus sub dicta censura. Nec dicamus sufficere dictum diaconum baptizasse eo modo, & sub illa solennitate, sub qua baptizat presbyter, vt videtur posse colligi ex dictis aliquorum doctorum in dicto c. 1. Nam, cum verba sint formaliter accipienda, & non materialiter, de hoc diacono non est verum dicere, quod baptizauerit sub persona, & nomine sacerdotis, licet vsus fuerit eisdem ceremonijs, quibus vt solent sacerdotes: quod non sufficit, vt etiam colligitur ex Lapo alleg. 28. an dispenset. Ad secundum respondeo, procedere, si ministrasset tamquam sacerdos, vt probat Abbas antiquus, qui, vt dixi, predictam eius glossam applicat ad omnia contenta sub dicto titulo. Item videtur posse dici, hunc non esse suspensum, sed suspendendum, vt videtur colligi ex Abb. Panor. & alijs ibi, qui dicunt, quod hic talis suspenditur. Hoc etiam confirmatur ex textu, ibi, *triennio, vel biennio arbitrio Episcopi*. ergo non est talis, antequam Episcopus dictum tempus arbitretur, vel statuatur: item & verba textus in d. cap. 1. hoc innunt, ibi, *abijciatur de Ecclesia*. & sic innuit a iudice suspendendum. Ad tertium: procederet, si ministrasset tamquam talis, & fingens se talem, quod non fecit. Quod autem ad ignorantiam spectat, videtur admittenda. Nam dicta poena irregularitatis, & suspentionis

nis non imponitur simpliciter dicta facienti, sed eadem temerarie facienti, vt patet ex tex. in dicto cap. 1. ibi, *propter temeritatem*, quod verbum indicat illum, qui scienter, & ex proposito, & sine causa rationabili aliquid de prohibitis facit, Car. clem. 1. §. si quis. not. 1. de Ittatu Monach. qualis non videtur iste, qui potuit credere verisimiliter dicto sacerdoti in prædictis ad eius officium spectantibus, ac etiam suo prælato, à quo in effectu petijt nedum licentiam, sed etiam consilium; maxime cum hæc materia non videretur admodum difficilis scitu, quo casu non videtur necessarium periticos adhibere, ex notatis per Abb. in cap. proposuisti, de probation. num. 6. cum antecedent. & conseq. Item hic sumus potius in materia damni vitandi, scilicet, ne qui habet charitatem, perdat vsum, quam in materia lucri non faciendi, quo casu ignorantia iuris excusat, etiam quod peritiores non adhibuerit, gloss. in l. reg. verbo, raro. ff. de iur. & fact. ign. saltem vt euitet pœnam, ex Bart. l. quod verum. ff. depositi. Ad doctrinam Angeli, & Alex. respondeo hunc consuluisse tales, de quibus probabiliter poterat credere, quod essent periti, saltem in pertinentibus ad dictum negotium: nec enim aliter quis ad curam animarum debuit ab Episcopo admitti, maxime conferendo Archipresbyteratum, nisi sciret, quomodo, & per quos debeat conferri sacramentum baptismi. Item doctrina prædicta Alex. & Ang. procedit, quando hæc excusatio cedit in damnum aduersarij, qui sumptus, & damna non posset recuperare; in casu autem nostro facilius admittitur excusatio, quæ in nullius damnum tendit. Ex quibus cupio hunc pauperem sacerdotem non egere aliqua dispensatione, quam non potest obtinere, nisi in foro exteriori cum dispendio temporis, & pecuniarum, quibus adeo caret, vt exercitio ordinum cogatur victum quærere. Requiritur modo Dominationis Tuz sententiam.

PER EA, QUÆ SVBTILITER, & erudite supra citantur, videtur iudicandum, quod dictus diaconus vere quoad forum Dei, & conscientie non est irregularis, sed quod in foro exteriori iudicaretur talis: quia præsumeretur baptizasse tamquam presbyter vsurpando officium presbyteri, vt nos in Man. cap. 27. num. 242. supra citato diximus de consuetudo id faciendi; qui tamen locus errore typographi est vitiat, & debet sic legi; Quin pridem respondi, quod quamuis clericus primæ tonsuræ, qui solenniter cantauit epistolam cum manipulo tamquam subdiaconus, vbi non erat consuetudo cantandi eam cum illo, nisi subdiacono, sit irregularis, in foro tamen animæ non est talis, si noluit id facere tamquam subdiaconus. Hæc ibi. Arbitror autem, quod si probarentur omnia, quæ narrantur in casu de assistentia Archipresbyteri, & quod à quodam sacerdote audiuit id ei licere, & quod tam bona de causa illuc audiuit, &c. & in foro exteriori iudicaretur mundus ab irregularitate: quoniam

niam constaret non fecisse id illum dolo, neque cupiditate, neque contemptu, sed bona fide; quæ enim non concurrant, non incurritur irregularitas, ut definit Panorm. in cap. pastoralis. §. verum, de appell. & Dominicus in cap. solet, sub fin. per. gloss. penult. eiusdem, de sententia excommunicationis, lib. 6. Salua, &c.

S V M M A R I V M.

- 1 Irregularis sine culpa factus exercere ea munera potest, quæ mutilatio non impedit.
- 1 Irregularis ministrando, novam non incurrit irregularitatem.
- 2 Irregularis est, ad sacerdotium ante etatem promotus, & sicut interdictus inhabilis ad omnes actus ordinibus deputatos.

CONSILIVM LXXI.

Sacerdos ante legitimam etatem creatus, an licet non possit sacrificare, alia tamen valeat exercere munera, quæ alius sacerdos non irregularis potest?

- 1 Respondeo sequentia. Primum, eum, qui factus est irregularis sine culpa sua, & quia abscissum ei est aliquod membrum violenter ab alio sine culpa sua, posse gerere omnia munera, quorum exercitio non repugnat abscissio illa, per cap. 2. de cleric. ægrot. ubi Panorm. communiter receptus id adnotavit. Secundum, quod nullus irregularis, celebrando contra iuram, incurrit novam irregularitatem: quæ est doctrina Innoc. recep. in c. si celebrat. de clerico excommunicato ministra. quem post alios etiam nos sequimur in Manual. Confess. cap. 27. num. 194. Tertium, quod irregularis, de quo in casu proposito, ex culpa sua est irregularis, & ideo non solum arceatur à missa facienda, sed etiam ab omnibus illis actibus, qui sunt ordinibus specialiter deputati, à quibus etiam est alienus, sicut interdictus, secundum theoreticam Imol. in cap. fin. de excess. pralat. Quartum, quod prædictus consulens non potest absque peccato dicere in officijs defunctorum illa verba, *Dominus vobiscum*, neque dicere orationem, quam soli presbyteri in talibus officijs solent dicere tamquam sacerdotes: quia illi actus peculiare sunt presbyterorum. Salua, quæ iustior fuerit, sententia.

S V M M A R I V M.

- 1 *Excommunicatus, & interdictus ministrans, duas incurrit irregularitates, quarum vna sine altera tolli potest.*

CONSILIVM LXXII.

AN qui est excommunicatus, & interdictus, celebrando, incurrat duas irregularitates?

- 1 Respondeo, duas irregularitates incurri, aut vnam ex duplici causa, argum. notatorum in cap. cum pro causa. de sentent. excommun. & cap. ex parte. de offic. ord. Tum quia qui contra duo, tria, vel quatuor præcepta vno actu peccat, totidem peccata committit, quot præcepta transgreditur, aut vnum peccatum cum tot circumstantijs necessario confitendis, quot præcepta est transgressus, vt diximus in Manua. Confess. prælu. 9. num. 20. Tum quia nulla ratio reddi potest, cur magis incurratur ex vna causa, quam alia; & non potest dici ex neutra incurri. & ita indigebit huiusmodi irregularis duplici dispensatione, aut vna ex duplici causa. Mihi autem iuri consonantius videtur, duplicem irregularitatem incurri, & alteram sine altera tolli posse; sed donec altera tollatur, sublacione alterius vti non posse, sicut de excommunicato dicitur duplici ex causa in d. cap. ex parte.

S V M M A R I V M.

- 1 *Fœmina excommunicare non valet, licet possit iurisdictionem ecclesiasticam habere.*

CONSILIVM LXXIII.

AN fœmina possit excommunicare?

- 1 Respondeatur, Philippum Decium in reg. 1. de reg. iur. num. 41. dixisse, fœminam posse quidem habere iurisdictionem ecclesiasticam, iuxta cap. dilecta. de maior. & obedient. & capit. dilecta. de excess. prælato. non tamen posse excommunicare, argum. cap. noua. & eorum, quæ ibi annotantur à Panorm. & alijs. de pœnitent. & remission. idque ipsum videtur sensisse, licet non adeo expresse, Didacus Couarru. in cap. Alma mater

mater. in 1. parte. §. 11. de testam. quæ sententia vera est, attento iure, & vsu communi: non tamen videtur nobis in præsentia satis tuta. Tū quod fundamentum eorum est, quod potestas excommunicandi pertinet ad claves ecclesiæ, quæ per presbyterium conferuntur. At omnis, qui habet iurisdictionem ecclesiasticam, etiam si non habeat claves, potest excommunicare, vt colligitur ex S. Thom. in 4. lib. sentent. dist. 18. q. 2. artic. 2. quæstiun. 2. Tum quia etiam laicus ex priuilegio potest excommunicare, iuxta gloss. celeb. & recept. in cap. præter. 3. 2. dist. in verb. Ducibus. Tū quia Sanct. Thomas vbi supra dicit, excommunicationem non pertinere directe ad claves. Quare in præsentia raptim, & tumultuarie hanc partem pendenti videtur iure verius posse feminam ex priuilegio Papæ excommunicare, sicut & prædicare, vt & laicus, non tamen iure communi.

S V M M A R I V M.

- 1 Excommunicationem non incurrit, qui legendo schedulam, iratus, clericum, qui eam legere volebat, tangendo repulit.

C O N S I L I V M LXXIV.

AN canonicus, qui subiratus ob quædam contenta in quadam scheda, quam legebat, concanicum petentem, vt sibi faceret copiam eam legendi, repulit à se, tangendo eum manu, qui non accepit illud in iniuriam, incidat in canonem si quis tuadente?

- 1 Respondetur, quod non: quoniam nemo incurrit excommunicationem maiorem generaliter latam, nisi ob peccatum mortiferum, cap. nullus, & cap. nemo. 11. q. 3. & prædicta repulsio facta inter amicos concanonicos, & familiariter conuersare solentes, non videtur culpa mortifera: quia in omni materia paruitas rei excusat à culpa mortifera, per ea, quæ tradimus in Manna. confess. prælud. 9. num. 12. post S. Thomam, & alios in multis locis: & magis excusat inter amicos, & socios, & inter se conuersare solentes, quam inter alios, argum. cap. quoniam. de vita, & honest. clerico.

S V M M A R I V M.

- 1 Castilagine auris carens quomodo sit irregularis.

CON-

CONSILIVM LXXV.

QVaritur, an carens particula cartilaginis auris sit irregularis, ita ut ad celebrandum indigeat dispensatione.

- 1 Respondetur D. Consulentem posse iuste celebrare, per ea que tradimus in nostro Manu. confels. cap. 27. num. 199. Nec obstat id, quod dicimus ibidem num. 223. de carente cartilagine: quia D. Consulens non caret tota, nec dimidiata nec tota tertia parte, sed tantula, que potest tegi, vel ita dissimulari, quod non inducat scandalum, utendo capillo coronæ demissiore, saltem in illa parte.

D E V E R B O R V M
significatione.

S V M M A R I V M.

- 1 Prohibitio ab ingressu Ecclesiæ, interdictum, & suspensio diuersis respectibus appellatur.
- 2 Res eadem diuersis nominibus ex diuerso respectu appellatur.
- 3 Censuræ Ecclesiasticæ in multis conueniunt, & in multis differunt.
- 3 Suspensio vt irregularitas dicitur & 5.
- 4 Ordines duos sacros vna die suscipiens, vt suspensus, & irregularis dicitur.
- 5 Suspensi, seu interdicti in prohibitis actionibus vitandi sunt, si sint denunciati.
- 6 Prædicare possunt suspensi, & interdicti.
- 6 Suspensi, & interdicti simpliciter, non sunt prohibiti prædicare.
- 6 Missam audientes à suspensio vel interdicto denunciato peccant.

CONSILIVM I.

AN casus, in quibus quis in iure suspenditur ab ingressu ecclesiæ, potius reducendi sint ad interdictum personale speciale, vt significet cap. 27. num. 170. quam ad propriam suspensionem, ad quam tamen esse reducendos significat cap. 27. num. 156. & seq.

Primo an is, qui eodem die duos sacros ordines suscipit, sit suspensus à posteriori dicendus, vt habet cap. 25. num. 71. an potius censendus irregularis, vt habet cap. 27. num. 241.

Tertio

DE VERBORVM SIGNIFICATIONE. 731

Tertio, cum teneamur vitari suspensum nominatim denunciatum, & pariter interdictum personaliter, dubium occurrit, in quibus tales sint euntiandi & in particulari est quæstio an peccatum sit interesse cõcioni illius, qui cum suspensus sit à prædicando, cõcionatur, & ita an præcise ex vi interestentiæ peccatum detur quod scilicet talis suspensus non vitetur; & pariter an peccatum sit audire sacræ eius, qui postquam personaliter interdictus ac nominatim denunciatus est, illud facit.

- 1 AD PRIMAM Antinomiam rñdetur primo, quod prohibitio ab ingressu ecclesiæ dicitur interdictum in cap. sacro. de sentent. excomm. ubi, *ingressum ecclesiæ per mensem vnum nouerit sibi interdictum*, & in cap. 1. eodem tit. lib. 6. cap. si quis autem appellatur suspensio ibi, *Per mensem vnum ab ingressu ecclesiæ, & diuinis officijs nouerit se suspensum & vtroque* Secundo, quod ex hoc infertur, tandem prohibitionem ab ingressu ecclesiæ posse appellari suspensionem, & interdictum, cum Summus Pontifex eam in vno loco appellet interdictum, & in alio suspensionem. cui consequens est, eodem modo posse defendi nostrum Manuale, quatenus in vno loco significat prohibitionem ab ingressu Ecclesiæ appellari posse interdictum, & in altero appellat suspensionem, allegando in id textus expressos summi Pontificis. Tertio, ex his resultare dubium notabile, scilicet, qua ratione potest defendi Papa, appellando in vno interdictum, & in altero suspensionem, vt eadem ratione defendi possit etiã Manuale. Ad quod respondetur, quod eadem res vno respectu proprie potest appellari vno modo, & alio respectu altero. exemplum est in l. si quando. C. de appellati. per quam ibi Part. recep. ab omnibus dicit, posse appellari à Rege, quatenus est Dux, ad superiorem, licet non quatenus est Rex; & quotidie appellatur ab Episcopo, quatenus est Episcopus, ad Archiepiscopũ, & quatenus est delegatus Papæ, ad Papam, & ab vno & eodem iudice, quatenus est ordinarius ecclesiasticus, appellatur ad Papam, & quatenus est iudex secularis, appellatur ad Regem, cap. si duobus. §. denique. de appellatio. Et ita eadem censura potest vna ratione appellari suspensio, & altera interdictum speciale: eo quod omnes censuræ cõueniunt in multis, & differunt in multis, quæ ponuntur in prædicto Man. cap. 27. nu. 164. Ex quo sequitur, quod nulla prohibitio ab ingressu ecclesiæ potest appellari suspensio, si ob culpam alienam fiat, interdictum autem sic, siue fiat ob culpam propriam, siue alienam.

AD ALTERAM Antinomiam, quæ videtur esse in eodem Manu. cap. 25. num. 71. vbi aflumens duos ordines sacros eodem die appellatur irregularis, & in cap. 27. num. 241. appellatur suspensus.

Respondetur primo, quod ibi nulla est Antinomia. Tum quia in d. ca. 25. nu. 71. non negatur, quod non sit irregularis, sed solum dicitur, quod est suspensus: quod est verum intelligendo de suspensione generaliter sumpta, vt accipitur in cap. literas, & cap. dilectus de tempo. ord. ibi allegaris:

& fre-

- & frequenter sic in iure canonico accipitur: quia verbum *irregularitas* non est antiquum latinum, vt dicitur in d. Manu. cap. 27. nu. 191. & ideo raro inuenitur in antiquis canonibus vsque ad Innocentium I II. in cap. nisi. de renunciatio. Propterea, licet contextus aliquis dicat aliquem esse suspensum, non est intelligendus de suspensione strictè dicta, sed de generaliter accepta, vt in d. cap. literas. & in d. cap. dilectus. si aliunde apparet quod est irregularis. & satis apparet ex eodem loco Manualis, quod est
- 4 irregularis: quia ibidem dicitur plus peccare eum, qui capit duos ordines sacros eodem die, quam qui assumit quatuor minores, & vnum sacrum; & quod is sit irregularis, dicitur in d. Man. cap. 27. num. 241. Tum quia ideo Manuale appellat suspensum, quia sic appellauit eum Papa in prædictis capp. & non sine causa: quia irregularitas nata ex susceptione duplicis ordinis eodem die assumpti est duplex. Altera, quæ accipitur contra excommunicationem latam ne furtim acciperetur: & altera ex eo, quod accipitur furtim tantum, quæ est longe minor priore, vt colligitur ex tribus capp. & suis glossis, & Panorm. in d. cap. literas. Et ita potuit Papa vti verbo suspensionis ad significandum, debiliorem esse irregularitatem, quæ oritur ex sola furtim acceptione, de qua loquebatur, quam irregularitatem, quæ nascitur ex furtim assumptione, & contra excommunicationem simul: & affectata breuitas effecit, vt in re rarissime contingente non se magis extenderet.
- 5 AD TERTIAM quæstionem respondetur primo, quod interdicti & suspensi sunt vitandi in illis actionibus, à quibus eis interdicitur, vel à quibus suspenduntur, & non in alijs: quia pœnæ non debent extendi extra casus proprios, cap. pœnæ de pœnitent. distin. 1. & reg. odia. de reg. iuris lib. 6. Secundo, quod nō sunt vitandi, nisi fuerint nominatim denunciati pro interdictis, & suspensis ab illis actionibus eis interdictis, vel ab eis suspensis, sed sic si sunt denunciati, vt habet extrauagans ad euitanda. relata à nobis post alios in nostro Manu. cap. 29. num. 35. Tertio, quod
- 6 interdicti, & suspensi simpliciter non sunt prohibiti prædicare, vt nos tradidimus in d. Manu. cap. 27. num. 176. & seq. saltem si expresse non interdicanter, vel suspendantur ab officio prædicandi: & ideo possunt audiri prædicantes; quia prædicatio non est de numero officiorum diuinorum, quæ interdiciuntur interdicto personali, vel suspensio ab officio diuino, vt nos tradimus in d. cap. 27. num. 176. & seq. Quarto quod, quæ dicantur officia diuina, à quibus interdicti simpliciter debent abstinere, & quæ illa, à quibus suspensus à diuinis debet abstinere, declaratur in prædicto Manu. cap. 27. num. 172. & num. 151. per eorum definitiones. Quinto quod non potest quis audire missam interdicti denunciati plusquam denunciati, & suspensi à missando, vel diuinis officijs excommunicati, per prædictam extrauag. ad euitanda.

S V M M A R I V M.

- 1 *Præceptum Papæ in dubio, vt verba sonant, interpretandum.*
- 2 *Fortunam pinguiorem sortitur, qui deducto ne egeat, soluere potest.*
- 2 *Fortunam ad pinguiorem venisse, & posse soluere, deducto ne egeat, paria.*
- 3 *Sustentatio honesta ex personæ qualitate consideranda.*

C O N S I L I V M II.

Papa sub pœna suspensionis præcepit quibusdam fratribus, vt cum peruenirent ad pinguiorē fortunam, tenerentur dimidium reddituū, siue fructuum conuerttere in ædificationem, vel immobilium emptionem.

Quæritur, ad quid obligentur.

Secundo, quando ipsi fratres iudicandi sint peruenisse ad pinguiorem fortunam.

- 1 **AD PRIOREM QVÆSTIONEM** respondeo, quod censura siue præceptum illud Papæ ponit prædictis fratribus obligationem illam, quam verba sonant, nempe, quod cum venerint ad pinguiorem fortunam, dimidium fructuum impendant ædificationi, vel immobilium emptioni: quia in dubio non est recedendum à verbis dispositionis, l. non aliter. ff. de leg. 3. cap. tua. de sponsal.

- AD POSTERIOREM** questionem respondeo, tunc prædictos fratres iudicandos esse peruenisse ad pinguiorem fortunam, quando peruenient ad eum statum, in quo poterunt se honeste sustentare de bonis suis: quia debitorem peruenire ad pinguiorem fortunam idem est, quod peruenire ad statum, in quo, deducto eo quo indiget ad se decenter sustentandum, potest soluere, vt colligitur ex l. inter eos, & l. miles. ff. de re iudic. in l. diuis, & l. in condemnatione. ff. de reg. iur. §. sed et si quis. Instit. de act. vbi Iason bis, vel ter æquiparat, venire quæ ad pinguiorem fortunam, & posse soluere, deducto ne egeat. Tunc autem dicitur quis habere tantum, vt possit soluere deducto ne egeat, quando habet tantum, quod possit soluere, retento eo, quod sufficiat ei ad commode, & honeste viuendū, vt dicit gloss. memorabilis in d. l. in condemnatione, quam sequitur Philippus Decius in d. l. diuis. num. 7. Honestæ vero & commoda sustentatio debet considerari secundum qualitatem personæ, secundum Bal. in l. 2. in princ. quod met. caus. & tradit Alexander in l. si maritus in fin. ff. sol. mat. Porro non sunt hæc intelligenda, vt quidam dicebat, vt qui peruenit ad pinguiorem fortunam, debeat soluere debitum de omnibus, quæ habet

bet, sed tantum de his, quæ supersunt ei, retenta sibi commoda, & honesta sustentatione, vt ex prædictis ll. & eis adnotat. facile colligas. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Insigne dicitur, quod præ alijs sui ordinis aliquid habet præcipuum.*
- 2 *Locus insignis dicitur, qui in ordine locorum quiddam habet præcipuum.*
- 3 *Locus insignis etiam dicitur locus non muratus.*
- 4 *Locus insignis dicitur, quando vulgo pro tali habetur.*

C O N S I L I V M III

Vtrum Fonseca diæcesis Toletanæ possit appellari locus insignis, ad hoc, vt non vitietur dispensatio matrimonialis, in qua sic appellata fuit.

- 1 Respondeo, quod sic. Tum quia insigne dicitur id, quod præ alijs sui ordinis habet aliquid præcipuum, iux. illud Virg. 4. Aeneid. *Ostroque insignis & auro stat sonipes*, & alia multa, quæ in hoc citant eruditi latini. & Fonseca, licet non sit locus cinctus muris, habet tamen soo. municipes, quod est quiddam præcipuum in ordine locorum Hispaniæ nõ muratorum siue muris non cinctorum. Tum quia habet iurisdictionem magnam,
- 2 etiam mero & mixto imperio insignitam. Tum quia non requiritur, quod sit muris cinctus, vel muratus locus, ad hoc, vt dicatur insignis, vt probatur in c. statutum, adiuncta gloss. in verbo ciuitas. de rescrip. lib. 6. Nam textus habet, delegatum Sed. Aposto. posse cognoscere de causa sibi delegata in ciuitate, vel loco insigni: & gloss. recepta intelligit per ciuitatem locum muris cinctum, & consequenter probat, locum insignem posse esse etiam non muratum, & muris cinctum. Tum quia is, cui committebatur potestas dispensandi, accepit informationem de contentis in commissiones & consequenter de loco illo, an esset insignis, & testes, qui, vt pat. est credere, fuerunt Hispani, & poterunt testari verbis Hispanis, dicendo, *que era lugar signalado*: quod Hispanis significat idem, quod Latinis verbum insignis, vt palam est. Tum demique, quod, vt ait Ioan.
- 4 Monachan d. capitatum in prin. locus insignis dicitur, qui vulgo habetur pro tali, argum. Labeo. ff. de supel. leg. & C. ex litens. de sponsal. lib. & constat præfatam locum de Fonseca haberi à vulgo pro signalado, & consequenter pro insigni, cum idem significant insignis, & signalado. &c.

S V M M A R I V M.

- 1 *Concilium Prouinciale qui congregare possit.*
- 2 *Concilium Prouinciale quando congregari possit.*
- 3 *Concilium Prouinciale est conuentus Episcoporum coactus ab habente potestatem congregandi, uocatis uocandis.*

C O N S I L I V M IIII.

AN conuentus, vel congregatio Episcoporum Prouinciæ, facta per uisitatorum auctoritatem, dicatur Concilium prouinciale?

Respondeo primo, quod ad soluendam clare hanc questionem expediebat declarare, cuius est, vel à quo missus uisitator præfatus: & an esset missus ad casum particularem, vel aliquos casus particulares tractandos cum episcopis, an ut faceret Concilium Prouinciale cum eis.

- 1 Secundo, quod Concilium Prouinciale congregari potest à Papa, & Patriarcha, qui superior esset Archiepiscopi totius Prouinciæ, vel ab ipsomet Archiepiscopo, & Metropolitano, ut docet Card. in clement. prima. §. quod & interdictis, de sentent. excomm. & est tex. Isido. in can. reg. §. porro. 3. distia.
- 2 Tertio, quod si uisitator non est missus ab aliquo prædictorum trium, conuentus Episcoporum coadunatus ab illo uisitatore non est Concilium prouinciale: neque si ab eis, vel aliquo illorum sit missus absque speciali facultate congregandi Concilium Prouinciale: neque si est tantum missus ad aliquem, vel aliquos actus particulares: quia, ut aliquis conuentus Episcoporum sit Concilium prouinciale, oportet, ut congregetur ab eo, qui habet auctoritatem congregandi illud, argumento ca. quoniam quidem, & cap. placuit. 1 8. dist. Quamuis Concilium Prouinciale congregari possit ad aliquas particulares causas in congregatione ipsius expressas, ex mente Innoc. in cap. graue. num. 7. de præben.
- 3 Quarto, quod conuentus Episcoporum prouinciæ coactus à uisitatore, uocatis uocandis de iure, uel consuetudine habente potestatem cogendi Concilium prouinciale ad celebrandum Concilium, edit Concilium Prouinciale: quia omnia, quæ sunt necessaria ad substantiam Concilij Prouincialis, habebat in numero uocandorum, porro etiam ipsummet Metropolitanum, qui per se, uel per alium debet interesse ipsi Concilio per iura præcitata, etiamsi uisitator esset deputatus à Papa, esto quod uisitator primū locum teneret propter representationem Papæ: quia in dubio Papa nemini præ

ni præiudicat, cap. super eo. de officio deleg. l. 2. §. si quis à principe. ff. ne quid in loco pub.

S V M M A R I V M.

- 1 *Verbum, non suffragetur, positum in Concil. Trid. cap. 12. sess. 24. cum sit negatiuum, & destruat quidquid post se inuenit, recipit exceptionem.*
- 2 *Beneficiatus, fidem profiteri recusans, an præsumatur hæreticus, & ut talis priuandus.*
- 2 *Concil non præsumit hæreticos professionem fidei non emittentes, sed punit pœna debita inobedientiæ.*
- 3 *Pœne sunt restringendæ, & legum correctio vitanda.*
- 3 *Verbum, non suffragetur, si extendatur ad titulum, corrigitur regula de trien. possess. & num. 4.*
- 4 *Verbum, non suffragetur, intelligendum de adiutorio, quod dat possessio ad querendos, vel non perdendos fructus, & non quo ad titulum.*
- 5 *Pœna canonum, præsertim Conciliorum, solent esse moderatæ, ita quod non excedant pœnam delicti.*

C O N S I L I V M V.

AN illa verba in capite 12. sessio. 24. Concilij Triden. *Nec illis possessio suffragetur*, excludant prouisum, etiam quo ad titulum, ita quod neque quo ad fructuum perceptionem, neque quo ad proprietatem suffragetur.

- 1 Pro parte affirmante facit, quod negatio totum, quod post se inuenit, destruit, & contrarium eius ponit, ut ait gloss. sing. & recepta in cap. cum dilectus. de consuetud. ad quod facit illud Dialecticorum, Nullus est aptior modus contradicendi, quam præponendo negatiuam, at clausulæ prædictæ præponitur negatiua verbo suffragetur, ergo tollit omne suffragium, & consequenter tam illud, quod est datum ad legitimandum, siue canonizandum titulum, quam ad querendos fructus.
- 2 Secundo, quod hæreticus perdit omnia iura sibi competentia, cap. cum secundum leges, cum similib. de hæretic. lib. 6. At qui prouisus de beneficio respuerit profiteri fidem, videtur hæreticus: ergo perdit omnia iura, & consequenter ipsammet possessionem, iuxta glossam singul. in cap. quo iure. 8. distinct. & ita ad nihilum potest illa sibi prodesse.
- 3 Pro parte autem negante facit primo, quod pœnæ sunt restringen-

gen-

gendæ, cap. pœnæ. de pœnitentia, distinct. 1. cum similib. Secundo, quod correctio iurium vitanda est, cap. cum expediat. de electio. lib. 6. & l. 1. C. de inofficio. testam. At intelligendo prædicta verba de suffragio quo ad titulum, corrigitur lex illa vtilissima de triennali possess. & intelligendo de suffragio quo ad fructus, conciliantur cum illa; ergo sunt intelligenda quo ad fructus tantum. Tertio, quod intelligentia dictorem ex causis est sumenda dicendi, cap. intelligentia. de verborum signifi. & verba secundum materiam subiectam sunt intelligenda, etiam impropriando ea, l. si vna. ff. locati. at materia, in qua proferuntur prædicta verba, est materia acquisitionis, vel amissionis fructuum beneficij, & non tituli eius; ergo intelligenda sunt de suffragio, & adiutorio, quod dat possessio ad quærendum, vel ad non perdendum fructus, & non quod conuenit ad quærendum, vel non perdendum titulum. Quarto, quod pœna priuationis alicuius iuris non est diceuda cuiquam imposita, nisi eam lex expresse ponat, iuxta gloss. solen. & recep. quæ vltima est, cap. vltim. de iure patron. At proutus, simul ac possessionem cum titulo colorato accepit, quæsiuit ius fruendi fructu prædictæ regulæ de trien. ergo non debet censeri priuatus illo, nisi per legem, quæ id exprimat, vel nisi aliter non posset esse fructuosa. at prædicta verba prædicti canonis possunt esse valde fructuosa, intelligendo ea quo ad perditionem fructuum tantum; ergo quo ad eam tantum sunt intelligenda. Quinto, quod pœnæ canonum, præsertim Conciliorum œcumenicorum, solent esse temperatæ, & moderatæ, ita quod non excedant mēsuram delicti, iuxta illud Deutero. 16. iuxta mensuram delicti sit & plagarum modus. cap. non offeramus. 4. q. 1. At culpa non faciendi prædictam professionem vti plurimum prouenit ex ignorantia, inaduertētia, & negligentia, & est quædā omissio facile supplebilis; ergo pro ea nō est imponenda eā omitterenti pœna perditionis beneficij, vel iuris, quo illud sibi defendere potest: immo satis superq; fuit priuare eum iure quærendi fructus. & ita credendum est, sacrum Conciliū voluisse quidem illū priuare iure fructuum, non autē iure tangente titulū.

Non obstant opposita: ad prius. n. respondetur, quod tum demum negativa vniuersalis est vniuersaliter intelligenda, quando nulla lege speciali, vel efficaci ratione esset limitanda in aliqua specie: nulla enim est regula tam generalis, quæ aliquam non patiat exceptionem, præter illam, quæ ponitur, cap. licet. de regul. at plurimę sunt regulę vniuersalesque iuris vniuersaliter, & negatiue conceptæ, per verba *nullus, nemo, non præstat, nihil,* & id genus alia, quæ tamen multas habent limitationes. & ita regula illa negatiua, quæ tacite colligitur ex prædictis verbis, scilicet, *non suffragetur possessio promissa, qui intra duos menses non fecerit professionem iurati,* iure limitatur, vt solum procedat quo ad suffragium acquirendorum fructuum, & non quo ad id, quod pertinet ad titulum, de quo per dict. regulam de triennali statuitur contrarium.

Ad posterius responderetur, concedendo, hæreticum priuari omnibus iuribus ipso iure, negando tamen, quod ex eo solo, quod prouisus omittat profiteri fidem intra duos menses, præsumatur hæreticus, nec suspectus de hæresi, & quod Concilium non intendebat ponere pœnam debitam hæresi, sed debitam inobedientiæ: si enim id intendisset, apposuisset pœnam priuationis beneficij, ut palam est.

S V M M A R I V M.


- I *Concubinarij non solum tertia parte fructuum, sed etiam distributionum per c. 14. sess. 24. priuantur.*

C O N S I L I V M VI.

AN sub illis verbis Decreti cap. 14. ibi, *fructuum, obventionum, ac prouentuum, &c.* comprehendantur distributiones quotidiana?

- I Respondetur, quod pro parte negante facit primo, quod appellatione fructuum non veniunt distributiones quotidianae quo ad augendum vel minuendum valorem, secundum Oldrad. cons. 118. Ioan. And. in rub. de concessione præben. Secundo, quod distributiones solis interessentibus debentur, fructus autem etiam alijs præsentibus, & interdum absentibus, cap. 1. de cleri. non residentib. lib. 6.

Pro parte vero affirmante facit cap. vlt. de retrospect. lib. 6. quatenus Papa frequenter concedit fructus beneficij, excipiendo expresse distributiones quotidianas; & certum est, exceptionem fieri de regula, cap. quoniam frequenter. vlt. lite non contesta. cum additis ei à Felino. Ad idem facit cap. finale. §. in illis vero. de concessio. præben. lib. 6. quatenus habet reuocationem expectatarum; comprehendere canonicos expectantes præbendas, licet iam cœperint accipere distributiones quotidianas. Et quia super hoc multa scribunt Felinus, & alij ab eo citati in cap. ad aures. nu. 54. sufficiat hæc insinuasse.



BENE-

BENEVOLE LECTOR,

Dum præcedentia consilia, siue responsa imprimerentur, nonnulla alia ad manus nostras peruenierunt, quæ per modum appendicis sub suis tamen titulis collocata, ad confessoriorum commoditatem, edere decreuimus.

L I B. I.

D E C O N S T I T.

S V M M A R I V M.

- 1 *Extravagantis Pij V. de electione superiorum Minorum pœnæ.*
- 1 *Lex puniens procurantem fauorem an includat impetrantem ad id literas, si eis non sit usus.*
- 2 *Lex non ligat ultra finem à legislatore intentum.*
- 3 *Legis verba cum effectu sunt intelligenda.*
- 4 *Lex valde pœnalis valde restringenda est. num. 9.*
- 5 *Lex non includit, quem eius ratio, & causa finalis non includit.*
- 6 *Subornare est clam ornare, & instruere.*
- 6 *Lex generaliter loquens per specialem limitatur.*
- 7 *Subornatio, sicut confidentia, duplex, bona, & mala; hæc vetatur, illa non.*
- 8 *Subornatio est suasio qua suadetur falsum, vel verum.*
- 9 *Eligantur ut digniores ad publica officia, rei est publicæ.*
- 10 *Concupiscentia rei aliene inordinata, & non ordinata prohibita.*

C O N S I L I V M VII.

EXtravagans Pij V. de electione superiorum ordinis Minorum sic habet; *Qui autem ad officium obtinendum, quorumuis fauorem extra religionem procurauerit, ultra pœnas excommunicationis, & suspensionis, per mensem carceri mancipetur.* Quidam frater Minor impetrauit literas cuiusdam domini ad quosdam electores, ut ei fauerent; & postea ductus penitentia non est usus literis. *Quæritur, an inciderit in prædictas censuras?*

A A a 2 I Pro

- 1 Pro parte affirmante, scilicet incurrisse prædictum D. consulentem censuras prædictas, facit, quod verba prædictæ extrauag. videntur eum includere; & quod non videtur obstare resolutio, quam posuimus in ca. si quis non dicam. de pœnit. dist. 1. scilicet, quod lex puniens facientem aliquid non includat conantem facere illud: quia lex hæc nõ punit vntem fauore, nec subornantem, sed procurantem fauorẽ; & negari non potest prædictum D. consulentem procurasse fauorem.
- 2 Sed contrarium videtur verius. Tum quia legislator non intendit ligare per suam legem aliquem vltra finem, quem intendit: quia actus agentium non operantur vltra intentionem eorum, l. in agris. ff. de acquir. rerum domin. & cap. fin. de præb. At intentio, & finis, in quem Pius V. prædictam legem tulit, fuit, ne electores, & prouisores officiorum corrumperentur, & propter fauores indignus digno, vel minus dignus digniori præferretur. At finis hic, seu causa finalis, ob quam lata fuit prædicta lex, cessat penitus in nostro casu. ergo lex quo ad illum cessabit, cum cessante causa cesset effectus, l. adigere. §. quamuis. ff. de iure patronat. Tum quia, vt habetur in cap. Marchion. 1. q. 1. euangelium non est in verbis scripturarum, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum folijs, sed in radice rationis. & cap. penult. de reg. iur. lib. 6. habet, certum esse illum committere in legem, qui verba eius amplexus, contra illius nititur voluntatem. At voluntas, vt ibi capitur, significat actum voluntatis, & non potentiam volendi; & sic accepta est finis, vt declarat S. Thomas 1. 2. q. 8. art. 2. in corp. q. ergo verba legis secundum
- 3 finem illius sunt interpretanda, & temperanda. Tum quia verba cum effectu sunt intelligenda, l. 1. §. hæc verba. ff. quod quisque iuris. qui transfertur in cap. hæc verba. de pœnit. dist. 1. & ita verba, *procurauerit fauorem*, intelligenda videntur de procurante fauorem cum effectu: quod nõ fecit prædictus D. consulens, qui non fuit vsus literis in sui fauorem obtentis. Tum quia videtur esse casus de hoc in d. §. hæc verba. ibi, *Qui voluit statuere, & statuit, sed statutum non habuit effectum, non incidit in penam edicti*. Ergo nec D. consulens volens sibi fauere, & impetrans literas, que sibi fauerent, si nullum effectum illæ habuerunt, non incidit in penam legis; quia poena legis humanæ posita contra facientem aliquid, non habet locum, nisi perficiatur illud, vt irrefragabiliter probat cap. cum in cunctis. §. fin. de elect. adiuncto cap. perpetuo. eod. tit. lib. 6. Tum quia prædicta lex est valde pœnalis, & ideo valde restringenda, cap. pœnæ, cum sibi concordat. de pœnit. dist. 1. At de stricta significatione non dicitur quis fauisse, nec fauorem dedisse, eo solo quod voluerit fauere, neque eo quod procurauerit, vt alius faueret, si ille non fauit, nec fauet; sicut non dicitur percutere clericum, qui procurauit, vt alius percuteret, si ille non percussit, iuxta gloss. & ea, quæ ei adiecimus in cap. si quis tam masculam. de pœnitent. dist. 1. Tum quia promittens inuenire latronem, nõ
- satisfa-

satisfacit, nisi eum inuentum capiat, l. si Barsatoram. C. de fideiuss. per quam Bart. in l. 1. ff. de acquirend. poss. ait, quod stante statuto, venientibus cum armis puniatur certa pœna, non punitur, si non fuerit captus: quia mens coniecta, siue coniecturata, & præsumpta statuti est, vt inuentio habeat effectum. & ita coniecturata, & præsumpta mens Pij V. videtur solum comprehendere illum, qui fauore vsus est, qualis non fuit dominus consuleus.

5 Non obstat oppositum; quia respondetur primo negando, quod verba prædictæ extrauag. includant consuletem; quia licet procurasset literas, non tamen procurauit fauorem: quia literæ non fuerunt factæ fauori. Secundo, quod etiam si verba legis includerent eum, mens tamen, & ratio, & causa finalis legis non includit eum, & consequenter nec ipsa lex per supradicta. Tum quia negari potest D. consuletem procurasse fauorem: quia licet procurasset literas, non tamen tales, quæ fuerint ei fauor, quia non fauerunt. Tum quia intentio legislatoris non fuit imponere pœnam solum roganti aliquem, vt faueret, nisi rogatus fauorem dare: & qui dat illum per literas, vult quidem fauere, sed non fauet, donec literæ peruenerint ad eum, ad quem dantur. Tum denique quod cessante causa finali, cessat effectus, cap. cum cessante. de appella. & l. adigere. §. quamuis. de iure patr. At finis principalis huius legis est, ne iudicium electoris corrumpatur per preces alterius: & hæc causa cessat in precibus, quæ non perueniunt ad eum, qui desideratur vt maneat incorruptus, vt palam est. Per quæ puto prædictum D. consuletem non incidisse in vllas pœnas prædictæ extrauag. præsertim quo ad forum conscientie.

6 An verita subornatione per dictam extrauag. vetetur instructio vera, & iusta, & utilis rei, quam præterdit prædictus Pius V. Et pro parte affirmante facit, quod subornare est clam orare, & instruere; & ita comprehendere videtur bonum, & malum oratum, & instructionem; & ita, qui vetat subornationem, videtur vetare tam bonam, quam malam: quia lex generaliter loquens, generaliter est intelligenda, l. de preuo. ff. de public. in rem acti. & cap. solite. de maiori. & obediens.

7 Sed contrarium videtur tenendum. Tum quia, sicut in Manua. Conf. cap. 23. num. 109. diximus, quod duplex est confidentia, bona, & mala, & quod extrauag. Pij V. puniens confidentiam debet intelligi de mala, & illicita tantum, & non de bona, & virtuosa; ita subornatio est duplex, licita, & illicita, vt mox dicemus. ergo hæc extrauag. puniens subornationem in genere, debet intelligi de mala, & non de bona: quia de similibus idem est iudicium, l. illud. ff. ad l. Aquil. & cap. dudum. 2. de electio. & non potest negari has leges in hoc esse similes, cum vtraque sit prohibitum, & pœnalis, & vtraque puniat aliquid in genere, illa quidem confidentiam, hæc subornationem, quæ sunt duo genera continentia sub se duas species, malam, & bonam. De confidentia quidem vbi supra probatur, de

- 8 subornatione autem sic probari potest, quod subornatio est suasio, qua suadetur verum, vel falsum in bonum, vel malum finem, vt colligitur ex Card. in clem. 2. de testib. not. 2. & ex propria significatione verbi, & ea firma ratione, quod illa, qua suadetur verum in bonum finem, est bona, illa vero, qua suadetur falsum, vel verum in malum finem, mala: siquidē admonere testes, vt reminiscantur quid, & quomodo illa, aut illa facta, vel dicta fuerunt, vt vera testentur, & falsa taceant, vel dicant esse falsa, bonum est, & quotidie à viris iustis iuste litigantibus fieri consuevit; admonere autem contrarium, est malum, cap. 1. & cap. homines. & per totam causam 22. & omnes quæsti. eius. suadere item electoribus virtutes veras, quibus eligendi ornantur, & vitia vera, & nota, quibus notantur, vt dignus indigno, & dignior minus digno præferatur, est sanctum; & contra suadere virtutes falsas, & dissuadere vitia nota, quo indignus digno, & minus dignus digniori præferatur, est malum. arg. cap. nihil. de electio. cum multis similibus. Tum quia interest reipub. vt digniores ad publica munera eligantur, d. cap. nihil. & cap. fin. eod. tit. lib. 6. cum similibus, & consequenter, vt electores, & prouisores nouerint virtutes veras, & vitia vera, & nota eligendorum, vt possint deligere dignos, & omittere indignos. Tum quia non obstat oppositum, quia potest ei responderi, concedendo legem generalē regulariter intelligendam esse generaliter quo ad omnes species significatas proprie per eius verba generalia, sed limitandam esse per leges speciales disponentes contrarium de aliqua specie ipsius: vt lex de non occidendo, quæ est generalis ad omne animal, intelligenda est tantum de animali rationali, & non de irrationali, vt ait Aug. lib. 1. cap. 20. de ciuita. Dei, & S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 1. & lex stricta de non occidendo homine, iterum restringenda est ad occisionem hominis auctoritate priuata sine necessitate iusta, vel iusto mandato id faciendi, cap. cum minister. 23. q. 5. & cap. 1. de homicid. lib. 10 6. & clem. 1. eod. tit. Tum quia decimum præceptum generaliter prohibens concupiscentiam rei alienæ per illam negatiuam, *non concupisces rem alienam*, quæ in effectu est prohibitio non solum generalis, sed vniuersalis, qualem facit negatio præposita verbo affirmandi, arg. gloss. Ang. cap. cum dilectus. de consue. ud. intelligendum est de concupiscentia inordinata, & mala, & non de ordinata, & bona, vt & nos post alios declaramus in Manu. Conf. cap. 19.

DE RESCRIPTIS.

S V M M A R I V M.

1 Subscriptio per falsi expressionem gratiam annullat.

2 Exemptio

- 2 *Exemptio per quasi possessionem 40. annorum præscribitur.*
- 3 *Subreptio vitiat gratiam quo ad illud cuius causa fuit.*
- 4 *Exemptio per accidens religionib. conuenit.*
- 5 *Professio non desinit valere ex eo, quod religio non sit exempta.*

C O N S I L I V M II.

AN gratia Pij V. qua congregationem sæcularem clericorum, & laicorum, ad educandos, & regendos orphanos institutam, fecit regularem sub regula sancti Augustini, sit subreptitia, & nulla; ita quod professiones factæ sint nullæ, propterea quod in bulla dictæ gratiæ narratur prædictam congregationem exemptam fuisse à Paulo III. à iurisdictione ordinariorum; quod tamen non inuenitur in eius bulla.

Et pro parte quidem affirmante facit, quod subreptio, præsertim illa, quæ sit per expressionem falsi, vitiat gratiam in totum, cap. super literis. de rescript. quia mendax preceptor debet carere impetratione, immo & puniri. cap. & si legib. 2 §. q. 2. At Pius V. in sua bulla, quam non motu proprio, sed ad supplicationem præfatæ congregationis concessit, habet Paulum III. exemisse eam à iurisdictione, & auctoritate ordinarij; quod tamen videtur falsum; quoniam Paulus III. non exemit eam à tali iurisdictione, vt patet ex contextu bullæ ipsius.

Pro parte autem negante facit primo, quod non concluditur prædictam congregationem non fuisse exemptam à Paulo III. eo quod in prædicta bulla eius non contineatur; quia potuisset exemisse per aliam: & non probatur non esse, quod contingit abesse. l. neq; natales. C. de probat. & cap. in præsentia eodem tit. Secundo, quod prædicta congregatio videtur mansisse in quasi possessione exemptionis per quadraginta, & amplius annos, & sic eam quæsiuisse, cap. de quarta. cum ei annotatis. de præscription. Tertio, quod subreptio non vitiat gratiam, nisi quo ad illud, cuius causa fuit, & potest esse gratia subreptitia quo ad aliquid, sed & valida quo ad aliud. ca. si eo tempore, & cap. susceptum. de rescript. lib. 6. Tradit Nicolaus Millis in ver. gratia. sub finem, Panor. & omnes in ca. super literis. de rescript. At prædicta expressio falsa exemptionis nõ videtur fuisse causa, vt Pius V. faceret eam de sæculari regularem; quoniam communi iure antiquo, & ordinario tam monachi religiosi, quàm abbates eorum subiacebant episcopis, ca. 1. 18. q. 2. & per totam quæstionem; licet non possent ab ordinarijs inquietari super quibusdam, de quibus ibi late, præsertim ca. quam sit necessarium. & ita posset dici, quod prædicta congregatio est quidem religiosa, & regularis sub regula sancti Augustini, quæ à Sede Apostolica approbata est; & clerici, & aliæ personæ professæ in ea, religiosi, & regulares ipsius congregationis religiôsæ, siue illa, vel illi sint exempti, siue non. Quarto durum videtur concedere prædi-

ctos presbyteros, qui expresse etiam tria substantialia vota religionis emiserunt sub regula tam approbata in congregatione adeo graui, magna, vtili, & sancta, posse ad statum secularem redire absque Sedis Apostolicæ facultate, ea sola occasione, quod non sint exempti. & dictum fuerat in Bulla Pij, quod erant exempti sine dolo, & malitia ipsius, quibus non est credendus vsus esse Pius ille, neque congregatio prædicta ab huiusmodi vitij aliena; maxime cum, vt prædixi, exemptio per accidens conueniat religioni, immo à principio, quando illa magis nitebat, non erat exempta. Quinto, quod omnes rationes, quibus prædictus Pius motus fuit ad faciendam prædictam congregationem regularem, & ad constituendum, vt eius personæ profiterentur expresse, & non esset locus professioni tacitæ, ita persuadent illa sine exemptione, ac cum exemptione, ergo exemptio non fuit causa, vt prædicta institueret, cum ex zelo, & moribus eius, & rationibus ab eo expressis satis colligatur, quod æque facile instituisset, & constituiisset eadem in vno casu, ac altero. Per quæ omnia credo non facile persuasum iri S. D. N. vt prædictis presbyteris, quæ prætendunt, libertatem permittat; cuius tamen summæ auctoritati cum summa eruditione, summaque iustitia, & religione coniunctæ prædicta, & alia omnia, meque ipsum humillime submitto. Salua, &c.

DE ELECTIONE.

S V M M A R I V M.

- 1 Electio facta, non vocatis habentibus ius suffragandi, non valet.
- 2 Conuentus in ijs, quæ ad eum separatim pertinent, sine consensu pralati procuratorem constituere potest.
- 3 Prælatus, & conuentus diuersa, adeo quod proprie prælatus non est de conuentu.
- 4 Conuentus, mortuo Priore, vel Abbate, procuratorem etiam redditus monasterij obligando constituere potest.
- 5 Concesso vno, & illud conceditur, sine quo id fieri etiam commode nequit.
- 6 Prouincialis procuratorem à conuentu legitime constitutum reuocare nequit.
- 7 Procuratoris reuocatio ad eum pertinet, ad quem constitutio, & contrarium est iuribus ex osum.
- 8 Procurator à conuentu constitutus agere causas potest.

CONSILIVM XII.

CVm mortuus esset Prior conuentus, & electio ad conuentum spectaret, conuentus ad electionem promouendam cum facultate suffragandi

gandi procuratores N. & M. dicti conuentus professos constituit, & quendam Perrum ad lites & alia negotia conuentus cum facultate obligandi res, seu redditus monasterij, quatenus opus esset, procuratorem creauit & constituit: Prouincialis vero electionem non vocatis constitutis procuratoribus fecit, & procuratorem ad lites, seu res monasterij procurandas, & defendendas reuocauit.

Quæritur primo, an electio, procuratoribus prædictis non vocatis, teneat?

Secundo, an conuentus sine prælato pro conseruatione rerum monasterij procuratorem ad obligandum monasterij redditus cōstituere valeat?

Tertio, an prælatus constitutionem, procuratoris à conuentu factam possit reuocare?

Quarto, an prælatus, reuocando procuratorem à conuentu creatum, peccet?

Quinto, an procurator à solo conuentu creatus agere valeat?

AD QVINQVE quæstiones ex ordine respondeo. Ad primam videlicet, quod non est electio canonica: quia veri procuratores conuentuum, quibus erat ius vocis dandæ, siue suffragandi, non interfuerunt, per ea quæ infra dicuntur.

AD SECVNDAM respondeo primo, quod conuentus in his, quæ separatim pertinent ad illum, potest constituere procuratorem sine consensu prælati, vt determinat Innocen. in cap. edoceri. num. 6. de rescrip. receptus ab omnibus. quin & quælibet pars capituli in his, quæ ipsam solam attingunt, potest constituere procuratorem, secundum Innocen. ibidem, nu. 3. immo & quilibet monachus in his quæ pertinent ad se solū, vt quia est spoliatus, vel alimenta sibi denegantur, potest agere per se, & constituere procuratorem, secundum Innoc. & omnes alios in cap. cum I. & A. de re iudic. & tradimus in Commen. cap. non dicatis. 12. q. 2.

Secundo, quod conuentus est aliud à prælato, adeo quod prælatus non est proprie de capitulo, neque de conuentu, secundū glos. cōmuniter receptam in clem. vt ij qui. de ætat. & qualit. ver. in eisd. per tex. quos ipsa in hoc citat aptissimos.

Tertio, quod conuentus cum Vicario, qui solet appellari superior in monasterijs quæ reguntur per Priores, & Prior claustralis in monasterijs quæ reguntur per Abbates, cap. cum ad monasterium. §. prior. de statu monach. cuius officium non vacat per mortem Abbatis, vel Prioris, iuxta clem. ne in agro. §. abbate. de statu monach. legitime potest constituere procuratorem in his quæ pertinent ad ipsum conuentum, vt probatur in d. §. abbate. Nec obstat, quod mortuo, vel excommunicato principali prælato, Vicarius eius etiam quo ad officium moritur, vel suspēditur, ca. 1. de offic. Vicar. lib. 6. quia illud est verum de Vicario generali prælati, qui à solo eo recipit iurisdictionem, non autem de prædicto Priore superiore,

periore, vel vicario claustrali, qui non à prælato, sed à iure recipit suam potestatem.

- 3 Quarto, quod illi, cui conceditur aliquid, concessum videtur id, quod sine illo fieri nequit, l. 2. ff. de iurisd. om. iud. & cap. præterea. de off. deleg. immo & quod fieri potest sine illo, sed non commode, l. penul. ff. de vsufr. & l. quicumque. §. si ei quem ad vendendum. ff. de instit. act. per quos hoc tenet Aret. in cap. de testibus. colum. 3. de testib. cog. & d. cap. præterea quicquid gloss. senserit, in cap. soler. de sent. excomm. ver. per superiorem. Cum ergo conuentui in his, quæ pertinent ad eum, concedatur facultas constituendi procuratorem siue sindicum, & hoc non possit facere saltem commode, quia non admitteretur à iudicibus sine obligatione bonorum suorum, consequitur posse obligare se & sua bona, vel quatenus pertinent ad illum in constitutione sui procuratoris.
- 4 AD TERTIAM respondetur non posse Prouincialem reuocare procuratorem à conuentu aliquo legitime constitutum, argu. cap. 1. de regul. iur. *omnis res per quas cumque causas nascitur, per easdem etiam dissoluitur.* & ad omnem actum faciendum est necessarium, vt potestas concurrat cum voluntate, cap. cum super. de offi. deleg. & nullo iure nec communi, neque particulari regulæ habet Prouincialis potestatem constituendi, neque reuocandi procuratorem conuentuum. & sicut lege cautum est, vt quilibet regulariter possit constituere, & reuocare procuratorem suum, l. 1. ff. de procuratoribus. ita nulla lege conceditur regulariter vni potestas reuocandi procuratorem constitutum ab alio. & cum regulæ sit standum, donec monstratur & probetur exceptio, iuxta gloss. solen. in l. omnis definitio. ff. de reg. iur. & in rubr. eodem titu. lib. 6. & non monstratur prædictam regulam limitari in hoc casu, standum est illi in eo.
- 5 AD QVARTAM respondetur prædictam reuocationem esse tyrannicam, & omni iure respuendam multis nominibus iuri naturali, diuino, & humano nitentibus: quandoquidem tollitur libertas à iure communi, & particulari regulæ concessa; incutitur timor contra omnes leges contra metum iniustū incutientes latas; vsurpatur & auferitur ius proximo competens contra iura verantia ius suum tolli vlli sine suo consensu: quin & sine culpa puniuntur infontes, immo & sine causæ cognitione contra omnia iura verantia iudicibus ne sine illa procedant, & cum magno scandalo ordinis, & cleri vel populi totius regni, in quo talia fiunt contra Evangelium & iura statuentia ne quicquam cum scandalo fiat.
- 6 AD QVINTAM respondetur affirmatiue: quia nihil iuridicum potest contra id afferri; cum regula iuris sit omnem procuratorem legitime constitutum posse agere illa, ad quæ est constitutus: regula, inquam, super qua fundantur, & quam præsupponunt omnes tituli de procuratoribus, ff. C. decretal. sextu, & clem. & tota praxis iudiciorum, & negotiorum.

DE ELECTIONE.

S V M M A R I V M.

1. *Generales, & definitores cum maiore parte capituli modum eligendi iuri communi conformem, nec in toto, nec in parte tollere possunt absq; expressa Papæ facultate.*
2. *Facultas condendi leges contra ius commune specialis requiritur.*
3. *Electio prælati pertinet ad Conuentum, & melius est, quam si à capitulo generali eligatur triennis.*

CONSILIVM XIII.

ORdo Eremitarum sancti Augustini in 35. prouincias diuisus est, quarum omnes, quæ in Italia sunt (sunt autem vigintidux) eam ab antiquo consuetudinem obseruant, vt præsidens, prouincialis, & definitores in capitulo facultatem habeant ad condendas, & reformandas sui ordinis leges.

Dubiatur primo, an in toto seu parte modum eligendi conformem iuri communi tollere absq; expressa Papæ facultate valeant.

Secundo, an eligendi prælatos modus aptior Italicorum sit, quo à monasterio prælatus perpetuus eligitur, an Hispanorum, quo triennes capitulo generali.

1. **AD PRIMAM QVAESTIONEM** respondeo primo, quod certum est prædictum Reuer. Generalem cum prædictis definitoribus non posse cum maiori parte sui ordinis tollere toti ordini, nec parti eius modum eligendi, quem iuri communi conformem habent, sine facultate expressa in id à Pontifice Maximo facta; quia nulli ei inferiori licet edere legem contrariam iuri communi, cap. quod super his. de maio. & obediens. c. inferior. 21. dist. Clem. ne Romani. de electio. Secundo, quod Celsus iureconsultus ait in l. inciuile. ff. de ll. inciuile eise de lege, nisi ea tota perfecta, iudicare; ideoq; oportere ad recte respondendum huc quaestioni, videre facultatem, quam Pont. Maximus fecit prædicto ordini ad condendas, & reformandas leges sui ordinis; & etiam scire, si aliquæ prædictarum prouinciarum habeant aliqua priuilegia particularia super suo modo eligendi. Tertio, quod etiam si facultas à Pont. Maximo concessa Generali, & definitoribus prædictis de rigore iuris se extenderet ad faciendam prædictam legem, qua omnes in uao modo eligendi conuenirent; uile tamen multum esset, vt ab eius Sanctitate, quando tam propinqua est, impetrarent gratiam specialem eam condendi; quia, vt ait Imperator in authen. de monachis. coll. 1. §. 1. *difficilis, & arguta*

grata est vitæ mutatio. & qui iam habent sua retia de more tenfa in conuentibus particularibus, quo fiant Priores, vel alius generis officarij, nihil non agent, vt contra talem legem appelletur, supplicetur, vel aliquo alio remedio iuris, vel non iuris iuuerur.

§ AD SECUNDAM quæstionem respondeo primo, quod iuri cõmuni conformior est modus eligendi prædictus Hispaniæ, quam modus eligendi prædictus Italiæ; quia iure communi ad quemcumq; conuentum cuiuslibet monasterij pertinet electio prælati illius, cap. 1. cap. quia propter. & toto tit. de elect. Secundo, quod, vt res humanæ nunc se habent, crescente nimium honoris appetitu, & decrescente humilitatis amore, refrigerente charitate, longe aptior, & commodior est ambitioni reprimendæ, factionibus sedandis, extirpandis odijs, detractionibus minuendis, & paci Christianæ conseruandæ, & augendæ, Deoq; gratior est modus prædictus, quæ prudentissima, eademq; modestissima Italia seruat, quam ille, quem Hispania propensa vt plurimum in xenochiam, & honorem vanum, seruare dicitur, per ea multa, quæ ipse nuper scripsi in Cõment. 3. de regula. super cap. nulla. 18. q. 2. à num. 3. ad probandum, quod nemo debet procurare, vt de Abbatibus perpetuis fiant triennales, si à suis monasterijs fuerint eligendi. Salua, &c.

DE RENVNCIATIONE.

S V M M A R I V M.

1 *Renunciatio beneficij virtute mandati reuocati, sed non intimati procuratori, facta valida est.*

CONSILIVM VI.

Titius resignauit in fauorem Sempronij suum beneficium, Sempronius discessit, vt veniret Romam cum literis procuracionis dicti Titij, & in via accepit epistolam à suo patre, in qua ei commendabat diligentiam: quia Titius iam reuocauerat literas prædictas procuracionis, & quod reuocationem istam Romam iam miserat ad suum procuratoré, & simul epistolam aliam dicti Titij, in qua constabat, ipsum dictas procuracionis literas reuocasse; Sempronius Romam accessit, & quæsiuit diligenter à procuratore dicti Titij, an literas quasdam ipsius Titij recepisset; cui procurator respondit nondum accepisse. Quapropter dictus Sempronius nihil dixit dicto procuratori, sed præsentauit suas literas procuracionis, & supplica signata fuit à Papa, & procurator præstitit consensum. Postea vero, sex, vel octo diebus transactis, literæ reuocationis procuracionis dicti Titij ad manus sui prædicti procuratoris peruenerunt,

runt, & procurator dixit intemptiue venisse, cum iam consensum prestitisset virtute priorum literarum. Titius habuit notitiam huius facti, & scripsit Sempronio, quod tuto poterit prædicti beneficii possessionem accipere, & facti sunt amici. Quæritur quid iuris?

Respondeo, quod renunciatio illa satis iuridice fuit facta, & valuit; quia reuocatio procuratoris ad renunciandum non fuit intimata illi, neque ei, in cuius manibus erat facienda renunciatio; quod requirebatur ad hoc, ut illa fuisset nulla: nec sufficiebat illius notitiam venisse ad eum, in cuius fauorem renunciatio erat facienda, per clem. 1. de renunciat. iuncta glos. ibidem recepta. Salua, &c.

DE TEMPOR. ORDIN.

S V M M A R I V M.

- 1 *Licentia assumendi ordines morte concedentis non expirat.*

C O N S I L I V M XLVIII.

N Obtinuit à suo Episcopo dimissorias, ut posset à quocumque Catholico antistite ad quoscumque, etiam sacros, & presbyterij ordines promoueri. Deinde, ante quam ordinaretur, prædictus suus Episcopus vita functus est. Quæritur an virtute illarum dimissoriarum ordinari possit.

Ad hanc quæstionem respondeo affirmatiue, quod sic; quia huiusmodi dimissoria concessa ab Episcopo non moritur nec desinit valere, mortuo, vel semoto siue translato Episcopo eam cõcedente, ut tradit Cardinalis in clem. fin. de elect. q. 5. cuius dictum multis fundamentis confirmauimus nos in cap. placuit. de pœnit. d. 6. secundum quod etiam alias sæpe respondimus.

S V M M A R I V M.

- 1 *Suspensio non est ante iustam ætatem bona fide ordinatus.*
 1 *Lex puniens præsumptem, non includit bona fide facientem.*

C O N S I L I V M L.

Quæsitum est, an N. ante legitimam ætatem sacris bona fide ordinatus, parentum testimonio credendo eam habere, pœnam suspensionis incurrerit?

- 1 Respon-

I Respondeo, quod taliter ordinatus nullam incurrit suspensionem, & sancte, ac recte celebrare potest, & celebrauit, per ea quæ nos in hac specie diximus in commentario cap. accepta. de restit. spoliat. opposit. 8. ea ratione firma, quod lex, quæ imponit pœnam præsumenti facere aliquid, non videtur imponere illam ei, qui bona fide credens probabiliter se bene agere, facit illud, iuxta doctrinam Cardinalis receptam in clem. 1. de priuileg. q. 38. & constitut. Pij II. quæ ponit pœnam suspensionis ei, qui ordinatur ante legitimam ætatem, loquitur per verbum præsumpserit, ponendo pœnam ei, qui præsumpserit assumere ordines sacros ante legitimam ætatem. Cum ergo consulens animo simplici, & bona fide credens illis, quibus iustum erat credere, id fecerit, non incurrit ullam pœnam, neque est cur scrupulis ob id angatur.

S V M M A R I V M.

- 1 *Suspensus est, qui sine legitimis dimissorijs ordinem sacrum ab alieno suscipit.*
- 2 *Suspensus ordinibus vtens, vel accipiens, fit irregularis.*
- 3 *Episcopus dispensat super irregularitatibus ex occultis delictis natis.*
- 3 *Irregularitas ex mala ordinatione non potest dici ex occulto delicto nata.*
- 3 *Ordinatus absque validis dimissorijs publica dispensatione eget.*

C O N S I L I V M L I.

Quidam clericus dimissorias, vt à quocumque antistite ad omnes sacros ordines promoueri posset, à quodam pro Legato constituto Vicario obtinuit: & postea à diuersis Episcopis sacros ordines cū dictis dimissorijs accepit. Dubitatur, an pœnas incurrerit, & an per Episcopum, seu Pœnitentiarum dispensationem sufficiat impetrare.

- I** Magis est, vt D. consulens incurrerit suspensionem, eo quod suscepit ordines sacros absque literis dimissorijs legitimis per extrauag. Pij II. quæ incipit *cum ex sacrorum*. non enim fuerunt legitimæ literæ illæ dimissoriæ, quas dedit ei Vicarius præfatus Anconitanus, cum non esset Episcopus, nec Vicarius Episcopi originis, nec beneficij, nec domicilij, nec prelati, in cuius manibus consulens regularem fecisset professionem,
- 2** prout requiritur c. cū nullus. de tempo. ord. lib. 6. Secundo respondeo, quod etiam est irregularis: quoniam vsus est ordinibus sacris, durante suspensione, per eandem extrauag. & cap. 1. de re iudi lib. 6. cap. 1. de sententia excom. eod. lib. cum eis adnotatis. Tertio, quod etiam est irregularis, ex eo quod posteaquam fuit suspensus ex assumptione mala pri-
- mi or,

mi ordinis sacri, siue subdiaconatus, ante absolutionem assumpsit alios duos ordines sacros, diaconatum scilicet, & presbyteratum; præsertim quod in susceptione presbyteratus etiam cum episcopo consecrauit.

- 3 Quarto, quod Episcopus bene posset super his irregularitatibus dispensare, si ex occulto delicto essent natae, per Concil. Trid. cap. 6. quod incipit *liceat*. de reform. sess. 25. Quinto, quod difficile est asserere præfatas irregularitates ex occulto delicto esse natas. Tum quia ordinationes fuerunt publice in publicam formam relatæ. Tum quia vsus ille, quo vsus fuit ordine subdiaconatus, videtur fuisse publicus. Tum quia per literas ipsas trium ordinum, quæ sunt tria publica instrumenta, coniungendo cum literis dimissorijs illegitimis, probatur Consulentem suscepisse duos ordines sacros posteriores posteaquam fuit suspensus per assumptionem primi sacri. Sexto, hæc consequi quod D. Consulens debet impetrare dispensationem Romæ, antequam redeat in patriam, & quod non videtur sufficere sibi dispensatio sacræ Pœnitentiariæ, quæ non prodest nisi quo ad forum conscientie; sed oportet eum impetrare per Datarium, vt prosit quo ad vtrumque forum; porrecta idonea petitione, quam ego polliceor dictare, si non fuerit præsto alius, qui eam aptius agat. Salua, &c.

DE SERVIS NON ORD.

S V M M A R I V M.

- 1 *Seruus fugitiuus tenetur redire ad dominum, nisi probabilis timor perdendi vitam excuset, & tunc semper tenetur habere intentionem domino satisfaciendi.*
- 2 *Bonorum restituendorum tres gradus, fama, vitæ, & fortuna.*

CONSILIVM I.

Quidam seruus fugitiuus perpetravit grauia delicta, ob quæ iure occidi deberet, vel ad triremes perpetuo damnari; & confessus peccata sua paratum se præstat ad parendum confessario: qui interrogat, an teneatur ei iubere, vt se restituat domino, qui iam bis conatus est eum capere per lictores, quo iudex eum puniat.

- 1 Respondeo primo, quod tenetur in foro conscientie redire ad dominum suum, aut eum contentum facere, quod non redeat; nisi aliqua iusta causa eum excuset à reditu. Secundo, quod probabilis timor perdendi

dendi vitam, si ad dominum redeat, videtur iusta causa non redeundi, nec se illi restituendi per vnum præsuppositum, & vnam regulam, quæ nos posuimus in Man. cap. 17. num. 87. præsuppositum est, quod bona subiacta restitutioni sint trium ordinum, videlicet, famæ, vitæ, & fortunarum, & quod bona vitæ sunt maioris ordinis, quam bona famæ, & famæ, quam fortunarum. Regula vero est, quod nemo tenetur ad restituendum bona minoris ordinis, cum iactura bonorum maioris, arg. cap. officia de pœnit. & remiss. & aliorû, quæ ibi citantur. Cum ergo hic seruus fugitiuus sit de bonis fortunæ illius heredis, & non potest se illi restituere sine iactura bonorum altioris ordinis, scilicet vitæ, exculatur profecto à redeundo, & se illi restituendo. Tertio, quod tenetur tamen habere propositum satisfaciendi illi, seu faciendi illum contentum quam optimo modo, & quam citissime poterit, soluendo ei per se, vel per alium iustum pretium, vel precibus aliquorum piorum amicorum, magnatum, religiosorum, vel alijs modis honestis, & agnoscere se seruam eius coram Deo, donec sibi sit satisfactum; & quod quicquid quærit, & lucratur, quærit suo domino, & cum poterit, se, & illa restituet ei ad salutem animæ suæ, & gloriam Christi, qui nos sua gratia donet, ac perseuerantia ad mortem inclusiue confirmet. Amen.

DE OFFIC. VICAR.

S V M M A R I V M.

- 1 *Vicarius episcopi an possit esse ignarus linguæ latinæ.*
- 2 *Vicarius generalis à capitulo sede vacante constituendus debet esse doctor, vel licentiatus in iure, vel quantum fieri potest idoneus.*
- 3 *Vicarius Episcopi debet esse idoneus ad id, in quo vices gerit.*
- 4 *Vicarius canonicus in capitulo, & choro tenet locum canonici.*

CONSILIVM II.

Prima quæstio, an ille, qui non solum non est doctor, sed nec linguam latinam intelligit, possit esse Vicarius generalis Episcopi. ad quod facit cap. fin. de stat. & qualic. cum ibi notat. Secunda quæstio, an licet sit Vicarius, tamen cum etiam sit canonicus in eadem ecclesia, in choro, & in capitulo debeat sedere in loco canonici: de quo Gemini. cap. cum à collatione, de appellat. in 6. ait quod sic.

Quoniam is dominus consulens, qui quærit ista, ait ea esse definienda ab il-

- ab Illustrissima Congregatione interpretationi Concilij Trid. deputata; & quia non vacat tractare latius illa; remitto me simul, & subm. o determinationi eius. Quamvis forte ad primam responderi possit primo, Vicarium generalem constituendum a capitulo sede vacante debere esse doctorem, vel licentiatum iuris canonici, vel alias quantum fieri poterit idoneum, per cap. 16. de reform. Concil Trid. sess. 24. Secundo, quod non videtur satisfacere suo muneri Episcopus, qui constituit sibi Vicarium generalem aliquem, qui non calleat latine apud Latinos, vel græce apud Græcos. Tum quia Vicarius Episcopi debet esse idoneus ad id, in quo vices eius est gesturus, cap. quoniam in plerisque. & cap. inter cetera. de officio ordinari. Et quia Vicarius generalis constituitur fere ad omnia, quæ gesturus est Episcopus, oportet profecto eum esse valde idoneum. Facit etiam ratio, qua Panorm. per aptos in hoc canones concludit Episcopum quemlibet teneri ad constituendum sibi Vicarium idoneum, d. cap. quoniam in plerisque. Tertio, quod forte teneri posset, quod licet Vicarius idoneus debeat constitui, & quod licet peccet constituens Vicarium indignum tali munere, & etiam qui illum suscipit, nisi sit idoneus, arg. l. idē iuris. ff. ad l. Aquil. cap. non est putanda. 1. q. 1. constitutio tamen Vicarij teneret ipso iure, modo esset clericus saltem in minoribus constitutus; & quod facta ab eo, vel coram eo, tamquam coram vero Vicario, valeret per multa, quæ possunt, sed non expedit nunc congerere.
- 3 AD SECVNDAM quæstionem respondeo, semper mihi placuisse opinionem Dominici supra citatam, scilicet Vicarium, qui est canonicus, in choro, & capitulo debere tenere locum canonici, nisi consuetudine contrarium esset inductum: qua ratione in quadam ecclesia audimus contrarium esse servatum, & servari. Salva, &c.

DE OFFIC. IVD. ORDIN.

- 1 *Dispensat Episcopus cum homicida voluntario quo ad beneficium simplex, licet non quo ad ordines, nec curatum, nisi iam obtentum.*
- 2 *Dispensatio inferioris Papæ instam causam, & cognitionem requirit.*
- 3 *Dispensandi potestas favorabilis est, licet dispensatio sit odiosa.*

CONSILIVM XIII.

AN Episcopus possit dispensare cum canonico, qui commisit homicidiā voluntariū, ut possit stare in choro, & lucrari ea quæ alij lucrantur in eo, & interesse capitulo, & habere vocem actiuam, & passivā in eo?

Pars ij. BBB I Re-

- 1 Respondeo primo, mihi certum esse, quod Episcopus potest dispensare cum homicida, etiam voluntario, quo ad beneficium, saltem simplex, cap. 2. de cleric. pugn. in duell. quod in hoc est iuris optimum secundum Anan. ibi, licet non posset dispensare quo ad ordines, saltem sacros, ca. 1. eiusdem tit. adiuncto prædicto cap. 2. Secundo, quod etiam potest dispensare quo ad beneficium curatum iam antea habitum, licet non ad noue habendum, vt concordando opiniones contrarias dixit Philippus Decius in cap. at si clerici. §. 1. num. 16. de iudic. quem sequuti fuimus in Man. cap. 27. num. 239. Tertio, quod in casu proposito non agitur de dispensatione Episcopi, vel Archiepiscopi facta quo ad ordines, præsertim sacros, sed tantum de potestate Archiepiscopi dispensandi quo ad beneficium ante irregularitatem obtentum; & consequenter, quod Archiepiscopus potuit illam facere iusta de causa. Dico, iusta de causa, quia omnis dispensatio permessa inferiori Papæ contra canonem est facienda cum causæ cognitione, & iusta de causa, iuxta gloss. solenn. recept. in cap. requisitus. §. nisi rigor. 1. q. 7. & latius notata in cap. at si. §. 1. de iudic. & ante omnes Innoc. in cap. dudum. 2. num. 16. de elect. & ex concordia duorum dictorum eiusdem Innoc. quorum alterum dixit in cap. veniens. de filijs presby. & alterum in cap. diuersis fallacijs. de cleric. conjug. quæ ibidem conciliat Panorm. Quinto, quod potestas Episcoporum dispensandi cum homicida quo ad beneficium, non est restringenda quo ad beneficium simplex: quia prædictum cap. 2. de cle. pug. in duell. generaliter loquitur de beneficio, vt Anan. & Decius præ alijs notauerunt, & non est restringendum, vt ibi voluerunt restringere Host. Card. & Panorm. eo quod dispensatio sit odiosa: quia textus non agit de dispensatione, vt pulchre dixit ibi Anan. sed de potestate dispensandi, quæ est fauorabilis, & amplianda, vt probatur in cap. fin. de simonia. vbi vtiliter de hoc scribit Felin. & ita satis superque est restringere illum quo ad beneficium curatum habendum, vt restringit Decius. Salua, &c.
- 2
- 3

S V M M A R I V M.

- 1 Episcopus ex officio cogere potest beneficiarium ad exhibendum titulum.
- 1 Possessio decennalis non sufficit sine titulo ad beneficium repetendum, sed sic ad titulum præsumendum. nu. 6. & 10.
- 2 Beneficium sine institutione canonica non potest obtineri.
- 2 Animarum salus omni alij commodo præferenda.
- 2 Beneficium sine titulo retinens, etiam post longum tempus peccare videtur.
- 3 Argumentum de matrimonio carnali ad spirituale validum.
- 4 Possessio triennalis querit titulum possidenti.
- 4 Titulus ex antiqua beneficij possessione præsumitur. nu. 6. & 10.

5 Solen-

- 5 *Solemnitas extrinseca præsumitur ob lapsum longi temporis.*
- 5 *Subdiaconus præsumitur, qui diu usus est subdiaconatu.*
- 7 *Possessio antiqua defendit beneficiarium etiam contra prælatum.*
- 8 *Insolita fraudem quandam præ se ferre videntur.*
- 9 *Regula de trienniali iuuat execrabilem dispensationem allegantem.*
- 10 *Argumentum à contrario in narratiuis parum valet.*
- 11 *Cap. ordinarij. de off. ordin. lib. 6. in quibus non habet locum.*
- 12 *Episcopus cogere potest decennalem, vel execrabilem ad iurandum se canonicè, & dispensationem obtinuisse.*

CONSILIUM XIII.

Quæsitum est primo, an Episcopus noue creatus cogere possit beneficiarium suum subditum ad ostendendum titulum sui beneficij, quod pacifice ultra 20. & 30. annos possedit.

Secundo, an cogere possit possidentem incompatibilia beneficia pacifice ultra prædictos 20. vel 30. annos ad exhibendum dispensationem, quia ea iuste retinere potuit?

AD PRIOREM QUÆSTIONEM respondeo, quod pro parte affirmatiua facere videtur primo gl. vlt. c. 1. de reg. iur. lib. 6. quatenus asserit posse Episcopum ex officio cogere subditum ad exhibendum titulum sui beneficij. Secundo, gloss. vlt. in cap. contingit. de dol. & contum. quatenus habet, petentem beneficium in titulum non se posse iuuare præscriptione. Tertio, iura multa, quibus prædictæ glo. nituntur. Quarto, quod Innocen. licet aliqua ex parte variare videatur, tandem tamen concludit saltem per relationem, ad tex. in cap. illud. de præsump. quod volenti repetere beneficium, non sufficit, quod possederit illud pacifice etiam per decem annos, etiam cum fama tituli canonici. Quinto, quod est regula firma tam in cap. 1. de reg. iur. lib. 6. quam in cap. 1. de eo qui mit. in poss. 2. cod. lib. quam etiam in cap. ex frequentibus. de institu. quod beneficium à nemine potest sine canonica institutione licite obtineri. Sexto, quod animarum salus præferenda est omni alij commodo. 1. q. 7. cap. sancimus. & cap. ille. 2. q. 5. cap. si habes. 2. q. 3. At beneficiarius tenens beneficium sine canonica institutione etiam post 10. annos, & quodcumque aliud tempus peccare videtur per d. cap. 1. de reg. iur. lib. 6. quia licet contra alium quærat exceptionem, sibi tamen non quærit dominium beneficij, vt late affirmat Panor. communiter receptus in cap. contingit. à num. 10. de dol. & contum. & communiter videtur Episcopus habere potestatem eum ex officio suo expellendi à beneficio, quod tenendo peccat, arg. cap. 1. de off. ordin. & l. congruit. ff. de off. præsid.

3 Pro parte autem negatiua facit primo cap. illud. de præsump. quatenus habet, eum qui fuit in possessione matrimonij cum fama de matrimonio

- per 10. annos, posse repetere illam, quam pro coniuge per tantum tempus possedit: & cum argumentum à matrimonio carnali ad spirituale valeat, iuxta gloss. celeb. cap. bonæ. il. 2. de electio. pro qua est cap. licet. de de. transl. prælat. consequens est, quod etiam beneficiarius, qui possedit beneficium pacifice per 10. annos, saltem cum fama tituli, debet præsumi beneficiarius. Secundo, facit regula Cancellariæ 33. siue de trien. poss. quæ statuit ne possessor huiusmodi triennalis molestetur. & gloss. illius antiqua pag. 4. tenuit per. huiusmodi triennem possessionem quæri titulum possidenti. Tertio, quod quamplurimi citati à Felino in cap. licet heli. num. 10. de simon. & in d. cap. illud. de præsumpt. & cap. Albericus. de test. & in cap. sicut. à num. 26. de re iud. & quos sequitur ipse, tenent ex antiqua possessione pacifica beneficij præsumi titulum beneficij, ea ratione, quia licet sollemnitas extrinseca non præsumatur regulariter interuenisse, l. quicumque. §. fin. de public. in rem act. fallit tamen ob lapsum longi temporis, iuxta gloss. & omnes in cap. peruenit. de empt. & vendit. vnde & Innoc. in cap. super his. sub sine, de accusat. dicit, eum qui subdiaconatu vsus est longo tempore sine literis, esse præsumendum subdiaconum. & ita non videtur esse mirandum, quod præsumatur titulus beneficij in longi temporis possessore: pro quo aptè facit l. si filius. iunct. gloss. C. de petitio. hered. & l. quæ in aliena. §. 1. de acquiren. hered. & illa quæ eis adiunguntur ibi, & alibi sepe. Quarto, quod Rota nostra ætate pro hac parte sententiam dixit, vt testatur Cassad. in decis. 8. super reg. Canc. ibi: *Voluerunt Domini in vna causa Bononien. de mens. Martij 1519. coram*
- 6 *D. Petro de Capizucchis inter Aemilium de Blanchis & quendam alium, quod regula Canc. de trien. etiã locum haberet in eo qui decennio possederat, & nullum titulum producebat, ex eo quod ius præsumit titulum ex sola possessione antiqua: nam si quis vt Rector beneficium tanto tempore possidet, in eo ius habet, & præsumitur titulus, vt dicunt Innoc. & Host. in cap. illud. de præsumpt. & in cap. licet heli. de simon. & Dom. consi. 87. apparet. 3. colum. Ratio, quia cum Episcopi visitando inquirant de titulo, cap. ordinarij. de offic. ordinarij. in 6. non est præsumendum, quod ipsimet subditi quo ad curata permisissent tali cursu temporis retineri ecclesiam absque canonico titulo. hæc ille. Et ne cui videatur, Cassiodorum sentire huiusmodi triennem possessorem posse defendi quo ad aduersarium petentẽ beneficium, non autẽ quo ad Episcopum volentem ex officio cogere ad ostendendum titulum, perpen-*
- 7 *dat hæc verba, quæ subdit. Verum est, quod prælatus, licet ex quo tollerant diu in possessione subditum, non possit eum compellere ad ostendendum titulum beneficij, tamen potest in se suscipere onus probandi defectum tituli vt cap. dilecto. & ibi Abb. de præb. & in d. cap. licet heli. & Dom. in d. consi. & in d. cap. ordinarij. Quinto, quod communis opinio secuta Hostien. in d. cap. licet heli. tenet non posse Episcopum cogere huiusmodi beneficiarium ad aliud, quam ad iurandum se habere titulum, neque ad hoc, si expressse,*

preſſe, vel tacite conſenſerit in illo, ſecundum Coſmam in tit. de pacif. poſſ. §. ordinarij. in verb. inquirant, ea ratione, quod prælatuſ, qui tacite vel expreſſe approbauit beneficiarij titulum, non poteſt cogere ipſum ad oſtendendum illum, argum. cap. dilecto. de probatio. & cap. ex ore. de hiſ quæ ſunt à maior. part. capitu. cum eiſ adnot. & addit quod accipiens procurationē de viſitando, videtur tacite approbare: quamuis Inno. quem ad hoc citat in c. veniens. de fil. præſb. id non videatur aſſerere. Sexto 8 facit, quod inſueta videntur præſe ferre aliquid fraudiſ, iuxta l. ſi quiſ ſub conditione. adiuncta glo. quam ad hoc ponderat Bald. ibi. ff. de cond. inſtit. & inſuetum, & inſolitum videtur, quod aliquiſ poſt poſſeſſionem 20. aut 30. vel 40. annorum pacificam compellatur edere titulum ſui beneficij. Et ita, quamuis forte incomparabilis prædicti Epifcopi virtus ſplendore ſuo omnem dolum & fraudem auertat apud eoſ, qui eum noverunt, apud tamen iudiceſ, qui non adeo reſpiciunt perſonā, forte non omnino dilueret. Per quæ arbitror Reuerendiſſimoſ Summi Auditorij Rotæ Patreſ in hanc partem negatiuam inclinatuſ, & reſponſuroſ ad contraria quod procedunt in beneficiario, qui non oſtendit titulum verum, nec longi temporis poſſeſſione præſumptum.

AD SECVNDAN QVÆSTIONEM reſpondeo, quod pro parte affirmante videtur canon expreſſuſ in c. ordinarij. de offic. ordi. lib. 6. in nouatuſ per Concil. Trid. ſeſſ. 7. c. 5. Secundo faciunt illa multa, quæ tradit Gomez. in reg. de trien. q. 10. in fauorem opinionis eorum, qui tenuerunt in Rota, quod regula de trien. poſſeſſione non iuuat execrabilem, ſiue illum, qui tenet duo incompatibleſ contra extrauag. execrabilis. Ioan. XXII. ſi non monſtretur diſpenſatio legitima.

9 Pro parte vero negante faciunt alia plura, quæ citat ibidē pro opinione contraria, quam tenuiſſe Rotam in tribuſ, vel quatuor cauſiſ aſſerit, videlicet quod triennialiſ poſſeſſio pacifica defendit etiam execrabilem, etiam non monſtrata diſpenſatione, modo allegetur. At idem, quod facit triennialiſ poſſeſſio contra aduerſarium agentem, videtur facere decennialiſ ſiue longi temporis poſſeſſio contra Epifcopum volentem cogere beneficiarium ex officio ad oſtendendum titulum, vel diſpēſationem, per citata in reſponſione præcedentiſ dubij. Secundo, quod non obſtat id, quod ait ibidem Gomez. alium, quam ordinarium, non poſſe cogere triennialē poſſeſſorem ad oſtendendum diſpenſationem incompatibilium, innuendo à contrario ſenſu, quod ordinarius poteſt cogere. Non, 10 inquam, hoc obſtat. Tum quia argumentum à contrario in verbis narratiuiſ eiuiſ, qui non diſponit, parum virtutiſ habet, vt poſt Ant. in c. cum apoſtolica. de hiſ quæ ſunt à maiori parte cap. tradit Fel. in c. ſignificati. de for. compet. num. 13. Tum quia loquitur tantum de trienniali poſſeſſore, & non de decenniali, vel antiquiore, quem tituluſ præſumptuſ defendit etiam aduerſuſ ſuperiorem inquirentem, vt dictum eſt. Tum quia

- 11 Domin. & Franc. super eod. c. ordinarij. communiter recep. dicunt illum textum non habere locum contra antiquum decennalem, vel longioris temporis possessorem. Tum quia eadem ratio videtur suadere, ne teneatur ostendere dispensationem, quæ suadet vt non teneatur ostendere titulum: quia tam contra ius est tenere beneficium sine titulo, quam tenere duo beneficia cum titulis alias canonicis sine dispensatione: immo forte magis, si res satis expendatur. Tum denique quod ratio illa præsumendi interuentum solemnitatis extrinsecæ, qua supra diximus nisi Fel. post alios in supradictis locis, & ratio præsumptionis, quod tanto tempore non sustinisset ordinarius possidentem sine titulo, qua nititur Cofmas vbi supra, immo & ratio Inno. quam tangit in d. c. illud. de præsump. videlicet quod tanto tempore non est facile seruare titulos, & scripturas, videntur ita excusare ab ostendendo dispensatione, sicut ab ostendendo titulo. Omitto, quod posset alicui videri satis probabiliter prædicto c. ordinarij. esse quidem locum in beneficijs, quæ tenentur in titulum, vel commendam. non autem in ijs, quæ obtinentur per vnionem, & annexionem ad aliud beneficium, vel religionem, & ordinem. argum. c. super eo. de præb. lib. 6. Omitto (inquam) hoc: quia licet in recuperanda quadam commenda Roncauallis, quam quidam Commendator Sancti Iacobi per viam vnionis detinebat, multum negotij mihi olim fecerit, non tamen arbitror satis firmum ad hoc, vt censeatur prædicta ecclesia ista ratione exclusa à prædicto c. ordinarij. sicut etiam prædicta vnio, quæ non est perpetua, sed solum ad vitam eius, cuius commendæ, vel ordinis annexa est, non potest cadere sub cap. 6. sess. 7. de refor. nec sub c. 13. sess. 24. Concil. Trid. Itaque arbitror DD. Rotæ, si de hac causa iudicauerint, iudicaturos ad summum, quod Episcopus poterit prædictum beneficiarium execrabilem cogere ad iurandum, quod credit bona fide se obtinuisse canonice prædicta beneficia, & quod si Episcopus voluerit probare contra eum titulum, siue quod beneficiarius non habuit illa canonice modis, quibus id legitime probare poterit, est admittendus.

S. P. M. M. A. R. I. V. M.

1. Vicarius Episcopi facultatem absoluendi à reseruatis, alijs subdelegari potest.

C O N S I L I V M X V.

Episcopus dedit inter alia auctoritatem vicario suo generali absoluendi à casibus reseruatis. Et quia ipse vicarius non potest absolueret, cum.

non sit sacerdos, dubitatur, an alij possit eandem delegare.

Respondetur, quod dicta facultas, siue auctoritas in hoc resoluitur, veliceat vicario auferre, siue remittere dictas reservationes: quæ facultas, siue reducatur ad similitudinem aliarum facultatum, quæ vicarijs conceduntur, cum eorum iurisdictio sit ordinaria, c. romana. in princ. & ibi gloss. in verbo generaliter. de senten. excommu. lib. 6. siue reducatur ad delegatam, cum sit facta ad vniuersitatem causarum, non est dubium, quod potest subdelegari, iuxta l. more. & ibi gloss. de iurisdict. omniū iudicū. & gloss. quæ prima est, l. à iudice. C. de iudic. & ita sepe seruatum fci o.

DE MAIORI. ET OBED.

S V M M A R I V M.

1. Exorcismus dicitur omnis adiuratio, & mere passio demonum.
2. Exorcismos omnes nec inferior à Papa, nec Papa prohibere potest.
3. Exorcismus precedens baptisma reseruatus est per consuetudinem sacerdotibus.
4. Exorcismos arreptitorum inferior à Papa prohibere non potest.
5. Deputati ad exorcismos restringi possunt ad aliqua obseruanda.
6. Episcopus statuere potest ne quid in exorcismis inordinate vel immodeste fiat.

CONSILIVM V.

AN sacerdoti vel clerico sæculari, aut regulari interdici possit, ne exorcismum energumenis adhibere possit, nisi is exorcizandi facultatem scripto exaratum ab episcopo impetrarit? Et an recte prohibetur, ne in ædibus laicalibus, locisue priuatis, sed in ecclesiæ loco aperto, & conspicuo, neq; in omni, & quauis ecclesiæ, sed in ijs solum, quas episcopus statuerit, fiat exorcismus? Item ne ante ortum, nec post occasum solis quisquam exorcizetur? Et an recte statuatur, vt si qui exorcizatur sacerdos sit, antequam exorcismum inchoet, missæ sacrum faciat?

Secundo, An clericos, qui dominicis, festisq; diebus, qua hora in choro diuinis officijs celebrandis attracti non sunt, parochus, intra cuius parochiæ fines habitât, in doctrinæ christianæ scholis vbicumq; loci intra fines parochiæ constitutus, vt sibi in hoc munere opem ferant, cohortari debeat, idq; in vrbe in diœcesi ad præscriptum eorum, quibus id curæ ab episcopo datum erit?

AD QVATVOR in priori quæstione proposita respondetur pri-

- 2 mo, quod cum omnis adiuratio, & increpatio Dæmonis possit dici exorcismus energumenum, vt signific. c. clericos. §. exorcista. 2 1. dist. & S. Tho. in. 4. dist. 6. q. 2. art. 3. dum ait exorcismum catechumenorum, qui præponitur baptismo, recte dici posse exorcismum energumenum cumq; omnis Christianus habeat potestatem exorcizandi, & adiurandi dæmones increpando, iuxta illud Mar. vlt. *In nomine meo dæmonia eijciunt*, vt tradit S. Tho. 2. 2. q. 90. art. 2. titulus huius quæstionis videtur generalis ad omnem exorcismum & adiurationem increpatoriam dæmonum.
- 2 Secundo, quod accipiendo verbum illud tam late, vt dixi, respondendum videtur, quod non potest id facere inferior Papa, immo nec forte ipse Papa: quoniam Christiani omnes accipiunt potestatem adiurandi dæmonem increpatorie nocte, dieq; , idq; frequenter facimus aspergentes nos aqua benedicta, & dicentes, *Ecce crucem Domini, fugite partes aduersæ. & c.* signantesq; nos signo crucis, dicentes, *In nomine Patris. & c.*
- 3 Tertio, quod si titulus quæstionis restringatur ad exorcismum, qui præmittitur baptismo, respondendum videtur, non posse id facere inferiorem Papa, nec decere ipsum Papam id facere, cum consuetudine videatur restricta potestas illius exorcismi ad sacerdotes baptizantes, vt significauit D. Thomas in d. dist. 6. q. 2. art. 3. q. 3. & omnino deceret, vt omnibus sacerdotibus baptizaturis imponeretur necessitas faciendi ea, quæ in quæstionibus continentur.
- 4 Quarto, si tituli quæstionum restringantur ad solum exorcismum arreptiutorum, siue à dæmonijs obessorum, non videtur etiam posse restringi, saltem ab inferiore Papa, quo ad potestatem generalem, quam omnes Christiani habent iure diuino eijciendi dæmonia, & adiurandi ea increpatorie: quia tale statutum videretur contra ordinationem ab ipso Christo factam Mar. vlt. quam non potest tollere inferior Papa, argumento cap. 2. de maiorit. immo nec ipse Papa in totum, saltem sine iusta causa, cap. sunt quidam. 2 5. q. 1. adiunctis his, quæ notantur lat. per Innoc. & alios in cap. cum in ecclesia. de constitution.
- 5 Quantum autem ad particularem potestatem, quam habent quidam in aliquibus terris particulariter deputati ab episcopis ad officium huiusmodi exorcizandi arreptiuios cū superpellicio, & stola, & quibusdam alijs cæremonijs, videtur quod, qui deputauit eos, posset astringere ad aliquam seruanda, quæ non tenerentur seruare alij, qui volunt vt sola potestate à Christo tradita, qualiter multi sancti sine aliquo apparatu solo verbo vexatos à dæmonijs liberauerunt. Possit item episcopus statuere, ne quis inordinate, ac immodeste vteretur huiusmodi potestate: quia id non esset legem nouam facere, sed confirmare legem naturalem, qua tenemur bene, ac modeste facere quæ facimus. Restrictiones autem tantæ quantas continet quæstiones prædictæ, non videntur esse facultatis episcopalis per prædicta.

AD VLTIMAM questionem respondetur, quod predictis rectoribus licet rogare, & hortari vbane predictos clericos, vt eos adiuent: quia hoc nullo iure vetitum est, & de se bonum est: hortari autem eos, vt ad id obligatos, non liceret: quia ipsi ad id nullo iure sunt obligati; & ita iniuriam facerent eis imponentes obligationem contra l. iustitia. ff. de iust. iure. & §. 1. Inst. eodem tit.

DE PACTIS.

S V M M A R I V M.

1. Creditorum maior pars debita in præiudicium minoris remittere valet.
1. Debitor, si perueniat ad pinguiorem fortunam, minori parti, quæ reconfuit debita sua remittere, restituere non tenetur.
2. Remissio debiti ob inopiam debitoris eum in vtroq; foro liberat.

CONSILIVM VI.

AN debitor, qui decoxit, cui vt cognati eius soluerēt aliquam partem debitorum, maior pars creditorum remisit duas partes sibi debitorum, & fecit pactum de non petendo remissa, si per postea quasita veniret ad pinguiorem fortunam, teneatur in foro conscientie restituere creditoribus suis, saltem minori parti, quæ noluit consentire remissioni, illa quæ sibi fuerunt remissa?

1. Respondeo, multa posse pro vtraq; parte adduci, & quod pars affirmatiua videtur elici ex Syluestro, verbo restitutio 6. §. 3. dum ponit differentiam inter concessionem dilationis quinquenalis iuxta l. final. C. qui bon. sed. pos. & inter remissionem partis, iuxta l. & suum. & l. maiorem. ff. de pactis. Sed pars negatiua videtur iure verior. Primo quidem, quia non concludit ratio, quam insinuat Sylue. videlicet quod in ijs, quæ sunt communia pluribus vt singulis, maior pars non potest minori præiudicare, l. per fundum. ff. de seruit. rust. præd. quia illa regula fallit in multis casibus, & in ijs fauore liberationis partis debitorum faciendæ illi, qui non est soluendo, l. iurifgentium. §. fin. & l. & suum. & l. maiorem. & l. rescriptum. ff. de pact. vt annotatur per Iaso. num. 3. post alios, & glos. mag. & Soc. in dict. l. rescriptum. Secundo, quod non obstat dicere, quod illæ leges procedunt quo ad forum exterius tantum. Tum quia id necunde constat. Tum quia leges illæ non fundantur super præsumptione, sed super veritate, & æquitate, quam suadet charitas, & misericordia.

- cordia subueniendi indigentibus cum vtilitate omnium creditorum, vt sentit glossa prædicta recepta per omnes. Tertio, quod non obstat dicere, quod remissio partis debiti facta debitori ob timorem perendi totum, eo quod deliberauit nihil soluere, nisi pars illa ei remitteretur, obligatus est in foro conscientiaë soluere, quod sibi remissum est, vt post Caiet, & Syluest. diximus in Manual. confes. c. 17. num. 75. & quod creditores, qui remiserunt in casu proposito, videntur remisisse ob timorem perendi totum. Tum quia illud procedit, quando debitor habet vnde soluat, vel de sua malitia nascitur ille timor, non autem cum nascitur ex alijs causis, vt ex vera inopia, vt ibidem insinuauimus; & in casu proposito timor nihil recuperandi nascebatur ex inopia. Tum quia illud procedit, quando sine iusta causa, & vtilitate creditorum fit remissio; in nostro autem casu ex iusta causa, scilicet inopia, & pro vtilitate creditorum omnium facta fuit, vt dictum est.

DE PROCURATORIBVS.

S V M M A R I V M.

- 1 Mandatum alicui ratione qualitatis, seu dignitatis, magis respicit dignitatem, quam personam.
- 1 Relictum Episcopo ab extraneo censetur relictum ratione dignitatis.
- 2 Viam tutiorem quilibet in dubio videtur eligere.
- 2 Procurator contemplatione societatis constitutus societatem obligat.
- 3 Mercatorum libris saltem contra illos creditur.
- 3 Mercator accipiens aliquid ad mercaturam presumitur id vertisse in eam.
- 4 Debita contracta durante societate sunt ab ipsa soluenda.
- 4 Præpositus alicui officio obligat præponentem etiam accipiendo pecuniam ad commodius illud exercendum.
- 5 Societate inita ad mercaturam, seu artem campforiam, quicquid vnus tanquam socius facit, alium obligat.
- 6 Finis recipiendi aliquid in dubio ex effectu conijcitur.

CONSILIVM III.

Quidam Illustrissimus Cardinalis constituit in his partibus tres procuratores, Iacobum, Petrum, & Ioannē mercatores, & socios vnus officij campforij, & eorum quemlibet in solidum ad per eos recipiendum quasdam pensiones prædicto Cardinali debitas. virtute illius consti-

constitutionis Iacobus vnus dictorum sociorum pensiones recepit, & pro summa pecuniaria recepta Cardinalem in libro societatis creditore scripsit; fuerunt autem sex semestrium pensiones ad urbem nomine societatis transmissæ, sed nunc remanet pensio vnus anni non soluta; tandem vero societas defecit. petit Cardinalis restantem pensionem sibi solui de pecunijs dictæ societatis, attento quod Iacobus erat socius. Ex aduerso Petrus, & Ioannes prætendunt societatem non teneri pro facto dicti Iacobi socij, quia ipse dictas pensiones exegit iure proprio tamquam procurator in solidum prædicti Cardinalis, non autem nomine societatis; attento quod ipsi non acceperunt mandatum, neque se immiscuerunt in exigendo dictas pensiones.

De sola subscriptione rogatus respondeo iuridicam mihi videri conclusionem à viro doctissimo fundatam: considerando primo, quod prædictus Illustrissimus in dando mandatum prædictis tribus socijs notius re ipse societatem, quam personas eorum. Tum quia solis ijs tribus, iisdemque socijs dedit illud. Tum quia nulla ratione alia, quam illorum societate, cognoscebat eos, & quod quidam bancarius eorum responsalis in vrbe degens eorum societatem fidam esse ei persuasit, & qui mandat, & relinquit aliquid alicui personæ qualificatæ, quam cognoscit ratione qualitatis, & non personæ, videtur magis respicere illam ratione qualitatis, & dignitatis, quam personæ, l. penult. ff. de reb. dubijs. per quam definitibi Bart. quod an nomen appellatiuum, vel proprium sit magis consideratum, ex qualitate notitiz est considerandum. facit cap. requisisti. de testam. quatenus probat relictum Episcopo ab extraneo, ceteri relictum ratione dignitatis, qua est notior: vbi multis comprobatur Couarr. non esse curandum, an primum exprimat nomen appellatiuum, vel proprium, vel è contra, quando ex alijs coniecturis apparet, an persona, siue qualitas, siue dignitas sit magis considerata: quod etiam ante illum tradit deus post alios citatos ab eo in cap. qui abbas. de offic. deleg. Cum ergo prædictus Cardinalis constituerit prædictos tres procuratores nominando personas, & societatem eorum, & cum non cognoscat ratione personarum, sed tantum ratione societatis, & persuasionis de fide habenda in fide per relationem responsalis societatis eorum, & cum nullis alijs dedisset mandatum, consequens est dedisse illis principaliter, eo quod erant socij illius societatis. Confirmatur, eo quod Cardinalis erat vir prudentissimus, & ideo præsumendus est in dubio præuidisse tutius fuisse credere plus eis, & singulis eorum, & tamquam socijs, quam tamquam singularibus, & diuisis personis: & in dubio quilibet viam sibi tutiorem videtur eligere, l. 3. ff. de milit. testam. cum similib. & ita cum tutius esset prædicto Cardinali dare mandatum eis tamquam socijs, quam tamquam diuisis, interpretandum est dedisse tamquam socijs. & ita Iacobus præsumitur constitutus procurator, qua constitutus erat socius aliorum, & non tamquam

tamquam diuisus, & separatus ab eis. Secundo repeto prædictam conclusionem iuridicam, considerando, quod prædictus Iacobus recuperavit pensionem prædictam tamquam procurator constitutus contemplatione societatis, & quod obligauit eam. Primo quidem, quia præsumitur eam vertisse, & posuisse in rem, & utilitatem societatis: quia, qui fungitur officio, vel exercitio aliquo; & accipit aliquid pro exequendo eo, vel sequellis eius, præsumitur vetere illud in rem, & utilitatem eius. casus est in l. fin. §. fin. ff. ad Maced. quatenus habet, quod miles qui accipit aliquid ad exercitium militiae, præsumitur vertisse id in illud, per quem definit ibi Bart. scholasticum, cui mutuatur aliquid ad suum studium exercendum, præsumi vertisse in illud: per quem §. & prædictum dictum Bart. definit

3 Bald. in l. antepenult. eod. tit. mercatorem, qui accipit aliqua ad mercaturam exercendam, præsumi vertisse in eam. Cum ergo prædictus Iacobus acceperit prædictam pensionem ut socius, præsumitur vertisse in rem, & utilitatem societatis. Deinde, quod non solum præsumitur, sed constat ex libris eius, quod verterit eam in rem, & utilitatem suæ societatis, siquidem fecit prædictum Illustrissimum creditorem societatis quoad illam. Quod autem credatur libris mercatorum, saltem contra illos, communis conclusio est Bart. Iason. & aliorum in l. i. C. de edën. & ladmendi. ff. de iureiur. Tertio quod omne æs alienum, quod manente societate contractum est, de communi soluendum est, quæ sunt verba l. omne aurum es. ff. pro socio. cuius gloss. verb. contractum, declarat eam, dicens procedere, etiam si ab vno sociorum contractum est. Quarto, quod accipiens pecuniam ratione officij, cui præponitur, obligat eum, qui præposuit illum l. fin. ff. de instit. act. ex qua hoc ibi colligit Bart. Et prædictus Iacobus, & quilibet aliorum sociorum erat præpositus negotiationi societatis ab ipsa societate; ergo &c. Quinto, quod præpositus alicui officio non solum obligat eos à quibus præponitur accipiendo ea, sine quibus id exerceri non potest, sed etiam accipiendo ea, cum quibus commodius potest, vt irrefragabiliter probant l. quicumque. §. si ei quom. ff. de instit. act. & l. penult. ff. de usufruct. per quas hoc affirmat Aret. in cap. de testibus. col. 3. de testib. & Dec. in c. præterea. col. 5. de offic. de iudic. in cap. vt debitus honor. de appellat. col. 8. vt vtrouique alias docuitur.

At prædictus Iacobus, & quilibet aliorum sociorum habebat officium exercendi societatem initam, vt proxime dictum est. ergo quilibet eorum poterat recipiendo pensionem prædictam obligare societatem, cum aliqua ex parte eius receptio commodaret officij exercitio. Sexto, quod societas prædicta fuit inita ad negotiandum arte mercatoria, & campforia; & quicquid vnus socius capit pertinens ad societatem, obligat illam. casus est in l. quicumque. §. non tamen omne. ff. de instit. act. At receptio pensionis pecuniariæ suapte natura pertinet ad exercitium negotiationis artis campforiæ, & mercaturæ; ergo recipiendo illam ad reponendam in

dam in societatem, vt reposuit, obligauit societatem. Septimo, quod qualis fuerit finis recipiendi aliquid, in dubio conijcitur ex effectu subsequuto. l. sed Iulianus. §. proinde. ff. ad Maced. quatenus habet filiumfam. qui accipit mutuum pecuniam. presumi accipere animo vertendi eam in rem parisi, si in illam postea uerterit; per quem DD. dicunt ibi de scholastico mutuante pecuniam, & postea uertente illam in exercitium studij, quod presumitur eo sine mutuatus fuisse. Vltimo, quod rati habitio retrahitur, & mandato comparatur, cap. rati habitio. de reg. iur. lib. 6. cum concordat. etiam in ijs, quæ à principio male capiuntur. Ac receptiones predictæ pensionis factas à Iacobo societas ratas habuit; quia multas earum remisit soluendas ad urbem per literas nomine societatis confectas; ergo proculdubio vel hoc solo argumento vera est conclusio. Saluo famiori iudicio.

DE HIS QVÆ VI,

metus sue causa.

SUMMARIVM.

- 1 Professio metu facta est nulla, nec tempore conualescit.
- 1 Impedito iuste aut non currit tempus, aut restituitur.
- 2 Professio nulla per actus professorum non validatur.

CONSILIVM VII.

ANte Concilium. Triden. N. per vim & metum Religionem ingressus, eadem vi & metu durantibus, expleto probationis anno in manibus sui prælati professionem emisit, & in eadem persistendo ordines sacros & gradum baccalaureatus suscepit. Post Concilium vero reclamare volens, tribulationibus oppressus non potuit; à quibus tandem liberatus reclamare intendit. Quæritur an id facere possit, & an per susceptionem ordinis præsumatur consensisse suæ inualidæ professioni.

- 1 Respondeo primo, votum, quod ab initio ob metum aliquem est nullum, siue inualidum, tractu temporis vere non conualescere coram Deo, neq; præsumptiue coram hominibus, cap. non firmatur. de reg. iuris, lib. 6. & l. quod ab initio. ff. eod. neq; concurrente gestatione habitus, & permanione in monasterio, durante illo metu. cap. I. cum ei annot. de his quæ vi,

Secundo, quod si post cessationem metus fuit iuste impeditus à reclamando

mando etiam poterit cessante impedimento reclamare, si fuit impedimentum iuris; quia taliter impedito non currit tempus, l. 4. G. de ann. excep. & si erat impedimentum facti, debet audiri per restitutionem. l. & Attilicinus. ff. de seruit. rult. præd. vt tradit Panorm. in c. ex transmissa. num. 13. de præscript.

- 2 Tertio, quod per susceptionem ordinum durante, causa iusti metus, nõ præsumitur satis ratificare professionem. Tum quia hoc nullo iure speciali cauetur. Tum quia à separatis non fit illatio, l. Papinianus. ff. de minor. Tum quia, si quod magis videtur inesse, non inest, nec quod minus videtur inesse inerit. arg. cap. cum in cunctis. de elect. & auth. multo magis. C. de Sacrosan. Eccl. & nec per gestationem habitus professorum, nec per præstationem suffragij in capitulo, nec faciendo alia, quæ solis professis competunt, professio valida fieri præsumitur, iuxta not. in d. cap. de his quæ vi. & tamen maior ratio suadet, vt per talia præsumeretur profiteri quam per susceptionem ordinis, quæ est res separatio à professione; ergo per susceptionem ordinis non præsumetur consensus ad professionem. per quæ satisfit supra quæsitis. Salua, quæ iustior fuerit, sententia:

L I B. II.

D E I V D I C I I S .

S V M M A R I V M .

- 1 *Episcopus cum verbaliter à se depositis an dispensare valeat.*

C O N S I L I V M II.

Resolutio est, Episcopum posse dispensare cum verbaliter à se depositis etiam post depositionem verbalē Panorm. Felin. & Decius, & communis in cap. at si clerici. §. de adult. de iudicijs. maxime si in sententia sua, vel Vicarij sui hoc faciendi potestas fuerit sibi referuata: quod certissimum est, cum depositio facta fuit ob adulteriū, vel alia crimina eo minorā, vel saltē non maiora: si autem depositio fuisset facta ob heresim vel alia crimina, videtur non posse.

VT LITE PEND.

S V M M A R I V M.

- 1 Decreta Cap. Minimorum Auenioni facta, an sint contraria priuilegio Monasterij eiusdem ordinis vrbis. & seq.
- 2 Iura iuribus concordanda sunt.
- 2 Lex generalis per specialem illam limitantem limitanda.
- 3 Voluntas disponentis in omni dispositione attendenda.
- 3 Mens S. Francisci de Paula gratissima.
- 4 Legis verba contra auctoris mentem non sunt intepretanda.
- 5 Declaratio Cap. Minimorum Auenioni facta, si derogat priuilegio monasterij vrbis, est nulla. nu. 9.
- 6 Monasterium S. Trinitatis vrbis Christifidelium magnum refugium.
- 7 Monasterium S. Trinitatis Minimorum contra suum priuilegium Generali obedire non tenetur.
- 7 Obedire oportet magis Deo, quam hominibus.
- 7 Regularis contra maioris praecepta praelato obedire non debet.
- 7 Monachus praelato secundum suam regulam praecipienti pareat.
- 8 Regularis à superiore grauatus appellare potest.
- 10 Professus in vno monasterio non potest vt talis in alio recipi.
- 11 Generalis ex causa potest subditos de vno loco ad alium transferre. num. 15.
- 12 Monachorum creatio ad praelatum, & Conuentum simul pertinet.
- 12 Episcopus, etiam vt superior, monialem creare non potest.
- 13 Consilium alicuius sequi debet, qui illud requirit vt collega,
- 14 Creatio monachorum in ordine Minimorum à Vigili, Proninciali, & Generali fieri potest.
- 14 Statuta, & consuetudines iuxta commune ius intelligenda.
- 15 Generalis solus non potest professos in vno monasterio vt talis in alio recipere.

CONSILIVM I.

Reuereudissime domine Doctor, in comitijs generalis capituli Auenioni celebrati 1578. à fratribus Minimis trium nationum, Italiae, Hispaniae, & Galliae, quae sequuntur fuerunt ordinata hac forma.

Memores patres pace & vnione minima maxima fieri, maxima vero odio,

odio, & seditione decreſcere, placuit tam Italis, quam Hiſpanis, quo ad officium correctoriatuſ iura prætenſa cedere, cum ex Illuſtriſſimo; & Reuerendiſſimo Protectore coram patribuſ declaratum extitit, voluntatem D. Franciſci fuiſſe, quod conuentuſ Romanuſ quo ad correctoriatuſ regatur à fratribuſ gallicæ nationiſ: quod fuit cõfirmatum eo præſente, totoq; Cardinalium ſenatu; volunt tamen, quod ad alia omnia ſit communis, & fratres mixtim ex omnibuſ nationibuſ ſint in illo conueutu, induantur nouitij indifferenter, quarumcumque regionuſ fuerint.

Privilegium conuentuſ S. Trinitatiſ ſequitur, quod perpetuo uſu fuit receptum à tota Religione, quæ etiam poſtulauit ipſiuſ confirmationem, quæ fuit facta à Iulio III. ad inſtantiam Regiſ Chriſtianiſſimi.
Henrici.

Vniuerſiſ præſenteſ haſ litteraſ inſpecturiſ frater Franciſcuſ de Paula ordinis fratrum Minimorũ humilis inſtitutor, ac ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gratia, & conſeſſione omnium eremitorum, & locorum, oratoriorum, & ſororũ eiuſdem ordinis vbicumq; conſtitutorũ, necnon congregationũ fratruſ religioſorum, & perſonarum aliarum ſub regulari obſeruantia in eiſdem degentium ſuperior, licet immerituſ, ac generalis corrector ſalutem in Domino. Noſ pie conſideranteſ regiam maietaſtem Franciæ nobiſ, & ordini noſtro præfato comparafſe locum Conuentuſ noſtri Sancti Trinitatiſ in monte Pincio in vrbe Romana, & ea propter ad ipſiuſ beneficij per noſ accepti memoriã, & vt fratres noſtri Ordiniſ in dicto Conuentuſ reſidenteſ in diuini cultuſ perſolutione reddantur in futurum ſalutiſ animarum dictorum benefactorum memorioreſ, volumuſ, & ordinamuſ, quod à modo, & in poſterum dictuſ conuentuſ in Monte Pincio in vrbe Romana regatur per fratres Gallicæ nationiſ, quandiu inueniantur, qui inibi reſidere, & cultui diuino inſiſtere uoluerint; ſin autem ubi nulli reperiãtur qui inibi reſidere uoluerint, quia omneſ in Chriſto vnanimie eſſe debemuſ, illud per alioſ regi, & inhabitari uolumuſ; partiterq; ſi locus ſupportare poterit, ultra quam reperiãtur habitariuſ Gallicæ nationiſ, alioſ ſecum aliarum nationum mixtim reſidere uolumuſ. Datum. &c.

Quæritur virũ pendente lite, quam nobiſ mouerant patreſ Zeloſi Hiſpaniæ, & Italiæ ad annullandũ priuilegium coram Sanctiſſimo Domino 1576. nec dum lite deciſa potuerint talia ſtatueri in illo capitulo Antonenſi, quod uideatur cõtra priuilegiũ; præſertim cum cõuentuſ Romanuſ per procuratorẽ non comparuerit, nec uocatuſ, nec audituſ fuerit in re tam graui, & ad illum ſpectante, in qua ſtatutuſ, & uoluntat. S. patriſ noſtri Franciſci de Paula læditur, maietaſti regiæ iniuria grauiſ ſit, & toti

toti nationi, immo & toti religioni, quæ confirmationem priuilegij postulauit à S. Sede, & obtinuit, graue damnum infertur.

Secundo, Vtrum fratres huius conuentus teneantur Generali obedire præcipienti, & facienti ad formã statuti Auinionensis, præsertim cum à Bercinonensi capitulo sequente fuerit conclusum nulla statuta ante nouem annos non probata sortiri vim statuti permanentis; præterea cum semper fuerit ab hoc conuentu reclamatum pro grauamine.

Tertio, Vtrum non relinquereetur huic conuētui sua actio in casu, quod probaretur huiusmodi constitutio in sequenti capitulo, vel per appellationem, vel oppositionem.

Quarto, Vtrum iuxta formam priuilegij, si aliqui nostræ nationis uoluerint hic Romę morari, & compatiatur locus, petita licetia, & non obtenta à Generali, possint à correctore recipi pro conuentualibus.

Quinto, Vtrum nouitij etiam possint indui eiusdem nationis, modo habeantur sufficientes, petita licentia, & non obtenta ab ipso Generali.

Sexto, Vtrum fratres extranei, qui obruduntur ab ipso Generali, ut occupent nostrorum sedes, possint recusari ad inhabitandum, & uotandum in electionibus.

Septimo, Vtrum ipse Generalis possit fratres Gallicæ nationis amouere, ut alios extraneos inducat.

Octauo, Vtrum ipsi Galli teneantur obedire præcipienti contra formã priuilegij, quod habet quandiu uoluerint inhabitare, non accerfitis alijs ad petitionem conuentus.

AD PRIMAM quæstionem respondeo primo quod declaratio facta Auinioni, præsentè Illustrissimo protectore, non est contraria priuilegio, nec intentioni Gallicæ gentis, quatenus continet Italos, & Hispanos cessisse iura prætensa contra priuilegium Sancti Francis; immo est eis consona, & commodissima, ut palam est. Secundo, quod non est etiam contraria, quatenus statutum fuit, ut illud per correctores gentis Gallicæ regatur, per ea multa, quæ nos pridem pro illo allegauimus in lite contra prædictum monasterium, & monachos Gallos mota.

Tertio, quod etiam dici potest, prædictam declarationem non esse contrariam prædicto priuilegio, & intentioni Gallicæ gentis, quatenus continet, quod ex qualibet alia gente possint in prædicto monasterio indifferenter recipi fratres, si intelligatur eo modo, quo debet intelligi secundum limitationem, & modificationem ipsiusmet priuilegij Sancti Francis, scilicet, quâdo locus supportare potest, & non reperiantur alij Gallicæ nationis. Non enim sunt contraria dicere: homines cuiuslibet gentis habitare possunt in hoc oppido, & homines cuiuslibet alterius gentis possunt habitare in hoc oppido, quando defuerint homines Galli; vtrumq; enim potest esse simul verum, quando scilicet defuerint Galli, qui possint, & velint habitare in eo, ut palam est.

- 2 Secundo principaliter dico, quod prædicta declaratio est intelligenda modo prædicto, ita ut non contradicat privilegio. Tum quia expedit iura iuribus concordare, cap. cum expedit, de electio. lib. 6. cum ei concord. Tum quia lex generaliter loquens, siue præcedat, siue sequatur, debet limitari per aliam legem illam specialiter limitantem. l. in toto. ff. de reg. iur. & cap. generi per speciem derogatur. eodem tit. lib. 6. & late tradit Decius post alios in d. reg. in toto. & probatur efficacissime per duas glossas solennes receptas, quarum altera est in l. sciendum. ff. qui satisd. cogan. & altera in authen. offeratur. C. de litis contest. quæ receptæ ab omnibus aiunt, prædictam authen. quæ generaliter disponit debere actorem præstare fideiussores reo, licet sit posterior, debere limitari per d. l. sciendum. quæ habet eum, qui bona immobilia habet, non teneri ad dandū illos fideiussores. Cum ergo prædicta declaratio generaliter dicat, posse in prædicto monasterio assumi indifferenter personas ex omni natione, limitanda est per prædictum privilegium disponēs, tum id fieri debere, cum locus supportare possit, & desint Galli, qui possint, & velint ad seruiendum prædicto monasterio assumi.
- 3 Tertio principaliter dico, quod prædicta declaratio limitanda esset, ut modo dixi, etiam si prædictum privilegium non sic limitasset. Tum quia in omni dispositione recte intelligenda mens, & voluntas disponentis debet habere primum locum, & illa eam regere debet. l. in conditionibus. ff. de cond. & demonstr. cum ei concor. Cum ergo palam sit mentem, & voluntatem Sancti Francisci viri gratissimi concedentis illud privilegium prædicto monasterio ad significandam, & demonstrandam gratiā, quam ipse, & ordo suus debebant Regi Galliarum, & toti eius Regno ob magna beneficia in eo recepta, & ob emptionē amicissime, & gratiosissime factā à Rege ipso loci ad ædificandum monasterium prædictū in prædicto Mōte Pincio, & acceptatio privilegij ab eodem Rege, & toto suo Regno facta, & executā tēpore longissimo, & confirmata à fel. recor. Iulio. III. & adeo solenniter declarata per prædictū capitulū generale, præsidēte principe illo præcellenti, & Illustrissimo Cardinali Armeniaco primariæ, ac regum regiæ nobilitatis ornamento, & protectore. Cū ergo inquam palā sit mentem, & voluntatē omnium prædictorū fuisse, ut prædictum monasteriū regeretur, & gubernaretur sepe, quatenus fieri posset, per Gallicæ nationis rectores, & correctores, consequens est eorum mentem, & voluntatē fuisse, ut Gallicæ gentis monachi, & personæ favorabiliter, & amore præcipuo assumerentur, & tractarentur in eo, ut nunquam, quoad fieri posset, deessent, qui possent, & vellent recte regere illud ad gloriā Dei, & sui ordinis, & gentis Gallicæ; & consequenter, ut in eo inuenirentur tales, qui libentissime eligerent correctores, & superiores prudentissimos gentis Gallicæ, cum verisimile sit (id quod experientia clare postea docuit) fore, ut alienarum gentium monachi ægre, & fere coacte eligerent correctores

rectores Gallicos; cum ob peccata fragilitatis humanæ etiam in societibus eorum, qui religioni addicti sunt, non desint aliquot simulantes odia, & inuidiam inter diuersarum, immo & earundem gentium personas. Tum quia prædicta declaratio, quatenus habet, assumi posse monachos in prædicto monasterio ex alijs gentibus, intelligenda est, quando commode, & salua dignitate fieri potest. l. nepos Proculo. ff. de verb. sign. & cap. vt faciat. 22. q. 2. cum ei concord. At non post commode, & & salua dignitate monasterij prædicti, & priuilegij, & omnium prædictorum, qui confirmauerunt, & declarauerunt illud, fieri, vt omni tempore possint assumi in eo monasterio alienarum gentium persona: quoniam alioquin paruo tempore contingeret quod nulli Galli essent ibi; quod est contra mentem, & voluntatem Sancti Francisci, & aliorum prædictorum omnium, qui concesserunt, fouerunt, & declarauerunt prædictum priuilegium. Ergo dicendum est id fieri posse, nisi quando locus supportauerit, & non inuenientur Galli, qui velint, & possint ibi seruire Deo. Tum quia puerile profecto, & paruæ prudentiæ virorum fuisset, velle vt aliquod monasterium per vnus solius gentis, & nationis viros gubernaretur, & non cauere, & providere, quod concessa facultate assumendi monachos ex omni gente, omni tempore non posset obseruari, quod ipsi volunt. Quare aut dicendū est prædictum Sanctū Franciscum, omnium consensu prudentissimū virum, & omnes, qui prædicto priuilegio fauerunt, fuisse paruæ prudentiæ, & puerilis iudicii, quod est absurdū, & ita nō dicendū, l. nā quod absurdum. ff. de bonis libert. Aut certe dicendū est prædictā declarationē, quatenus habet, ex omni gente indifferenter assumi posse monachos in prædicto monasterio, intelligendam esse, quando locus supportaret, & deessent ex gente Gallica, qui assumi vellent, & possent. Tum quia ita debent interpretari verba legis, & dispositio illius, vt eorum interpretatio non nitatur contra mentem eius, & auctoris ipsius, iuxta illam regulam penult. de re. iur. lib. 6. *Certum est, quod is committit in legem, qui uerba legis complectens, contra legis nitatur voluntatem.* quæ regula decerpta fuit ex l. non dubium. C. de legib. & palam est quod qui declarationem prædictam Capituli Auionen. ita intelligeret, vt omni tempore possent indifferenter assumi de omni natione monachi, interpretaretur verba declarationis contra mentem, & voluntatem prædicti priuilegij, & auctoris eius, & omnium, qui illud confirmauerunt, approbauerunt, & fouerunt. Quod etiam esset contra cap. Marchion. 1. q. 1. in illis verbis. *nō est putandum in uerbis scripturarum esse euangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum folijs, sed in radice rationis.*

¶ Quarto principaliter dico, quod prædicta declaratio prauè intellecta, vt dicitur ab aliquibus intelligi, sic vt omni casu, & tempore possint, & debeāt ex omni natione assumi monachi, sicut ex natione Gallica, & eos

qui assumpti sunt in illud, posse dimitti ad alios conuentus, & loco illorū assumi ex alijs nationibus, perinde ac in alijs conuentibus eiusdem ordinis, est contrarijssima priuilegio S. Francisci, & omnibus præcatis, immo & ipsi capitulo Auinionen. etiam, quatenus Itali, & Hispani cesserūt iuribus ab eis male antea prætenfis contra prædicta, & contra ea, quæ olim pro monasterio citauimus in lite mota per ipsos: quoniam palam est eos eadē ipsa iura, quæ nunc intendūt, tunc prætendisse, & ita iudicandum esse iam cessa esse illa, & sublata in prædicto capitulo, & eos ab eis iam discessisse ibidem, & vereri debere ea iterum nunc non sine pudore replicare. cui consequens est prædictam declarationem, in hoc reprobo sensu acceptam, esse ipso iure nullam. Tum quia lite pendente facta esset contra rubricam vt lite pendente nihil innouetur. Tum quia esset facta contra partem inauditam, cum ad id non fuisset vocatum monasterium; quod fieri non potuit. cap. 1. de causa possess. & propr. ibi, *contra partem inauditam nihil possumus definire*. Tum quia Regis Franciæ, & totius regni, & maiestatis eorum plurimum interest, vt prædictum priuilegium, & prædicta declaratio intelligantur recte, & sancte eo modo, quo intelligenda esse supra diximus; & consequenter non posset prædicta declaratio præue intellecta eis præiudicare; quia res inter alios acta alijs non præiudicat. l. 2. C. quibus res iud. non nocet. Quare non solum vera sunt quæ diximus; sed etiam demirari licet, esse aliquos præsertim eiusdem ordinis colentes ex animo, & diligentes prædictum S. Franciscum, & honorem eius, totiusque sui ordinis, quibus videri possit verba priuilegij eius, & confirmationis, & declarationis eiusdem contra illa, quæ diximus, intelligenda esse, adeo ea contra suam mentem, & voluntatem omnium prædictorum distorquendo.

- 6 Quinto, quod, vt nos in prædicta, eademque lata informatione diximus, non solum ordini prædicto, sed etiam sanctæ Sedi Apost. Romanæ, & Regi, & toti Regno Franciæ, & gloriosæ Ciuitati Romanæ, & deuotioni omnium Christi fidelium magnum refugium, & asylum est, vt prædictum monasterium in dies magis, ac magis augeatur, & decoretur gallicanarum muneribus, & fauoribus, vti quotidie decoratur; quo religio Christiana Italorum, & Gallorum Romæ coniunctiore, & fortiore fœdere vnita totum orbem Christianum inuitet, & contineat, ac quadantenus cogat ad perseverandum in eadem verissima, eademque firmissima fide Catholica.
- 7 AD SECVNDAM colligitur responsio ex responsione ad primam, scilicet prædictum monasterium, & correctorem, ac conuentum eius non teneri ad obediendum Generali, qui aliquid contra prædicta præceperit. Tum quia oportet magis obedire Deo, quam hominibus. Act. 5. & cap. Isilianus. & cap. resistit. 1 f. q. 3. Tum quia S. Thom. recept. ab omnibus concludit in 2. 2. q. 104. art. 5. non esse à monachis obediendum Prælato in omnibus, sed solum in ijs, quorum contrarium non præcipit qui maior

maior est eo, scilicet Deus, & iustitia eius, & in eis, in quibus habet potestatem præcipiendi secundum suam regulam. at Generalis præcipiens cõtra prædicta, præcipit contra ea, quæ præcipit Deus, & iustitia eius, & extra ea, quæ sibi non sunt subiecta; & ideo non est obediendum ei, sed modeste appellandum, & eo modo, quo religiosi grauati possunt, & debent appellare, & adire superiorem, vt ab eo degraentur, per quam appellationem, & per iuridicam superioris aditionem suspendentur sententiæ, & censuræ Generalis, quas ausus fuerit contra ius proferre, vt nos tradimus in comm. de reg. cap. non dicatis. num. 62. & latius in capit. nullum. num. 51. vbi efficaciter probamus religiosos appellare posse ab omni sententia iniusta superioris, etiam à lata super correctione, si modum excedat; & superiorem, qui non admittit appellationem, esse castigandum, & alia id genus multa de appellatione religiosorum.

9 AD TERTIAM responderur id, quod responsum est ad secundam, scilicet, quod per prædictam declarationem bene intellectam nihil detrahitur priuilegio, & quatenus per eam male intellectam detraheretur aliquid, posset annihilari, & annullari per vias nullitatum supradictarum resultantium ex eo, quod facta fuit lite pendente, & monasterio inaudito, & rege, ac regno, quorum multum interest, nullatenus vocatis.

10 AD QVARTAM respondeo, quod hoc monasterium non potest recipere monachos eiusdem ordinis in alijs monasterijs professos, & filios eorum factos pro conuentualibus filijs huius monasterij sine auctoritate legitimi superioris. Tum per notata in c. fin. de regula. Tum quia, sicut iure communi antiquo monachus professus in vno monasterio, & filius eius per professionem factus non potest cogi, vt contra voluntatem suam transeat ad aliud monasterium etiam eiusdem ordinis sine culpa, & causæ cognitione, vt tradimus late in comm. de regul. super c. statuimus. nu. 22. ita eadem ratione non poterit recipi etiam volens pro filio, & conuentuali alterius monasterij eiusdem ordinis sine auctoritate legitima: quia correlatiuorum eadem est ratio. c. sciendum. 6. q. 1. Dixi, solo iure communi attento; quia iure speciali Dominicanorum, vt puto, recepto ab alijs religiosis, potest Generalis, vel Prouincialis religiosorum faciendum vnum corpus, transferre suum subditum ad aliud monasterium eiusdem corporis sine culpa, subsistente tamen rationabili causa, vt late tradimus nos in prædicto comm. de reg. super c. statuimus. num. 22. & consequenter in hoc ordine Minimorum, qui omnes, vt aiunt, faciunt vnum corpus, posset Generalis sine culpa ex aliqua magna iusta causa transferre vnum monachum sibi subditum ad aliud monasterium eiusdem ordinis, etiam contra voluntatem suam, & sui monasterij, sicuti Generalis Dominicanorum; sed si absque rationabili causa id faceret, posset appellari. Ex quo inferitur, quod si Generalis huius ordinis Minimorum vellet aliquos Gallos transferre ex hoc monasterio in aliud etiam eius-

dem ordinis sine iusta culpa, & legitima causæ cognitione, possent contradicere, & etiam corrector, & conuentus eorum, ne id faceret; & si ad faciendum pergeret, appellare, adiecta causa appellandi, quod id faceret ad minuendam auctoritatem correctoris, & conuentus, & ad hoc, vt non inuenirentur idonei correctores, & fratres ex natione Gallicana ad defendendum priuilegium prædictum, & vnitatem, & honorem huius monasterij, & regis, ac regni Galliarum, & totius Gallicæ nationis.

12. AD QUINTAM respondeo, quod communis obseruantia omnium religionum, quas ego ætate mea tractaui, habet, vt prælati immediati conuentuum particularium cum maiore parte eorum recipiant monachos nouitios, & induant eos habitum religionis, iuxta glossam c. fina. de regul. lib. 6. verbo *pertineat*. quam ibi sequuntur Arch. & Ioan. And. Lap. Anch. & Domi. & Phil. Franc. antè quos omnes dicit ibi Ioan. Mona. quod iure communi creatio monachorum pertinet ad Abbatem, & conuentum: quem etiam ibi sequitur Phil. Prob. & etiam prædictus Lap. alleg. 32. dicens per hoc, quod creatio monialium pertinet ad Abbatissam, & conuētum monialium, adeo quod Episcopus, etiam si sit superior earum, non potest creare, neque præcipere Abbatissæ, & conuentui, vt recipiant aliquam monialem, in tantum quod possent appellare ab illo iuste, si id eis præciperet. & idem tenet Calder. consil. 16. titu. de regul. allegando in id prædictum Ioan. Monac. & etiam in consil. 3. de sent. excommu. Idem tenet Arch. Card. à Tur. crem. in c. fin. 16. q. 7. Pro qua conclusione optime facit c. cum Ecclesia Vulterana. de electio. quatenus ibi Papa declarat nullam iniuriam fecisse canonicos Episcopo, eo quod noluerunt recipere canonicos ab eo solo creatos, ea ratione, quod, qui iure suo vritur, nulli facit iniuriam. facit etiam c. 1. de elect. quatenus probat, in ecclesia collegiata electionem prælati ad solum capitulum pertinere, & c. 1. de his quæ fiunt à prælatis. quatenus habet, alienationem rei ecclesiæ sine collaudatione capituli esse irritam; immo & ca. ea noscitur. eodem tit. quatenus habet, præsentationem beneficiorum ad monasterium pertinentem faciendam esse à prælato, & conuentu ipsius. omnium tamen firmiteramentorum neruosisimum est prædictum c. vlt. 16. q. 7. quod expresse habet non posse Abbatem creare fratres monachos sine consensu fratrum. Non obstat quod Panor. in d. c. cum Ecclesia Vulterana. sentiat contrarium. Tum quia ait consuetudinem, & priuilegium, si qua sunt, esse in primis obseruanda: & prædictum monasterium Romanum est in possessione seruandi communem opinionem. Tum quia ipsemet Panor. tenet, quod hæc creationem debet facere cum consilio conuentus: & quando datur alicui potestas à lege limitando eam à principio, eam exercere debet cum illa limitatione, vt tenet ipsemet Panor. quem sequitur ibi Feli. in c. ex parte de constitu. num. 5. Tum quia Bart. communiter recep. tenet in l. 1. §. plures. num. 7. de exercito actio. quod non solum est requirendum consilium,

filium, sed etiam sequendum illud, quando est requirendum ab alio tamquam à collega, & à partecipe officij: vt in casu proposito lex. dat potestatem creandi prælato cum consilio conuentus, tamquã cum collega, & partecipe officij, qualis est in expediendis omnibus præcipuis secundum omnes. & cõsequenter etiam Panorm. tenetur confiteri creationem monachorum iure communi spectare ad prælatum, & conuentum, & quod non potest alter sine alterius consensu creare, saltem ad effectum obligandi monasterium ad illam retinendum, & alendum. Non obstat etiam
 14 constitutio quædam prædicti ordinis Minimorum, quæ videtur prædictam creationem concedere Vigili, Prouinciali, vel Generali. Tum quia est contraria iuri communi, intelligendo, quod soli præfati sine consensu & consilio conuentuum possint eligere: & non potuit collector capitulorum regulæ constituere aliquid contra ius commune, iuxta c. quod super his. de maior. & obed. Tum quia potest intelligi, & verificari in conuentibus alijs ab hoc Romano, ea ratione, quod hoc non subest vlli Prouinciali, vt in facto proponitur. Tum quia statuta etiam confirmata à Papa, & consuetudines etiam præscriptæ sunt intelligenda, vt sint conformia iuri cõmuni, vel quam minimè distent ab eo, c. cum dilectus. de consuetu. & prædicta constitutio potest recte ac planè intelligi; & seruari sine vlla violatione iuris communis, intelligendo, quod prædicti Vigil, Prouincialis, & Generalis possint interesse creationi monachorum cum correctore, & conuentu; hoc enim modo intellecta parum contrariatur iuri communi, vt palam est. Tum quia absurdum est, & ideo non dicendum. Iam quod absurdum. ff. de bonis libert. immo & indecorum ordini adeo Illustrissimo, vt soli Vigiles, vel soli Prouinciales forte iuuenes, & nõ adeo forte moribus, & prudentia probati, creent quos, & quot volent monachos in monasterijs refragantibus correctoribus; & conuentibus eorum, in quibus multi senes, & graues, & multi eruditi, sapientes, prudentes, & experti inueniuntur, qui longe melius nouerunt quid conueniat suis conuentibus augendis, honorandis, decorandis, & Deo, & populo placidiora faciendis.

AD SEXTAM respondetur, quod non potest Generalis solus recipere pro conuentualibus, & filijs huius monasterij alios monachos etiam eiusdem ordinis in alijs monasterijs professos, nolentibus correctore, & maiore parte conuentus huius monasterij, vt ex responsione ad quintam quæstionem colligitur; quia nec iure communi, nec speciali præfate constitutionis recte intellectæ id facere potest, vt ibidem dictum est.

AD SEPTIMAM colligitur responsio ex responsis ad duas præcedentes, scilicet, quod non potest Generalis amouere, nec transferre monachos Gallicæ nationis in alia monasteria sine iusta culpa, vel maxima causa contra voluntatē eorum, vel correctoris, & conuentus; & volenti id facere cõtradicere possent, & appellare, vt diximus supra in responso ad

quartam quæstionem.

AD OCTAVAM etiam colligitur responsio ex responsione ad quartam quæstionem.

DE PRÆSCRIPT.

S V M M A R I V M.

- 1 Beneficij onera in fundatione posita implenda sunt, nisi sint legitime sublata. nu. 7.
- 1 Peccatum tanto grauius, quanto diuturnius.
- 2 Causa à potentiori maior producitur effectus.
- 2 Lex beneficio in fundatione imposta, nisi recepta, non ligat.
- 2 Facta non præsumi, nisi probentur.
- 3 Consuetudinis longæque magna auctoritas.
- 4 Præscriptio longissima bonam fidem, & non titulum requirit.
- 5 Possessor in dubio præsumitur habere bonam fidem.
- 6 Titulus lapsu 30. vel 40. annorum etiam in valde præiudicialibus præsumitur.
- 6 Præscriptioni successoris nolentis vti possessione præcessoris mala illius fides non nocet.
- 7 Consuetudo iuri humano, & non diuino derogat.

C O N S I L I V M I.

ANno 1401. fuerunt erectæ duæ capellaniæ in cathedrali quadam, referuato iure præsentandi pro hæredibus fundatoris, qui hæredes postea anno 1487. donauerunt ius suum præsentandi quibusdam N. N. cum consensu Episcopi. bona, quæ fuerunt assignata pro donatione, fuerunt in quibusdam possessionibus, quarum vix tertiam partem istæ capellaniæ reperiuntur possidere. Fuerunt in fundatione appositæ multe conditiones, videlicet, quod præsentandus sit sacerdos, quod non habeat alium vicarium, quod personaliter cum vno clerico domi retinendo interfueriat noctu, & die diuinis officijs in cathedrali, quod quotidie duæ missæ celebrentur, & specialis commemoratio de fundatore, & cum pœna, si cessauerit, quod soluat certam pecuniam pro qualibet vice conuertendam in alias missas, & quod non possit super his impetrare dispensationem, nisi ab Episcopo, & de consensu patronorum. Nunc reperitur quod rector præsens istarum capellaniarum eas possidet iam fere per vigin

ginti annos, & numquam habuit notitiam istorum onerum; quoniam
 prouiso olim sibi facta fuit in curia per resignatione sui antecessoris, qui
 nihil istorum natrauit; vnde praesens rector fecit tantum celebrare vnam
 missam singulis diebus, prout antecessor suus faciebat. Reperitur etiam,
 quod per spatium sexaginta annorum, & vltra numquam aliquis rector
 adimpleuit dicta onera, quia fuerunt dispensati, aut aliter: de alijs autem
 ante sexaginta annos, quid fecerint, nescitur: quia non reperiuntur scri-
 pturae. Modo quaeritur, an ex quo praesens rector habet aliud curatum,
 quod non potest dimittere, & numquam impleuit alia onera, in foro con-
 scientiae teneatur ad satisfactionem, & qualem, & ad quid pro tempore
 futuro obligetur. Aduertatur autem, quod bona istarum capellaniarum,
 quae ad praesens possidentur, vix sunt pro tertia parte antiquae dotationis,
 immo quod non sunt de terris specificatis in dotatione, & nescitur, quo-
 modo, aut quo iure possideantur, & valor istorum bonorum, quae hodie
 possidentur, potest ascendere singulis annis ad summam scutorum cen-
 tum. Aduertatur etiam, quod patroni parati sunt consentire dispensa-
 tioni, & remittere onera omnia, quae non fuerunt seruata, tam praeterita,
 quam futura, in quantum de iure possunt.

Contra praesentem capellanum praefatum facit primo, quod statuta, &
 onera posita in fundatione beneficij sunt seruanda, c. Eleutherius. 1. 8. q. 2.
 c. cum dilectus. de consti. c. super eo. de iure par. cum eis adnot. Secundo,
 quod consuetudo non excusat peccantem: quia tanto grauius est pecca-
 tum, quanto diutius infelicem animam detinet alligatam, c. fin. de con-
 suet. Tertio, quod Concil. Trid. sess. 23. cap. 5. de reform. statuit, vt qua-
 litates, quas requirit beneficium, in beneficiario concurrant, & onera
 iniuncta in fundatione impleantur.

Pro consulente vero facit primo, quod lex posita à patrono in funda-
 tione beneficij non est firmior, quam lex posita à Papa in gubernatione
 Ecclesiae; quia à potentiori causa maior producitur effectus secundum
 philosophum, l. cū multa. C. de bon. quae lib. & l. pen. C. de donat. inter vir.
 at lex siue Papae, siue Regis à principio non recepta, nec seruata, non ligat
 in istis. §. leges. 4. dist. & ibi Doctores, & latius Felin. c. 1. de treu. & pac.
 ergo nec lex patroni posita in fundatione est seruanda, si non fuit à princi-
 pio recepta, & seruata, vt in nostro casu, cum non monstratur esse à prin-
 cipio seruata, nec praesumatur; quia facta non praesumuntur, nisi proben-
 tur, c. cum in iure. de officio deleg. & l. 1. C. de mand. princ. Secundo, quod
 consuetudinis longaeuae magna est auctoritas. l. 2. C. quae sit long. consue.
 & l. de quibus. ff. de legib. & in casu nostro videtur consulenti fauere con-
 suetudo viginti annorum, quae dicitur longa etiam inter absentes, toto ti-
 tulo de praescript. long. temp. decem vel viginti annorum. Tertio, quod
 non obstat dicere quod in bonis, & iuribus ecclesiasticis non currit praes-
 criptio decem vel viginti annorum, quia currit praescriptio 40. annorum,
 c. de

- c. de quarta, & ca. ad aures, & ca. illud autē. de præscrip. auth. quas actio-
 nes. C. de sacrosan. eccle. & quod licet consulens non possederit dictam
 capellaniam liberam à prædictis oneribus 40. annis per se, possedit ta-
 men per se, & per antecessores suos 60. & amplius annis, vt in facto præ-
 ponitur, & possessio prædecessoris accedit ad possessionē præsentis pos-
 sessoris, ita quod sufficit, vt ambæ coniunctæ conficiant tempus ad præ-
 scribendum legitimum. l. de accessionibus. cum leg. sequen. ff. de diuer. &
 temp. & in facto proponitur, quod à sexaginta annis capellania prædicta
 est possessa libera ab oneribus iniunctis in fundatione; ergo &c. Quarto
 non obstat dicere, quod consulens non nititur aliquo titulo liberationis
 4 ab oneribus prædictis. Tum quia licet in præscriptione longi temporis,
 id est decem, vel viginti annorum, requiratur titulus, iuxta l. si quis em-
 ptionis. in principio cum concord. C. de præscrip. 3. & vel 40. annorum. in
 præscriptione tamen longissima triginta, vel quadraginta annorum non
 requiritur vllus titulus per eandem legem. §. 1. & l. si quid in rem. & l. cum
 nouissimi. C. eodem. quæ omnium fere est vna sententia, vt colligitur ex
 citatis per Baldum in tract. de præscrip. in 4. par. Nec in hoc est vlla dif-
 ferentia inter ius canonicum & ciuile, inter præscriptionem cōtra eccle-
 siam, vel alium; sufficit enim tempus 40. annorum sine vlllo titulo cum bo-
 na fide, secundum Panor. in c. de quarta. colum. 4. de præscrip. communi-
 ter receptum, & late tradit Bald. vbi supra 2. par. 3. partis. Non obstat di-
 cere, quod iure canonico non prodest vlla præscriptio, etiam longissimi
 temporis, etiam 40. annorum cum mala fide, c. si. de præscrip. c. possessor.
 de reg. iur. lib. 6. cū annot. eis fere ab omnibus, & quod consulens videtur
 mala fide hanc libertatem possedisse, quippe qui successit malę fidei pos-
 sessoribus; primi enim possessores prædictę libertatis non poterant non
 esse malę fidei possessores; cum nota esset eis obligatio habendi qualita-
 tes, & subeundi onera prædicta. Non inquam hoc obstat. Tum quia non
 5 constat vllum præcessorem eius mala fide possedisse: & in dubio præsu-
 mitur bona fide possedisse secundum gloss. recep. in c. sanctorum, versu-
 culo, *sincere*, & in cap. si diligenti. verb. bona fide. de præscrip. Tum quia
 præsumi potest per possessionē. centū, & amplius annorum, & diminutio-
 nem bonorum à principio capellanix assignatorum aliqua compositio,
 vel diminutio qualitatis, & onerum, per quam primi possessores bona fi-
 de libertatem prædictam possidere potuerunt, arg. tex. iuncta gloss. sing.
 in c. peruenit. de empt. quę communiter recepta habet, solennitatem
 etiam extrinsecam præsumi per spatium triginta annorum. Tum quia
 6 ibi per illam tenet Imol. colum. 3. quod etiam per lapsum triginta, vel
 quadraginta annorum iuste præsumitur titulus, etiam quo ad ea, quę
 sunt magni præiudicij: quod multis confirmat prædictus Bald. 1. par. 3.
 partis, q. 10. num. 27. Tum quia mala fides præcessoris non nocet præscri-
 ptioni successoris nolentis vti accessione possessionis illius; sed tantum
 volentis

volentis incipere. l. cum post. C. de praescrip. long. temp. c. cura. cum glos. sing. verb. legitima. recepta. communiter ibi, & vbi que. de iure patron. At consulens non indiget accessione possessionis primi capellani, qui fuit ante annos 160.

- 7 Non obstant adducta in contrarium. Ad primum enim respondetur concedendo, qualitates, & onera in fundatione beneficij statuta esse seruanda, nisi legitime fuerint sublata, primo per compositionem, vel auctoritatem Episcopi, quæ iuste praesumi potest per tanti temporis lapsum iuxta superius citata: secundo etiam clarius, quod sunt sublata praescriptione legitima per praedicta. Ad secundum, concedendo, quod consuetudo contra diuinam dispositionem non excusat; quia eam non potest tollere; sed contra dispositionem humanam excusat, postea quam per obseruantiam contrariam legitimo tempore continuatam sublata fuerit per iura in argumento allegata cum annot. eis ab omnibus. Ad tertium, quod Conc. Trid. loquitur de oneribus, & qualitatibus beneficiorum non sublatis legitime, nos autem de legitime sublatis per praedicta. Salua, &c.

LIB. III.

DE PRAEBENDIS.

SUMMARIUM.

- 1 *An capitulum, in quod perueniunt omnes fructus canonicatus consistentes in distributionibus, & grossa, teneatur soluere pensionem alicui super eisdem renouatam.*
- 2 *Diuidere etsi non possit iudex canonicatum sine iusta causa, concordia tamen iudicialis est seruanda.*
- 3 *Optans secundum canonicatum liber est ab obligatione contracta per iudicialem concordiam initam occasione primi dimissi.*

CONSILIUM LXVIII.

Rogatus, ut perpenderem responsa duorum doctorum super his, & dicerem quid de illis sentirem, Respondeo primo, hæc dubia maiora esse, quam quæ pro eorum æquitate possem ego in praesentia ob occupationes varias resoluerè.

Secundo, quod ad resoluendum primum oportebat scire an hic canonicatus apud Sedem Apostolicam vacasset, an non, & aliqua alia.

1 Tertio, quod nisi praedicti doctores eruditissimi defendissent pensionem praedictam deberi à capitulo praedictas distributiones lucranti, forte de-

te decidissent contrarium. Tum quia pensio prædicta loan. videtur posita super grossa & distributionibus quærendis à canonicè pensioni consentiente, & non super quærendis à tertio. Tum quia capitulum non quærit distributiones interessentium, sed singuli de capitulo nunc plures, nunc pauciores pro numero interessentium, iuxta c. 1. de cler. non resid. lib. 6. Tum quia illi singuli non videntur eadem quærere illo iure vero accrescendi, de quo agitur in l. re coniuncti. de leg. 3. & ca. 1. de cler. non resid. lib. 6. habet quod distributiones tribuantur interessentibus. Tum quia nec capitulum vniuersum, nec singuli canonici tenerentur soluere pensionem constitutam alicui super fructibus, & distributionibus alicuius canonici, si ille possideret illos, & non inferuiret ei interessendo diuini; neque illo mortuo, vel non possidenti. argumento à simili, vel eadem ratione cap. dudum. 2. de elect. Sed quia prædictorum præcellentium doctorum auctoritas multum apud me valet, malo hæere, quam tumultuarie iudicare.

- 2 Quarto, quod iam consonum videtur id quod alter prædictorum dominorum ait, scilicet vicarium non potuisse canonicatum vacantem diuidere sine iusta causa per citata ab eodem. Sed arbitror compositionem illam auctoritate vicarij factam inter litigantes debuisse seruari inter eos sine vlla diuisione canonicatus, vel præbendæ, iuxta c. nisi. & e i adnota. de præbend.
- 3 Quinto, quod nisi verba instrumenti continentis compositionem prædictam aliud expriment, videtur præfatum Gabrielem, simul ac reliquit priorem canonicatum, & accepit optatum, liberatum fuisse ab obligatione contenta in prædicta compositione: quia illa restringebantur ad illud tempus, quo esset canonicus illius canonicatus, & per prædictam optionem definit esse talis, & quo ad illum habetur pro mortuo, iuxta §. ecce. 7. q. 1. & gloss. memorab. verb. morte, in cap. suscepta, de rescrip. lib. 6.

DE CONCESS. PRÆBEN.

S V M M A R I V M.

- 1 *Episcopus, licet perdat beneficia habita, non fit inhabilis ad alia habenda, præcipue titularis.*
- 1 *Cardinalis non est inhabilis ad beneficia saltem simplicia.*

CONSILIUM III.

Quæsitum est, an Episcopo consecrato possit conferri beneficium etiam simplex.

1. Respondeo, quod partem negatiuâ tenet Panor. in ca. ecclesia vestra. num. 2. de elect. eo quod per consecrationem perdit beneficia quæ habebat; ergo minus poterit in futurum habere. argum. c. quemadmodum. de iureiur. & Car. in c. ad supplicationem. de renunciat. num. 1. ait ei qui renunciauit episcopatum, non posse sine causa, & dispensatione conferri beneficium. Sed non videtur inueniri ius satis expressum, quo Episcopus præsertim titularis tantum fiat inhabilis ad habenda beneficia futura, etiam si debeat perdere præterita, argu. c. licet canon. & ca. commissa. de elect. lib. 6. & notatorum in c. de multa. de præben. & quod Cardinalis non est inhabilis ad beneficia saltem simplicia, vt tenet Panor. in d. cap. ecclesia vestra. num. 2.

DE REBUS ECCLESIAE *non alienand.*

S V M M A R I V M.

1. *Alienatio rei cathedralis facta ab Episcopo de consensu capituli valet.*
2. *Alienatio rei ecclesie facta ab Abbate etiã exëpto de consensu capituli, sine Papæ, vel alius superioris auctoritate, inualida.*
3. *Alienatio inualida ratificari potest per superiorem, vel eum in cuius ditione res alienata sita est.*

CONSILIUM X.

Abbas quidam cum suo conuentu exemptus à iurisdictione ordinaria Episcopi alienauit in casu à iure permisso quasdam res immobiles existentes extra Episcopatum, vbi erat Abbatia sita, sine vllius superioris auctoritate. Quæritur an valeat alienatio.

1. Pro parte affirmante facit, quod alienatio rei pertinentis ad ecclesiam cathedralem facta ab Episcopo cum consensu sui capituli valet, vt tradit Panor. recep. in cap. 1. de his quæ fiunt à præla. & probatur per ca. sine exceptione. 12. q. 2. At Abbas exemptus habet iurisdictionem quasi episco-

episcopalem, iuxta glo. singul. & recep. in clem. 1. verb. proprij. de rebus ecclē. non alienan.

- 2 Pro parte vero negante facit, quod Cardinalis in d. clem. 1. quæst. 34. & seq. tenet, quod licet in alienatione rei ecclesiasticæ faciendâ per Abbatem exemptum non requiratur auctoritas Episcopi, requiritur tamen auctoritas Papæ, aut prælati superioris, cui immediate subijcitur. & in q. 7. videtur requirere consensum Episcopi, cui res alienandâ subijcitur.
- 3 Resoluendo autem dico, multa super hac quæstione pro utraque parte posse adduci, sed consulendum esse præfato D. consulenti, ut procuret præfatam alienationem ratificari per superiorem immediate præfati Abbatis, qui facile id faciet, rogante & informante præfato Abbate, & conuentu, qui alienationem præfatam fecerunt: & quod etiam faciet eam ratificari per Episcopum, in cuius Episcopatu sunt sita præfata bona ad informationem prædictorum. arg. eorum, quæ determinantur in c. 1. de his quæ sũt à prælat. à Panor. & alijs, & à Card. in d. clem. 1. q. 35. & 37. de reb. eccl. non alienan. & ab alijs ibidē. & in c. nulli eod. titu. & in c. sine exceptione. 12. q. 2. poterit etiam impetrare D. consulens tuo nomine confirmationem à Sede Apostolica, quæ si fuerit in forma communi, parum proderit; si autem per commissiõnem cum causæ cognitione, non nihil tēdj & sumptus afferet.

S V M M A R I V M.

- 1 Conciliatio quatuor locorum operum Auctoris. & num 3.
- 1 Alienans rem ecclesiæ in casibus permissis, bullam Pauli II. non incurrit.
- 1 Iuramentum de non alienando res ecclesię quid operatur.
- 2 Papæ licentia requiritur in alienatione rei ecclesię vetita.
- 3 Ministrans, vel dans aliquid ei, quem credit peccaturum, an peccet.

C O N S I L I V M X I.

- 1 **A**D priorem quæstionem, qua quæritur concordia inter conclusionem positam in Manual. nostro cap. 27. num. 149. scilicet extrauag. Pauli II. excommunicantem ipso iure alienantem rem ecclesiæ, non includere alienantem rem ecclesiæ in casibus à iure permissis, & inter cõclusionem positam in comment. de alienat. rerum ecclesiæ super glossa summæ 12. q. 2. num. 17. scilicet, quod in alienatione rerum ecclesiæ est necessarius consensus, vel licentia Papæ, Respondetur primo, quod in præfato cap. 27. num. 149. loquitur de alienante rem ecclesię, quam non iurauit non alienare, saltem iussu superioris supremi, scilicet Papæ, fact.

facto ei in ipsamet collatione, quam ei fecit, vel mandauit fieri, ad hoc, vt cautius, & consultius illud gubernaret, modificando suam collationem, & addendo expresse, vel virtualiter decretum irritationis alienationis contrariæ: in prædicto autem commentario loquitur de alienante contra iuramentum prædicto modo factum.

2 Secundo, quod in præfato cap. 27. loquitur de alienante in casibus à iure perm. ffis: in dicto autem comment. de alienante in casu prohibito non solum à canone, sed etiam ab homine, & non solum simpliciter, sed exacto iuramento, & addito decreto irritante alienationem; & ita ille conclusiones ponuntur de diuersis alienantibus, quorum alter pluribus modis prohibetur alienare, quam alter: Per quæ responderi potest cap. vt super. de rebus eccl. non alien. & cap. 2. de feud. & ei annotatis, quatenus loquuntur de illo, qui iurauit non alienare, scilicet, quod non loquuntur de iurante iuramentum adeo qualificatum, ac est illud, de quo loquitur præfatus commentarius.

3 AD ALIAM QVÆSTIONEM respondeo, quod ego in locis allegatis in ea, scilicet in dicto Man. cap. 23. num. 90. & in cap. 20. num. 16. vbi cito cap. 17. num. 195. & 18. sentio differentiam inter eum, qui seruit, ministrat, dat, aut tradit aliquid ob aliquem finem bonum alicui, quem credit esse peccaturum, non consentiendo directe, vel indirecte, expresse, vel tacite in peccato, quod opinatur, vel credit illum commissurum, de quo loquitur cap. 23. num. 90. & inter eum, qui expresse, vel tacite, directe, vel indirecte id facit, de quo loquuntur alia loca supra citata, & alia multa, in quibus damnatur id quod per se vel directe, vel principaliter fit ob aliquod malum culpæ, & non id ex quo per accidens, & per quandam consequentiam, & minus principaliter sine vilo fine malo, nec voluntate auctoris euenit, per l. si quis nec causam. ff. de reb. cred. vbi Iason id confirmat 18. exemplis, & decisio. quæ tamen indigerent aliqua dolabra, vt satis conuenirent huic nostræ resolutioni, quæ altius restringit id quod dicitur in dicto cap. 23. num. 90. quo ad culpam peccati, de qua illud, & alia citata ibi loquuntur.

DE SOLVT.

S V M M A R I V M.

1 *Famulus, qui acceptis mille a b hero, illa permutando lucratur, an teneatur restituere.*

2 *Res*

- 1 *Res aliena sine iusto titulo retineri non potest.*
- 2 *Monetæ pretium est, quod à principe præstituitur.*
- 3 *Monetæ augmentum vel diminutio parum durans non attenditur.*
- 3 *Lex iustitiæ non plus cæteris parib. ligat in foro poli, quam foro fori.*
- 4 *Famulus, qui fideliter pecuniam heri pretio iusto impendit, satisfacit, nec tenetur auctarium restituere.*

CONSILIVM III.

Quæstio est cōfessarijs frequentissima, An qui œconomus, vel dispensator, vel quivis alius officarius alicuius magnatis, vel cuiusvis alterius accipit ab hero suo, vel eius nomine mille scuta auri in auro, quorum singulorum pretium à principe taxatum est vndecim iul. & dimidij, teneatur eorum acceptioni adjicere quatrinos, vel bologninos, quos aliquando, vel frequenter, & quasi semper potest habere à mercatore, cui custodienda illa mille commendat, vltra illos vndecim iulios cum dimidio, accipiendo illorum valorem in iulijs, & plus accipiendo in quatrinis, & an teneatur ad restitutionem illorum, si eos sibi accipiat.

1 Pro parte quidem affirmate facit primo, quod id, quod operatur propositū in proposito, operatur oppositū in opposito, l. et si contra tabulas. ff. de vulg. & cap. sciendum. 8. q. 1. At si diminueretur pretium illorū scutorum, teneretur officarius supplere illud in vtilitatem heri; ergo, si fuerit auctum, debet illud auctariū vertere in eiusdem heri seu domini vtilitatem. Secundo, quod nullo iusto titulo videtur posse illud auctariū sibi retinere; & res alienæ sine iusto titulo neq; queri, nec retineri possunt, cap. si res aliena. 14. q. 6. & cap. peccatum. de reg. iur. lib. 6. Tertio, quod scuta prædicta vere valent vndecim iulios cum dimidio; & illud auctarium secundum valorem currētem in foro mercatorum, & illa accipiunt nomine heri sui, ergo tenentur reddere rationem illorum secundum verum valorem.

2 Pro contraria vero parte negante facit primum, quod pretium verum, & constitutum à Principe singulorum scutorum est solum 11 iul. & dimidij, & non plus, vt in quæstione supponitur: & illud est verum pretium monetæ excussæ, quod à principe reipub. præstituitur: illius enim, vel habentis iura eius est cudere monetam, & ponere illi pretium. arg. cap. quanto. de iure iur. vbi hoc notat Panorm. communiter recep. num. 6. ergo prædicti officarij, impendentes pro hero tanti quanti valent scuta secundum institutionem Principis, satisfaciunt illi. Secundo, quod Bart. in l. Paulus. 1. §. 1. ff. de solut. nu. 9. ait quod augmentum, vel diminutio æstimationis monetæ, quæ modico tēpore durat, vel vno, duobus, vel pluribus diebus, vel quandoque, non est attendenda. arg. l. pretium. sub fin. ff. ad l. falc. cui concordat Panorm. communiter recep. in d. cap. quanto, sub

to. sub fin. Tertio, quod nemo iustitiæ lege tenetur in foro conscientie, nisi ad tantum, ad quantum potest cogi in foro exteriori, patefacta omnino veritate, arg. d. cap. si res aliena. & d. cap. peccatum. cum ei adnotat. at nemo potest cogi in foro exteriori dare, vel accipere pro scuto auri in auro maius pretium, quam 11. iulios cum dimidio, vt palam est; ergo nemo tenetur soluere plus in foro conscientie; & consequenter officarius, qui reddit illud pretium in rebus fideliter emptis, vel aliter, satis facit id, ad quod iustitiæ lege tenetur. Quarto, quod non obstat prædicta l. Paulus. quatenus habet creditorem non esse cogendum in aliam formam nummos accipere, si ex ea re damnum aliquod passurus sit. Tum quia l. illa intelligitur de illo creditore, qui dat pecuniam mutuo, vel in depositum pacto expresso, vel tacito, vt restituatur ei illa, vel alia pecunia æque bona, iuxta l. cum quid. ff. de reb. cred. Quæstio vero proposita est de creditore dante pecuniam ad impendendam in emendis rebus ipsi necessarijs, & non ad reddendum illammet, vel aliã pecuniam æque bonam; quo casu non est locus ipsi legi, vt ex Bart. & alijs colligitur in d. l. Paulus. & ex nostris in d. cap. quanto. Quinto, quod illud auctarium vt minus duorum, vel plurium quatrinatorum, est incertum, & passim variatur, immo est voluntarium; quia mercator nolens illud adijcere nulla lege iustitiæ possit cogi, satisfaceret enim reddendo similia scuta in auro, vel valorem illorum à Principe institutum, si repetens velit ea sibi reddi in argento, vel ære, siue mercator suscipiat illa mutuo, siue in deposito, per adducta in primo dicto: immo dici possit illicitum, nisi voluntarie solueretur, vt in primo dicto probatum est. Sexto, quod alioqui consequeretur, quod teneretur officarius aliquando reddere plusquam accepit, & aliquando minus quam accepit: si enim accipit 100. scuta die, qua scutum mercatorum non valet plus, quam à Principe est statutum, & postea diebus quibus minutatim illa accipit valeret pluris, teneretur restituere plusquam accepit, & contra, si die qua illa accipit multo pluris valeret scutum mercatorum, & diebus quibus minutatim acciperet nõ valeret pluris, teneretur ad restituendum minus, quam accepit: quæ plane sunt absurda. ergo, Sec. Per hæc videtur satisfactum oppositis, & pars hæc negans amplectenda esse.

DE DONATIONIBUS.

SUMMARIUM.

1 Donatio omnium fructuum Episcopatus à solo separatorum quid includat. nu. 3.

DDd

Bene-

- 1 *Beneficiarius in fructibus percipiendis usufructuario similis.*
- 2 *Fruetus usufructuarij nomine à solo separati illius sunt.*
- 2 *Fruetus decimandi causa à solo separati beneficiarius debentur.*
- 3 *Donatio omnium fructuum partem Ecclesie debitam non comprehendit.*
- 3 *Fruetus sunt, qui deductis expensis supersunt.*

CONSILIVM IX.

E piscopus Imolenfis iam iam moriturus 21. mensis Augusti donavit cuidam nepoti suo ex fratre presentis, & acceptanti omnes & singulos fructus collectos, & à solo separatos spectantes quomodolibet ad suum episcopatum. Quæritur qui fructus illius anni censentur donati.

- 1 Respondendum est donatos censeri omnes fructus illius anni pertinentes ad episcopatum, in quibus iam erat donatori ius quesitum actu die 21. Augusti, excepta parte, quæ tunc de illis debebatur ecclesie de iure vel consuetudine; & continentur non solum decimæ, & alij fructus, qui tunc erant collecti, & in horrea reconditi, sed etiam qui erant iam messi, & ab arboribus, vel terra separati, etiam si non dum essent triturati, & grana ex spicis excussa: quia mea opinione, cui me antehac subscripsi, beneficiarius in hoc casu exæquatur usufructuario, licet quo ad quædam alia differat ab eo, iuxta glos. cap. si propter. verbo primi anni. de elect. lib. 6. nam ad usufructuarium pertinent omnes fructus separati à solo suo nomine, iuxta. l. si eius. ff. de rei vendi. & secundum veriore[m] intellectum l. arboribus. §. Julianus. alias est l. si fur. ff. de usufructu. & l. si usufructuarius. ff. quibus modis ususfructus amitti. quamvis prædicta glos. videri possit requirere reconditionem in horrea: arbitror enim quod licet beneficiarius, ut plurimum non separet per se, nec per alios fructus, quos coloni colligunt, & ex quibus postea decimas solvunt, tamè ipsi coloni, qui ea mente messem vel vindemiã faciunt, ut ex eis decimas solvant, satis videntur nomine beneficiariorum, quo ad partem illis debitam metere, vindemiare, ac fructus colligere.
- 3 Non tamen censentur donati fructus etiam alij à decimis, qui nondum erant à solo separati; etiam si per ipsum Episcopum eius impensis, vel per eius colonos partiaros, aut pensionarios sata fuissent semina, ex quibus illi orti fuerunt: quamvis eo casu deducere possent impensas, quas Episcopus eorum serendorum gratia fecit: quia fructus dicuntur, qui residui sunt, impensis deductis. l. fructus. ff. solut. matri.

Nec etiam censetur donata pars illa fructuum, quæ iure, vel consuetudine debebatur ecclesie: quæ quota, vel quanta sit, arbitror iudicandum esse per consuetudinem, vel constitutiones synodales, vel eis deficientibus per cap. quatuor, & cap. reditibus. 12. q. 2.

DE SVCCES. AB INTEST.

S V M M A R I V M.

- 1 *Extravag. Iulij III. quod debita beneficiarj non solvantur de fructibus non exactis, subdura multis.*
- 2 *Redditio rei ad pristinam naturam favorabilis.*
- 2 *Extravagans Iulij III. quæ limitat alias eiusdem in terris, vbi collectoes poni non consueuerunt, favorabilis.*
- 3 *Lex exorbitans à iure communi restringenda.*
- 2 *Consuetum, vel solitum dicitur, quod saltem bis est factum.*

CONSILIVM IIII.

Beneficiarius quidam in terris, vbi tantum semel collector Apostolicus positus fuit, obiens mortem, reliquit multa debita, & multos fructus sui beneficij inexactos. Quæritur an ex eis possit creditoribus satisfieri.

- 1 Extravagans fe. re. Iulij III. publicata anno 1550. mense Iunio per dura visa fuit multis iam inde à principio promulgationis eius, vt dixi in tractatu de re dit. q. 2. mon. 26. num. 4. ita quod arbitror non fuisse receptam in Gallijs, nec etiam in Hispanijs, & minus extensionem eius, quam publicavit anno 1550. mense Augusto, qua statuit ne soluerentur debita beneficiarj contracta, neque legata pia tempore infirmitatis facta ex re ditibus nondum exactis.
- 2 Ex hoc sequitur constitutionem, quæ illas tolleret, vel limitaret, dignam fore favore, quia per eam fieret reuersio rei saltem ex parte ad suam pristinam naturam, quod est favorabile, cap. ab exordio. 35. diff. l. si vnus. §. pactus ne peteret. ff. de pactis. & consequenter tertiam præfati Iulij extravagantem publicatam anno 1551. mense Iunio, quæ limitat illas ne habeant locum in terris vbi non consueuerunt à sancta Sede Apostolica poni collectores, videtur esse favorabiliter interpretandam.
- 3 Quo fit vt videatur resoluendum quod in casu præfati non habeant locum præfate duæ constitutiones. Tum quia tamquam exorbitantes à iure communi debent restringi. reg. quæ à iure. lib. 6. Tum quia per hoc res in sua pristina natura conseruatur, quod est favore dignum, vt prædictum est. Tum quia non fuit in loco præfato nisi semel positus collector: & ita non potest dici quod ibi consueuerunt poni collectores: quia ad hoc vt

aliquid dicatur consuetum, est necessarium quod saltem bis sit factum, secundum omnes per l. 3. C. de episcop. audien. immo etiam ad hoc ut dicatur solitum, ut efficaciter probat Philipp. Decius in rubr. de consuet. contra Bart. in l. item mala. ff. de alim. & cib. & leg. Tū quia verba præfata tertiæ extrauagantis concipiuntur in numero plurali ibi, *In quibus collectores præfati deputari, seu esse non consueuerant.* & pluralis locutio saltem duo requirit, cap. pluralis. de reg. iur. lib. 6. cum concordant. Tum denique quod licet vnus actus sortitus effectum, habens causam successiuam, multo tempore cōtinuatus faciat dici rem consuetam, iuxta textum singularem in cap. cum de beneficio. de præbend. lib. 6. constitutio tamen collectoris, de qua in casu proposito, non fuit sortita effectum, neque continuata, ut in facto proponitur. &c.

D E S E P V L T V R I S.

S V M M A R I V M.

- 1 Gabellæ ut debite sint, sciendum à quo, & quo modo posite sint.
- 2 Cadauer ut licite transferatur, consilium.
- 3 Pœnam in casu ignoto incursum aliena negotia agens soluere non tenetur.

C O N S I L I V M VII.

Quoniam cadauer, habita licentia, ut solet, superiorum, Roma Mediolanum sine pompa transferendum est; quæritur an si sub specie mercium deferatur, & gabellæ vel in statu Ecclesiæ, vel etiam extra eiusdem statum defraudentur, peccatum sit, & præterea maneat obligatio ad restitutionem, non obstantibus aut immemorata consuetudine, aut forte alicubi statutis de solutione in transuactione cadauerum.

An peccet is, qui quoquo modo procurat, aut cooperatur in cadauere clam transfuehendo, sciens certo fore, ut vector defraudet gabellas, acceptis solum 40. aureis; cum alicubi, si non merces, sed cadauer deportari intelligeretur, vix centum aureis satisfaceret, licet in scriptis Romæ concessa licentia transferendi ostenderetur. Vtram peccet, & restituere teneatur curator, vel exequutor testamentarius, eo quod dedit 40. aureos ad cadauer clam deferendum, & præterea arcam ad fallendum aptissimam coemerit, qua ossa ad patrium tumulum deportentur. Quid demum fieri

fieri possit commode, & tuta conscientia, sine solutione gabellarum, aut portuum, cum non videatur cadauer subijci his solutionibus.

1 Nō miror, quod vir vndequaue doctissimus dignetur super ijs quæstionibus interrogare hominem vulgare, & à sua eruditione longe alienū arbitratus fieri, vt quandoque abscondantur sapientibus, quæ reuelantur paruulis. Quod hac in re non contigit; cum, vt in ceteris, ita in ea nihil certi habeam, quod respondeā, præterquam quod didicerim à Iuriconsulto esse inciuile iudicare de lege, nisi tota ea perspecta: & quod non proponuntur videnda statuta terrarū, per quas præfatum corpus est trāsferendum, & an sint papalia, an Ordinarium, & an approbata à Papa, vel simplicia, & an contineant excommunicationem ipso iure latam, & an superiores, quorum licentia deferendum est, possint ea tollere, & an substulerint.

Secundo, quod in iure Pontificio nihil habemus super huiusmodi quæstionibus, præter extrauagantem primam de sepulturis inter communes; quæ tamen de sola exenteratione, & non de translatione cadaueris loquitur: neque glossa eruditiss. Ioannis Monachi quiddam huc pertinens habet.

2° Tertio, quod cum simus Romæ, & Sanctissimus Dominus Noster facile possit consuli, & peti ab eius Sanctitate, vt vel solo verbo, & secreto deroget omnibus statutis, si qua sunt, quæ hanc translationem impedire possint, petendum est ab ea. Quo habito, certum est præfatum cadauer posse transferri licite coram Deo, & cōsequenter coram ipso quo ad forum interius cessaturum omne peccatum transferentium, consulentū, & iuuantium.

3 Quarto, si præfato remedio petito, ij, quibus est onus transferendi illud, aliquo casu probabiliter ignorato, & non præuiso, inciderint in aliquas penas, non cogentur de suo soluere illas tamquam qui prudenter negotia ipsius egerunt, licet casu, qui prudentiam mediocrem excesserit, improuiso non cesserit eis res ex sententia, quæ apud prudentes erat probabilis per multa, quæ in hoc adduci possunt. Salua, &c.

DE REGVLARIBVS.

S V M M A R I V M.

- 1 *Matrimonia clandestina ante Concilium Triden. valebant.*
- 1 *Matrimonium ratum non consummatum professio religionis soluit.*
- 2 *Professio ante nouitiatum, seu metu facta, est nulla.*

- 2 *Professionem non facit veli assumptio, etiam post annum nouitiatus.*
- 3 *Annus nouitiatus ab ultimo ingressu continuus requiritur.*
- 4 *Metu reuerentiali facta professio est nulla.*
- 4 *Metus minor iusto, si est causa actus, in foro poli excusat.*
- 5 *Penitenti pro se, & contra se creditur.*
- 6 *Scandalum vt vitetur, dissimulandum cum ijs, qui in matrimonio putatiuo bona fide viuunt.*

CONSILIUM LXXXIV.

Contraxerunt duo ante Concilium Tridenti. matrimonium de præfenti clandestine, ante quod consummatum femina qui fuit timore intrauit monasterium, vbi intra triduum habitum sumpsit, & professionem fecit: & post sex menses, mortuo auo, reliquit habitum, & persuasione suæ matris resumpsit illum, & in finem anni accepit velum, nulla professione noue facta: & post sex menses casu exiuit cum Abbatissa e monasterio, & confugit ad suum sponsum, & consummatum matrimonium: & coram Iudice litis iurauerunt falso se consummasse matrimonium ante religionis ingressum: & manserunt sine scrupulo in eo decem & septem annos, & habuerunt filios. Quæritur quid iuris quo ad forum conscientia.

- 1 Respondeo primura, certum esse, quod matrimonium valuit, cap. 1. de sponsa. duorum. & cap. 1. de reformat. matrim. sess. 24. Concil. Trid.
Secundo; certum esse item, quod matrimonium illud fuit dissolutum per professionem præfatam, si fuisset valida. cap. commissum. de sponsalib. quia matrimonium ratum non cõsummatum soluitur per professionem legitimam regularem, cap. ex publico. de conuersi. coniug.
- 2 Tertio, quod professio illa prima non valuit; quia professio ante finem anni nouitiatus facta non valet cap. 15. de regular. sess. 25. & quia metu & terrore aui facta fuit talis, non valet, cap. 1. de his quæ vi. Quarto; quod illa veli assumptio non habuit vim professionis valida. Tum quia nulla professio tunc facta fuit; & quæ prius facta fuerat palam fuit nulla; & fundamento nullo existente, vel omnino conueniente, corruit etiam
- 3 fundatum, cap. cum Paulus. 1. q. 1. Tum quia annus nouitiatus debet esse continuus, secundum communem sententiam per cap. 1. de regula. lib. 6. quod late tenet Lopus Abb. in allega. 47. quem refert Francus in cap. 1. de regula. lib. 6. in princip. referens alios ei concordantes in d. cap. 1. & ita non potuit in fine præfati anni fieri professio; quia computandus erat annus incipiendo illum à secunda receptione habitus. Tum quia receptio illa secunda videtur fuisse facta ob metum reuerentialem matris; eo quod fuit facta persuasione ipsius, vt narratur in casu: & quod verisimile est matrem allegasse illi voluntatem illam terribilem aui, quæ nullatenus

nullatenus voluit restituere illam marito suo, etiam post excommunicationem, & anathematizationē; immo detrusit eam in monasterio: & est etiam verisimile, quod proposuit ei futuras sibi multas molestias, & ex eo quod ante annum finitum post secundam receptionem confugit ad maritum, opportunitate oblata: & ex eo quod verisimile est confugituram fuisse, si antea se obtulisset opportunitas; & ex eo quod statim vt confugit consummauit matrimonium. & constat professionem factam ob metum reuerentialem parentum non valere, vt tenet gloss. cap. præsens. 2. q. 3. quam etiam post alios nos secuti fuimus in manu. confessar. cap. 22. nu. 51. post Hadrianum, & alios. Item addidimus in d. man. cap. 17. nu. 5. & 30. quod omnis metus, etiam minor iusto, excusat in foro conscientie tantum, quantum iustus, si metus ille fuit causa saltem sine qua non, si absq; illo non fuisset factus actus. & questio proposita tangit forum conscientie tantum, ergo quo ad illum forum iudicandus est actus irritus per metum reuerentialem.

Quinto, quod partibus tam pro se, quam contra se creditur quo ad forum conscientie secundum omnes, & quod questioni huius decisio petitur quo ad forum conscientie tantum, & partes adeo putant matrimonium præfatum esse validum, & professionem, quæ consecuta est illud, adeo nullam, quod decem & septem annos perseverauerunt in illo, suscipiendo liberos sine scrupulo conscientie.

Sexto, quod tractata lite in foro exteriori, iudicati fuerunt veri coniuges, & non fuerunt iudicandi tales ob id solum, quod iurauerunt se consummasse matrimonium ante professionem solennem, quæ est quoddam matrimonium spirituale in foro interiori. argumento eorum quæ habentur in cap. super eo. de eo qui cogno. consang. & quod Panor. notat in cap. iuravit. de probat. ab alijs receptus. Ergo præsumendum est Iudicem, qui iudicauit eos esse veros coniuges, inuenisse per processum quem fecit, professionem præfatum per veli susceptionem non fuisse firmatam, & ambas fuisse ipso iure nullas aliqua ratione supradictarum.

Septimo, quod dissimulari posset cum his, qui bona fide putant legitimum esse inter se matrimonium, si ex separatione graue timeretur scandalum, per tex. in cap. quia circa. de consang. & affin. & intellectum pulchrum eius Goffredi, quem rationibus irrefragabilibus defendimus in cap. si quis autem. de pœnit. dist. 7. à nu. 67. vsque ad 75. contra Hostien. qui recessit ab eo, & per errorem secuti fuerunt illi, quos nos in d. cap. si quis autem. referimus.

Octauo, quod per prædicta potest responderi prædictis oratoribus, vt remaneant in sua bona fide, in qua per tot annos remanserunt. Immo etiam potest declarari matrimonium valere quo ad forum conscientie tantum, sicut iam pridem declaratum fuit in foro exteriori. Salua, &c.

S Y M M A R I U M.

- 1 *Habitu religionis ad aliud monasterium iusta de causa translatus portare tenetur, non tamen eiectus.*
- 2 *Regularis destructo monasterio nec sponte, nec de licentia superioris, habitum dimittere potest.*
- 2 *Habitu propriae religionis sine causa dimittens est excommunicatus. & num. 3.*
- 4 *Regularis habitum alterius religionis deferens, si non potest in suo monasterio morari, potest non peccare.*
- 5 *Habitu religionis qui intendit non portare, à Papa licentiam petat.*

CONSILIVM LXXXV.

Volens Pontifex, ut monasterium Sanctæ Mariæ desolatam per moniales inhabitaretur, ad illud transtulit Abbatissam cum D. C. & nonnullis alijs monialibus cum potestate accipiendi novitias: sed intra biennium omnibus alijs ob aeris intemperiem mortuis, dicta C. ad mortem ægrota, recepta à primo monasterio parte suæ dotis, ad propinquos se recepit, & recuperata sanitate, iussu ordinarij tamquam gubernatrix accessit ad duo alia monasteria, quibus destructis, cum ad primum omnino derelictum, & pestilens redire non auderet, petijt se in primo recipi, & reiecta à Vicario urbis hoc ore tenus accepit responsum, ut staret extra eo meliori modo, quo posset; unde ipsa ad evitandum scandalum, à se ipsa dimisso habitu proprii ordinis, accepit habitum religiosum in genere. Dubitatum fuit, an esset tuta in conscientia.

- 1 Pro parte affirmante facit, quod eiectus ab ordine non videtur teneri ad deferendum illum. Pro parte vero negante facit, quod alia ratio videtur de eiecto, qui non habet ius petendi, ut recipiatur in monasterium; alia de exeunte cum licentia, & habente ius petendi, ut recipiatur: & præfata consulens non est eiecta, sed honesta de causa, & de iusta superioris licentia in alium locum ac pium opus missa.

Considerandum videtur quod in casu proposito quo ad gestationem habitus parum videtur referre, an præfata consulens sit obedientiaria monasterij Sancti Ambrosij Ord. Sancti Benedicti, vel aliorum monasteriorum eiusdem ordinis, cum idem sit omnium habitus.

Secundo, quod præfatus Dominus consulens erudite allegat omnia substantialia, quæ pro præfata Domina allegari posse videntur merito licet pro sua modestia noluit asserere omnino partem quam fulsit esse veram.

2 ram . Tum quia regula generalis habet religiosum habitum suum relinquentem esse ipso iure excommunicatum , cap. 2. ne cler. vel monach. lib. 6. Tum quia licet eiectus ab ordine non teneatur deferre habitum illius , immo iuste non possit , non tamen vllibi reperio scriptum quod destructo monasterio , vel nolente monachum suum recipere , ipse possit suū habitum relinquere auctoritate propria , neque (vt puto) auctoritate superioris sui , inferioris tamen Papa .

3 Tertio , quod non videtur excusanda saltem in foro exteriori à gestatione habitus Ordinis Sancti Benedicti , eo quod deferat alium , per quem significatur quod sit religiosa : quia religiosus tenetur deferre specialem habitum suæ religionis , & patentem , nisi iusta quæpiam causa eum excuset per ea , quæ D. consultor citat .

4 Quarto quod dubitari possit , an iusta causa id faciendi constari possit , partim eo quod noluerit recipere illam præfatum monasterium D. Ambrosij , partim quod Illustriss. Vicarius super hoc ei non prouidit , partim quod tanto tempore ita incessit , partim quod nullum ex hoc generatur scandalum , & ex contrario aliquod nasceretur : & quidem certum est ex his constari iustam causam dispensandi , & forte etiam quo ad hoc vt ipsa non peccet , saltem mortifere , bona fide gestando illum per illud Innoc. in cap. per tuas 2. de simon. quod transgrediens ius humanum bona fide per errorem eius non bene intellecti non peccat mortifere ; quod commendauit Bald. in l. ab eo . C. quomodo , & quando iud. & Felin. in cap. 1. fall. 7. de re iudic. quibus soleo addere D. Thomam , & expressus Caietan. in 2. 2. q. 47. art. 3. vt est videre in Manual. confess. præhud. 9. num. 8. & melius cap. 23. num. 42.

5 Quinto , quod cum ipsa degat Romæ , vbi est præsentia Summi Christi Vicarij , deberet ad plenam sui animi tranquillitatem impetrare à Papa vel verbalem dispensationem , quam S. Sanctitas facile concederet . &c.

D E C E N S I B V S .

S V M M A R I V M .

- 1 Censuræ cum pacto , vt sit liber ab omni onere , &c. an iustus . num. 2 .
- 1 Pacta , quæ censuram venditorem plus obligant , quam obligaretur , vetita .
- 2 Censuræ venditio sub obligatione cameræ non valet remissive .
- 3 Delictum in dubio non præsumitur .
- 4 Mandatum generale ad illicita non debet extendi .

CONSILIVM XIII.

AN census constitutus super aliquo prædio certo, & finibus recte designato cum conditione, vt solvatur liber ab omni onere, impositione, gabella, & vectigali, sit contra formam extrauag. Pij V.

- 1 Respondeo primo, quod si contrahentes intellexerunt de libertate ab onere solvendi impositionem, & gabellas, seu vectigalia, quæ iure communi deberent adimpleri, est contra formam extrauagantis Pij V. Tum quia per prædictam extrauag. vetantur pacta, per quæ venditor census obligatur ad aliquid, ad quod iure communi non tenetur, præterquam ad solutionem census: & per prædictam constitutionem obligatur venditor ad soluendam impositionem, gabellas, & vectigalia; quæ soluere deberet emptor. Tum quia venditio census cum obligatione ad soluendum illum in forma Cameræ non valet, vt tradimus nos in comm. de vltis. q. 21. super prædictam extrauag. num. 116.

Secundo, quod si contrahentes intellexerunt de libertate in soluendis oneribus, quæ deberet venditor census propter prædium, super quo vendebat illum, vel ob aliquid aliud, non est contra formam, neque mentem extrauagantis prædictæ: quia per illud pactum non obligatur ipse ad aliud, quam ad id, ad quod iure tenetur.

- 3 Tertio, quod in dubio videtur præsumendum eos intellexisse secundo modo: quia in dubio non est præsumendum delictum, cap. 1. de regul. iur. & l. merito. ff. pro socio. Tum quia mandatum generale ad aliquid faciendum est intelligendum de eo, quod potest fieri licite, & non est extendendum ad id quod potest illicite fieri, l. si procurator. ff. de cond. indeb. cap. 1. de iure iur. lib. 6. cum similib.

DE CELEBRATIONE

Missarum.

S V M M A R I V M.

- 1 Missam audire an teneatur, qui nisi ritu Græcorum eam audire nequit.
2 Breuiarium antiquum habens an nouo Romano vti possit.

CONSILIVM XIX.

AN Italus habitans in terris Græcorum in die festi missam ritu Græcorum audire possit? an vero excusetur à præcepto Ecclesiæ audiendi sacramentum,

erum, quando ritu tantum Græcorum audire potest?

An breuiarium priuatum ante 200. annos habens, Romano breuiario horas recitare valeat?

AD QVÆSTIONEM primam respondeo primo, illam esse maximam, & dignam Sophocleo cothurno, quali non licet in presentia mihi vacare. Secundo, quod responsurus ad illam informandus esset prius de modo celebrandi missas illarum terrarum, an sit contrarius ritui Catholicorum necessario iure diuino in eis celebrandis seruando, an non licet sit contrarius in aliquo iuri canonico consuetudine antiqua abrogabili: nam si priore modo esset contrarius, non liceret catholico eam audire, quia iure diuino eius auditio videretur prohibita, sicut & ipsa celebratio, cum esset consensus in peccatum iure diuino prohibitum, & ita damnabile iuxta illud Pauli ad Roma. 1. & cap. 1. de officio deleg. cum ei similia. si autem posteriore modo esset contrarius, cessaret hæc excusatio, cum sine peccato posset audiri; quia Græci non obligantur in terris suis celebrare secundum modum catholicorum abrogabilem, si iam est abrogatus, argum. cap. fin. de consuet. Informandus etiam esset de consuetudine, quam obseruant, vel obseruauerunt præfati catholici circa eam audiendam; quoniam si esset legitime præscripta, posset excusare ab audienda illa, quia præceptum de audienda illa festis diebus humanum est, ut colligitur ex c. missas. de cõsecrat. d. 1. & alijs multis locis. Informandus esset etiam de aliquibus alijs, de quibus nulla informatio datur; & ita nulla responsio certa reddi potest.

AD SECVNDAM quæstionem respondetur, videri eam duplicem sensum habere. Alter est, An clerico habenti aliquod breuiarium priuatum ante ducentos annos scriptum, liceat uti nouo Romano. Ad quam in hoc sensu acceptam respondendum videtur affirmatiue; quia breuiarium illud priuatum, siue auctoritate priuata scriptum non excipitur à generali præcepto dicendi horas iuxta formulam huius noui Romani. Alter sensus est, An liceat clerico habenti breuiarium publicum auctoritate publica Episcopi, vel alia legitima compositum ante ducentos annos, priusquam institueretur hoc nouum Romanum, per cuius formam obligatur dicere horas, possit dicere illas secundum formam huius noui. Et ad hanc quæstionem in hunc sensum acceptam respondendum videtur negatiue, quod non, nisi de communi consensu Episcopi, & Capituli susciperetur pro breuiario, per cuius formulam omnes recitarent, argu. à contrario sensu præfatæ bullæ, quæ habet, quod obligatus ad pronunciandas horas secundum formulam breuiarij ante præfatos ducentos annos compositi possit relinquere illam, & dicere secundum hanc nouam, consentiente prælato, & maiori parte prædicti capituli, vel conuentus, significans à contrario sensu, quod non potest id facere suo solo consensu priuato: quod argumentum à contrario sensu est firmum in iure. l. 1. ff. de officio eius cui mand. & cap. à notis. 2. de sententia excommunicationis. &c.

• LIB. III.

QUI FILII SINT LEGIT.

S V M M A R I V M.

- 1 Legitimitas Imperatoris ad spiritualia non extenditur.
- 2 Legitimus à Nuncio ad quæcumque beneficia, non est ad regularia.
- 2 Verbum diversas qualitates denotans in literis beneficalibus intelligitur de qualitate impetranti congruente.
- 3 Religio habilitat illegitimum ad ordines, non ad dignitates.
- 4 Papa scienter conferendo inhabili beneficium secum dispensare videtur, alij non item.
- 5 Mandatum ne illegitimi dispensentur, dispensatos non comprehendit.
- 5 Forma data testamentis faciendis non comprehendit iam facta.
- 6 Acta præterita, licet à futuro euentu pendeant, per nouam dispositionem non tolluntur.

C O N S I L I V M II.

Regularis quidam, cum laicus esset, ab Imperatore fuit legitimatus, & ab Apostolico Nuncio ad ordines sacros, & quæcūque beneficia ecclesiastica fuit dispensatus; postea religionem approbatam ingressus, & professus est, & beneficia, & dignitates ordinis est adeptus. Quæritur primo, an tuta conscientia illa retinere valeat virtute talis dispensationis.

- 1 AD PRIMAM QVAESTIONEM respondeo primo, legitimationem Imperatoris nihil profuisse prædicto consulenti religioso quo ad habendum dignitates ecclesiasticas regulares, immo neque seculares: quia nec Imperator, nec Rex possunt legitimare, nec habilitare quemquam ad spiritualia beneficia, & dignitates, &c. cap. lege. 10. dist. vbi expresse gloss. recepta ab Archidiacono, & vtroque Cardinali ibi, & ab omnibus in cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi. Secundo, quod dispensatio facta à Nuncio non monstratur; & ideo non potest satis certo responderi, an illa dispensatio extenderetur ad prædictas dignitates, & administrationes regulares, nec ne, arg. l. inciui. ff. de legib. sed verisimilius videtur, quod non prodest ei quo ad beneficia, dignitates, & administrationes regulares, arg. cap. cum de beneficio. sub. finem, de pben.

bend. lib. 6. ex quo Dominicus, & Francus in ultimo notat. colligunt, quod verbum qualificatiuum additum in literis beneficialibus, quod potest denotare qualitates diuersas, intelligitur de qualitate cōgruente personæ impetranti: & quia consulens adhuc erat laicus sēcularis, quando obtinuit dispensationem à Nuncio ad beneficia, videtur illa intelligenda de beneficijs sēcularibus, & non de regularibus. Tertio, quod ex his sequitur, eum indigere alia dispensatione maiori, qua possit habere beneficia regularia, vel dignitates, & administrationes regulares. Nec obstat quod defectus natalium, & irregularitas ex eo procedens tollatur per professionem legitimam in religione factam, per cap. 1. de fil. presbyt. quia id intelligitur, vt in eodem cap. exprimitur, quo ad ordines sacros, non tamen quo ad dignitates, & praelationes.

SECUNDA QUÆSTIONE quæritur, cum religiosi facultatem, seu priuilegium habeant, vt possint cum illegitimis ad beneficia, & officia ordinis obtinenda dispensare, an saltem eligendo, conferendo, seu prouidendo censeantur dispensare.

4 Respondeo primo, quod praelati prædicti consulentis non potuerunt eum admittere ad praelationes, & dignitates sui ordinis, nisi praua dispensatione, etiam si prædicti praelati habuissent potestatem dispensandi, & sciuissent eius defectum: quia licet Max. Pont. conferendo aliquam dignitatem ei, quem nouit esse inhabilem ad eam, videatur dispensare tacite conferendo eam ei, inferior tamen habens potestatem dispensandi non videtur ob hoc dispensare, nisi expresse dispenseset, iuxta duo dicta sing. Innoc. quorum alterum posuit in cap. veniens. de fil. presbyt. & alterum in cap. diuersis fallacijs. de cleric. coniug. quæ in specie contraria secundum hanc distinctionem conciliantur à Panor. in prædictis locis, quem etiam post alios nos sequimur in Man. cap. 25. num. 74.

Secundo respondeo prædictum consulentem esse satis, superque dispensatum, & habilem factum ad omnes dignitates, & præfecturas sui ordinis: quia dispensatus, & habilis factus fuit non solum à prædictis Imperatore, & Nuncio, sed etiam à Commissario generali sui ordinis, & postea iterum à Ministro generali: de quibus fidem faciunt quædam literæ, quas vidi, vbi propter iustissimas causas fuit sibi dispensatus, quæ satis superque sufficiebant ad habilem eum faciendum etiam ad episcopatum, & archiepiscopatum; quas omnes, & singulas, præsertim tertiam (non enim vidi alias duas relatas) esse sufficientes, & legitimas, ex eo palam est, quod factæ sunt virtute potestatis eis à Sede Apostolica factæ, vt patet ex quadam bulla in prædicta tertia dispensatione, quam vidi, relata, in qua expresse dicitur, quod Generalis, & Prouincialis, & aliquot alij Prælati possint dispensare cum irregularibus sui ordinis, exceptis paucis, & cum omnibus defectum natalium patientibus, postquam fuerint ordinem prædictum professi, vt possint eligi, & assumi ad quæcumque officia, & ad-

ministratio-

ministraciones, &c. Generali, & Prouincialibus, &c. & actus factus à potente, & volente, validus est. cap. cum causa. de offic. deleg. cum simi lib.

TERTIA QVÆSTIÒ, si Papa motu proprio, & viuæ vocis oraculo mandet Generali ordinis ne admittat illegitimos ad dignitates, an per huiusmodi decretum dispensatio antea obtenta sit reuocata.

- 5 Respondeo primo, facile videri posse cuiuspiam, quod huiusmodi viuæ vocis oraculum factum Reuerendissimo Generali, nec breue idem continens directum toti ordini, præiudicat prædicto consulenti. Tum quia lex non trahitur ad præterita, cap. fin. de constit. & l. leges. C. de legib. Tum quia cap. statuius. de maior. quod disponit, quod canonicus maior in ordine præferatur minori, non præiudicat antea receptis, qui iam quæsierunt præcedentiam, iuxta cap. 1. eod. tit. Tum quia forma data testamentis faciendis non comprehendit testamenta iam facta, etiam si testatores eorum viuant, & nondum sint sortita effectum, l. iubemus. C. de testam. cum ei annot. & eadem ratione habilitatio illegitimi ad dignitatē iam facta, licet nondum sit sortita effectum, non videtur tolli propter statutum, & minus propter mandatum de non admittendis illegitimis
- 6 ad dignitates. Tum quod videtur casus in specie in cap. ex tua. de fil. presbyt. quatenus probat, quod literæ Apostolica præcipientes, vt filijs presbyterorum tollantur ecclesiæ, quas patres eorum immediate tenuerunt, non præiudicant filijs presbyterorum, qui dispensatione Apostolica facti habiles tenent eas. Tum ob alia multa, per quæ concluditur, quod præterita perfecte acta non tolluntur per dispositionem sequentem, etiam si effectus eorum pendeat à futuro euentu, vt Panor. Imol. Felin. & omnes concludunt in d. cap. fin. & colligitur ex Bart. & alijs in l. omnes populi. q. 5. de iustitia, & iure. Secundo respondeo, quod quia tenor prædicti oraculi viuæ vocis facti, vel breuis idem continens, potest esse varius, & talis, quod præiudicaret prædicto consulenti, & talis quod nõ præiudicaret illi, non possum ipse respondere quidquam certum, nisi monstretur illud, vel eius copia, quod nõ sit in quæstione proposita. Salua, &c.

L I B. V.

D E S I M O N I A.

S V M M A R I V M.

- 1 *Confidentia sine pacto explicito vel implicito non contrahitur.*
- 2 *Promissio longe post habitam possessionem facta, opus charitatis, non confidentia, iudicanda est.*

3 *Accusa-*

- 3 *Accusatio de bono opere est iniqua.*
- 4 *Confidentia dicto vnus non probatur.*
- 4 *Dictum in iudicio & cum iuramento attenditur, non extra illud, & sine iuramento.*
- 4 *Fama seu infamia à maleuolis orta nocere nemini debet.*
- 5 *Confidentiarum constitutiones opera non prohibent charitatis.*
- 5 *Confidentiarum censetur retrocessio beneficij intra breue tempus secuta, & non alias.*
- 6 *Confidentia censetur retrocessio ex promissione resignandi beneficium secuta, & non ex promissione dandi fructus.*
- 6 *Simonia, non confidentia committitur dando seu promittendo fructus.*
- 7 *Dispositio censetur bona, ubi in bonam vel malam partem intelligi potest.*

CONSILIVM LXVI.

R. Domine, F. resignauit parochialem ecclesiam in manibus Sanctissimi ad fauorem P. cum ea pensione, quæ Sanctissimo videretur, quæ fuit ei reseruata centum ducatorum tantum, & fuerunt bullæ expeditæ, & capta per d. P. possessio. Deinde d. F. qui sperabat quod maior pensio fuisset ei reseruata, cepit contristari, & tentauit varijs modis quod dicta pensio 100. ducatorum extingueretur per d. P. pro 1500. ducat. Dictus P. noluit d. F. complacere, nisi ea quæ fierent fuissent licita & honesta, & cum licentia Sedis Apostolicæ. Et hinc intrauit in tam magnam iracundiam, quod cepit publicare, quod in dictis tractatibus super resignatione interuenerunt illicita pacta & simoniaca, eo quia resignauerat d. beneficium in confidentiam hoc modo, quod conuenerant, ut ea pensio, quæ reseruaretur, siue parua, siue magna, extingueretur dimidia hora post captam possessionem pro 1500. ducat. & quod, quia cum eo non obseruabatur hoc pactum, erat facturum, quod dictus P. amitteret beneficium, etiam si eius propriam animam immitteret in infernum, & quod erat eum cum pugione occisurus: & hoc furore percitus scripsit certas literas missuas Romam, in quibus rogabat quendam curialem, ut obtineat ei absolutionem ab huiusmodi simonia, & confidentia, & dedit alio curiali Curia Regis alias similes relationes ad eundem effectum obtinendi absolutionem, & inter plures personas d. oppidi sparsit huiusmodi rumorem, quod dictum suum beneficium dederat simoniace, & in confidentiam in presentia duorum vel trium mediatorum, quos nominabat modo præmisso. Deinde quia dictus F. cepit egere, & male se habere, quidam communes amici fere per tres annos post captam possessionem rogarunt dictum P. quod in eleemosynam, & amore Dei, & uti opus charitatis daret dicto F. ultra dictam pensionem certum quid singulis annis, & ipse sponte, & propter dictas causas fecit obligationem infra scriptam.

Dico

Dico ego P. Rector parochialis oppidi de N. quod pro quanto ego tribuo dicto F. centum ducatorum pensionem annis singulis per Bullas S. Sanctitatis, & multæ personæ me informant, quod non sufficiunt pro sustentatione sua congrua, & alimentis, quod similiter ego intellexi; propter quod, & ad faciendum seruitium, & quia est mea voluntas, ultra dictam pensionem quam eidem deo solucere dando tres regales qualibet die, eidem dabo, & solvam decem & octo mille morapetinos per anni tertios; qui decem octo mille morapetini currere incipiant à die S. Ioannis Iunij proxime futuri, & amplius dimidiã fanecã tritici qualibet hebdomada à d. die & pãnum pro veste, & mantello, dummodo pretium cuiusuis mensuræ non descendat à triginta regalibus, nec ascendat ad quinquaginta; & huiusmodi vestimentum ipsi sum daturus pro die S. Ioannis Iunij anni superscripti; & pro istorum complemento obligo meam personam, & bona: & intelligitur quod omnis pecunia, quam sum daturus de pensione, & incremento, esse debeat quinquaginta mille morapetini ultra pannum, & frumentum. Factum in oppido de Chinchon die 20. Aprilis anni 1573. Et vestimentum dabitur in principio mensis Septembris, & cætera adimplebõ totum tempus quo fuero Rector ecclesiæ huiusmodi oppidi. sum testis. N. N.

Hinc factum fuit quod quidam A. impetrauit dictam parochialem certo modo tamquam vacantem per simoniam, & confidentiam, & expe diuit literas, & illas præsentauit ordinario Toletano, coram quo fuerunt hinc inde factæ amplæ probationes; & dictus F. varijs vicibus examinatus in iudicio cum iuramento deposuit pro exoneratione suæ conscientiæ, quod dicti eius clamores, & relationes, & verba turpia contra dictũ P. per eum prolata fuerunt falsa & pura mendacia, & machinata cum illo furore, vt illum perderet, & quod non habet culpam vllam, sicuti vnus Angelus: & similiter mediatores examinati partim pro P. partim pro F. deponunt nulla omnino pacta illicita interuenisse, sed potius dictum P. ordinasse vt omnia fierent cum omni securitate conscientiæ; & dictus ordinarius dictum P. absoluit ab huiusmodi imputatione per suam diffinitiuam sententiam; à qua sententia appellauit A. & commisit causam in sacra Rota R. P. D. Lancellotto, & cæpta coram eo disputatione, videlicet dato dubio, supplantauit tribunal Rotæ, & auocauit causam ad tribunal confidentiarum. Et per R. P. D. Iudicem confidentiarum datur dubium, an probetur huiusmodi confidentia ex dictis literis misiuus F. & ex relationibus datis curiali: & similiter adducitur pro parte fisci supradicta cedula obligationis factæ per dictum P. per duos annos post captam possessionem.

Pro parte Domini P. ad literas misiuas, & relationes respondetur primo, nequaquam esse veras, sed confictas per dictum F. illo tempore quo erat in tam ardentissimo furore & ira contra dictum P. & quod fuerunt actus extraiudiciales, & quod standum est dicti F. depositionibus in iudicio

iudicio iuratis, & pluries geminatis, in quibus reuocat & se retractat ab omnibus quæ publicauerat contra dictū P. Secūdo principaliter respōdetur, quod dictæ præsentæ cōventiones licet essent veræ, prout nullo modo sunt, nullam penitus continent confidentiā: namq; illud pactū de extinguendo pensionem dimidia hora post captam possessionem non est confidentiale de contentis in constitutionibus, quas supplicamus reuideri, & præsertim in definitione seu descriptione confidentiæ; sed potius fuisset simoniacum. & ideo lis huiusmodi deberet finem accipere in sacra Rota.

Ad secundum fundamentum fisci de cedula facta per duos annos post captam possessionem de dando dicto F. certum quid ultra dictam pensionem ceterum ducatorum, respondetur quod ista cedula probatur quod fuit facta ad preces quorundam amicorum, qui miserebantur de dicto F. & non virtute alicuius pacti præcedentis. Et dictus P. examinatus super dicta cedula respondit vt infra.

Ad duodecimum interrogatorium dixit, quod iste deponens nunquā habuit differentiam nec litem super cōtenta in d. interrogatorio, & illud quod transit est, quod duobus annis cum dimidio, postquam iste deponens possidebat d. beneficium curatum, succedit præfatus F. esse valde grauatus, cuius causa erat valde pauper, & egenus, & quam plurimæ personæ honoratæ illius oppidi charitate motæ, in quibus fuerunt nonnulli amici, qui deprecati sunt hunc deponentem quod amore Dei inter eleemosynas quas faciebat memineret de dicto F. qui erat valde pauper, & egenus, & infirmus, & quod iste declarans visa magna necessitate dicti F. illi promisit, fecitq; promissas vel scripturas, quod non recordaretur illi porrigere singulis annis vnā vestem (fortana vulgariter nuncupatam) & vnum togamentum, & 26. fanecas tritici, & nescio quot morapetinos, & nummos, quibus non recordatur, istud plus & citra dictos centum ducatos, quos illi dat annuatim pensionis, & quod istud illi dabat propria, & spontanea voluntate amore Dei, & quia illum videbat in illa necessitate, non autem vt ille fuisset obligatus alicuius rei, & quod postea fuit sanus, & plus reparatus dictus F. & quod iste deponens abstinuit se plus illi dare dictam eleemosynam. Quare dictus F. posuit petitionem huic confessanti, & in effectu Administrator, & Governator Archiepiscopi Toletani, coram quibus causam posuit, illum condemnauerunt, vt sibi daret annuatim quindecim mille morapetinos, & 26. fanecas tritici plus, & ultra dictos centum ducatos pensionis, quos ita soluit, vt solitus est, annuatim dicto F. quia iustitia ad hoc illum compellit, & quod hoc est verum de contentis in d. interrogatorio. & reliqua negat.

Supplicatur D. V. Reuerēdissimæ, pro sua innata charitate, & præsertim in subleuandis oppressis dignetur in huiusmodi casu pro domino P.

reo approbato de bona vita & fama per egregias personas, vt eius bonū ius luceat apud Sanctiſs. mediante lucerna ſuarum vigiliarum.

Aegerime adducor ad reſpondendum pro diuitibus quaſtionibus in maximo Rotæ prætorio, vel in alijs vrbis diſputandis, & decidendis. Tum quod occupatus alijs nequeo pro dignitate tantorum Iudicum reſpondere. Tum quod videor mihi noctuas Athenas portare, dū maxima eruditione redundantibus uiris parum erudita offero. Sed quia in hac cauſa id nequeo negare, dicam paucis, quod mea ſententia, ſalua præfatorum cenſura, præfatus P. non debet cenſeri admiſiſſe confidentiam vllam à ſel. record. Pio iij. & Pio V. puniri iuſſam.

- 1 Primo quidem, quod non probatur vere, vel præſumptiue ullum pactum expreſſum vel tacitum, quo ipſe quicquam promiſerit F. vt præfatum beneficium curatum in eius fauorem reſignaret, præter penſionem annuam centum ducatorum. de conſenſu, & mandato S. D. N. ſoluendā ſine quali pacto expreſſo vel tacito non poteſt conſiſtere confidentia præfata, vt colligitur ex præfatorum Piorum extrauagantibus relatis à nobis in Man. conſeſſ. cap. 13. n. 110.
- 2 Secundo, quod promiſſio illa, quam poſt tres circiter annos habita poſſeſſione prædicti beneficij præfato F. fecit, per quam ex aduerſo contenditur admiſſam fuiſſe præfatam confidentiam, non ſolum non arguit ſimoniacam confidentiam, ſed cōtra ſpirat, & odorat maximam charitatem, & miſericordiam erga ſuum proximum, & benefactorem, & executionē illius præcepti, *frange eſurienti panem tuum, & ſi videris nudum, cooperi eum.* Eſai. cap. 58. & illius legis naturalis, *benefacientibus benefac.* in l. ſi non fortem. §. libertus. adiuncta gloſ. verb. natura. ff. de cond. indeb.
- 3 Tertio, quod ipſe probat ſe poſt biennium ab habita poſſeſſione fuiſſe rogatum à multis, vt iuaret fructibus ſui beneficij præfatum F. virum nobilem, & pro ſua charitate pauperem, & de numero eorum quibus ſuperflua beneficiorum ſunt elargienda iux. cap. vlt. 16. q. 1. & certe accuſare illum de opere tam pio eſt cōtra euang. Io. 10. de bono opere lapidare.
- 4 Quarto, quod nullatenus probantur fuiſſe vera illa, quæ præfatus F. ira commotus ſcripſit Romam, & ſparſit in vulgus falſo de confidentia prædicta. Tum quod nemo alijs, quam ipſe, teſtatur de illis: & vni non creditur, cap. à nobis. de teſtib. Tum quod inimico non creditur, cap. cum P. de accuſat. etiam in crimine ſimoniæ, cap. per tuas. il grāde. vers. hæc omnia. de ſimoniæ. & præfatus F. dicebat ſe eſſe participem præfatæ falſo aſſertæ confidentiæ. Tum quod illa ſcripſit, & ſparſit extra iudicium, & contrarium poſtea iuratus ſolenniter teſtatus eſt in iudicio, dicens ea fuiſſe falſa, & malo iuracundoq; animo prolata, eo quod minor penſio, quam ipſe putabat, fuiſſet ſibi à S. D. N. cōſtituta, ſine vlla tamen culpa præfati P. qui ingenuè dederat mandatū ad conſentendum penſioni, quæ S. D. N. videretur cōſtituenda. Cum ergo illa quæ cōtra
P. di-

P. dixit F. dixerit irato animo, & extra iudicium, & omnino contraria eis in iudicio cum iuramento, nihil debent præfato P. nocere: partim per regulam illam solennem. ff. quicquid calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, &c. adiuncto commento, quod in illam facit Ludou. Rom. in sing. 508. Tum quod cum quis dicit aliquid extra iudicium, & postea contrarium eius iuratus in iudicio, standum est ei per glos. not. vlt. cap. cum causam. de testib. quæ probat hoc procedere, etiam si primum dixerit in iudicio nullo. & hæc est communis opinio, & verior, vt late tradunt Felin. in cap. cum in tua. de testib. num. 7. & citati ab eo contra Bart. & quosdam alios. Tum deniq; quod dicta aliorum testium de rumore vel fama deponentium nihil debent nocere præfato P. quoniam fama, vel infamia, quæ nascitur, & habet originem à maleuolis, & inimicis, nullius est efficaciz, cap. qualiter & quando. il. 2. de accusat. in prin. vbi gl. 1. recepta communiter habet, iudicem nihili facere debere rumorem vel famam ortam ex maleuolis & inimicis. quod ipsum probat cap. in cunctis. 11. q. 3. cap. cum in iuente. de purgatio. canon. Et constat præfatum rumorem, famam, vel infamiam ortam fuisse à præfato F. maleuolo, inimico, & itacundiæ minarumq; redundant, & ita nullius debet esse efficaciz.

Quinto, quod prædictæ Piorum constitutiones non intendunt prohibere beneficijs: ne quid vnquam donet eis, per quorū collationem vel renunciationem, electionem, vel presentationem obtinuerunt beneficia ecclesiastica. Tum quod id fuisset statuere contra legem naturalem, quod non poterant, cap. sunt quidam. 2. q. 1. Tum quia obligatur prius benefacere illis, quàm alijs, à quibus talia beneficia nõ acceperunt, iux. illa verba c. cū in officijs. de testam. cū in officijs charitatis primo loco illis teneamur obnoxij, à quibus beneficiū nos cognoscimus accepisse. Tū quod in dicta extrauag. Pij V. est casus pro hoc à cōtrario sensu, quatenus probat quod retrocessio eius, quæ gratis expediuit, arguit confidentiā, quando illa intra breue tempus fit, & nõ alias. Cum ergo opus præfatū piū, & misericordiæ fuerit factū à P. F. post circiter tres annos, nullatenus vllā arguit confidentiā illicitā. Tum quod alioquin vix vnquā vlla renunctio liberalis, & simplex alicuius beneficij pinguis reperiretur facta ab vno amico ad aliū saltem in eadē ciuitate vel oppido degentē, quæ non debeat iudicari confidentiaria, si aliquot annis in eodē conuixerint: quandoquidem vix reperietur vllus adeo ingratus, vt nulla munera, nulla obsequia, & officia, vel opera bona retribuat ei intra tātum tempus. quin ausim dicere quod vix vllus Cardinalis, Archiepiscopus, vel Episcopus habens ius conferendi beneficia pingua inueniretur hodie in Vrbe, nec in orbe, qui non deberet, præsumi confidentiarius, si retributio facta post collationem etiā post duos, vel tres annos argueret huiusmodi confidentiam: quod est absurdum, & ita nullatenus dicendum, l. nam quod absurdum. ff. de bonis liber. Tum quod intelligere præfatas extrauagantes pias quidem, sed

pœnalissimas, & odiosas, est nimis emungere, & elicere sanguinem contra Salomonem Prouerb. 30. relatum in cap. denique. 4. dist.

6 Sexto, quod illa extrauagans Pij V. habet argui quidem confidentiam, eo quod resignatarius promittat expresse vel tacite retrocessionem in cedentem, vel in aliũ, & etiam ex promissione dandi fructus beneficij alij, vel alijs; non tamen habet quod ex promissione dandi fructus ipsi cedenti arguatur cõfidentia: quod maxime aduertendum est quo ad hunc casum, in quo prefatus P. nihil promissit alij, vel alijs cognatis, vel amicis. F. sed ipsi soli. Nec obstat huic argumento, quod si datio fructuũ alij, vel alijs cognatis, vel amicis arguit confidentiam, à fortiori arguit datio fructuum eidem. Tum quod fati est, quod illa extrauagas non iudicatur hoc esse confidentiam, & non est amplianda vt pœnalis, & odiosa. Tum quod dare vel promittere eidẽ fructus, simoniã quidem arguit, sed non confidentiam, sicut dare, vel promittere fructus alij vel alijs: quia hoc arguit, quod resignans confidit resignatario, & conuenit cum eo vt daret illis.

7 Septimo, quod in dubio nihil est censendum malum, c. 1. de regul. iuris. & l. merito. ff. pro socio. & quod dispositio, quæ potest apte intelligi in bonam, & malam partem, debet intelligi in bonam. l. si procurator. ff. de condit. indeb. & l. benignus. ff. de legibus. At non solum non constat quod promissio illa facta F. à P. fuit mala, immo probatur quod fuit pia, sancta, & Deo grata, & multis amicis, & piis hominibus rogantibus amore Dei misericorditer facta; ergo nullatenus est intelligenda facta in complementum confidentiæ male, ingrate, & odiose Deo, & eius Ecclesiæ sanctæ, quæ nunquam probatur interuenisse. Salua. &c.

D E I V D A E I S.

S V M M A R I V M.

- 1 *Vsuras Iudæis Camerarius permittere nequit sine Papa licentiã.*
- 1 *Iudgi ad vsuras restituendas compelli debent.*
- 1 *Princeps etiam de ordinarij licentiã Iudæis permittere vsuras, peccat.*
- 2 *Papa Iudæis permittere potest vsurarum exercitium.*
- 3 *Peccatum permitti ad maius vitandum potest sine lucri participatione & c.*
- 4 *Reformatiõ Gregorij XIII. de vsuris à Iudæis exercendis quos comprehendat.*

- 4 *Pactum personale ad alios non extenditur.*
- 5 *Dispositio aliam declarans secundum terminos declarata intelligenda.*
- 6 *Onus personæ impositum eam non egreditur.*
- 7 *Dispositum quo ad unam personam censetur quo ad alias, si illud sit de iure.*
- 8 *Dispositio generalis est generaliter intelligenda, etsi ad alicuius instantiam concessa.*
- 9 *Iudæis permittitur, ut sub maioribus usuris extraneis quam indigenis mutuent, non est tutum.*
- 10 *Princeps laudabiliter Hebræorum usuras restringit.*

CONSILIVM V.

An te reformationem super Hebræorum banchis à Gregorio XIII. factam Illustrissimus Dominus P. Hebræis in sua Sancti Martini terra habitantibus, de Illustrissimi, ac Reuerendissimi D. Camerarij licentia, & sub honestis statutis, & moderationibus, fœnus exercendi facultatem concessit. Modo dubitatur.

Primo, an Iudæi in dicta sua terra habitantes dictam reformationem feruare teneantur.

Secundo, an dictus Dominus permittere possit, ut Iudæi cum alienigenis vndecumque ad dictam suam terram venientibus usuras exerce-re valeant.

Tertio, an dictus Dominus moderare Hebræorum usuras ita valeat, ut fœnus carius cum alienigenis, quam cum indigenis, & incolis, Iudæi exercent.

Quarto, an dictus Dominus Hebræorum banchos, eorumque statuta reformare, & restringere in dicta sua terra valeat.

Pro intelligentia prædictarum quæstionum resoluenda sunt duo dubia. Primum est, an Camerarius Papæ possit concedere licentiam Iudæis habitantibus extra statum Papæ exercendi usuras. Secundum, an Papa iuste possit permittere Iudæis, ut exerceant usuras.

Ad primum dubium pro parte negante faciunt ea, quæ Syluest. adducit in summa, verb. Iudæi, q. 4. & q. 5. dicens quod Iudæi cogendi sunt ad restituendas usuras, & in verb. usura 9. §. fin. dicit quod Princeps permittens Iudæis exercitium usurarum cum licentia Ordinarij peccat mortaliter per clem. 1. de usuris, & cap. 1. eod. tit. lib. 6. cum additis ei à Domin. & Franc. & cap. post miserabilem, & cap. postulasti. eod. tit. in antiq. Pro parte affirmante facit quod Camerarius prædictus ex commissione Papæ dat illam licentiam: & iura prædicta, quatenus sunt humana non ligant Papam. cap. proposuit. de concess. præb.

Ad secundum dubium pro parte negante facit, quod Reges, ac Principes id facere non possunt, ut concludit Syluest. Sed pro parte affirmante facit primo, quod videmus Papam permittere Iudæis in Vrbe, & Aui-

nioni, & etiam in terris Ducis Mantuæ, & alijs multis locis; & quod aliud videtur dicendum de Regibus, & Principibus, qui subsunt præfatis canonibus, quibus non subest Papa. Secundo facit, quod Papa potest permittere, & tollere aliquod malum, ut aliquod peius impediatur, ca. denique. 4. distinct. & cap. non potest. 23. q. 4. & quod secundum Augustin. in lib. de ord. relatum à S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 1. lupanaria permittuntur in plerisque locis, ne casta matrimonia sollicitentur, & ut alia peiora impediatur; idque fit etiam à Principibus sæcularibus, nulla licentia à Papa petita. Præsupposito quod Illustrissimus Dominus P. cum facultate Illustrissimi Camerarij Sanctiss. D. N. iuste possit Iudæis terræ Sancti Martini permittere exercitium vsurarum moderatum, ut in prima questione proposita præsupponitur.

4 AD PRIMAM QVÆSTIONEM propositam, scilicet an reformatio Sanctissimi D. N. Gregorij XIII. in vsuris exercendis includat Iudæos prædictos ciuitatis Sancti Martini, respondeo, quod non. Tum quia illa reformatio solum tangit, & includit Iudæos Romanæ vrbs, ut colligitur ex ea. Tum quia à separatis non fit illatio. l. Papinianus. ff. de minoribus. nec pactum personale extenditur ad alios. l. iuris gentium. §. pactum. ff. de pactis. & cap. de cætero. de transactio. At literæ confirmationis, reformationis, siue reductionis quantitatis vsuræ Sanctiss. D. N. de solis tangentibus Hebræos bancharios vrbs Romæ loquuntur: quod colligitur ex relatione eorum, quam facit Illust. Camerarius Alcanius, qui solum de tangentibus illos loquitur, & ex relatione illorum, quam fecit Illustrissimus Cardinal. Vitellotius, qui etiam de solis illis egit, ut patet ex illis verbis eius, *dictis Hebræis banchariis*, bis repetitis. At Hebræi bancharij Sancti Martini non sunt Hebræi, & bancharij Romæ; ergo ex contentis in d. literis non debet inferri ad eos. Tum quia dispositio declarans, interpretans, & confirmans aliam, debet intelligi secundum terminos dispositionis declaratæ, interpretatæ, & confirmatæ, iuxta gloss. quæ habetur pro singul. ibi à Cardinali in clem. penult. in ver. consuetudine. de elect. Tum quia præfata confirmatio loquitur de Iudæis commorantibus Romæ, & intra statum Ecclesiasticum; & Ciuitas Sancti Martini est sita extra illum: & multa possunt occurrere, ut prædicta reformatio debuerit potius fieri in bancharijs Romæ, quam in bancharijs Sancti Martini; & ideo non est ad illos extendenda, argumento cap. ad audientiam. de decim. Tum quia præfata reformatio non videtur ligare Iudæos Auinionis sit Papæ immediate subiectus: ergo à fortiori non ligabit Iudæos Ciuitatis Sancti Martini, quæ non est ei subiecta immediate, nec mediate. Tum quia non obstat quod verba Greg. generaliter loquuntur de Hebræis, & bancharijs: quia simul ponuntur verba confirmationis, & reductionis; & confirmatio expresse refertur ad capitula recollectionis.

Vitellotij,

Virellotij, quæ solum tangunt Hebræos bancharios Romæ; & ita etiam reductio debet ad eosdem referri: vna enim pars dispositionis declaratur per alteram. l. 1. ff. de reb. dub. Tum quia sicut priuilegium concessum personæ non egreditur illam, cap. priuilegium. de reg. iur. lib. 6. & l. 6. in omnibus causis. ff. eodem, sic maiore ratione onus impositum personæ non egreditur personam, arg. cap. odia. de reg. iur. lib. 6. & l. 1. in fin. ff. de constit. princip. habet constitutionem, qua Princeps irrogat pœnam vni, non extendi ad alium. Ergo reductio præfata Hebræis bancharijs Romæ, quæ onerosa est, non extenditur ad bancharios Sancti Martini. Tum denique, quod non obstat cap. miramur. cum similibus, 6 r. dist. cap. in causis. de re iudic. quæ habent, dispositum quo ad aliquos, censi dispositum quo ad alios: quia illud est verum in dispositione iuris communis, & vbi eadem ratio inuenitur, non autem in dispositione priuilegij, vel oneris personalis, vt annotauit gloss. præfati cap. priuilegium. & præfata reductio est quædam dispositio præter ius commune grauens certas personas particulares.

8 AD SECUNDAM quæstionem, an scilicet per licentiam Illustriss. Camerarij possit bancharius Hebræus Sancti Martini mutuare omnibus Christianis, etiam alienigenis, respondetur, quod sic. Tum quia præfatus Illustrissimus Camerarius non solum generali, & indefinito verbo, sed vniuersali concedit facultatem mutuandi, dicendo, *quibusuis personis ad vos recurrentibus.* & vniuersalia verba vniuersaliter sunt intelligenda, cap. solite. vers. quodcunque. de maior. & obed. & latius quam tantum generaliter dicta, iuxt. gloss. celeb. in clem. 1. verb. quauis. de re iud. Tū quia nihil obstat dicere quod videtur facta cōcessio contemplatione indigenatum Sācti Martini; quinimmo facta fuit ad petitionem Hebræorum Sancti Martini, & commodum Christianorum generaliter sine vlla restitutione; & ita est intelligenda generaliter. arg. l. de pretio. ff. de publi. in rem actio.

9 AD TERTIAM quæstionem, scilicet, an præfatus Illustrissimus P. possit conuenire cum præfatis Hebræis, vt carius mutuent extraneis, quam indigenis, respondetur, quod licet de rigore iuris videatur id posse defendi, non tamen videtur consulendum eius Illustrissimæ Dominationi, vt id faciat. Tum quia hæc facultas tollerandi Iudæos exercentes vsuras, & per eas prementes Christianos, est satis extranea Christianis dogmatibus, & moribus, & merito deberet restringi, argum. cap. quæ à iure. de reg. iur. libr. 6. Tum quod ex facultate mutuandi sub maioribus vsuris extraneis posset dari occasio, vt difficilius, & ægrius mutuarent indigenis sub minoribus, quod nocere posset indigenis; ideoq; cauendū, cum ipsi sint, ceteris paribus, magis diligendi. arg. l. vt patriæ. ff. de iust. & iur. & in hac materia magis fauendi, arg. c. 1. de vsur. lib. 6. Tum quia daretur occasio multis suspicandi quod ipse concedit eis facultatem ca-

808 CONSIL. LIB. V. DE IVDÆIS.

rius mutuandi alienigenis, vt aliqua munera, vel seruitia vtilia faciant ei
10 de more suo, quod haberet magnam speciem mali. Nam licet tolerantia
exercitij vsurarij, quod est contra legem naturalem, & diuinam, tam ve-
terem, quam nouam, vtrumque ad euitanda maiora mala tollerari potest
absque peccato non participando in lucro; non tamen potest id fieri
participando in illo, vt post Caiet. tradimus etiam nos in Manu. confess.
cap. 17. num. 195.

AD QVARTAM quæstionem satis respondet solutio tertiæ quæ-
stionis. & rem christianam, seque valde dignam faceret eius Domina-
tio illustrissima aliquo modo reducendo vsuras suorum Hebræorum,
ad quas Sanctiss. Dom. N. reduxit vsuras Hebræorum Romanorum,
iuxta illud Bald. in cap. in causis. de re iud. *A boue maiore discat arare mi-
nor.*

*Nota, id quod ait Auctor in num. 3. de tollerantia, seu permissione, intelligen-
dum de simplici, quæ consistit in non puniendo.*

FINIS CONSILIORVM.



COM



COMMENTARI DE LEGE POENALI FRAGMENTVM

In cap. Fraternitas. 12. q. 2. Martino ab Azpilqueta
Doctore Nauarro Auctore.



Gregor. August. Anglorum Episcopo.

Fraternitas tua ex persona furis pensare potest,
qualiter valeat corrigi: sunt enim quidã, qui ha-
bentes subsidia furtum perpetrant, & sunt alij, qui in
hac re ex inopia delinquunt: vnde necesse est, vt quidã
damnis, quidã vero verberibus corrigantur; & cum
paulo districtius agitur, ex charitate agendum est, &
non ex furore, quia ipsi hoc prestatur, qui corrigitur,
ne gehenna ignibus tradatur. Addis etiam, quo aug-
mento ea, quæ furto de Ecclesijs abstulerunt, reddere
debeant: sed absit, vt Ecclesia cum augmento reci-
piat quod de terrenis rebus videtur amittere, & lu-
cra damnis quærere.

S Y M M A R I V M.

- 1 *Ecclesiam decet suum recuperare sine augmento pœnæ, licet mero iure iuste etiam regularis possit meram pœnam iuste à iure, Statuto, vel conventionione decretam exigere.*
- 1 *Oportet verbum non semper necessitatem, sed quandoque honestatem & convenientiam denotat.*
- 2 *Ex legibus aliquæ sunt pœnales, ex quibus oriuntur innumerabiles pœnales actiones.*
- 3 *Pœnam legalem ac conventionalem etsi ecclesia iuste petere possit, decen-
tius tamen est vt abstineat.*
- 4 *Decentius omittere non est peccatum, secus si fiat quod penitus decet,
quamvis stricto liceat iure.*
- 4 *Decet pœnam legalem, & conventionalem petere.*
- 5 *Bono melius datur.*
- 5 *Lex rationis, & intellectus actus est, concurrente etiam voluntate. nu. 8.*
- 6 *Lex item illa est, quam populus statuit.*
- 6 *Consuetudo lex quædam est humana.*
- 6 *Argumentum à partium sufficienti enumeratione validum.*
- 7 *Consultoria lex, lex & ipsa dicitur, licet non adeo proprie, nec obligat,
sed dirigit.*
- 8 *Legis descriptio in genere, & quid sit lex humana. num. 9.*
- 9 *Promulgatio legis non solum fit verbo, aut scripto, sed & factò per legi-
timi temporis continuationem, ac etiam per naturale instinctum.*
- 9 *Lex diuina positiva per Moysen, evangelica per Christum, & eius Apo-
stolos promulgata fuit, naturæ per institutum naturale.*
- 10 *Pœna, vt communiter accipitur apud theologos, & iuristas, non potest iu-
ste imponi, nisi ob culpam præteritam: secus de pœna latius sumpta pro
defectu boni. num. 12.*
- 10 *Malum proprie sumptum in culpam, & pœnam scinditur, & sumptum
in genere comprehendit etiam carentiam boni. & seq.*
- 11 *Pœna frequenter etiam accipitur pro defectu boni, quod quis est aptus ha-
bere.*
- 12 *Pœna latius sumpta, prout importat damnum, quandoque sine culpa, licet
non sine causa, imponitur, vt in interdicto, suspensione, & irregularita-
te. num. 13.*
- 13 *Amissio lucri etiam & ipsa ab aliquibus damnum, sed male dicitur.*
- 14 *Pœna latius sumpta est privatio boni, quod quis est aptus habere.*
- 14 *Pœnalis lex latius sumpta est nedum quæ imponit pœnam propter cul-
pam,*

- pam, sed que priuat bonis qb aliquam causam.*
- 15 Lex naturalis vere & proprie dicitur diuina.
 - 16 Lex naturalis potest obligare ad peccatum mortale.
 - 17 Lex pure humana potest obligare subditum ad peccatum mortale.
 - 17 Noui testamenti sacerdotis potestas maior est potestate sacerdotis antiqui testamenti, & potest obligare ad peccatum mortale. num. 18.
 - 18 Transgressio precepti, ob quam lex vetus imponebat pœnam mortis, vel modo euangelica imponit, est, & erat peccatum mortale. num. 20.
 - 18 Mortis pœna cum in veteri, siue euangelica lege imponitur transgressori, ibi adest obligatio ad peccatum mortale. num. 20.
 - 18 Patris preceptum iustum circa œconomicam obligat filium ad peccatum mortale.
 - 19 Maior potestas est reipub. in subditum in pertinentibus ad bonum publicum, quam patris in filium in spectantibus ad œconomicam.
 - 19 Patrem iuste occidere potest filius pro defendenda repub.
 - 20 Excommunicat quandoque Ecclesia transgressores canonis pure humani.
 - 21 Auctoritate aliena aliqua facimus, quæ nostra non possumus.
 - 22 Potestas omnis à Deo est, à quo naturalem populi immediate, Reges autem mediate, at supernaturalem Papa immediate, ceteri Prælati ecclesiastici mediate accipiunt.
 - 22 Culpæ, & pœnæ subditos à legislatoribus simul obligari posse indubium est.
 - 23 Pœnalis lex, quatenus pure pœnalis, non obligat ad culpam.
 - 23 Lex pure moralis tantum est quæ sine adiectione pœnæ quid præcipit, vel prohibet.
 - 23 Lex pure pœnalis est, quæ nihil iubet, vel vetat, sed solum pœnam imponit.
 - 23 Lex mixta est, quæ iubet, vel prohibet, adiecta pœna.
 - 24 Pœnalis lex, vel etiam mixta, ex ea parte qua pœnalis est, nihil prohibet, aut iubet.
 - 25 Mendicare pauperi, etiam sano, etiam ex causa ociositatis, vel cupiditatis, donec manet intra latitudinem paupertatis, non est peccatum mortale.
 - 26 Lex alia moralis tantum quæ dicat quid faciendum non adiecta pœna, alia pœnalis tantum, quæ imponit pœnam, sed expresse nec prohibet, nec iubet, & mixta quæ habet vtrumque.
 - 27 Lex obligatoria fere omnis videtur mixta, quæ continet culpam, & pœnâ, saltem tacitam.
 - 27 Dominicanorum leges aliquot ita statutæ sunt, ne ad vllam obligent culpam.
 - 28 Expressi & taciti non modica differentia.
 - 28 Pœnam dū adijcit lex actioni prohibita, non tollit culpâ, immo confirmat.

812 COMMENT. c. FRATERNITAS. 12. q. 2.

- 29 *Remedia posteriora non tollunt priora.*
29 *Manet quod expresse non mutatur.*
29 *Diminutionem non afferunt inducta ad augendum, nec è contra.*
30 *Pascentes in pratis, & secantes ligna in montibus non suis evitant culpam ob pœnam impositam, tu vero distingue.*
30 *Restituere damnnum, & alienum ablatum obligat lex naturalis, & diuina, cui nemo potest derogare, nisi subsit rationabilis causa. num. 36.*
31 *Inferior legem superioris nequaquã potest tollere, maxime autem diuinã.*
32 *Abfolui potest in articulo dubiæ restitutionis pœnitens vere proponens facere quod tenetur secundum peritorum sententiam.*
32 *Consuetudo optima legũ interpretis, à qua homines vix diuelli patiuntur, vnde nec mutanda, nisi sit intollerabilis. num. 45.*
33 *Prædiorum rusticorum duæ sunt species, quarum vna hominum cultura fructus, altera vero ex se profert ligna, & herbas, siue pascua: quo ad primam speciem difficile est sustinere per legem pœnalem tolli culpam damnificantium; non ita quo ad secundam, siue sint vniuersitatis, siue priuatorum.*
33 *Sponte nascentia in locis iure primæuo erant occupantium; & in ijs, licet cæperint ad aliquos postea, facta rerum diuisione, pertinere, consuetudine potest introduci, vt quisque sine culpa eis vtatur, soluta si deprehendatur pœna. num. 35. & 37.*
34 *Res de facili redit ad suam priorem naturam.*
34 *Consuetudine legitima præscripta potest facilius introduci, vt vtentes alienis fructibus sponte nascentibus sint immunes à culpa, soluta si deprehendantur pœna.*
35 *Consuetudine introduci non potest, vt is, cui ad id non competit, alienis sine culpa inuito domino vti possit: at vt sic mediante aliquo iure liceat, poterit. num. 36. & 38.*
38 *Septa cum sufficienter non sunt prædia, consuetudine introduci potest, vt domini animalium ea depascentium sine extra pœnam, & culpam, modo absit dolus.*
39 *Iure sibi concesso qui vtitur, non peccat, etiã quod inde alteri damnnum eueniat, modo absit animus nocendi.*
40 *Furtum licere, etsi humana lege, vel consuetudine introduci non possit, potest tamen introduci, ne certis in casibus rei alienæ vsus sit nec furti, nec illicitus.*
41 *Vestigal non soluens non est immunis à culpa ob legem pœnalem contra tales editam.*
42 *Vestigal Regi debitum est magis, quam quod eidem ex priuato contractu debetur.*
42 *Consuetudinem diu obseruatam de peccato mortali damnare durum est.*
42 *Lex humana modificari, & tolli consuetudine potest.*

- 42 *Sustentatio Regi à subditis iure naturali debita etsi non possit tolli, potest tamen moderari quantitas.*
 43 *Confessariorum vniuersalis consuetudo circa aliquid observata indicat id licere.*
 44 *Pœnam conventionalem non iussus non solvens non peccat.*
 46 *Tributum in genere quid sit.*
 47 *Vectigalis vocabulum modo strictius, modo latius patet, quam tribut.*
 48 *Tributorum, quæ principibus debentur, multa genera.*
 48 *Vectigalium, quæ principi penduntur, tria genera.*
 49 *Vectigalia, seu tributa personalia, vel mista extraordinario modo induc-
 ta fuerunt, & obligant ea modo, quo populus ea soluenda de consensu
 principis expresso vel tacito suscepit.*
 49 *Ordinaria onera, extraordinario tamen modo induc-
 ta, non sunt æque fauorabilia, nec naturaliter debita, vt ordinario imposta modo.*



Tractaturus de lege pœnali, præsertim quo ad forum interius vocatum conscientiam, profundius ni fallor, & vtilius, quam hactenus tractatum sit, delegi cap. hoc celebre, cuius initium est *Fraternitas. 12. q. 2.* desumptum ex epistola beatissimi Patris, & vnus ex quatuor Eccl. doctoribus Gregorij Papæ, cuius, & gloriosissimæ Virginis Matris, ipsius, & omniū diuorū Regine, Mariæ meritis, & precibus spero me sic adiutum iri, vt Dominus noster Iesus Christus huius, & æterni patris filius, & illius Doctor immensū Spiritus Sancti coæuus Diriget incœptos præsentī numine cursus, Et reget vndantem iam per vada cœrula puppim In sua, eorumq; quorum est vna eademq; sempiterna in trinitate indiuidua maiestas.

IN PRIMIS ergo colligam, & notabo ex prædicto c. decerpto ex epistola præfata prædicti gloriosissimi doctoris, beatissimique Papæ Gregorij aliqua nostro proposito conuenientia. Deinde perpendam, & contraham præcipua eorum, quæ Alfonso Castren. vir apprime doctus, & magnum Franciscani ordinis ornamentum in duobus libris de lege pœnali scripsit, simul adiſtiam quæ videbuntur ex eis tenenda, applicando ea vtiliter decisionī quæstionum quotidie in vtroque foro, præsertim conscientie, occurrentium.

Primo igitur noto id, quod ipse Gratianus huius aurei voluminis auctor pro summario ei præfixit, nempe *sine augmento sibi ablata Ecclesiam recipere oportet.* Cui consequens videtur Ecclesiam non debere recipere pœnam à lege contra furem vel raptorem impositam, neq; aliam: contextus enim agit de fure, qui si est manifestus tenetur reddere quadruplum vltra rem furto sublatam, & duplum, si non est manifestus. §. pœnæ. inst. de oblig. quæ ex delict. nasc. & §. in duplum, & §. quadrupli. Inst. de action. & idem

814 COMMENT. c.FRATERNITAS. 12.q.2.

& idem contextus habet Ecclesiam non debere petere p̄nam. Idem videtur probare §. 1. 2. 3. q. 3. sub finem, quatenus habet primos credentes rapinam suorum bonorum cum gaudio tulisse. A& cap. 5. & Apostolus qui 1. ad Corint. 6. consulens Corinthiis ut iniuriam, & fraudem paterentur, & non per contentionem cum scandalo sua repeterent, quanto magis consulisset, ne ultra sua p̄nas reposcerent. faciunt & alia multa, quæ Gratianus in d. §. 1. congerit ad probandum Christianum hominem non debere in sui defensionem armorum auxilia quærere. contra tamen hanc adnotationem opponit inuolose glos. huiusmet cap. super verb. cum augmento de c. deceter. 89. dist. quatenus habet ablata cum duplo esse restituenda, & de c. in antiquis. 5. ead. q. 1. quatenus habet etiam ecclesijs restituenda esse ablata cum multiplicatione, & de c. in legibus. 5. ead. q. quod refert legem sæculi iubentem reddere undecuplum pro ablato; glossa ponit multas solutiones. Prima est, quod hoc capitulum intelligatur de augmento innaturali, & illegitimo, contraria vero de legitimo. Secunda, quod intelligatur de fure, qui antequam conueniatur rem ablatam restituit; quam merito reprobatur: quia fur, & raptor non excusantur à p̄na propter spontaneam restitutionem. l. non prodest. ff. vi bon. rap. Tertia, quod hoc capitulum intelligatur de ecclesia, quæ non debet petere p̄nam, & contraria de iudice, qui ex officio furi rei ecclesiæ p̄nam infligit, & dabit ecclesiæ. Quarta, quod hoc c. intelligatur de pura p̄na, contraria vero de interesse, quod non est p̄na respectu ecclesiæ, quæ petit suum damnum refarciri, licet forte sit p̄na respectu damnum dantis, ad quem nihil forsan de damno peruenit. Quinta, quod hoc c. intelligatur etiam de interesse, quod est extra rem, contraria vero de interesse, quod est intra rem. Sexta, quod hoc c. intelligatur quo ad forum conscientiæ, contraria vero quo ad forum exterius: quarum solutionum prima vera quidem est in se, sed inepta huic textui, qui loquitur de p̄na iuris, quam constat esse legitimam per prædictum §. p̄na. Secunda vero solutio falsa est in se, ut ipsamet glos. reprobatur, & inepta textui, qui nihil meminit de sponte restituente. Tertia vero falsa est in se, quia male præsupponit Ecclesiam non posse petere p̄nam furti per prædictum c. in antiquis: & per prædictum cap. deceter. est etiam inepta, quia contextus huius c. simpliciter loquitur de ecclesiæ petitione, & nihil de iudice vel eius officio. Quarta est etiam in se falsa: quia, ut circa tertiam dictum est, Ecclesia potest petere puram p̄nam. Quinta etiam est falsa, & inepta; falsa quidem, quatenus significat Ecclesiam non posse petere omne interesse, quod potest laicus, quod nullo iure probatur; inepta vero, quia textus loquitur de pura p̄na furis, & de nullo interesse. Sexta etiam est satis inepta: quoniam textus nihil meminit de foro conscientiæ, neq; de confessione sacramentali furis, solum enim habet, Ecclesiam non oportere repeterere rem sibi ablatam à fure. cum augmento; est tamen

- tamen ipsa vera in se, & memoriæ maxime mandanda, & à quamplurimis commendata, & pro singulari habita, vt infra dicemus, quatenus habet neminem teneri ad soluendum pœnam in foro conscientiæ, sed satisfacere quo ad illud soluendo simpliciter, quod alias debetur; in quo approbatur ab omnibus hic. Et certe qui satis perpenderit, quod Gregorius loquitur hic de fure, & de pœna contra eum legibus constituta, & quod illa est legitima, & quod non est interesse, & quod textus per hæc verba (Absit vt Ecclesia cum augmento recipiat, quod de terrenis rebus videtur amittere) clare significat, quod de hac loquitur pœna; qui inquam hæc perpenderit, & quod non solum ait, quod Ecclesia non debet petere, sed etiam quod non debet recipere, clare iudicabit nullam præfatarum solutionum esse aptam. Et iure quis miretur quod nemo hic, nec alibi, quod sciam, satis apte intellexerit eum ad hoc, vt non contradicat conclusioni communiter receptæ, quæ habet ecclesiam, & personas ecclesiasticas posse iuste petere à fure, & ab alio quocumq; suo malefactori non solum rem sibi ablatam vel damni illati restitutionem, sed etiam pœnam à iure vel statuto iusto, vel cõuentione partium statutam: quæ conclusio non solum est cõmuniter recepta, & in praxi communiter seruata, sed etiam irrefragabiliter probatur per prædictum c. in antiquis. 5. ead. q. & in d. c. dicitur. 89. dist. & per c. dilecti. de arbit. & alia iura citata ibi per glos. super verb. pœnam, quæ notabiliter colligit ex textu etiam religiosos eam petere posse. Quare dicendum videtur opposita capitula intelligenda esse de veræ iustitiæ rigore, hoc autem de honestate, & decencia, & dicere verbum oportet in hoc textu positum non inducere necessitatem, sed quandam honestatem, & conuenientiam, & poni pro decet, vt in l. i. ff. de iust. & iure adiuncta glos. secunda, quæ citat alia iura, quibus addunt alia Iason ibi, & citati per eum; ita quod sit sensus, decere ecclesiam, vt sit contenta suis rebus restitutis sine augmento pœnæ, quod frequenter seruant etiam nobiles, & alij virtute liberalitatis contra auaritiam muniti: & hunc intelligendi modum dici posset sensisse Gratia. in §. verum. sub hoc cap. posito, dicens contrarium esse intelligendum de legum seueritate, at hoc esse intelligendum de mansuetudine ecclesiastica, si per mansuetudinem sensit decenciam supradictam.
2. Secundo noto ex toto cap. & prædictis, esse aliquas leges pœnales, ex quibus, & ex ijs ob quæ feruntur, dicuntur nasci actiones pœnales, quas dixit esse innumerabiles tex. in §. pœnales, instit. de act. vbi glos. solennis multas ponit differentias inter eas & rei persecutorias. Quid autem sit pœna, & quotuplex, quidque lex pœnalis, infra dicitur.
3. Tertio noto ex textu, & prædictis, quod quamuis liceat etiam ecclesiæ petere rem suam cum pœna legali, vel conuentionali, licentius tamen & decentius esset id non facere; non tamen penitus dedecet: quia facere quod ita dedecet, quamuis stricto iure liceat, peccatum est, vt probat cap. magnæ

816 COMMENT. FRATERNITAS. 12.q.c.2.

magnæ.de vot.Ex quo sequitur quod non solum licet, sed etiam decet petere pœnam; quamvis magis deceat non petere illam; sunt enim gradus decentiæ, sicut & liberalitatis, & pietatis, & aliarum virtutum, intra quarũ extrema alia sunt alijs à vitijs remotiora: quia bono datur melius, l. vbi autem non apparet. ff. de verb. oblig. & in cap. integritas. 32. q. 1. & cap. sciendum. 8. q. 1.

Expedita per hæc pauca prima parte intentionis nostræ propositæ, tractaturus secundam, qua dixi me perpensurum, contracturum, & praxi vtiliter applicaturum præcipua eorum, quæ prædictus Alfons. tradidit in prædictis duobus libris de lege pœnali, discernendo recipienda ab ijs quæ videntur reiicienda, admonéo in primis lectorem, nolle me agere censores eius, quem à 60. & amplius annis, ex quo Compluti fueramus condiscipuli, dilexi, suspexi, colui, & tandem ob raram eruditionem concionandi, & scribendi facundiam, & pietatem egregiam sum admiratus, sed vt eius altior theoria theologa fusius ab eo scripta per canonum doctrinam decurtata, & ad vsum demissa, fiat vtilior, id quod faciam per monita sequentia.

Primo igitur omnium admonéo, ipsum dignum esse laude ob facundiam eius, qua se in prologo athletam, & propugnatorem veritatis fortissimum vnum contra quamplurimos in arenam descendere proponit, partimq; ex hoc loco, & clarius ex multis alijs vtriusque libri per verbũ illud *plurimos* plures iurisperitorum, quam theologorũ, intellexisse; quorum tamen opinionẽ in multis esse iustiorẽ, infra monstrabimus vtentes illo Aristotelico, *Amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas.*

Secundo moneo quod in cap. 1. & 2. lib. 1. protestatus se nolle agere generaliter de lege, sed solum de lege humana eademq; pœnali, sic legẽ humanam, omnium aliorum ad illum vsque definitiones datas esse mancas asserẽs, totis 29. paginis definit & declarat, *Lex (inquit) est recta voluntas eius, qui vicem populi gerit, voce aut scripto promulgata cum intentione obligandi subditos ad parendum illi.* quodq; hæc definitio circumspccta quidem est, sed quod desiderare posset curiosus primum, quod pro definito accepisset verbum, *lex humana*, & non simpliciter verbum, *lex*, cum solum humanam definire intenderet. Secundum quod non fuisset vsus verbis adeo nouis, & parum apud canonum peritos, immo & apud Theologos in hac re vñtatis. Tertium quod legem facit actum voluntatis, & non monet lectorem quod S. Thomas communiter receptus in 1.2.q.90.art.1. profunda ratione dixit esse actum rationis & intellectus: quod esse patentissimum non erubuit dicere Sotus in q.1. art. 1. de iust. & iur. neruose id probans per .l. legis virtus. & alias leges, ff. de legib. validis rationibus fultas. Quartum quod non videtur legem à populo latam includere, cum tamen Isidor. in cap. lex. 2. dist. legem esse constitutionem populi definiat. Quintum quod non comprehendit legem consuetu-

consuetudinariam, quæ cum sit lex quædam, cap. consuetudo. 1. dist. & non sit naturalis, neque diuina, necessario est dicenda humana, arg. à sufficienti partium enumeratione, quod esse validum probatur in princ. instit. de oblig. quæ ex quasi cont. nasc. & in prin. de oblig. quæ ex quasi del.

7 & ibi glo. & Bald. in l. conuenticula. C. de epis. & cler. Sextum, quod non comprehendit legem consultoriam, quæ licet non sit adeo proprie lex, iura tamé & iurisperiti appellât legem, immo & Theologi appellantes cõsilia Christi leges euangelicas, quas certum est non ferri cum intentione obligâdi, sed ad meliora dirigendi. §. quod præcipitur. sub cap. quisquis. 14. quæst. 1. & tradunt glos. Panor. Fel. & omnes in cap. 1. de constit. & ali

8 bi sæpe. Quare planius, breuius, & antiquitati proximius videtur id quod nos alias legem in genere definiētes tradidimus in cap. erit autem lex, 4. dist. sequenti S. Thom. communiter receptum definiētem vbi supra art. fin. videlicet, quod *lex est ordinatio rationis ad bonum cõmune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* intelligendo quod cum ratione ordinante concurrat voluntas, vt ea tamquam præceptum, vel consilium feruetur, & per illam particulam, *per eum, cui est cura communitatis*, etiam ipsam communitatem, quæ sui curam habet, vt exprimit S. Thom. vbi supra art. 3. immo & ipsum Deum, qui omnia gubernat. c. firmiter. §. hæc Sancta Trinitas. de sum. Trinit. iuxta illud Boeuj lib. 1. de consol. Philos. *omnia certo sine gubernas.* Nam etiam legem Dei voluisse S. Thomam cõprehendere sua definitione constat ex prædicta q. ar. 4. ad primum, dum

9 legem naturalem sub ea comprehendit, intelligendo etiam per promulgationem, nõ solum eam quæ sit verbo, vel scripto, sed etiam eam, quæ sit per facta legitimo tempore continuata, vt comprehendat consuetudinē legitimam, iuxta cap. fin. de consue. vel per instinctum naturale Dei, sicut lex naturalis, vt declarat ipse S. Thom. in d. art. 4. ad 1. lex enim diuina positiua verus promulgata fuit per Mosẽ. cap. Moses. 7. dist. & euangelica per ipsum Christum D. N. & Apostolos eius, per quam definitionem facile declarari, & suppleri possunt omnes alæ datæ per Platonem, Aristotelem, Ciceronẽ, Chrysippum, Demostheoem, citatos per iurificulos in tit. ff. de leg. & per sacros doct. in locis citatis à Theologis in 3. sent. dist. 37. & S. Thom. & Scot. vbi supra, & ipsummet Alfonso. qui totum cap. 2. huic rei applicuit, quod tamen tamquam parum necessarium, & vile, triã seo. Definita vero sic lege in genere, facile, ac breuiter definiti potest lex humana in specie, quod sit lex ab homine lata. Constat enim ex genere, quod est lex, & differentia sufficiente, quæ est, ab homine lata; & per cõsequens est bona, iuxta doct. Arist. & Boetij in Topic. & l. 1. vbi Bart. communiter receptus, ff. de testam. & latius nos tradimus in rubr. de præben. post Dec. in rub. de probat.

10 Tertio admoneo, quod prædictus Alfonso in cap. 3. eiusdem primi libri contendit nihil posse iuste dici penam, nisi quod imponitur ob culpã

818 COMMENT. c. FRATERNITAS. 12. q. 2.

- præteritam propriam, iuxta illud Augustini lib. 1. retractat. cap. 9. *Omnis pœna, si iusta est, peccati pœna est, & supplicium nominatur.* & iuxta resolutionem S. Thomæ quæst. de malo, art. 4. qua late resoluit malum diuidi in culpam & pœnam, quæ conclusio certe vera est, accepto verbo *pœna*, vt communiter accipitur à Theologis, & etiam à Iurisperitis in titulis ff. & C. de pœnis. & eodem titulo in decretalibus. sexto, & clement. sed quia frequenter accipitur in iure pro defectu boni quod quis aptus natus est habere, vt fatetur ipsemet S. Thom. vbi supra in responsione ad decimū, quando alta mente concipit malum generalissime sumptum, quod definitur
- 11** nitur priuatio boni apti nati haberi, non satis sufficienter diuidi in pœnā & culpam, sed solum cum accipitur strictius pro malo creaturæ rationalis, quatenus est talis, & quia multæ leges appellant pœnam etiam malum, & nocumentum hominis absque culpa eius proueniens; interdictum enim est pœna, quatenus interdicti tenentur ciues ciuitatis interdictæ absque illorum culpa, cap. si ciuitas. & cap. si sententia. de sententia ex-
- 12** com. lib. 6. canonici etiam aliqui alicuius capituli suspensi absque illorum culpa tenentur pœna suspensionis, iuxta notata in cap. romana. §. in vniuersitate. de sent. excom. lib. 6. & qui sancte contrahit matrimonium cum vidua, etiam ignoranter, pœnam bigamiæ patitur, cap. si cuius. 24. distin. Et licet text. in cap. 2. de constit. habeat, *rem quæ caret in damnum vocari non conuenit*, intelligendo per illud verbum *damnum* ipsam pœnā, gloss. tamen ibi recepta ab omnibus, cui similis in cap. sine culpa. de reguliur. lib. 6. & in cap. renouantes. 22. dist. numerat multos casus, in quibus pœna contrahitur sine culpa, sed non sine causa: nam & peremptio rei legatæ damnum, & pœna dicitur legatarij à text. & gloss. & Docto. in l. non amplius §. 1. verb. legatarij. ff. de leg. 1. immo & amissio lucri à præfata gl. & alijs multis, qui tamē in hoc falluntur, vt alibi monstramus, vocatur
- 14** damnum. Quare planius fuerit hoc in loco definire pœnam esse priuationem boni, quod quis aptus natus est habere, & legem pœnalem non solum illam quæ imponit pœnam propter propriam culpam, sed etiam eam quæ imponit priuationem alicuius boni sine vlla ratione culpæ propriæ, immo nec aliene, ob aliquā tamen causam, quæ legislatori visa est in id iusta. Quam resolutionem satis confirmat id quod ipse Alfons. fatetur sub finem prædicti cap. dum ait legem, quæ irrogat infamiam filijs pro parentum culpa, recte dici pœnalem, quicquid volenti magis de nomine quam de re disputare, & legenti magnum eius in hoc apparatus eruditione, & facundia plenum, videri possit.
- 15** Quarto admoneo, quod prædictus Castren. in cap. 4. prædicti 1. lib. erudite, neruose, ac copiose concludit in primis contra Ioan. Gerson. virum alioqui eruditum valde, ac pium, in lib. 2. de spirit. vita animæ, cap. 5. legē naturalem esse vere, ac proprie diuinam: & merito. Tum quia lex naturalis à Deo naturaliter nobis inditur. ff. de iustitia & iure. l. 1. §. ius naturale. ibi.

ibi. *Ius naturale est quod natura omnia animalia docuit.* adiuncta glos. verbo *ius naturale*, quæ per naturam intelligit Deum, & cap. ius naturale. 1. dicit. ibi, *instinctu natura*, scilicet naturantis, hoc est Dei, iuxta glos. l. respiciendum. ff. si cert. pet. & l. sed si restituatur. ff. de iud. ergo est lex Dei, & diuina. Tum quia Paul. ad Rom. 1. legem naturalem iustitiam Dei appellat, iustitiam quidem non suam, qua ille iustus est, sed eam cuius obseruantia iustificari poterant gentiles, vt Chrysostom. Ambros. & Theoph. ibidem significant. Tum quia lex naturalis hominis est lata ei ab aliquo, & non ab angelis, neque ab vlllo homine, ergo à Deo, & sic est diuina. Secundo concludit, quod illa potest obligare ad mortale peccatum, & recte quidem. Tum quia ex prædicto cap. 1. & ex positionibus prædictorū sacrorum doctorum colligitur gentiles noscere potuisse per legem naturalem dignos esse morte, qui talia, id est prædicta contra legem naturalem nobis inditam, perpetrabant; & non poterant hoc scire, nisi illa obligaret ad mortale; ergo, &c. Tum quia omnium, etiam Gersonis consensu lex diuina potest obligare ad mortale, & lex naturalis est (vt diximus) diuina; ergo. Tertio concludit non solum contra Lutherum, & eius in hoc sequaces, sed etiam contra prædictum Ioan. Gerson. in lect. 4. de vita spirit. animæ, quod non solum lex diuina & naturalis, sed etiam pure humana potest obligare subditum ad eius obseruantiam sub pena peccati mortalis: & sancte quidem. Primo namque potestas sacerdotalis noui testamenti maior est, quam erat potestas sacerdotalis veteris, iuxta Paul. ad Hebr. 7. & notat. in cap. translato, de constit. At Sacerdos veteris testamenti poterat per præceptum suum obligare subditum illius transgressorem ad mortem corporalem per text. clarum cap. 17. Deuter. & 18. omnis transgressio præcepti, ob quam iuxta vetus testamentum imponebatur mors corporalis, erat peccatum mortale secundum omnes Theologos; ergo potestas ecclesiastica nouæ legis poterit ferre præceptum sub pena peccati mortalis. Secundo, quod patris præceptum iustum circa gubernationem æconomicam obligat filium ad sui obseruantiam sub pena peccati mortalis; Paulus enim sub finem prædicti cap. 1. præsupponit 19. parentibus non obedientes peccare mortaliter: at maior est potestas Reip. in subditum in his quæ pertinent ad bonum publicum, quam patri in filium, etiam in his quæ pertinent ad rem æconomicam, arg. l. minime. ff. de relig. & sumpt. fun. quæ habet posse filium iuste occidere patrem pro defendenda rep. Tertio quod Paulus clare præsupponit quod gentiles peccabāt mortaliter in multis: At illi nulla alia lege, quam naturali, vel humana ligabantur; ergo illæ possunt ad mortale obligare. Quarto 20. quod nemo potest excommunicari, nisi ob peccatum mortale, cap. nemo. & cap. nullus. 1. 1. q. 3. At Ecclesia transgressorem legis pure humanæ excommunicat, cap. super specula. ne cler. vel mon. & cap. 1. eod. tit. lib. 6. quatenus excommunicant presbyteros leges seculares, vel medicinam audientes,

dientes, quos constat in eo non peccare contra ullam legem diuinam, immo neque naturalem, sed solum contra pure humanam. ad idem elem. 1. de sepult. quatenus excommunicat sepelientem interdictum in loco sacro, & in sess. 10. Concil. Lateran. sub Leone X. coacti, & confirmata sess. 4. §. si Concil. Trid. excommunicantur imprimentes libros sacros sine prævia examinatione, & approbatione legitima; quod nulla lege diuina aut naturali vetatur; ergo lex pure humana potest obligare ad mortale. Quinto est cap. 2. de maior. in illis verbis, *qui non obedierit Principi, morte mortali fieri nequit per prædicta*. Sexto, quod præcepto 4. Decalogi tenentur honorare parentes, quorum appellatione non solum veniunt genitores carnales, sed etiam spirituales, & omnes alij superiores. At sub illo verbo, honorare, continetur etiam obedire nam Paulus ad Ephes. 6. per illud 4. præceptum probat filios debere obedire parentibus. Postremo, quod nihil obstat fundamentum illud potissimum, quo Gerson innitur, videlicet, quod non potest quis suæ dispositioni addere pœnam, quâ nõ potest inferre, & quod nulla potestas humana potest infligere pœnam æternam peccato mortali debitam. Nihil inquam id obstat. Tum quia nullo iure id probat. Tum quia illud ad summum est verum de illo, qui potestate ab alio non accepta disponit; cuiusmodi est testator. l. 1. C. de sacros. eccles. capit. vltima voluntas. 13. quæst. 2. non autem est verum de illo, qui auctoritate ab alio accepta disponit, vt passim multi apparitores, & meri executores apostolici iubent alijs sub pœna excommunicationis, quam ipsi ferre non possunt, cum excommunicare sit iurisdictionis, quam ipsi nullatenus habent, iuxta cap. pastoralis. §. quia vero. adiuncta glos. de offic. deleg. & clemen. 1. adiuncta glos. eod. tit. & Inno. in cap. dudum. de præsumpt. & omnis iurisdictionis

21 & potestas superiorum humanorum est accepta à Deo ipso immediate vel mediate; naturalem quidem accipiunt reges mediate, at populi immediate, l. ex hoc iure. cum ei nota. ff. de iustit. & iur. adiuncta l. 1. ff. de consuet. princ. supernaturalem autem Papa immediate, at alij Prælati ecclesiastici mediate, cap. in nouo. 2. 1. dist. & cap. sacrosancta. 22. dist. vnde confessarius auctoritate Dei sibi collata absoluit confessum à pœna æternam, quam infligere nequit, cap. quæ pœnitet. de pœnit. dist. 1. circa medium, sic passim parochus simplex Episcopi, vel Papæ auctoritate ab excommunicatione, quam inferre nõ potest, absoluit. cap. fin. §. 1. de offic. deleg. si iudex condemnat aliquem, vt deportetur in insulam, in quam solus Princeps deportare potest. l. biduum. ff. quando appel. sit. relatum à Gram. l. biduum. 2. q. 6. & nihil repugnat quod rex faciat alicui facultatem dispensandi cum pœna, cuius interrogationem solus habebat. Ita Deus optimus maximus fecit legislatoribus facultatem ferendi leges sub pœna peccati mortalis, quam ipsi non possent infligere.

Quinto admoneo, quod in cap. 5. eiusdem libri tractat quæ lex obliget ad mortale, & quæ non; quod ego minore verborum, sed maiore rerum copia vtilius, ni fallor, & praxi aptius trado in cap. 23. Manualis confessoriorum; & ideo hic non repeto. Submoneo item, quod in cap. sexto concludit vtile, ac necessariū esse statuere aliquot leges pœnales: quod quia indubitatum est apud catholicos, non tracto. Submoneo insuper, quod in 7. c. eiusdem libri addit tria documenta ad interpretandas leges pœnales, erudite quidem, sed prolixè; quorum summam, additis aliquot alijs quotidianis infra monitis, breuiter tangam.

Sexto moneo, quod in cap. 8. eiusdem libri longo, & parum necessario apparatu probat legislatorem posse obligare ad culpam & pœnā simul; quod etiam tanquam indubitatum relinquo: nam licet significet ipse plurimos (intelligendo, vt suspicor, iurisperitos) tenuisse contrarium; ego tamen neminem id tenentem legi; quamuis sint qui asserant legis humanæ latorem apponendo pœnam temporariam, in dubio præsumi excludere æternam: de quibus est Matthæ. Mat. notab. 74. & alij, quos postea referā; quod longe aliud est, quam dicere, quod non potest obligando ad pœnā obligare ad culpam: nam dicere illud, est dicere quod non vult obligare ad culpam; dicere autem hoc, est dicere quod non potest: & ita tantum differt hoc ab illo, quantum potestas à vultate, quæ longissime distant, cap. cum super. de re iud. cum allegatis ibi per glos. & alios.

Septimo admoneo, quod prædictus Alfons. concludit in c. 9. eiusdem libri, legem pure pœnalē, quatenus est pœnalis, non obligare ad culpam; cuius doctrina profundissime ibi tractata cōtrahi potest diuidēdo primo legē in moralē tantū, & pœnalē tantū, & mixtā. Secūdo, definiēdo illa tria membra sic, Lex moralis tantum est, quæ præcipit, vel prohibet aliquid sine adiectione pœnæ; cuiusmodi sunt decem præcepta decalogi, de quo Exod. 20. & in glos. cap. quid in omnibus. 32. quæst. 7. Lex autem pure pœnalis, quæ nihil præcipit aut prohibet, sed solum pœnam imponit; qualis est lex prima C. de mendicantibus validis. lib. 10. quæ ponit pœnam mendicantibus validis, non prohibendo eis mendicare. Lex autem mixta est quæ prohibet aliquid cum adiectione pœnæ; qualis est illa, de qua in cap. cum in cunctis. §. cum vero, & §. inferiora. de elect. quibus imperatur episcopis consecrationis susceptio, & parochis, & archidiaconis ad ordines promotio, pœna negligēti cōstitutata. Tertio affirmādo quod lex pure pœnalis, quatenus est pœnalis, nō obligat. Quod breuissimè probatur, primo per l. legis virtus. ff. de leg. cuius tenor est, legis virtus hæc est, imperare, vetare, permittere, punire; ex qua facile colligi potest ferri posse leges super singulis cōtentis in ea, nō ferendo super alijs, & consequenter ferri legem punientem, quæ non præcipiat, nec prohibeat aliquid. Secūdo, quod lex pœnalis, quatenus est talis, solū imponit pœnā, & cū in pœnis nō debeat fieri extēsiō, l. si de interpretatione. ff. de pœn. & ca. pœnæ de pœnit. dist. 1.

822 COMMENT. C. FRATERNITAS. 12. q. 2.

1. & aliud sit prohibitio, & præceptio, quam pœna, cōsequitur quod quatenus est pœnalis non prohibet, nec præcipit. per quam ipsam rationem infero contra id quod ipse significat, quod nec lex mixta, quatenus est pœnalis, prohibet quicquam aut præcipit, quoniam hoc facit, quatenus est moralis, & non quatenus est pœnalis, vt palam est. Memoria tamē tenenda est illa conclusio quotidiana, quam defumit ex Caiet. in 2. 2. quæst. 187. arr. 5. ad 5. ad declarationem prædictæ legis primæ de mend. valid.
- 25 scilicet, quod qui vere est pauper, etiam si sit validus, non peccat mortaliter mendicando etiam causa otiositatis vel cupiditatis, donec manet intra latitudinem paupertatis: & quod prædicta lex non obstat, quia non inducit culpam, sed ob prius inductam per leges contra otiosos, & cupidos latas addit tantum pœnam, & ita est lex tantum pœnalis. quare cum per leges prius latas nō peccet mortaliter mēdicās propter cupiditatē vel otiositatem, quæ suapte natura non attingit culpam mortalem, consequitur non peccare vt plurimum vere pauperes ob otiositatem vel cupiditatem mendicantes.
- 26 Octauo admonéo, quod prædictus Alfonso definiturus in 26. paginis cap. 10. an lex pure pœnalis tollat obligationem ad culpam, quæ per priorem legem moralem fuerat imposita, præsupponit quandam legis diuisionem nouam, diuidendo illam in moralem tantum, pœnalem tantum, & mixtam, siue moralem & pœnalem simul, quas in summa recte definit. Moralisis tantum est, quæ dicitur aliquid esse faciendum, vel non faciendum, nulla transgressori adiecta pœna: qualia dici possunt omnia præcepta decalogi Exod. 20. relata in glo. cap. quid in omnibus. 3 2. quæst. 7. quæq; præcepta generalia Ecclesiæ, de audienda missa in festis, cap. missas. de consc. dist. 1. de soluendis decimis, cap. cum non sit. & per titulum de decimis. de ieiunando certis temporibus. 76. q. de conf. dist. 5. & toto titulo de obserua. ieiun. de communicando. cap. peracta. de conf. dist. 2. & tangitur in titulo de celeb. miss. de confitendo peccata, cap. quem pœnitet. de pœnit. d. 1. Lex tantū pœnalis est, quæ nihil dicitur esse faciendū, vel non faciendum, sed solum imponit pœnam non facienti aliquid, vel facienti: quales dici possunt 17. canones 30. dist. & multi canones sess. 6. 7. 14. & aliarum Concil. Trid. nuperrimi. quibus non iubetur. quis hoc vel illud credere, vel affirmare vel negare, sed tantum anathematizatur is qui hoc vel illud affirmat vel negat: talis est etiam cap. si quis ex clericis comam relaxauerit, excōmunicetur. de vita & honest. cleri. & cap. si quis suadente. 17. q. 4. l. si quis in tantam. C. vnde vi. Mixta vero, siue moralis & pœnalis simul est quæ vtrumque facit, nempe quæ dicitur hoc vel illud faciendum, vel non faciendum, transgressori pœnam adiiciendo, cap. cum in cunctis. §. cum vero. & §. inferiora. & §. fin. de elect. cap. Ad reprimendam, & cap. irrefragabile. de offic. ordin. cap. de multa. de præben. & extrauag. execrabilis Io. xx 1. & cap. omnis. de pœnit. & remiss. & alia innu-

merā.

27. *metæ*. Contra quam tamen diuisionem facit quod omnis fere lex obligatoria videtur esse mixta: quia expresse, vel tacite continet culpam, & pœnam: omnis enim lex, quam ipse appellat moralem tantum, videtur obligare ad culpam venialem, vel mortalem, arg. §. fin. 4. dist. & §. quod precipitur. sub cap. pen. 1. 4. quæst. 1. & consequenter continet pœnam æternam, vel temporariam, futuri sæculi, vel præsentis; & omnis lex, quam ipse appellat tantum pœnalem, tacite obligare videtur ad culpam venialem, vel mortalem, propter quã imponitur pœna. Dixi supra, fere: vt exclude rem aliquot leges Dominicanorum, quibus cauetur expresse ne ad vllam culpam obligent, vt ait S. Tho. 2. 2. q. 1. 89. art. 9. quod puto fuisse in causa, quare nullus auctorum, quorum meminerim, ante ipsum hanc diuisionem tradiderit; quam tamen defendi posse puto respondendo quod eius diuisio respectu expresse pœnæ, oppositio vero procedit quo ad pœnam

28. etiam tacite adiectam; inter quæ non parum refert. Secundo id quod præfata diuisione præsupposita per multa concludit legem, videlicet tantum pœnalem, quatenus est pœnalis nõ tollere obligationem ad culpam per priorem legem inductam, etiam non præmissa præfata diuisione, potuit loquendo vt plures docere; sed nec ad id probandum erat opus multis quæ ipse adducit. Tum quia neminem puto esse qui cõtradicat. Tũ quia vix habet vllam rationem dubitandi; & disputatio debet esse de re dubia, in l. ancillæ. C. de furt. Tum quia id probant cap. si quis ex clericis comam relaxauerit, excommunicetur. de vit. & honest. cler. quod est lex pure pœnalis contra clericos alia priori lege vetitos relaxare comas, & nemo vnquam dixit nec somniauit per illud relaxari culpam, ad quod obligabat prior. Idem probat prædictum cap. si quis suadente. & præfati 17. canones 30. distin. & lex si quis in tantam. C. vnde vi. & alij citati ex Concil. Trid. Tum quia actus agentium non operantur vltra intentionem eorum, l. non omnis. ff. de reb. cred. & cap. fin. de præb. & ferens legem nouam pœnalem, quatenus id facit, non inedit tollere culpam, propter quam pœnam inducit; immo tacite, nisi aliud exprimat, videtur eam cõfirmare, vt sentiunt omnes scribentes in d. cap. si quis ex clericis. & alijs præ-

29. citatis. Tum quia remedia posteriora in dubio nõ tollunt priora, saltem quatenus non sunt eis contraria. l. non est nouum. & l. sed & posteriores. ff. de legib. & noua defensio, seu nouum ius nõ tollit in dubio antiquam, cap. veniens. de præscript. quia quod expresse non mutatur manet. l. sanctimus. C. de testam. & l. præcipimus. C. de appell. Tum quod inducta ad augmentum non operantur diminutionem, neque è contrario. cap. fin. de verb. sig. & l. legata inutiliter. ff. de adim. leg. At lex pure pœnalis, contra transgredientem legem priorem ad culpam obligantem lata, fertur ad augendam custodiam legis prioris, ergo non operabitur diminutionem eius; quod faceret, si tolleretur obligatio ad culpam, quam palam est multum suadere illius custodiam, cum timor offensionis diuinæ multum nos

reuoçet à malo, cap. irrefragabili, de officio ordina. cum multis similibus.

- 30 Tertio principaliter prædictus Castrenf. in prædicto cap. 10. ex supradicta conclusione infert, omnes qui secant, vel asportant ligna de alienis syluis, vel pascent pecora in pratis, & montibus alienis, peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem ablatorum, & damnorum, non obstantibus legibus pœnalibus Regnorum, vel ciuitatum, quibus certa pœna statuitur imponenda ijs, qui ea faciunt; idque ait irrefragabiliter ex prædicta conclusione sic deduci: Lex naturalis, & diuina, quæ leges omnes præcessit, obligat furantem, rapientem, & damnificantem ad culpam mortalem, & ad rei ablatae & damni facti restitutionem, Exodi 20. l. 1. de furt. adiuncto cap. si res. 14. quæst. 6. & cap. peccatum. de regul. iur. lib. 6. & cap. sæpe. de restitut. spoliat. At leges posteriores adijcientes pœnas legem naturalem transgredientibus, in quâtum huiusmodi, sunt pure pœnales factæ ad maiorem custodiam illius, ergo non tollunt obligationem ad culpam per eam inductam. Quod ipsum etiam
- 31 alia ratione ait euidenter probari, nempe quod inferior non potest etiam si maxime velit, legem superioris tollere; in quod, licet ipse non alleget, est tex. in clem. ne Romani. de elect. cap. ex insinuatione. de appellat. cum alijs similibus. quod maxime procedit in diuina, quam vsque ad sanguinem tenemur omnes defendere, c. sunt. quidam. 25. q. 1. & cap. ita ne. 32. q. 5. At lex diuina naturalis obligat huiusmodi malefactorem ad culpam mortalem, cap. 1. ad Roman. ergo nulla humana, siue sit pœnalis tantum, siue moralis tantum, siue mixta, potest illam tollere. Et grauissime arguit tum imperitiæ, tum impietatis eos, qui contra prædictam illationem consuluerunt, quales multos se vidisse testatur, quorum fortassis de numero sum etiam ipse, cuius scripta in hanc conclusionem inclinantiâ forte viderat.

Contra tamen prædictam illationem est consuetudo vbique fere gentium à subditis seruata, & à superioribus tollerata, & à confessarijs, qui prædictam restitutionem non præcipiunt, approbata, à quorum aliquibus interrogatus ipse ante annos circiter 50. memini me semel scripto respondere, & deinde responso recuperato suspendisse sententiam, donec otio competenti suppeditato inuenirem rationem formalem, qua dubietatem animi expellerem, quam per xx. annos, & amplius non inueni; ideoque eo tempore solebam respondere confessarijs, qui me super hoc tum verbo, tum literis interrogabant, vt absolueret confessos, qui vere proponerent facere quicquid in hoc tenerentur secundum iuris diuini & humani peritorum sententiam: eo quod primo videbam periculosam esse de peccato mortali definitionem, vt dixit S. Thom. ab omnibus receptus in quolibet. 9. quæst. 7. artic. 15. in hæc verba: *Omnis questio, in qua de mortali peccato quaritur, nisi expresse veritas habeatur*

habeatur, periculose determinatur: quia error, quo non creditur esse peccatum mortale quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licet forte à tanto. Error vero, quo creditur esse mortale, quod non est mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale. Præcipue autem periculosum est, ubi veritas ambigua est. quod in hac quæstione accidit.

Secundo quod considerabam quam difficilis sit vitæ, & consuetudinis mutatio, iuxta auth. de monachis. §. 1. & quod consueta minime sunt mutanda, l. minime. ff. de leg. nisi clare constet consuetudinem esse intollerabilem, cum legis varie intelligibilis consuetudo sit optima interpretis, cap. cum dilectus. de consuet. & quod consuetudo fere vbique gentium seruet prædictæ conclusionis contrarium ita mordicus, vt fere impossibile fuerit eam abrogare. Quare post longam meditationem visa sunt firma quæ sequuntur dicta.

- 33 Primū, esse distinguendum inter sylvas, quas veluti vineas plātant, & fodiunt homines priuati, vel publici, siue respub. in terris suis priuatis, vel publicis, & herbas satas, vt seritur frumentum ab eisdem in similibus terris, quasque quotannis secant, & recondunt in scenarijs ex vna parte, & inter sylvas antiquas sponte in vallibus, & montibus natas, & auctas, & herbas sponte natas in terris priuatis, vel publicis; secundum quod in paucis terris est consuetudo, qua liceat, soluta pœna, primi generis arbores cædere, & herbas depascere; in multis autem, & fere vbique est consuetudo, qua liceat id facere in arboribus, & herbis secundi generis: & merito; quia facilius, & rationabilius potuit induci consuetudo hæc, quam illa, eo quod illa secundi generis longe magis communia sunt, quam hæc primi generis. Illa enim omnia sponte nascentia, sicut à principio erant communia, & occupantis fiebant, iuxta l. 1. ff. de acquiren. rer. domi. licet postea fuerint facta publica certorum populorum, vel priuata certorum particularium quo ad dominium, & proprietatem; sic facilius potuerunt remanere communia quantum ad eum vsum, quo liceret vti eis impune, si non deprehenderentur, vel soluta pœna si essent
- 34 deprehensi. quia in symbolizantibus, hoc est similes qualitates habentibus, facilius est transitus secundum philosophos in 2. de generat. & facile res ad suam pristinam naturam reuertitur, cap. ab exordio. 35. distinct. & l. si vnus. §. pactus ne peteret. ff. de pact. vbi multa in hoc adiecit Iason, & Feli. in cap. cum omnes de constitut. & ita facilius potuit continuari consuetudo antiqua, quæ continuata tempore legitimo suffecit ad inducendam illam seruitutem, & sustinendum onus patiendi damnum, de quo agitur. Hæc autem primi generis sunt multo magis propria, quippe quæ nunquam fuerunt ita communia, vt fierent occupantis neque quo ad dominium, neque quo ad vsum.

Tertium

826 COMMENT. c. FRATERNITAS. 12. q2.

- 35 Tertium, quod consuetudo, quæ haberet ut liceret alijs capere alienum, vel uti re aliena inuito domino sine iure id faciendi, nihil valeret, nec consequenter excusaret à peccato, & à restitutione damni; quia illa esset contra legem diuinam, & etiam naturalem, præsupposita rerum diuisione, & consequenter nulla per ca. mala, & cap. frustra. de consuet. 8. dist. 9. etiam si mille annis esset continuata, ca. fin. de consuet. & ca. fin. de præscript.
- 36 Quartum, quod consuetudo, quæ haberet ut quis capere posset alienum, vel uti eo inuito domino, mediante iure aliquo legitimo, valida est, & excusatur à peccato, & à restitutione damni: excusantur enim omnes, qui utuntur usufructu, vel usu, & habitatione rerum alienarum legitime constitutis, etiam inuitis dominis earum. ff. & C. & instit. de usufruct. & de vs. & hab. per totum. & qui utuntur seruitutibus verbanorum, vel rusticorum prædiorum legitime constitutis. ff. & C. de seruit. & seruit. vrb. & rust. præd.
- 37 Quintum, quod consuetudo potuit inducere ius cedendi, & asportandi ligna, & depascendi herbas supra dicti secundi generis impune, si non deprehenderetur, & soluta certa pœna, si deprehenderetur. Tum quia hoc nulli iuri diuino, aut naturali repugnat, tum quia hoc ius, & seruitus potest constitui consensu dominorum, iuxta l. 1. & 3. ff. de usufruct. & l. via. & seq. ff. de seruit. vel lege publica ex iusta causa in id edita. argu. l. item si verberatum. ff. de rei vend. & l. Lucius. ff. de euct. & late notatorum per Innoc. & omnes cap. quæ in ecclesiarum. de constit. Tum quia id in specie probatur per l. venditor. §. si constat. ff. commi. præd. quæ habet posse libere per consuetudinem ex lapidicina aliena cedere lapides certo pretio soluto, etiam inuito domino. & ita vbique fere gentium præfata consuetudo irrepfit.
- 38 Sextum, quod sunt quædam regiones montanæ in Regno Navarra, in quibus vsque in hodiernum diem est consuetudo, duratura, ut credo, perpetuo, ut liceat etiam omnino impune depascere non solum herbas sponte natas, vel fatas, sed etiam segetes triticeas filigineas, & quascumque alias fatas in terris non septis, & etiam in septis, si sepimenta non fuerint ad resistendum pecorù ingressui satis munita, ea ratione introducta, quod alioqui oporteret incolas omnes multos custodes paucarum ouium, paucorum porcorum, & paucarum vaccarum, & aliorum pecorum, quæ nutriuntur hærbis sponte nascentibus quos non possent habere. Quare consensu publico, & consuetudine iam pridem præscripta introductum est, ut quicumque aliquid seruerit, vel plantauerit, sepiat, vel custodiat illud, ita ut pecora non possint illud depascere, vel patienter ferat damnum quod ei à pecoribus sine custode errantibus, sine tamen dominorum eorù dolo, fuerit illatum: quæ consuetudo licita est, quoniam non dicitur, ut liceat furari, vel damnificare iniuste sine iure legitimo id faciendi, sed quod facere

facere id mediante iure eiusmodi seruitutis, vel permissionis publico consensu, & publica lege introductæ non sit furari, neque damnificare iniuste. Per quod solvuntur argumenta in contrarium formata, & consuetudine tolerabili ab intolerabili separata.

Ad argumenta contraria respondetur. Ad primum, concedo quidem nulla pœnali lege, quatenus est talis, tolli obligationem ad culpam per aliam legem priorem inductam, immo nulla lege humana, aut consuetudine qualibet generali, vel speciali tolli obligationem ad culpam inductam lege diuina, vel naturali illam præcedente; negando tamen quod extante præfata consuetudine is, qui cedit ligna, vel depascit herbas, committat furtum, rapinam, vel aliud damnum iniustum inferat: quoniam non cedit, nec damnificat iniuste, sed vititur iure suo; & qui vititur iure suo nemini facit iniuriam, ca. cum ecclesia vulterana. de elect. & l. iniuriarum. §. 1. ff. de iniur. etiam si nocumentum inde alteri eueniat. l. si in meo. ff. de aqua plu. arc. & l. Proculus. ff. de dam. infect. nisi nocendi animo id faciat. l. fluminum. §. fin. ff. de dam. infect. quæ est Bart. & aliorum communis resolutio. Ad secundum vero respondetur concedendo quidem non posse inferiorem tollere legem superioris, concedendo item legem de nõ furando esse legem superioris, immo omnium supremi, nempe Dei Opt. Max. & consequenter nulla lege humana, neque pœnali, neque morali posse tolli obligationem ad culpam inductam ab ea; negando tamen quod non possit fieri consensu humano, vel lege, & consuetudine humana, ne aliquis rei alienæ vsus sit furtum, qui alias non extante tali consensu, lege, vel consuetudine, esset furtum. nam supra probatum est non esse furtum, nec rapinam, vel damnificationem iniustam illum vsus, quo usufructuarius, vel vsuarius, vel alius habens aliam seruitutem, vel aliud ius, vititur eo in re aliena inuito domino; quod tamen esset furtum, vel rapina, vel damnificatio iniusta, si absque tali iure id faciendi ea vteretur. & in casu proposito consuetudo præfata præstat ius vtendi certo modo re aliena; & ita nihil obstat prædictum argumentum. Ad tertium, quod tacite inuoluitur in prædictis duobus, respondeo concedendo quidem quod nulla lex pœnalis, quatenus est talis, tollit obligationem per præcedentem legem inductam; sed negando quod nos, qui hanc conclusionem tenemus, dicamus quod ratio, quare qui supradicto modo cedit ligna, vel depascit herbas, non peccat, nec tenetur ad restitutionem; sit quia lex humana pœnalis apponendo pœnam sic secanti, vel depascenti, tollat culpam, quam per legem diuinam incurrit; sed ea ratione nitimur, quod præfata consuetudo inducta consensu publico, vel lege publica, efficit ne illa cæsis, vel depastus sit illicitus, introducendo ius nouum, vel conseruando antiquum quo id facere liceat.

41. Quarto principaliter prædictus Alfonso ubi supra infert, illos, qui iusta tributa principibus debita per fraudem, aut simulationem, reddere committunt,

828 COMMENT. c. FRATERNITAS. 12. q. 2.

mittunt, non liberari à peccato, nec à restitutione ob legem pœnalem cõtra tales editam: in quod confirmandum late spatiaur, cuius argumentorum nerui sunt in summa ij. Primus, quod quicumque iuste debet aliquid, tenetur id soluere sub pœna peccati, & restitutionis, toto titulo ff. & C. de solut. & Inst. quibus modis tol. oblig. & in c. ea te. de iure iur. ca. sæpe. de restitutione spoliatorum. At tributa iuste debentur Regibus, & Principibus: ipsemet enim Christus D. N. Math. 17. pro se, & Petro soluit, & iussit quę sunt Cæsaris Cæsari reddi Math. 22. Mar. 12. & Paulus expresse id præcipit ad Romanos 13. Secundus est, quod dignus est operarius mercede sua, Luc. 10. & cap. 1. 13. quęst. 2. & Reges, ac Principes sunt operarij Rei publicę circa tuendam iustitiam, & pacem subditorum, ut probat cap. si tributum. & cap. magnum. 11. q. 1. cap. tributum. 23. q. 8. & declarat S. Thom. cum alijs in d. cap. 13. & in tract. de regim. princip. lib. 3. c. 5. nec est catholicus qui hæc neget; ob quod poterat ipse leuate se onere tam late probandi. ergo sicuti negans mercedem operario peccat mortaliter secundum omnes, adeo quod vulgo dicatur, vnum de tribus peccatis clamantibus in cœlum est merces retenta laborum; ita qui negat Regi tributum, quia videtur negare mercedem illi debitam, peccat mortaliter. Cuius rationibus addo primo quod tributum tam debetur Regi, quam quod ipse mutuo, vel commodato dedisset, vel quod ex venditione sibi deberetur, vt probant cap. tributum, & alia proxime citata. At nemo vnquam dixit non peccare qui renuit soluere Regi mutuum, commodatum, vel pretium rei ab eo emptę; ergo nemo debet dicere non peccare illum qui Regi tributa soluere renuit: quia æquiparatorum æquiparata est ratio, cap. translat. de constit. & cap. si postquam. de præb. lib. 6. l. 1. ff. de leg. 1. vbi doct. Addo secundo, quod nemo dicit non peccare qui fraudat Regem censu, quem debet de prædio conducto, vel in emphyteusim accepto; ergo nec debet dicere fraudantem tributa regia non peccare. arg. l. illud. ff. ad legem aquiliam. & cap. 2. de translat. prælat. Tertio, quod qui fraudat proximum censu ei debito ob causam priuatam, peccat cum onere restituendi, ergo à fortiori qui debet Regi ob causam publicam, arg. cap. cum in cunctis. de elect. & authen. multo magis. C. de sacrosanct. eccl. cum bonum publicum præferatur priuato, cap. licet. de regul.

- 42 Contra tamen eius conclusionem facit primo quod durum videtur damnare culpę mortalis omnes qui contrarium eius faciunt, cum vbique ferre gentium qui exportant merces, ex quibus debetur Regi pars decima, vel alia, conentur occultare aliqua, ne de illis cogantur soluere quicquam: & eiusmodi onera grauia, & dura tollenda esse significauit Dominus per illud Matth. 23. alligant onera grauia, & importabilia. relat in cap. alligant. 26. q. 7. Secundo, quod consuetudo potest tollere, & modificare omnem legem humanam, cap. fin. de consuet. l. 2. C. quę sit longa consuetudo.

- tudo. At licet sustentatio necessaria Regi decenter sustentando debeatur iure naturali iubente mercenario mercedem soluere, iure tamen humano est instituta quantitas sustentationis regiae; & ita potest illam consuetudo augere, vel modificare. At consuetudo dictans nequis sine mendacio, & periurio occultans aliquas merces ad aliud non teneatur, nisi vt deprehensus soluat solitiū vectigal cum auctario dupli, vel quadrupli, non tollit sustentationem regiam, sed moderat eam tantum, ergo potest valere, & excusare. Tertio, quod nullibi gentium confessarij cogunt confitentes huiusmodi fraudes ad restituendum; & bona pars eruditorum sunt confessarij; ergo bona pars eruditorum videtur probare consuetudinem praefatam. Quarto, quod poena conuentionalis debetur, l. stipulatio ista. §. alteri, & l. si insulam. de verb. obl. At non est dicendum quem peccare non soluendo illam, nisi soluere iubeatur, ergo neque non soluendo tributum.
- 45 Quinto, quod difficile valde fuerit, ne dicam impossibile, mercatores, & alios ab hac consuetudine semoueri; & quod, qua parte fieri potest, seruanda est consuetudo. cap. quæ contra mores. §. distinct. cap. erit autem lex. 4. dist.
- 46 Pro resolutione huius tanti dubij præmitto primo, quod tributum generaliter sumptum potest dici quicquid tribuitur, vt dicit gloss. notabilis in rubr. C. de annonis, & tributis, lib. 10. cui ad stipulatur vulgus, quod appellat tributum id quod quis quotannis debet etiam alicui priuato, & tributarium eum qui illud debet: ad stipulatur etiã quod pensio emphyteutica appellatur canon in l. fin. C. de iur. emphy. & canonem esse tributi specie infra dicetur. Vnde videtur quod sicut pensio verbum descendens à verbo, pendo, comprehendit pensionem publicam, quæ debetur Regi, & priuatam, quæ debetur priuato, vt recte ait Syluester in verbo gabella 1. ita etiam tributum potest appellari publicum, & priuatum, licet ipse aliter dicat; quamuis parum referat an sic, vel sic, vel hoc, aut illud teneantur. Secundo, quod verbum tributum strictius captum significat tantum id quod debetur Reip. siue dicatur à tribubus, vt ait Varro, quod ea pecunia, quæ populo imperata erat, tributim à singulis pro portione census soluebatur, siue (vt ait Festus) à tribuendo deriuetur, eo quod ex priuato in publicum tribuatur; ex quo inferitur quod licet verbum vectigal secundum originalem significationem strictius sit, quam tributum
- 47 etiam strictè sumptum, nam à principio solum significabat portorium, quod ex rerum ventione debebatur; nunc tamen latius patet, quam verbum tributum strictè sumptum; quoniam tam ad publicos reditus, quam ad priuatos extenditur, iux. l. vectigalia, & alias multas, ff. de publicanis, & vectigal. quæ de vectigalibus Reip. disponunt, & iuxta illud Ciceronis in paradox. *ex meo tenui vectigali capio ego ducenta*. cui consonat l. quero. ff. de vsufr. leg. & l. cedere. ff. arbor. furt. casarum. & rubr. & l. 1. ff. si ager
- 48 vectigalis, vel emph. pet. Tertio præmitto, etiam sumpto strictè verbo
- tribu-

tributum, varia esse genera tributorum, quæ Regi, & Principibus debentur: quod testatur Budeus de asse lib. 4. in hæc verba, *Aerarium Romanum ex vectigalibus, & tributis olim constitutum fuit, quomodo & hodie nostrum.* Vectigalia trium generum fuerunt, ex agrorum cultu, ex mercium traiectu, & ex pascuis. Primum decimæ, alterum portorium, tertium scriptura appellabatur; & præter hæc salarium: quod probat ex illo Ciceronis de Imperio Cn. Pompeij. Nam in cæteris rebus, cum venit calamitas, tum detrimentum accipitur. At in vectigalibus non solum aduentus mali, sed etiã metus ipse affert calamitatem. Nam cum hostium copiarum non longe absint, etiam si irruptio nulla facta sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum nauigatio conualescit. Ita neque ex portu, neque ex decimis, neque ex scriptura vectigal conseruari potest. Et idem Budeus eod. lib. sic ait. Non omittendum etiam prouinciales olim stipendiarios tria genera pensitationum agnouisse, canonem, oblationem, & indictionem; quæ etiam populares hodie in Gallia agnoscunt. Hæc tria genera Cicero his verbis complexus est in 3. Verrina, auctore Ascanio: sic enim inquit de Sicilia loquens. *Quando frumentum, quod deberet, non ad diem dedit? quando id quod opus esse putaret non vltro pollicita est? quando id quod imperaretur recusauit?* Quarto, quod tributorum, & vectigalium publicorum, de quibus agimus, alia sunt realia, alia personalia, alia mixta, sicut & munera, de quibus in l. munerum. ff. de munerib. & honorib. & Panor. & alij in cap. aduersus, & cap. inter alia. de immu. eccl. Vt enim ex superioribus, & ex l. 3. & 4. ff. de censu. colligitur, alia tribuuntur ob res tantum, alia ob personas tantum, & alia ob vtraque. Tributa alia sunt, quæ Regi, vel Reipub. debentur ex solis rebus immobilibus; qualia sunt, quæ debentur Regi, vel Reipub. ex prædijs rusticis, vel vrbanis, & alijs terris, quæ populus à principio destinauit ad regiam sustentationem, quæ videtur sortita appellationem canonis, tanquam canonicum, & regulare tributum; quod significant verba præfata Ciceronis, & l. 1. C. de indic. quatenus disponit, vt superinductiones soluantur veluti canones, & post illam legem non soluantur vt extraordinaria, sed vt canonica, & regularia. Illa item, quæ debentur Regi ex rebus immobilibus ei quesitis per contractus, & vltimas voluntates eo modo, quo alijs priuatis quaeruntur; de quibus in l. 1. 2. & fin. & per totum titulum C. de fund. patrimon. lib. 10. Illa item quæ debentur ei ex bonis Regijs, vel publicis, quæ ipsius Regis, vel Reip. auctoritate fuerunt concessa, vel etiam nunc conceduntur in emphyteusim, vel feudum sub aliquo annuo censu: quod genus tributorum videtur appellare Cicero, quem in hoc adducit vbi supra Budeus, de cimarum, seu decimas, & leges præfatæ canonem. Personalia vero, vel mixta, sunt quæ debentur ob personas tantum, vel ob personas, sicut si mul; qualia sunt, quæ postea Reges, & Principes superinducunt ipsi populo, quæ capitationes, census indictiones, & superindictiones, angaria;

aria, & perangaria, & vectigalia vocantur, vel. 1. C. de capita civi. eximien. lib. 10. & l. 3. ff. de cens. & l. iudices. C. de anno. & tribut. lib. 10. & l. 1. C. de superindictio. Portoria item, & decima à Cicerone, & Budeo, vulgo talia, collecta, gabella, guidagia, pedagia, duana, & ab Hispanis alcauala, quarteres, & aliis id genus nominibus.

Secundo considero, quod prædicta primi generis tributa naturalius debentur ipsis regibus, quam tributa secundi generis: quia eodem iure naturali, & ordinatio ea debentur eis, quo alijs omnibus priuatis census, & reditus siue temporarij, siue perpetui, debentur ex fundis, vel alijs suis rebus locatis, vel in emphyteusum vel feudo à se concessis, iuxta leges omnes ff. & C. de locat. & titulo si ager vectig. & ff. si ager vect. & C. de iur. emph. & ca. 1. de feudis, & cap. pouit. de locat. Alia vero secundi generis debentur minus naturaliter, tanquam extraordinario quodam modo inducta; & ita ea videntur esse debita eo modo, quo populus suscipit solvenda de consensu principis, vel reipub. expresso, vel tacito: extraordinario enim modo inducta, licet sint ordinaria, non sunt adeo naturalia, & favorabilia, sicut ordinario modo inducta, iux. glol. sing. in clem. 2. de offi. ord. verb. nolumus. quæ putata singularis ibi à Card. & ab omnibus ubique recepta, ait iurisdictionem legati Sed. Apost. quamvis sit ordinaria, quia tamen extraordinario modo inducta, non est adeo naturalis, & favorabilis, ac iurisdictionis episcopalis; quod efficaciter probat prædicta clem.

Tertio considero, quod non omnis lex obligat ad peccatum mortale, sed illa sola, quæ est iusta, promulgata, recepta, nõ derogata, &c. vt latius declaramus in Manuali c. 23. à nu. 39. Quibus addo, quod sicut lex, quæ in nihilo recepta est à principio, in nihilum obligat, vt ibi diximus; quia sicut singulariter Dominicus in §. leges. 4. dist. receptus à recetioribus ibi, & in c. 2. de const. & late Fel. in c. 1. de treug. & pa. num. 12. ita lex aliqua ex parte recepta, & ex aliqua non, licet obliget quo ad id in quo est recepta, non tamen ligat quo ad id in quo non est recepta. Quia quod iuris est de toto ad totum, idem iuris de parte ad partem, quando eadem ratio manet in parte quæ in toto. l. quæ de toto. ff. de rei vend. & cap. pastoralis. §. item cum totum. de offi. deleg. Ob quod ante annos Salmanticæ pro tribunali iudicauimus, quidam præsupponunt non fuisse regularem filium, eo quod.

Hanc partem, etsi mutilam nimium, iudicauimus tamen imprimendam, ne pereat, sperantes fore, vt is, ad quem reliqua pars peruenit, conscientia stimulatus, illam sit redditurus, vt sic in secunda impressione reddatur integra.



AD LIBRVM EPIGRAMMA.



*Cunctorum Arus ades, cunctisq; omni pretiosior auro,
Rerum Nauarri pars bona, docte liber:
Ecce sinum pandit cupidus tibi lector
amicum,*

*Ecce auidam extremo tendit ab orbe manum
I felix, sat te magni tenuere Quirites:
I, strauit facilem fama benigna uiam.
Nec moueat, si quis lacrymis te sumat obortis,
Dulciter illa pio è lumine gutta fluet:
Sic gratus patris extincti bona suscipit heres,
Sic uiduas arca dite recludit opes.*



INDEX RERVM, AC VERBORVM,

Quæ hac secunda parte continentur.

- A**Bbas suis minores sine Episcopi examine conferre potest. consil. 13. de priuileg. num. 5. lib. 5. pag. 533.
- Abbas nullius diœcesis habens iura episcopalia, est ordinarius. consil. 5. de spons. nu. 2. lib. 4. pag. 14.
- Abiurare est recedere ab aliqua re cum iuramento de non redeũdo ad illam. consil. 5. de hæret. num. 1. lib. 5. pag. 344.
- Abiuratio etiam de vehementi est quædam purgatio canonica. consil. 5. de hæret. nu. 3. lib. 5. pag. 345.
- Abiuratio duplex: altera, qua quis pœnitentia hæreseos incurset: altera, qua se purgat. consil. 5. de hæret. num. 6. lib. 5. pag. 345.
- Abiuratio hæresis quid propria, & quid impropria; illa inhabilitat, hæc non. consil. 6. de hæret. num. 1. lib. 5. pag. 346. & consil. 2. num. 1.
- Ablatiuus absolutus inducit formã, qua non seruata, corrumpit actus. consil. 13. de spons. num. 4. lib. 4. pag. 35.
- Abortum consulens ei, quam dubitat esse prægnantem, an sit irregularis. consil. 23. de homicidio. num. 1. lib. 5. pag. 406.
- Abortum desiderans, seu consulens, peccat mortaliter. consil. 22. de homicidio. num. 1. lib. 5. pag. 405.
- Abortus procuratus, nisi fetus sit animatus, non facit irregularitatem, & quando sit animatus. consil. 22. de homicidio. num. 1. & 2. lib. 5. pag. 405.
- Aboluendi in articulo mortis limitationẽ tollit concilium. consil. 15. de pœnit. & remiss. num. 2. lib. 5. pag. 575.
- Aboluendus an sit ab omnibus, qui vnum, vel alterum peccatum ob ignorantia lingue nouit confiteri. consil. 10. de pœnit. & remiss. num. 1. lib. 5. pag. 570.
- Aboluere Episcopus potest eos, qui in gradibus prohibitis matrimonia contraxerunt. consil. 1. de priui. nu. 3. lib. 5. pag. 514.
- Aboluere ab excommunicatione Papæ reseruata potest Episcopus pauperes mendicare non assuetos. consil. 14. de sent. exc. num. 1. & 2. lib. 5. pag. 622.
- Aboluere nequeunt Mendicantes à reseruatis Episcopis pœnitentium, etiam si in vrbe confessiones audiant. consil. 14. de pœnit. & remiss. num. 1. lib. 5. pag. 574.
- Aboluere Episcopi possunt per Concilium Trid. etiam à casibus in Bulla cœnæ reseruatis. consil. 43. de sent. excom. num. 3. lib. 5. pag. 684.
- Abolui magis merentur actu restituentes, quam restituere promittentes. consil. 1. de pœnit. & remiss. num. 4. lib. 5. pag. 556.
- Abolui potest in articulo dubiæ restitutionis pœnitens vere proponens facere quod tenetur secundum peritorem sententiã. cap. frater. de lege pen. num. 32. pag. 824.
- Abolui nequit, quæ nupsit infideli, nisi ab eo se separet. consil. 3. de clandest. despons. nu. 18. lib. 4. pag. 113.
- Abolui à legato Papæ vt possit excommunicatus, quãdo longe à iudice competente distat. consil. 6. de sent. excom. nu. 6. lib. 5. pag. 610.
- Abolui ab excommunicatione, antequam satisfaciatur, nequit, qui ob manifestam offensam incurrit irregularitatem. consil. 2. de condit. apposit. num. 5. lib. 4. pag. 119.
- Abolui qui propter impedimẽtum veniendi Romam potest à percussione clerici, poterit à quacumque alia excommunicatione reseruata. consil. 14. de sent. excom. num. 3. lib. 5. pag. 622.
- Abolui plene potest quis; in articulo mortis à quolibet sacerdote, sed consulte à proprio, si haberi potest. consil. 15. de pœnit. & remiss. num. 1. & 3. lib. 5. pag. 575.
- Abolui virtute cruciatæ potest excommunicatus, quando res est dubia, etiam parte non satisfacta. consil. 7. de sent. excom. num. 7. lib. 5. pag. 613.

GGg

Abolui

I N D E X.

- Abfolui à peccato nemo potest, nifi contritus, & prius ab excommunicatione abfoluatur.** conf. 21. de fimonia. num. 7. lib. 5. pag. 219.
- Abfolui pœnitentes poffunt virtute Iobelei à referuatis Papæ etiam post Iubeleum concessum commiffis.** conf. 43. de sent. excom. num. 2. lib. 5. pag. 684.
- Abfolui nominatim excommunicatus virtute cruciatæ sine præcedente satisfactiōe non potest.** conf. 11. de sent. excom. nu. 2. lib. 5. pag. 619.
- Abfolutio ab excommunicatione, etiam si sit iniusta, tenet.** conf. 7. de sent. excomm. num. 8. lib. 5. pag. 613.
- Abfolutio, qua presbyter concubinam suam abfoluit, valet.** conf. 61. de fimonia. num. 13. lib. 5. pag. 297.
- Abfolutio data cautione, ea non præstita, non valet.** conf. 2. de cond. apposit. num. 1. lib. 4. pag. 118.
- Abfolutio ad cautelam à Vicario vrbs facta ei, qui domicilium non habet, valida.** cōf. 28. de sent. exc. num. 20. lib. 5. pag. 660.
- Abfolutio ab vna censura non excéditur ad alias.** conf. 1. de cler. excom. ministr. num. 1. lib. 5. pag. 507.
- Abfolutio per cruciatam in foro conscientie tantum consulit, nisi, &c.** conf. 23. de pœnit. & remiss. num. 3. lib. 5. pag. 591. & de sent. excom. conf. 11. num. 1.
- Abfolutio ab excommunicatione quo ad forum Dei quid operetur.** conf. 23. de pœnit. & remiss. num. 3. lib. 5. pag. 591.
- Abfolutus ab Episcopo propter impedimentum veniendi Romam, non manet obligatus ad veniendum Romam.** con. 14. de sent. excom. num. 4. lib. 5. pag. 623.
- Abfolutus ab omnibus virtute Iobelei, etiã ab oblitis est abfolutus.** conf. 18. de simo. num. 2. & seq. lib. 5. pag. 213.
- Abfolutus quo ad forum interius tantum, non est quo ad exterius.** consil. 5. de priu. nu. 8. lib. 5. pag. 523.
- Abfolutus ab excommunicatione sub forma, si prius cauerit, & cum citatione, & monitione, censetur abfolutus sub conditione si ante tempus cauerit.** conf. 17. de sent. exc. num. 2. lib. 5. pag. 628.
- Abfolutus in foro tantum conscientie, in exteriori pro non abfoluto declarandus.** conf. 15. de sent. exc. nu. 2. lib. 5. pag. 625.
- Abfolutus de hæresi per abiurationem habetur pro innocente.** conf. 5. de hæret. nu. 4. lib. 5. pag. 345.
- Abfolutus per abiurationem etiam de vehementi non manet inhabilis.** conf. 5. de hæret. num. 6. lib. 5. pag. 346.
- Abfoluti ab omnibus virtute cruciatæ, etiã ab oblitis referuatis abfoluti censentur.** conf. 6. de spons. num. 2. lib. 4. pag. 15.
- Abfolutus quo ad Deum ab excommunicatione, etiam in iudicio vitari non debet, nisi id aduersarius petat.** conf. 23. de pœn. & remiss. num. 4. lib. 5. pag. 591.
- Accusatus de crimine, pendente lite, promoueri potest.** conf. 2. de accus. & inquis. num. 1. lib. 5. pag. 175.
- Accusatus de simonia, ac de excommunicatione diffamatus, olim erat vitandus, modo non.** conf. 61. de sent. excom. num. 2. lib. 5. pag. 714.
- Accusati promotio ob infamiam apud bonos securam impeditur.** conf. 3. de accus. & inquis. num. 6. lib. 5. pag. 177.
- Accusatus, denunciatus, & inquisitus infamis non promouendus.** conf. 3. de accusa. & inquis. num. 7. lib. 5. pag. 178.
- Accusatio, denunciatio, vel inquisitio de graui tantum causa infamat.** consil. 3. de accusatio. & inquisit. num. 8. lib. 5. pag. 178.
- Accusatio de bono opere est iniqua.** consil. 66. de simon. num. 3. lib. 5. pag. 802.
- Acta præterita, licet à futuro euentu pendean, per nouam dispositionem non tolluntur.** conf. 2. qui filij sint legit. nu. 6. lib. 4. pag. 798.
- Acta, & producta in iudicio sunt parti edenda.** conf. 20. de senten. excommu. num. 9. lib. 5. pag. 636.
- Actio ad centum post biennium soluenda minoris emi potest.** conf. 18. de vsur. nu. 1. lib. 5. pag. 471.
- Actionis, vel pœnæ noue inductio veterem non tollit.** conf. 1. de pœnis. num. 2. lib. 5. pag. 551.
- Actiones veniales, & non mortales possunt in foro conscientie tolerari.** conf. 2. de Iudicis. num. 13. lib. 5. pag. 329.
- Actor, & reus quis agedo personas diuersas esse potest.** conf. 1. de vsuris. nu. 8. lib. 5. pag. 437.
- Actus vltra intentionem agentium non operantur,**

I N D E X.

- rantur, & secundum principalem eorum intentionem iudicantur.** conf. 75. de sim. nu. 8. lib. 5. pag. 315.
- Actibus in cunctis attenditur, quod principaliter intenditur,** conf. 1. de iniur. & damno dato. num. 3. lib. 5. pag. 543.
- Actus consistens in mero facto, & ad capitulum spectans, per canonicos singulariter expediri potest, & tenet.** conf. 21. de sent. excom. num. 4. & seq. lib. 5. pag. 638.
- Actus tradendi possessionem fieri vtiliter & capitulariter debet.** conf. 21. de sent. exc. num. 6. lib. 5. pag. 639.
- Actus valor à potestate, & voluntate facientis pendet.** conf. 5. de priuil. num. 1. lib. 5. pag. 521.
- Actus factus contra legem quando valet.** cõ sil. 4. de cog. spirit. nu. 1. & 2. lib. 4. p. 130.
- Adiurare Deum, diabolum vt inimicum, homines vt amicos, licet, non tamen irrationalem creaturam,** conf. 5. de sent. exc. num. 9. lib. 5. pag. 606.
- Adiuratio, vel incantatio irrationalis creaturæ, cui admiscetur aliquid falsum, est tacita dæmonis inuocatio.** conf. 5. de sent. excom. num. 10. lib. 5. pag. 607.
- Administrator beneficij etiam culpabiliter factus non tenetur fructus restituere, quãdo nec beneficiarius tenetur.** conf. 30. de simon. nu. 3. lib. 5. pag. 235.
- Adulter coniunx nolens adulteram recipere non est absoluendus,** conf. 1. de diuortio. num. 2. lib. 4. pag. 162.
- Adulter ad recipiendam coniugem ad alterã cogi potest.** conf. 2. de adulter. num. 1. lib. 5. pag. 424.
- Adulter correctus adulteram impenitentem potest dimittere, sed non religionem ingredi, nisi, & c.** consil. 3. de diuortio. nu. 3. & seq. lib. 4. pag. 167.
- Adulter ius petendi debitum amittit, & innocens ius illud negandi acquirit.** conf. 1. de adult. num. 1. lib. 5. pag. 422.
- Adulteria coniugum vt mutua compensatione tolluntur, siue concurrant, siue non, siue vnum sit publicũ, & aliud occultum.** consil. 1. de diuortio. num. 1. lib. 4. pagina 162.
- Adultera mariti adulteri professionem semper reuocare valet.** conf. 3. de diuortio. nu. 2. lib. 4. pag. 167.
- Adulteratus clam, & eius vxor palam, quia clam ducta alij nupsit, & postea ordinatus peccarit, & ad quid teneatur.** consil. 1. de adulteriis. num. 3. & 5. lib. 5. pagina 423.
- Aduocatus pro consilio ab hæretico pecunias accipiens non est excommunicatus.** conf. 13. de sent. excom. nu. 4. lib. 5. pag. 621.
- Aegroti multi ad mortem parce viuendo conualuere.** conf. 15. de spons. num. 2. lib. 4. pag. 38.
- Aetatis ad matrimonium determinatio iuris humani, super quo Papa dispensat.** cõ sil. 39. de spons. num. 9. lib. 4. pag. 75.
- Affines quid proprie, & quid improprie.** cõ sil. 8. de consang. & affinit. num. 1. lib. 4. pag. 143.
- Affines nisi ex iustis nuptiis iure ciuili non dicuntur.** conf. 7. de spons. num. 3. lib. 4. pag. 16.
- Affinitatis impedimentum, & affinitas, sicut cognatio, & impedimentum cognationis, diuersa.** conf. 8. de consang. & affinit. num. 3. lib. 4. pag. 144.
- Affinitas superueniens matrimonij ratum non dissoluit, & adulter ius petendi debitum amittit, & innocens illud petere potest.** conf. 43. de spons. nu. 1. lib. 4. pag. 84. & conf. 44. num. 1. & 3.
- Affinitatis impedimentum ex illicito coitu tam occulto, quam publico, nascitur.** conf. 9. de consanguin. & affinit. num. 1. lib. 4. pag. 146. & de spons. conf. 33. nu. 1.
- Affinitas matrimonio superueniens, illud non dirimit, sed culpabilem exigere debitum impedit.** conf. 3. de consan. & affinit. num. 1. lib. 4. pag. 134.
- Affinitas ex illicito coitu in 3. & 4. gradu matrimonio superueniens non impedit extinctionem debiti.** conf. 3. de consan. & affinit. num. 2. lib. 4. pag. 135.
- Affinitas naturali ratione inducta cur apud omnes non inuenitur.** conf. 7. de sponsal. num. 2. lib. 4. pag. 16.
- Affinitas per baptismum non tollitur, licet tollatur adulterium.** conf. 7. de spons. nu. 2. lib. 4. pag. 16.
- Affinitas ex solo illicito coitu ante ius canonici non contrahebatur.** conf. 7. de sponsal. num. 3. lib. 4. pag. 16.
- Affinitatis impedimentum ius ciuile ignorauit.** conf. 7. de spons. nu. 5. lib. 4. pag. 17.

I N D E X.

- Affinitas non ex baptismo, sed ex copula inter baptizatos nascitur.** conf. 7. de spons. num. 7. lib. 4. pag. 18.
- Affinitas ex illicito coitu inter infideles non oritur.** conf. 7. de spons. num. 8. lib. 4. pagina 18.
- Affinitas non nisi ex copula carnali ordinaria producitur.** conf. 8. de consang. & affi. num. 5. lib. 4. pag. 144. & conf. 9. nu. m. 1. & de spons. conf. 32. num. 1.
- Affinitas est proximitas personarum ex copula carnali procreans, omni carens parentela.** conf. 3. de consang. & affi. num. 4. & seq. lib. 4. pag. 144.
- Agere pro alio sine mandato, nec rescriptum impetrare ad lites nemo potest.** consil. 4. de priuileg. num. 1. & 8. lib. 5. pag. 518.
- Alienans res ecclesiæ est excommunicatus, & de portato equiparatur.** conf. 54. de ven. ten. excom. num. 1. lib. 5. pag. 698.
- Alienans rem ecclesiæ in rebus permissis bullam Pauli ij. non incurrit.** consil. 11. de rebus ecclesiæ non alienand. num. 1. lib. 3. pag. 782.
- Alienatio rei cathedralis facta ab Episcopo de consensu Cap. valet.** conf. 10. de rebus ecclesiæ non alienand. num. 1. lib. 3. pagina 781.
- Alienatio rei ecclesiæ facta ab Abbate etiã exempto de consensu Cap. sine Papæ, vel alius superioris auctoritate, inualida.** consil. 10. de reb. eccl. non alienand. nu. 2. lib. 3. pag. 782.
- Alienatio inualida ratificari potest per superiorem, vel eius, in cuius ditione res alienata sita est.** conf. 10. de reb. eccl. non alienand. num. 3. lib. 3. pag. 782.
- Aliter sentiendum de Capitulo excommunicato denunciato, & de eodem suspenso denunciato.** conf. 24. de sent. excom. nu. 5. lib. 5. pag. 622.
- Alternatiuæ vna pars declarat alteram, sed sufficit alteram implere.** conf. 30. de spõ. num. 1. & 8. lib. 4. pag. 56.
- Amens, vel iudicio carens, nec obligari, nec iniuriam facere potest, licet sic pati.** consil. 1. de cognat. spirit. num. 1. lib. 4. pagina 123.
- Amittio lucri etiã & ipsa ab aliquibus damnatur, sed male dicitur.** cap. frater. de lege pœn. num. 13. pagina 818.
- Annatam soluere debet, non renunciandi beneficium.** num. 1. lib. 5. pag. 189.
- Anathema duo significat, actum scilicet faciendi, & rem iam factam.** conf. 5. de sen. excom. num. 5. lib. 5. pag. 605.
- Anathema in veteri testamento non significabat excommunicationem.** consil. 5. de sent. excom. num. 4. lib. 5. pag. 605.
- Ancillæ erogantes pauperibus minuta aliqua ex tacito dominorum consensu, vel sine animo perueniendi ad notabilem summam, restituere non tenentur.** consil. 2. de furtis. numero 1. lib. 5. pagina 429.
- Animalia irrationalia excommunicare, vel in ius vocare, vanum.** conf. 5. de sentent. excommunicata. num. 1. & seq. lib. 5. pagina 604.
- Animarum salus omni alij commo præferenda.** conf. 14. de off. iudi. ordi. num. 2. lib. 1. pag. 755.
- Annexum non est idem cum eo, cui annexitur, nec nihil simile idem identitate numerali, seu specifica, sed generica.** conf. 25. de sent. excom. nu. 14. lib. 5. pag. 651.
- Apostasia generaliter desertionem muneris significat.** conf. 1. de apostasia. num. 4. lib. 5. pag. 367.
- Apostasia triplex, à fide, obedientia, & ordine.** conf. 1. de apostasia. num. 3. lib. 5. pagina 367.
- Apostata est, qui professus religionem, animo non redeundi, eam deserit, nec aliam intrat, non autem cù dispensatione translatus, vel perita licentia, strictiorem intrat, vel cum licentia foris manens.** conf. 1. de apostasia. num. 8. lib. 5. pag. 369.
- Apostata non est fugitiuus, & vagus animi redeundi habens.** conf. 1. de apoit. num. 7. lib. 5. pag. 368.
- Apostata à religione quis proprie dicitur.** conf. 1. de apostasia. num. 4. & 14. lib. 5. pagina 368.
- Apostata non est sine licentia ab vna religione recedens, & aliam etiam laxiorem intrans.** conf. 1. de aposta. nu. 5. lib. 5. p. 368.
- Apparitores clericos capientes, vt eos armis spoliarent, peccant.** conf. 44. de sent. excom. num. 5. lib. 5. pag. 686.
- Apparitores arma clericis capta ante condemnationem restituere non tenentur.** conf.

I N D E X.

conf. 44. de sent. exc. nu. 5. lib. 5. pag. 686.
**Appellari non potest in notoriis, secus ab eo
rum declaratoria.** conf. 20. de sent. exc. 6.
num. 5. lib. 5. pag. 635.

**Appellatio de declarationem, sed non excom-
municationem suspendit.** conf. 20. de sen-
ten. excom. num. 5. lib. 5. pag. 635.

**Appellatio suspendit declarationem excom-
municationis.** conf. 12. de sent. exc. num.
2. lib. 5. pag. 620.

**Appellatio licet non suspendat excommuni-
cationem laram, suspendit tamen de cla-
rationem.** conf. 65. de sent. excom. num.
5. lib. 5. pag. 718.

**Arbiter in arbitrando iure communi duci
debet.** conf. 23. de spons. num. 1. lib. 4. pa-
gina 47.

**Argumentū à remotione generis ad remo-
tionem speciei validum.** cōf. 10. de homi-
cidio. num. 4. lib. 5. pag. 323.

**Argumentum à partiū sufficienti enumera-
tione validū.** c. frat. de l. pen. n. 6. pag. 817.

**Argumentum de matrimonio carnali ad spi-
rituale validum.** conf. 14. de offi. iud. ord.
num. 3. lib. 1. pag. 755.

**Argumentum à contractu mutui ad innomi-
natum non procedit.** confil. 21. de vsuris.
num. 1. lib. 5. pag. 478.

**Argumentum à contrario in narratiuis pa-
rum valet.** conf. 14. de offi. iud. ord. num.
10. lib. 1. pag. 757.

**Arma fabricare, quibus quis uti, & abuti po-
test, ex se non peccatum.** conf. 3. de claud-
dest. despon. num. 14. lib. 4. pag. 112.

**Arma deferentes cū mortali inobedientia,
vel scandalo, vel ad bella iniusta, nisi absti-
neant, absolui non possunt.** conf. 3. de clā-
dest. despon. num. 12. lib. 4. pag. 111.

**Arma bona fide apud infideles fabricantes
absoluedi.** conf. 3. de clandest. desponf.
nu. 13. lib. 4. pag. 111.

**Auctoritas viri pij, & eruditi à fractione le-
gis, & à culpa excusat.** conf. 20. de vsuris.
num. 4. lib. 5. pag. 475. & conf. 75. de sim.
num. 3.

**Auctoritate aliena aliqua facimus, quæ no-
stra nõ possimus.** cap. frater. de lege pen.
num. 21. pag. 820.

**Auxilium dantes hæreticis, seu bannitis, in-
tellige tamquam talibus.** conf. 57. de sen-
excom. num. 8. & 11. lib. 5. pag. 709.

Auxiliū dantes ad promittendum pro gratia,

ea nõ obtenta, poenas non incurrit. cōf.
30. de sent. exc. nu. 1. & 4. lib. 5. pag. 691.
**Azimos penes Iudæorum comedentes, si lai-
ci, excommunicandi, si clerici, puniendi
sunt.** conf. 2. de Iudæis. num. 4. lib. 5. pa-
gina 327.

B

B **Alneatores, qui nudas mulieres lauant,
non sunt absoluedi.** conf. 7. de poenit.
& remis. num. 1. lib. 5. pag. 566.

**Bannitos, & hæreticos in extrema necessita-
te adiuuare tenemur, & etiā extra eam.**
conf. 57. de sent. excom. num. 10. lib. 5.
pag. 709.

**Bannitos receptātes, seu quomodolibet ad-
iuuantes excommunicati, si vt tales adiu-
uent.** conf. 57. de sent. excom. num. 3. lib.
5. pag. 707.

**Bannitos adiuuantes sine scandalo & violen-
tia, vt facilius conuertantur, non excom-
municantur.** conf. 58. de sent. excom. nu.
8. lib. 5. pag. 712.

**Bannitos ad delicta perpetranda adiuuantes
excommunicati.** conf. 57. de sent. excom.
num. 7. lib. 5. pag. 708.

**Bannitos receptantes, seu adiuuantes, Epi-
scopi absoluedere possunt in foro saltem cō-
scientiæ.** conf. 43. de sent. excom. num. 4.
lib. 5. pag. 684.

Banniti vxor cum eo communicare potest.
conf. 58. de sent. exc. num. 6. lib. 5. pag. 711

**Banniti tantum famosi per Bullam Gregor.
xiii. vitandi.** conf. 59. de sent. excom. nu.
2. lib. 5. pag. 712.

**Baptisma ex forma Græcorum, vel etiam ab
infideli ministratum valet.** conf. 3. de clau-
dest. desponf. num. 5. & 10. lib. 4. pag. 109.

**Baptismus non est, si quis, In nomine patris,
& filii, & spiritus, verbo sancti tacito, ba-
ptizet.** conf. 3. de clandest. desponf. num. 6.
lib. 4. pag. 109.

**Baptismus non datur volenti in suo mortali
perfeuerare.** conf. 3. de clandest. desponf.
num. 20. lib. 4. pag. 114.

**Baptizandi non sunt infideles habentes v-
sum rationis, nisi velint ab infidelitate re-
cedere, & fidei necessaria credere, & tūc
possunt, & debēt baptizari, licet morbo,
& salutis desiderio ad baptismum incitē-
tur.** conf. 3. de clandest. despon. num. 21.
lib. 4. pag. 114.

I N D E X.

- Baptizari possunt infantes ægroti de consensu parentum infidelium.** consil. 3. de clandest. desponsatio. num. 20. lib. 4. pagina 114.
- Baptizans in necessitate filium suum ex uxore nullam contrahit cognationem.** consil. 53. de sponsalib. num. 1. lib. 4. pagina 98.
- Baptizati ex forma à Romana, vel Græca diuersa, rebaptizandi.** consil. 3. de clandest. despon. num. 6. lib. 4. pag. 109.
- Bellum publicum sufficit, vt secundum leges, & consuetudinem capta in eo fiant captiuium.** consil. 2. de iniur. & damno dato. num. 2. & 3. lib. 5. pag. 545.
- Bellum iniustum non facit iniustitia generalis, sed specialis.** consil. 16. de homic. nu. 2. lib. 5. pag. 400.
- Benefacienti vt beneficiamus, omnia iura volunt.** consil. 11. de vsuris. num. 7. lib. 5. pag. 458.
- Beneficiarius dare potest aliquid molestanti de facto, vt ius suum possessum seruet.** consil. 17. de simonia. num. 1. lib. 5. pagina 212.
- Beneficiarius retinere beneficium nõ valet, habita scientia de simonia pro mediatore in impetratione commissa.** consil. 73. de simo. num. 1. lib. 5. pag. 311.
- Beneficiarius in fructibus percipiendis usufructuario similis.** consil. 9. de donat. num. 1. lib. 3. pag. 786.
- Beneficiatus fidem profiteri recusans an præsumatur hæreticus, & vt talis priuandus.** consil. 5. de verbor. signifi. num. 2. lib. 5. pag. 736.
- Beneficium in genere quid, & quid ecclesiasticum.** consil. 43. de simon. num. 12. & 18. lib. 5. pag. 260.
- Beneficij collatio facta criminoso valet, nisi ex eo sit inhabilis.** consil. 10. de simo. num. 3. lib. 5. pag. 197.
- Beneficij collatio facta irregulari est nulla.** consil. 3. de simonia. num. 3. lib. 5. pagina 188.
- Beneficij collatio, præter scripta, vide verbo Collatio.**
- Beneficia ecclesiastica sine dote dici nequeunt.** consil. 43. de simon. num. 14. lib. 5. pag. 261.
- Beneficium spirituale duplex, sæculare, & regulare.** consil. 43. de simonia. num. 16. lib. 5. pag. 262.
- Beneficij, seu priuilegij impetratio sine mandato valet.** consil. 4. de priuil. num. 4. lib. 5. pag. 518.
- Beneficium per simoniam adeptum iniuste retinetur.** consil. 70. de simo. num. 2. lib. 5. pag. 307.
- Beneficium ecclesiasticum debet esse perpetuum.** consil. 43. de simon. num. 8. lib. 5. pag. 259.
- Beneficium, quod simoniace quis affectus est, postea renunciatiui quis conferet.** consil. 61. de simo. num. 3. lib. 5. pag. 292.
- Beneficium ecclesiasticum ecclesiastica auctoritate constitui debet.** consil. 43. de simo. num. 6. lib. 5. pag. 258.
- Beneficium per simoniam à se ignotam adeptus potest illud, nisi sit dignitas, vel curatum, dispensante Episcopo, habere.** consil. 35. de simonia. num. 4. lib. 5. pagina 243.
- Beneficium post irregularitatem obtentum vt suum retinere nemo potest.** consil. 2. de homic. num. 1. lib. 5. pag. 384.
- Beneficium sine titulo retinens etiam post longum tempus peccare videtur.** consil. 14. de offic. iudic. ordin. num. 2. lib. 2. pagina 755.
- Beneficiorum permutatio, & non tractatus sine licentia, prohibita.** consil. 22. de simo. num. 1. lib. 5. pag. 220.
- Beneficia quærita, & non quærenda, de Episcopi licentia permutari possunt.** consil. 22. de simo. num. 2. lib. 5. pag. 220.
- Beneficia multa pro vno vt permutari possunt.** consil. 22. de simonia. num. 3. lib. 5. pag. 220.
- Beneficium sine institutione canonica nõ potest obtineri.** consil. 14. de offic. iud. ord. nu. 2. lib. 1. pag. 755.
- Beneficium ante irregularitatem adeptus ipso iure non perdit.** consil. 36. de simo. num. 1. lib. 5. pag. 282.
